DE SIGNIS ECCLESIAE DEI LIBRI XXIIII.

AVCTORE THOMA BOZIO EVGVBINO, CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

IN DVOS TOMOS DIVISI, QVORVM HIC *Primus, continet Libros XII. priores, in quibus comprehenduntur Signa 57. sicut post præfationem ad Lectorem videre est.*

Secundus Tomus, (qui propediem prodibit in lucem) reliquos XII. Libros continebit.

Accesserunt Indices tam Argumentorum, Signorum, & Capitum, quàm Verborum, Rerum Sententiarumq; insignium locupletissimi.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum sub Monocerote.
Anno M. D. XCII.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI ET D. N. GREGORIO DECIMO QVARTO PONTIFICI MAXIMO,

THOMAS BOZIVS PRESBYTER Congregationis Oratorij, *sempiternam felicitatem.*

OMNES *controuersiæ, Beatissime Pater, quæ versantur inter Catholicos & hæreticos, ad hãc vnam reuocantur, qui sint ex Ecclesia Dei, quæ est columna, & firmamẽtum veritatis, non habens maculam, neq; rugam.* (1. Tim. 3. Ephes. 5.) *Hæretici porrò cum sint impudentissimi, & omnibus vndique flagitijs cooperti, vt aduersus filios matris olim suæ scandalum ponant,* (Psal. 49.) *ore spurcissimo audent, quando in fidei quæstionibus se deficere vident, aduersus patres quondam suos loqui, crimina ijs obijcere, & exemplo Cham pessimi filij ad suam perditionem per summum scelus ostentui habere patres religiosissimos, præsulesq; sacros Ecclesiæ sanctæ, ꝑ quos ipsi sunt in arca mystica Noë seruati, ac liberati à morte.* (Gen. 9.) *Pro illa igitur aduersus impios istos impar humeris meis opus nouũq; & multiplex explicandũ mihi proposui: & quãuis inter filios eius minimꝰ. fractaq; sim valetudine, aggressus tamẽ illud sum diuino auxilio fretus, quod in re tãta, cũ scriptioni me dabã, cõtinẽter imploraui, atq; vt*

per alios mihi impetraretur, omnium bonorū precibus apud Deū pro me interuenturis me semper commendabam. Post annos aūt decē perduxi illud ad finē, centumq́; signa collegi, è quibus clarißimè elucescit, quæ, quātaq́; sit Ecclesia nostra quæ est Dei. Illa verò ducūtur è triplici & mirabilißima coniūctione, qua copulatur ipsa sanctißimè Christo, & Deo. Nā cùm renascatur ex incorruptibili semine baptismi lauacro aquæ, in verbo vitæ, primò loco quo ad spiritū maximè Deo cōhæret per sacramentū Chrismatis, in quo vncti, signati Spiritu promißionis sancto, edoctiq́; omnia sumus. Secundo quo ad corpus Deo connectitur per Eucharistiæ sacramentū, ex quo sunt duo in carne vna. Tertio coniungitur eidē quo ad regnū spirituale, quod omnia iudicat, & à nemine iudicatur, per Ordinē sacerdotij regalis, cui datæ sunt claues regni cælorū, soluendiq́; & ligandi in cælo, & in terra. Hic primus tomus operis totius complectitur signa pertinentia ad animi coniunctionem, ac de virtutibus Theologicis moralibusq́; & gratijs gratuitis disserit, & explicat non solùm quomodo ex illis manifestißimè dignoscatur Ecclesia Dei, sed etiam sedis istius studiosos ad tantam peruenisse illarum celsitudinem, vt alieni neq́; pertingere eò potuerint ipsa cogitatione: ante oculos præterea cuiuslibet ponit, qui sint omnium gentium celeberrimarum in vitijs progressus, quantaq́; alienorum à nobis vitiositas, & turpitudo. Amplius autem sic inter nostros diuinitus distribui virtutes, vt pro merito dignitatum sit etiam virtutum conueniens gradus, in toto scilicet Ecclesiæ decursu, eminentioriq́; potestati esse maiorem numerum martyrum, sanctorum, sapientumq́; virorum, habita scilicet ratione paucitatis ex vna, & multitudinis ex alia parte, summosq́; summis, & infimis infimos comparando.

1. Petr. 1. Ephes. 5. 2. Cor. 1. Ephe. 1. 4. 1. Ioan. 2. Ephes. 5. 1. Pet. 2. Matth. 16.

Quocirca nulla Patriarcharum vel Episcoporum successio tot martyres habet, quot Romana, quæ viginti septem, aut etiam plures numerat Papas martyrij corona præfulgentes. Nulla tot sanctitate excellētes præsules, vt ista, quæ septuaginta duos innocentiæ diuinæ miraculis consignatæ è

suis

ſuis recenſet. Nulla, quæ per ſuos miniſtros magis fidē Chriſti amplificarit dilatans tentorium Dei Iacob, & longos faciens eius funiculos, clauosq́ꝫ conſolidans: ita vt, quæcumqꝫ ſedes ab iſta receſſerit, continuò foras ſit miſſa, à gentibus conculcata, ſibi exaruerit, poſitaq́ꝫ ſit in deſertum. Nulla deniqꝫ ſeries Eccleſiaſticorum Antiſtitum throno iſto, qui ſicut Sol in conſpectu Dei fulget, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis, fuerit vnquam magis perita, prudens, iuſta, religioſa, pia, obediēs Deo, verax, humano generi amica, liberalis, magnanima, clemens, humilis, & cunctis denique virtutibus ex omni parte reſplendens; quæ nos ſingillatim primo hoc noſtri operis tomo clariſſimè explicamus, ſicut aperimus contrà teſtimonijs indubitatis in medium productis, ſedis iſtius Apoſtolicæ inimicos, omnibus vitijs quotidie proficientes in peius eſſe contaminatos.

Isa.54. Matt.5. Psal.106. Psal.88.

Sanctitati igitur tuæ, Beatiſſime Pater, hi, qualeſcumqꝫ ſint, tenuis ingenij fœtus meritò debentur; non modò quia domum Dei, de quâ agunt, gubernas; ſed quia ſemper es iudicatus de prudentium ſententia dignus qui conſtitutus ſuper montem Domini in vertice montium ſtares in loco ſancto, prædicans præcepta eius. Illinc itaqꝫ mihi infimo omniū, fratrumq́ꝫ meorum in vnum habitantium Congregationi tibi ſemper addictiſſimæ benedicas, vnde Dominus mandauit benedictionem, & vitam vſqꝫ in ſæculum; vt è valle lachymarum, quarum fons ac torrens oculis tuis eſt datus, dum quotidie ſacrificas, populiq́ꝫ peccata & eius interfectos cum Hieremia ploras, eamus de virtute in virtutem donec in Sion Deus Deorum videatur.

Isai.2. Psal.14. & 2. Psal.83. Ier.7. Thren.2.

PIO

PIO LECTORI.

SICVT Ecclesiæ sanctæ, atq; ipsi veritati numquam defue rũt vlla ętate hostes acerrimi, sic & viri sciẽtia diuinitus inspirata pręstantissimi semper illi præsto adfuerunt; qui aduersus illos scriptis doctissimis in publicã totius orbis lucem datis pro Dei populo intrepidi steterũt, ac fortissimè pugnarũt. Sed hi quidem plerunq; vnum genus hæreticorũ, vel hostium sacrosanctæ religionis prosternendum vi, telisq; veritatis sunt adorti: cõmunia tamen argumenta maximè pertinentia ad virtutes, & dona quædam diuinitùs Ecclesiæ data, quasi quasdam machinas ad vniuersos ipsius inimicos deijciendos, ac funditus euertendos, quamuis ostẽderint, & adumbrarint, nõ visi sunt speciatim fabricari, & admouere. nobis, qui posterioribus hisce sæculis pro Dei summa benignitate inter filios Dei cõnumeramur, impressa quædã vestigia reliquerunt, quibus insistẽtes peruenire possemus ad amplissimã rerum copiam ab ipsis pręparatam aduersus omnes cuiusuis generis impios, è qua tela quæuis condere & expedire liceret, quibus istos impugnare ac profligare possemus. In eam rẽ post decursa optimarum disciplinarũ spatia, cùm vehementius ipse Catholicorum minimus animũ ante annos decem intendissem, diuina quadã quasi manu ductus, cælestiq; lumine, in quod ego semper in precibus defixus & ad omnium bonorũ preces confugiens implorando respiciebam, mihi præeunte, largissimã pulcherrimamq; affluentiam rerũ sum nactus è superis baptismi fontibus, quibus in Ecclesia renascimur, deriuatã, paulatimq; per amplissima flumina in nos abũdè diffusam, nimirũ per sacramenta Chrismatis, quo recipiens animus noster plenitudinem Spiritus sancti Deo maximè copulatur; Eucharistiæ, quo corpus nostrũ corpori Christi coniũgitur; & Ordinis, quo potestatem sortimur administrandi sacramenta, quibus infunditur gratia diuina, in qua regnũ Dei collocatur vt ob id Sacerdotes dicantur Reges, & hac parte vnũ sit ijs regnum cum Deo. cœpiq; tantam veluti syluam dispone-

re,dolare,ac pro viribus expolire. AEtatis igitur anno qua dragesimo propè exacto,cùm dies noctesq; totum decennium nulli parcentes labori, nullum diligentiæ studium omittentes,opus vrgeremus, illud citius, quàm vellemus, in lucem proferre sapientum virorum nimijs efflagitationibus coacti sumus.His itaq; libris non aduersus hos illosve alicuius ætatis hæreticos, sed aduersus alienos omnes omnium sæculorum sic præliamur, vt mirari perfecta re non desinamus,quid scelestis istis in mentem venerit in aciem prodire, & instar impij Goliath agminibus Dei viuentis aliquid exprobrare, hiscere, aut in conspectu stare. Sed profectò plerique mortales in tenebris & vmbra mortis sedentes nimiam Solis ipsius lucem quasi vespertiliones ferre non valent,neque sustinent adhuc inungi sibi excæcatos oculos luto, quod Christus in Ecclesia ad lumen orbis restituendum è sputo & puluere confecit,ac præparauit; & idcirco ruunt præcipites in profunda stultitiæ, turpitudinis, & cuiuslibet vitiositatis. Nam quicumque sunt alieni à veritate, si fortè nomen aliquod inter suos habere cœperunt, sic vel existimationis propriæ ebrietate, vel inanis gloriolæ spectris inglorijs agitantur, vt pati non possint ab alijs aliquid edoceri; putantque se conspui, puluere operiri, cæno conspurcari, lumen oculorum sibi eripi, si quis in opinionem veniat eos aliquid ignorasse; ac lutum, quo vult oculos eorum linire Iesus tradens illos in Ecclesiæ supremum Magisterium, ferre miseri non possunt. Multi tamen sunt inter eos, qui non adeò transuersi abripiuntur, neque omni vento doctrinæ sic circumferri se sinunt,vt istorum turbinibus ac vorticibus absorbeantur,oculosque interdum conuertunt ad cœleste lumen,quod enitere aliquando vident in medijs nubium licèt obscurissimarum tenebris, ac procellis. Atque hi sanè,si reuera parati sunt aures veritati dare, & acquiescere, non admodum remoti sunt ab animo ingenuo; à quo quædam mihi sunt petenda & roganda. Atque in primis illud, vt Lector nolit de vlla operis parte dijudicare,nisi totum legerit, & attentè cuncta conferens, maturaque secum mente pertractans examinarit. Inciuile namque asseritur esse sententiam ferre,nisi totâ lege perspecta. Horum porrò librorum maximus est in omnibus partibus contextus,ita vt ex alijs aliæ sint aptæ, & connexæ; de nulla autem ferri iudicium potest,nisi singulis perpensis:

ex his enim declarantur illæ, confirmantur, ac sublatis, quæ possunt enasci dubitationibus, illustrantur. Sic autem sunt omnia distributa, vt vis cohæsionis & argumenti vniuersi ex alijs in alia mēbra intimè peruadat. Quamobrem maximè rogatum velim Lectorem, ne committat, vt vlla anticipata opinio, vel ante omnem libri lectionem secum allata, vel protinus accepta ex aliquo leui argumento, de tota re præiudicet vllo modo. & quidem durissima res est agere cum nonnullis, quorum mentibus altissimè insederint egerintq; radices imas propriæ quædam persuasiones quibus mirum, quantum sincerę veritati officiatur, solidæque rerum percipiendarum scientiæ. Verè namq; illud à celebri poëta dictum in hanc rem quadrat:

Sincerum est nisi vas, quodcumq; infundis acescit.

Hinc verò fit, vt homo in absurdissima multa vel volens incurrat, vel imprudens incidat, ac semetipsum prodat, dum veritatem non cognitam præiudicat, leuem, garrulum, & non modò doctrinarum ac rerum, quæ scientia comprehenduntur, inscium, sed officij, quod bonum virum, grauemq;, & maturum deceat, obliuiosum, aut etiam forsan ignarum. Adde huiusmodi homines sæpè haberi pro inuidis, animiq; angusti, quippe qui in alienis non bene perceptis aut negligendis, aut carpendis inanem sibi laudem, doctrinæq; opinionem velint aucupari.

Illud præterea secundo loco mihi non immeritò dari à Catholico lectore velim. Homo sum: nihil, inquit ille, humani à me alienum puto. fieri vix potest, vt aliquid mihi non exciderit, quod emendatione aliqua non egeat; & huc enim spectat illud, in multis omnes delinquimus. ac fas visum fuit doctissimis viris obrepere somnum in opere longo. Si quis igitur animaduertet aliquid aliqua in re corrigendum, rogo, vt vel coram, si quidem Romæ degat, vel absens me per litteras amicè faciat certiorem. Visus certè mihi semper is fui, ac talem me comparare studui, vt non modo acquiescerem recta veraque ostendentibus, sed haberem gratias & agerem multas. In ambiguis tamen haud velim contentiosum monitorem, sed qui existimet & à veritate se vt hominem posse aberrare, neque modesti partes esse protinus velle agere Aristarchum; sed in omni re, quæ controuersiæ possit aliquid habere, pars altera semper audienda.

Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Sapientis porrò est, aiebant Philosophi quidam non ignobiles, assensum sustinere, neq; continuò quibuslibet cogitatis sese menti nostræ obijcientibus adhærere. Innumera sunt, quæ veluti certissima cunctisque persuasissima nobis persuademus, mox falsa aliquando etiam post longum tempus inuiti deprehendimus, & tum nostri maximè nos pudet, quippe qui ad credendum præproperi fuerimus: ac ne nostrum, reliquorumque errorem fateamur, sæpè veritati nolumus acquiescere. In nonnullis quidem dissentio ab ijs quos alibi hoc opere ab excellentia doctrinæ haud mediocriter commendo: subticere soleo nomen eorum, liberalis namq; & benè institutæ mentis est, aliorum dignitati & nomini consulere; nisi siqui fuerint ipsi in Ecclesiam Præsulesq; illius contra leges veritatis fideiq; sinceræ iniuriosi, vel in credendo nimium leues. quorum sanè constat esse aliquos, qui Catholici volunt haberi, & sunt illi quidem, sed frigidæ & exiguæ fidei, quæ moribunda iam vergat ad interitum, & in nihilum sit abitura: vt enim benè Sanctus Cyprianus aiebat libro de vnitate Ecclesiæ, Episcoporum contemptus affinis est hæresi: neque est hæresis, quæ non auspicetur ab Episcopis despiciendis.

Quocirca iure hoc tertium petam; vt in memoriam reuocet, quibus nominibus soliti sint Apostoli sanctiq; doctores appellare hæreticorum suis tum sæculis insanientium turbam. Nam cùm nihil sit hæretico pestilentius, & execrabilius, quamuis omittendum nihil sit, quo possit ad mentem reuocari, ac si spem det aliquam frugis melioris lenitate cum illo vti possimus, maximè si res sit cum hominibus certis, ad quos speciatim scribamus, cùm tamen in vniuersum scriptis editis eos confutamus, aut quāuis certi sint, nihilominus experimento longoque vsu compertum sit illos in furore persistere, tum veluti cum furiosis est agendum, detegendus eorum furor, si fieri possit, ac res tempusque permittat, vt scilicet cuncti furoris eorum certiores fiant; neque excidat nobis ex animo, hæreticos esse quam maximè detestandos, fugiendos, & veluti pestem longè expellendos. Vt autem lector sincerus facilius recordari possit hunc morem vsitatum fuisse Apostolis, ac sanctis viris, quoties aduersus hæreticos scribebant; operæpretium duxi, verba ipsa hic exscribere, qui-

bus illi soliti sunt homines huiusmodi vel præsentes vel absentes appellare.

Paulus igitur Apostolus sic de istis iam tum erumpentibus 2.Corint.11. Eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. & nō mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur veluti ministri iustitiæ. Ad Galatas autem scribens, qui seducti fuerant ab istis, quamuis speret eos ad mentem redituros, sic tamen inquit cap. 3. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? & ad Philippenses cap. 2. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. & mox: Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. & 2. Timot.2. Vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt. & mox de his, & eorum sectatoribus: Instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. & hos deuita: (erant igitur hi iam tum viuentes) ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducunt varijs desiderijs, semper discentes, & numquam ad scientiam peruenientes. quemadmodum autem Ioannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. atque hæc Paulus sui temporis hæreticos designans.

Iudas autem de hæreticis loquens, Hi sunt, ait, in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatę, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia: quibus procella tenebrarū seruata est in æternum. & mox: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Ioannes Apostolus. 1. cap. 2. Sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est. ex nobis prodierunt (signat hic hæreticos) sed non erant ex nobis. & 2. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne: hic est seductor, & Antichristus.

Ignatius Ioannis Apostoli discipulus ad Magnesianos, Fugite, inquit, illas sine Deo hæreses: Diaboli enim sunt adinuentio, serpentis auctoris malorum, qui per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri. fugite verò & malas soboles eius, Simonem dico primogenitum generis eius, & Menandrum, & Basilidem, & totam collectionem malignitatis ipsius, & illos hominis cultores Hebionitas, quos maledictos esse Hieremias Propheta asseruit. fugite quoque & illos immundissimos Nicolaitas amatores libidinis, malos calumniatores. Nam talis fuit Apostolorum minister Nicolaus. Fugite etiam ipsius nequissimos nepotes, Theodotum scilicet, & Cleobulum, qui generant fructum mortiferum, de quo si quis degustauerit, statim morietur, non morte temporali, sed æterna. Hæc Ignatius enumerans nominatim hereticos, quorum pleriq; viuebant, eorumq; sectatores, qui ætate illa degebant.

Et ad Philadelphienses: Filij lucis fugite diuisionem vnitatis, & malam doctrinam hæreticorum, ex quibus exit coinquinatio in omnem terram. & mox: Abstinete itaq; vos à verbis malis, quæ Iesus Christus non seminauit, sed hominum interfectrix bestia: propter quod non sunt plãtatio patris, sed seminarium nequissimi.

Et ad Smyrnenses: Huiusmodi omnes nepotes sunt illius inueterati malorum auctoris. deinde: Nefandas verò hæreses & schismata facientes fugite, sicut principatum malorum.

Ad Antiochenses: Videte ergo malignos operarios, inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum: videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squãmosos, & aspides, basiliscos, scorpiones. Hi enim sunt thoes, vulpes, & simiæ.

Polycarpus, vt refert Irenæus libr. 3. cap. 3. aduersus hæreses cùm Marcioni occurrisset, & ab eo fuisset interrogatus, an ipsum cognosceret, numquid leniter

respon-

respondit præsens præsenti? Cognosco te, inquit, primogenitum Satanæ.

Irenæus ipse Polycarpi discipulus alloquens ipsosmet hæreticos lib.1.cap.5. O pepones, ait, sophistæ vituperabiles, & non viri. Passim verò sic ad eos: Discite, inquit, insensati. quin in præfatione suorum librorum nullum non verbum, quo impietas hæreticorum turpitudoq; designetur, omittit, subdolos vocans, falsantes verba Domini, blasphemos, impios, lupos ouilis pellibus contectos: eorum sectatores sine cerebro, mysteria portentuosissima, profundum insensationis, & blasphemationis in Deum, bestiasque vastatrices in fine primi libri vocat, & in fine tertij innumeris eos verbis contumeliarum plenis meritò ac verissimè proscindit; idemque facit in pręfatione quarti libri.

Cyprianus autem sanctissimus martyr sic epistola quadragesima, vel octaua libr.1. Deus vnus est, & Christus vnus, & Ecclesia vna, & cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium, non potest. quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitut, vt dispositio diuina violetur. procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancrum & pestem fugiendo vitate. & mox. Vitate lupos, qui oues à pastore discernunt; vitate linguā diaboli venenatam. & libro de vnitate Ecclesiæ aduersus ipsos hæreticos agens, Quid facit, inquit, in pectore Christiano luporum (hęreticorum & schismaticorum) feritas? & canum rabies? & venenum letale serpentum? & cruenta sæuitia bestiarum? & mox. Hi sunt, qui se vltro apud temerarios conuenas sine diuina dispensatione pręficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen adsumunt; quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena letalia linguis pestiferis euomentes; quorum sermo ut cancer serpit; quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. & rursus. Error (hæresis) fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia

exaspe

exaſperat, ira præcipitat. Quin epiſtola quinquageſima quinta, ſiue tertia libro primo hæreticis illa verba dicta contendit; In cælum aſcendam, ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam: ſedebo in monte alto ſuper montes altos in Aquilonem. aſcendam ſuper nubes, ero ſimilis altiſſimo. & ad ipſum Nouatianum hæreticum ſcribens, (attendat quæſo candidus lector, quibus eum ſectatoreſque eius vocibus appellet.) Obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternę pietatis aduerſarius hæreticus Nouatianus, qui non tantùm, vt in Euangelio ſignificatum eſt, ſicut ſacerdos, vel Leuites iacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa ac noua crudelitate ſauciatum potiùs occideret. & mox ad noſtros: Fratres dilectiſſimi non moueat aut turbet hæretici iſtius perfidi abrupta dementia: rurſus. Videte canes, videte malos operarios: rabiem ſuam non ceſſant latratibus excitare; luporum more tenebroſam caliginem optare; qua facile poſſint ferina ſua crudelitate oues à paſtore direptas ſpelunca tenebroſa dilaniare. deinde ad Nouatianum conuerſus, Nouatiane, inquit, vas forſitan & pretioſum fuiſſes; ſed nunc te in paleas & in ſtipulas conuerſum, nec intelligis, nec plangis: quid igitur vanis rebus extolleris? rurſus. Neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & cæcus, & pauper, & nudus. & ſubijcit eius aſſeclas eſſe Antichriſtos, fures, latrones; &, Quid ad iſta, ait, reſpondeant peruerſiſſimi iſti Nouatiani? &. Audite igitur Nouatiani, apud quos ſcripturæ cæleſtes leguntur potiùs, quàm intelliguntur, parum ſi non interpolentur. ſunt enim præcluſæ veſtræ aures, & corda cæcata. Hinc eos comparat coruo, qui ex arca Noë fuit emiſſus, lupis, prædonibus, lanionibus, ſcribens ad ipſorum principem, ſectatoreſque tum viuentes.

Athanaſius oratione prima cõtra Arianos nominatim recenſet plurimos Epiſcopos Arianos tum viuentes, & in his Georgium Cappadocem, qui Alexandrinam ſedem inuaſerat; & ait: Hi cùm eſſent non niſi in presbyteri ordine conſtituti, nec vulgo cogniti haberentur, tamen per impietatem Epiſcopatus titulum ſibi procurarunt, eaque de cauſa Georgium Cappadocem quemdam redemerunt eo animo, vt eum ad vos mitterent. ſed nec ille aliquo in numero, aut pretio habendus eſt. Dico enim eum in iſtis locis non vt Chriſtianum ſe, ſed vt idololatram geſſiſſe, eumdemque moribus & inſtituto carnificem eſſe; & quia

iſtius

istiusmodi ingenio erat, acciturn ab illis, aggregatumq; esse, vt pote hominem iniurijs, rapinis, & cædibus faciundis perquam idoneum. ea enim sæpiùs exercuit; neq; vlla ratione cognita habet, quæ sunt peculiaria Christianæ fidei. illi quidem his machinis vtuntur contra veritatem, nón tamen illorum animus latet, etiamsi millies veluti anguillæ in sinus meandrosque lubricent, & sese occultare studeant, quasi non sint Christi perduelles. & mox: Antichristi isti sunt, qui propter Arij vesaniam ad vos accedunt. Hæc de Arianis Episcopis tum viuentibus, & eorum sectatoribus Athanasius publicè scripsit.

Quid verò in epistola ad solitariam vitam agentes, tum de reliquis Arianis, tum de Constantio Imperatore? audiamus eum loquentem: Immanis bellua nempè hæresis ista (Arianorum) terras inuasit, vt quæ non verbis veluti dentibus suis homines innocentes lædat, sed & externam vim ad insidias faciendas comparauit. & mox: Omnes certè apud illos sordibus scatent, & eorum catascopi, hoc est, exploratores, quum minimè sint Episcopi, longè maculosissimi sunt. & longè post: Quid autem aliud hæresim istam, quæ prorsus aliena est à pia religione, quęque vt Christi perduellis auctorem suæ impietatis Constantium quasi Antichristum inscribit, facere decuit, nisi contraria Saluatori vsurpet? Deinde longissima oratione ostendit Constantium deteriorem Saule, Achabo, Pharaone, collationemque istorum cum illo facit, eorum facta vtrinque referens, & expendens; & ad extremum concludit: Quis igitur, quum ista fiant, & quum impietas tantam impudentiam sibi vendicet, ausit iam inde Constantium hominem Christianum appellare? ac non potiùs Antichristi imaginem esse? quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur? Hæc Athanasius, qui deinde enumerat omnes Antichristi notas, & ostendit eas Constantio ad vnguem conuenire: & tamen Constantius totius Romani orbis moderator viuebat, & hæc audet Athanasius scribere aduersus illum, de quo paulo antè meliora sperans, necdum credens Arianum, dixerat esse pium, & religiosum: & nihilominus à quibusdam dicitur esse modestus, cùm scribit in Arianos.

Augustinus epistola quinquagesima sexta de curiosis quæstionibus, nominans Donatistas, Maximianenses, Manicheos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Cataphrygas, vocat eos greges turbamque bestiarum innumerabiliter perstrepentes. & in psalmum quinquagesimum septimum, Habemus, inquit, & in hæreticis hoc documentum, & experimentum; quia & ipsos inuenimus esse serpentes indignatione obsurdatos, nolentes audire medicamentum medicatum à sapiente. & in psalmum sexagesimum septimum, explicans illa verba, Congregatio taurorum in vaccis populorum, Tauros, inquit, vocans propter superbiam duræ indomitæque ceruicis. significat enim hæreticos. vaccas autem populorum seductibiles animas intelligendas puto, quia facilè hos tauros sequuntur. & in psalmum octuagesimum: Sampson caudas vulpium colligauit. Vulpes insidiosos, maximeque hæreticos significant dolosos, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Hæc ille. sed bene est, vt cognoscamus, quibusnam verbis alloquatur ipsosmet hæreticos Augustinus, cùm scribit in ipsos. Sic igitur libro primo contra epistolam Parmeniani, Donatistas alloquens: Quapropter, inquit, isti (Donatistæ) non ideo scelerati sunt, quia de omnibus victis nolunt temerè aliquid credere: sed ideo, quia se furore schismatis præciderunt ab eis innocentibus. & rursus: An forte dicent (Donatistæ) etiamsi conuincuntur in sacrilega dissensione (Donatistarum) vt pro ea dementia (suæ sectæ) si quid passi fuerint martyres non sint. Et libro secundo sic exorditur: Quæ tandem vis, nisi cæcitas, & vanitas animi, cogit hominem clausis, vt dicitur, oculis, tamquam in alterum iacere, quod in eum, qui iecerit, continuò redeat, eumque ictu reciproco affligat, intacto illo, quem vulnerare voluerat, sicut isti Donatistæ de omnibus ferè scripturarum testimonijs faciunt. & mox de ijsdem: O stultissimam cæcitatem: quid enim tam bonum, & tam iucundum habitare fratres in vnum? rursus: Si veram paleam (Donatistæ) odissent, & ipsi paleæ non essent. iterum: Aut quando (Donatistæ) non spernunt Deum, qui baptismum eius, in eis, quorum causam non audierunt & de quibus nullo modo, iudicare potuerunt incredibili temeritate impie-

tatis exsufflant, & sibi audent arrogare, quod Dei est & libro tertio: Ipse est enim (Satan) qui per imaginem quasi iustæ seueritatis crudelem sæuitiam (hæresim) persuadet, nihil aliud appetens venenosissima versutia sua, nisi vt corrumpat, atque dirumpat vinculum pacis, & caritatis. & post: Vnde ergo tanti greges circumcellionum? hi è Donatistis erant) vnde tantæ turbæ conuiuarum ebriosorum, & innuptarum, sed non incorruptarum, innumerabilia stupra fœminarum? Vnde tanta turba raptorum, auarorum, fœneratorum? Vnde tam multi per suas quique regiones notissimi, tantumdem volentes, sed non tantum valentes optati? Quid ad hæc respondebunt? Non sunt ista? An & hoc triticum est? Væ impudentissimæ negationi, si apud se ista non esse; væ sceleratissimæ peruersitati (Donatistarum) si frumenta se esse responderint.

Idem libro primo contra litteras Petiliani Episcopi Cirthensis Donatistæ tum viuentis sic incipit: Nostis nos sæpè voluisse Donatistarum hæreticorum sacrilegum errorem in notitiam manifestam; non tam ex nostro, quàm ex ipsorum opere producere, atque conuincere. & libro secundo, ad singula verba & sententias Petiliani respondens, & dialogum contexens, sic Augustinus respondit: ita ne verò vos accepta alapa prebetis alteram maxillam? non istam vobis famam furiosa vestra agmina per totam Africam cum terribili turpitudine passim vagantia compararunt. & iterum capite centesimo quinto ipsummet alloquens Petilianum, quicum disputabat, cùm diceret ille se sacerdotem, neque pro se à populo orandum, quasi pro peccatore; Videsne, inquit, quàm sit ista diabolica superbia?

Idem libro primo contra Cresconium Donatistam tum viuentem, sic verbis Cypriani vtens: ipsum compellat: Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus (hæreticorum, & Donatistarum) assumit. & dum sibi semper quidam, plusquam mitis iustitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt: & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. & libro secundo capite decimo nono: Sed si vestra (Ecclesia Donatistarum) vera est; quomodo expiati sint à tam immani scelere, dicite. si enim non sunt expiati, omnes vos estis secundùm vestram sententiam eorum scelere maculati. & libro tertio, capite quadragesimo nono:

Aufer

Aufert itaq; de medio superuacuas inuidias molestiarum, quas regalib' iussis pro vestro errore patimini, perparuas, & propè nullas pro magno furore vestrorum, Donatistarum.& cap.78. Vereor ne nimis vrgeam verecundiam tuam, si ostendam quàm leuiter & scurriliter quędam etiam verba mea, quæ translatè posui, frontem pro pudore, os pro sermone, tridens telum pro tripartita oratione, tricipitem bestiam pro errore, tribus calumnijs aduersus tot populorum innocentiam sęuiente, quasi vrbanus, & dicax exagitanda putaueris, & lib.4.cap.39. Quid adhuc pessimę causæ patrocinium pertinacissimum præbes?

Idem Pelagianos alloquens lib.2. contra duas epistolas Pelagij ad Bonifacium cap.6. Itane verò, inquit, filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, ò noui hæretici Pelagiani.& lib.3. cap.7. Quis hoc, nisi Marcion, & Manichæus, & aliæ similes pestes dixerint? & lib. 4. ad finem, arguens Pelagianos, quòd in causa sua congregari concilium vellent; Verùm, ait, istorum (Pelagianorum) superbia, quæ tantum se extollit aduersus Deum, vt in illo non velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis synodus congregetur. & lib.1. contra Iulianum cap. 3. ipsum compellans, Audi iam parumper, inquit, inerudita temeritate quantum veros adiuues Manichæos. & lib. 3. in principio compellans ipsum Iulianum, ad quem librum scribit: teq; salubriter pœniteat incautæ, ac temerariæ iuuenilis progressionis & prolapsionis tuæ, & lib.4. ca.2. Hanc breuem, sed vtiq; apertam sententiam meam si mente tenuisses, puto, quòd tam improbus non fuisses.

Apparet itaque Augustinum nullum verborum genus omittere, quibus infandas hæreticorum impietates designare possit, ijsque sæpè ipsosmet hæreticos alloqui, appellans eos improbos, incautos, temerarios, ineruditæ temeritatis, superbos, qui se extollant aduersus Deum, & cōcilia generalia velint, pestes, patronos pertinacissimos pessimę causę, dicaces, scurras, leues, magni furoris, immanis sceleris, suo tumore cæcatos, sacrilegæ præsumptionis, superbæ obstinationis, Diabolicæ su͏pbiæ, terribilis turpitudinis, furiosos, sacrilegi erroris, sceleratissimæ peruersitatis, impudentissimè negantes, ebriosos, ac turbam ducentes fœneratorum, raptorum, corruptarum, auarorum, & innumerabilia stupra facientium, crudelis sæuitiæ, incre-

dibilis temeritatis, & impietatis, stultissimæ cæcitatis, vanitatis, dementiæ, sacrilegæ dissensionis, furiosi schismatis, sceleratos, odore tetro putentes, fraudulentos, dolosos, insidiosos, vulpes, tauros, duræ, & indomitæ ceruicis, serpentes indignatione obsurdatos, turbas bestiarũ innumerabiliter perstrepentes. Hęc Augustinus, qui tamẽ modestissimus in hæreticos, sicuti Athanasi⁹ etiã, prędicatur.

Hæc autem mihi satis esse videntur, vt recordemur quẽ morem seruarint Apostoli viríque sancti cum scribebant aduersus hęreticos, aut de ijs loquebantur, cúmq; legimus aliorum Catholicorum libros aduersus hæreticos, haud miremur, siquando in illos inuehuntur. Nihil namque ijs nocentius, venenatius, ac pestilentius, idcirco exclamandum, ne quis forsan obdormiscens, aut oscitans, minus aduertat ad istas pestes, ac falsa mentitæ mãsuetudinis specie obtectos furores. Quamquam si agatur de nostrę ætatis hæreticis non alijs illi sanè vocabulis sunt designandi, quàm quibus amantissimi eorum duces appellarunt, Lutherus, & Caluinus. Ille namq; postilla domi. 1. Aduẽtus, Saxonas, ac VVittembergenses suos, multo quàm cùm sub Romano Pontifice agerent, deteriores, atq; ad omne sceleris genus procliuiores, rursus & Sodomitis flagitiosiores testatur. Iste hæresi suæ addictos omnium mortalium scelestissimos, & facinorosissimos esse conuincit: deinde cùm verba illorum sceleribus congrua satis inuenire non potest, tetra monstra, & malos genios humanam formam indutos appellat conc. X. ad Ephes. Gallicè scripta. Similia de ijsdem Paulus Eberus, & Smidelinus, quorum verba referimus Signo 52. cap. 5. ad finem: eadem Munsterus, vt recitamus signo de ignorantia hæreticorum.

Hæc igitur mihi visa sunt à benigno lectore postulanda; quæ me impetraturum non modò confido, sed quando benignum nos hic alloquimur, certò scio. Interim verò Deum rogemus, vt Ecclesiæ suæ sanctæ & filios dignissimos, & propugnatores fortissimos pro summa ipsius beneficentia in terris nos efficere dignetur, quo bonum certamen certantes, cursumque consummantes, coronam iustitiæ post obitum recipiamus in cęlo, & qui laborauimus cum militante inter mortales, cum triumphãte in superis ęterna gloria & beatitudine perfruamur.

ARGV-

ARGVMENTA LIBRORVM, ET RATIO ORDINIS SERVATI.

PRIMVS liber agit de sublimitate Ecclesiæ in vniuersum, cui asseritur esse vnum spiritũ per chrisma, vnum corpus per Eucharistiam, & vnum regnum per ordinis Sacramentum cum Deo: è qua triplici cōiunctione deducuntur centum signa, è quib' apertissimum fit, quænam sit Ecclesia, & quanta eius diuinitas. tum de fabricatione Adami, & Euæ, casu eorum, reparatione generis humani per Christum, & Ecclesiam, Sacramētorum efficacia, baptismi, per quod renascimur, gratia, necessitate, & effectibus mirandis.

Secundus declarat quomodo Ecclesia, quæ constat è renatis per baptismum, maximè Deo veluti dilectissima sponsa numquam repudianda coniungatur per Chrismatis Sacramentum, ita vt illi sit vnus cum Deo spiritus, & ob id omnia doceatur, perducatur ad altissimum culmen virtutum, recipiat plenitudinem Spiritus sancti. Tum de mirabilibus plurimis ad Chrisma pertinentibus agitur, summisq; superstitionibus, in quas inciderunt antiqui, quæ per Chrisma ostenduntur sublatæ.

Tertius agit de signis nascentibus à prima & potissima Ecclesiæ cōiunctione cum Deo, quæ dicitur spiritus, per quam peruenit ad summum virtutum. Cùm verò tres sint virtutes Thelogicæ, fides, spes, caritas, & fides sit prima, quando vocatur substantia, & fundamētum rerum sperandarum, primo loco agitur de signis deductis ab ortu & natura fidei; quæ sunt.

I. Fides ex auditu. II. Vna fides. III. Indubitata.
IIII. Perpetua. V. Antiqua.

Nobisque esse fidem ex auditu, vnam, indubitatam, perpetuam, antiquam, sicut necesse est adsit Ecclesiæ Dei, abesseque ab hæreticis, demonstratur.

Quartus agit de signis pertinentibus ad fidei propagationem, quæ necessariò è diuinis scripturis debent Ecclesiæ inesse: sunt verò illæ.

VI. Propagatio fideī. VII. Maxima iniquis temporibus propagatio.
VIII. Perpetua fidei propagatio inter gentes.
IX. Ordo fidei propagatæ.
X. Triplex tempus, gens, & modus in fidei propagatione.

Hæc Ecclesiam nostram comitari, non alienos, explicatur.

Quintus de signis pertinentibus ad confirmationem, interitum, & reparationem fidei; hæc sunt.

XI. *Miracula in fidei propagatione facta.*

XII. *Confirmata vndique fides.*

XIII. *Confutatio hæresum.*

XIIII. *Sanctiones vniuersalium conciliorum.*

XV. *Vnanimis doctorum consensus.*

XVI. *Interitus fidei Christianæ adductus per hæreticos in eorũ locis.*

XVII. *Reparatio fidei per Catholicos facta in iisdem.*

Sextus, cùm sint explicata quæ pertinent ad ortum, naturam, propagationem, confirmationem, interitum, reparationemque fidei, agit de signis desumptis à spe, quæ est secunda virtus Theologica, & de signis desumptis à gratijs gratuitis, quæ possunt esse sine caritate. Ea verò sunt.

XVIII. *Spes summa Catholicorum.* XIX. *Spiritus prophetiæ.*

XX. *Sermo scientiæ efficacißimus.* XXI. *Sermo sapientiæ.*

XXII. *Genera linguarum, & interpretatio sermonum.*

XXIII. *Summa fides, seu fiducia.*

XXIV. *Peritia Catholicorum in omnibus disciplinis.*

Hæc adesse debere Ecclesiæ Dei eminenter, sicut omnia vsque ad vndecimum totum librum, adesse autem nobis, non alienis, clarißimè demonstratur.

Septimus, examinatis ijs, quæ pertinent ad fidem, spem, gratiasq; gratuitas, quæ possunt esse sine caritate, agit de signis deductis à caritate: sunt autem

XXV. *Perpetua sanctorum succeßio.*

XXVI. *Magni iniquis temporibus sancti.*

XXVII. *Perpetua martyrum series.*

XXVIII. *Gentes efferæ ad humanitatem perductæ.*

XXIX. *Caritas.* XXX. *Summa sanctitas.*

XXXI. *Studia, & exercitationes ardentißimæ Virtutum.*

Octauus, post signa pertinentia ad virtutes Theologicas fidẽ, spem, caritatem, gratiasq; gratuitas, agit de signis spectantibus ad Virtutes Cardinales, & alias ijs subiectas, ac primo loco de ijs, quæ ad primam Cardinalem: & hæc sunt

XXXII. *Prudentia Politica.*

XXXIII. *Prudentia, & Fortitudo Militaris.*

Nonus de secundæ Virtutis Cardinalis, aliarumque annexarum virtutum signis: ea sunt

XXXIV. *Iustitia.* XXXV. *Religio.*

XXXVI. *Cultus Deiparæ, sanctorumque amplificatus.*

XXXVII. *Spiritus precum.*

Decimus

Decimus de reliquis iustitiæ annexis Virtutibus, earumq; signis: quæ sunt.

XXXVIII. *Pietas.* XXXIX. *Obedientia.* XL. *Veritas.*
XLI. *Amicitia.* XLII. *Liberalitas.*

Vndecimus de duabus, quæ reliquæ erant, virtutibus Cardinalibus, Fortitudine, & Temperantia, & annexis. & quando de illa fortitudinis parte, quæ posita est in aggrediendo, dictum est ob inseparabilem affinitatem signo de Prudentia & Fortitudine militari, idcirco tractatur solum de illa parte, quæ posita est in sufferendo. signa verò sunt.

XLIII. *Patientia.* XLIIII. *Animi magnitudo.*
XLV. *Magnificentia.* XLVI. *Temperantia.*
XLVII. *Clementia, & Mansuetudo.* XLVIII. *Castitas.*
XLIX. *Humilitas.* L. *Paupertas.*

Duodecimus, cùm superioribus libris apertissimè sit explicatum, Ecclesiam Catholicam in omni virtutum genere supra omnes, omniumq; opinionem eminere, in quo maximè ponitur coniunctio spiritus Ecclesiæ cum Deo, hæreticos verò neque assecutos vmbram illarum, & omnia sint diuinæ scripturæ testimonijs & oraculis corroborata, agit de enormissimis hæreticorum omnium, & alienorum quorumlibet vitijs, atque inde desumptis signis, vt liquidissimò appareat, nullos pertinere ad Ecclesiam Dei, nisi nostros. Illa autem sunt hæc.

LI. *Impuritas hæreticorum.*
LII. *Vitiositas alienorum.*
LIII. *Intestinæ alienorum cædes.*
LIV. *Ignauia hæreticorũ aduersus hostes.*
LV. *Ignorantia hæreticorum.*
LVI. *Turpissimi calumniantium, alienorumque progressus in omnibus vitijs.*

Ex his clarissimum fit, hæreticos esse bestijs quibuslibet peiores, vt in principio LV. signi aperitur.

Postremò, vt illustrissima fiat Ecclesiæ nunc militantis sanctitudo, ex quo fit simul illustrissimum nos esse ex Ecclesia Dei,

LVII. *Signum est, sanctitas Ecclesiæ nunc militantis.*

In quo tria explicantur. Primum, quanta sint opera sanctorum sæculi labentis; secundum, quanta sint Martyrum: tertium, quanta sint Virginum, & fæminarum respectu antiquitatis, quamuis fieri possit vt minori sanctitate homo edat opera maiora, testificantia tamen sanctitatem doctrinæ, aut vitæ.

ARGVMENTA SIGNORVM ET CAPITVM.

Liber primus.

Liber Secundus.

Liber Tertius.

SIGNVM PRIMVM,

Fides ex auditu.

SIGNVM SECVNDVM,

Vna fides.

SIGNVM TERTIVM,

Indubitata fides.

Indu-

SIGNVM QVARTVM.

Perpetua fides.

SIGNVM QVINTVM.

Antiquitas fidei.

Liber Quartus.

SIGNVM SEXTVM.

Propagatio fidei.

SIGNVM SEPTIMVM.

Maxima temporibus iniquissimis propagatio.

uer-

SIGNVM VIII.

Perpetua fidei propagatio in Gentibus.

SIGNVM IX.

Ordo fidei propagatæ inter Gentes.

SIGNVM X.

Tria tempora, tres modi, ac tria hominum genera in fidei propagatione.

Liber Quintus.

SIGNVM XI.

Miracula in fidei propagatione facta.

SIGNVM XII.

Confirmata vndiq; fides.

SIGNVM XIII.

Confutatio hæreticorum.

SIGNVM XIV.

Sanctiones vniuersalium Conciliorum.

SIGNVM XV.

Vnanimis doctorum consensus.

SIGNVM XVI.

Interitus fidei, & religionis Christianæ.

Prudentia Politica.

legia & euenta Pontificis Romani. Plurimi è Papis martyres. Plurimi è Papis sancti. Innumerę gentes Papis subiectę. Oppugnatissima Pōtificia potestas. Inimicissimi Regib. scelestis Papæ Honoratissimi Regibus Papæ. Vnanimes maximè inter se Papæ. Reges potētissimi omniū Pontificibus Romanis subiecti. Quietissimę prę cęteris Pontificum Rom. electiones. Nullus schismaticus Papa occisus. Maximum Pontificum Rom. studium in subiectos. Maximi consilij Pontifices Rom. Cap. 3. 575

Idem probatur generalibus argumentis pertinentibus ad causas efficientes gubernationis, materiam, finemque illius. Catholici principes optimi omnium, omniū maximè in pace viuētes. omniū fortissimi Catholici Reges. Resp. Catholica optima ob monarchiam perfectam. monarchia Catholica maximè omnium sacris subiecta. Cap. 4. 587.

Argumenta generalia ducta à subiectis. Resp. Catholica ex antiquissimo tempore latissimè dominatur. Resp. Catholica omnium maximè efferatas gentes ad humanitatem perduxit. Resp. Catholica omnium maximè irruptionibus barbaricis inaccessa. Infelicissima Italiæ tempora regnantibus Imperatoribus Romæ. Tempora ex quibus Catholicæ regiones à barbaris non sunt occupatæ. Regiones à barbaris occupatæ ob contemptum Papam. Religiosissima omnium Catholica Resp. Cap. 5. 595

Idem demonstratur generalibus argumentis pertinentibus ad virtutes, studiaq́;, & exercitationes earum. Admirabilis comparatio Pulcheriæ Augustę. Admirabilis comparatio Blanchę Reginę Galliarum. Admirabilis comparatio Isabellę Reginę Hisp. Admirabilis comparatio Margaretę Reginę Danicæ. Cap. 6. 610.

SIGNVM XXXIII.

Prudentia, & fortitudo militaris.

Prædictum fuerat, Catholicos futuros bellicis factis aliquando præstantissimos: id nostris contigisse certissimè demonstratur. Nostri Imperatores Paganis fortiores. inter Christianos ab alienis nihil occupatum nisi hæresibus repletum. fortissimæ gentes domitæ à nostris. Catholici omnium latissimè dominantur. Latissimum, vetustissimumque Catholicorum Imperium. Tartari cunctas gentes domuerunt, Catholicis exceptis, Catholici plus abstulerunt

Ma-

Liber Nonus.

SIGNVM XXXIV.

Iustitia.

SIGNVM XXXV.

Religio.

SIGNVM XXXVI.

Cultus Deiparæ sanctorumq; amplificatus.

SIGNVM XXXVII.

Spiritus precum.

Liber Decimus.

SIGNVM XXXVIII.

Pietas.

SIGNVM XXXIX.

Obedientia.

SIGNVM XL.

Veritas.

SIGNVM XLI.

Amicitia.

Osten-

SIGNVM XLII.

Liberalitas.

Liber Vndecimus.

SIGNVM XLIII.

Patientia.

SIGNVM XLIIII.

Animi magnitudo.

SIGNVM XLV.

Magnificentia.

SIGNVM XLVI.

Temperantia.

Tempe-

SIGNVM XLVII.

Clementia,& mansuetudo.

SIGNVM XLVIII.

Castitas.

SIGNVM XLIX.

Humilitas.

SIGNVM L.

Paupertas.

Liber Duodecimus.

SIGNVM LI.

Impuritas hæreticorum.

SIGNVM LII.

Vitiositas alienorum.

SIGNVM LIII.

Intestinæ alienorum cædes.

SIGNVM LIIII.

Ignauia hæreticorum aduersus hostes.

SIGNVM LV.

Ignorantia hæreticorum.

SIGNVM LVI.

Turpissimi calumniantium alienorumque progressus.

SIGNVM LVII.

Sanctitas Ecclesię nunc militantis.

Regina,

Finis Argumentorum Signorum, & Capitum.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LIBER I.

De dignitate ac potestate Ecclesiæ in vniuersum, quæ ostenditur è similitudine è Canticis desumpta.

CAPVT I.

Apertissimè cunctis apparet, eorum quæ sensibus obijciuntur, nihil esse admirabilius, & quod vberiores ad omnem rem fructus vtilitatis ac iucunditatis habeat, lumine hoc aspectabili, cuius similitudo traducta est meritò ad Ecclesiæ maiestatem demonstrandam; dictumque, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Diebus namque singulis experimur, illucescente Aurora, cùm priùs oppositione tenebrarum dignoscere ipsas res, & pericula innumera vitare non possemus, paulatim noctis caliginem disijci, colorem rebus quodammodò subtractum reddi, exire homines ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam; nitoreq; atq; hilaritate cuncta Orbis loca vnius diei spatio perfundi. Atq; hæc quædam quasi lucis incunabula, cùm nondum fulgeat lumen vllum, nisi fugientium stellarum, candorq; Solis appropinquantis nō proximè ab ipsius globo, sed à radijs aduentantibus procedens, qui tantum telluris occupet, quantum Sol horæ spatio plerumque sit solitus peragrare. Quòd si infimam stellarum Lunam, cuius pulchritudine decus Ecclesiæ notatur, respicias, videbis non exiguam lucem, sed huiusmodi lumen ab ipsa proximè diffundi, quod non breui tempore, vt diluculum; sed tota interdum nocte, in cuius potestatem facta est, resplendeat, neq; breuibus & angustis locis, sed Orbi dimidio. Ab illa porrò menses distingui ad interualla temporum, in quæ facta est, certissimis signis notanda, abscessuque & accessu eiusdem minui, & augeri humores omnium corporum, quæcumque illi subiecta sunt, videmus. At Sol, cuius instar Ecclesia dicitur electa, fons luminis totius, à cuius calore non est qui se abscōdat, tenebras omnes procul dispellit; ortuq; suo diem nobis adducens, ita cuncta il-

Cant. 6.

Pulchra vt Luna.

Electa vt Sol.

luminat, vt ſyderum propè exiſtentium quodammodo perſtringat oculos, & amplitudine ſui ſplendoris obſcuret: cū tamen omnibus aſtris lumen, quod habent, impertiatur, ac det; vnde illa in media noctis vmbra coruſcent, mortalibusque ſe conſpicienda & dignoſcenda exhibeant. Idem verò Sol annuo curſu gyrat, ait Salomon, per Meridiem, & flectitur ad Aquilonē, luſtransq; vniuerſa in circuitu pergit ſub duodecim ſignis, ac Ver, Aeſtatem, Autumnum, atq; Hyemem nobis reducit; ſuiq; luminis aduētu & diſceſſu, quaſi quidam ſponſus procedens de thalamo ſuo, rerū maturitates efficit, ſingulorumq; generationes, incrementa, & corruptiones ex eodem variæ Zonarum regionumq; temperationes. Nam quæ Orbem medium interſecat, eodemq; anno radios Solis recta bis excipit, nimio tanti ſplendoris æſtu torret, & bis quadripartitas temporum mutationes Veris, Aeſtatis, Autūni, atq; Hyemis experitur. Quæ verò hāc duæ hinc inde dextra ac læua circūdant, luminis moderatioris illapſu caleſcūt, & neq; frigoris, neq; ęſtus vim ſummā patiuntur, & ob id tēperatæ vocantur. At ſupremæ illæ, vbi ſunt niuium theſauri, inquit diuina ſcriptura, polis duobus, Arctico, atq; Antarctico proximiores ac ſubiectæ, ob Solis fulgorem longiùs ab ipſis poſitum frigoribus obnoxiæ, glacie, niueq; quaſi perpetua rigentes, congelantur, & incredibiles ſortitæ viciſſitudines dies nocteſq;, non horis, ſed diebus ac noctibus, vt ita loquamur, pluribus, atque etiam menſibus metiuntur, mirabilique modo Solem ſupra Horizontes circumuolui in modum rudentis ſupra ſe circumacti conſpicantur. Quòd ſi quis vltra cœleſtes Orbes collocatus infera hęc intueri, & non modò Lunā, Solemq; ſed omnia, quæ vocant errantia, omnia ſimiliter octauæ ſphæræ infixa aſtra, quaſi militiæ cæleſtis exercitum, & caſtra quædam ſuis armis coruſcantia, Eccleſiæque maximā poteſtatem referentia contemplari poſſet, in quam, quæſo, ille luminum tot tantorumque admirationē terroremque ſimul raperetur? qua ſuauitatis dulcedine timori admixta repletus intimis penitus ſenſib. perfunderetur? q̃ verè cum Dauide exclamaret, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum? Hàc enim conſpiceret terram tenebris vndique contectam, ibique cœlū ſuis diſtinctum ſtellis, quæ mortalibus loca illa incolentibus exoriantur, illac Solem reſplendentem, ſyderaque prorſus occultata, atque (vt Iob inquit) clauſa ſub ſignaculo: ex alia

Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

parte

parte illucescere auroram, ex alia verò iam aduesperascere diem diei eructare verbum, & noctem nocti indicare scientiam: rursus eodem tempore alicubi æstates, alicubi aduersas æstatibus hyemes vigere; diuersisq; in locis eodem momento ver efflorescere, humectare autumnum, conglaciare hyemes, æstates denique calefacere : videret illic Lunæ partem quintamdecimam dumtaxat eodem puncto, at his totam resplendere, alijs porrò magis, minúsve, quo vel ad hos, vel ad illos propiùs accedit. Quid hîc recẽsebimus Lunæ Solisq; defectus, vt hic Lunæ interiectu mortalibus ex parte abscondatur, illa terrę oppositu inter ipsam & Solem prorsus obscuretur? è quibus effecta sanè admiranda exoriri solent. Interualla præterea syderum inter se quasi agminum militantium multifariam diuisorum, numquid temere distincta existimabimus? vel quod octauo Orbi inhærentia latitudinis certo discrimine, cætera verò errantia altitudinis, qua propiùs aut longiùs absunt à terra, interuentu distinguantur. An non Dei spiritus ornauit cælos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus, eius inquã, qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri? Sed illud longè admirabilissimum, quod eodem tempore Orbes omnium ferantur ab Oriente in Occidentem, rursusq;, quod vix fieri posse videtur, ab Occidente in Orientem, deniq; à Septentrione in Austrum; & vbi ad certam metam fuerit peruẽtum, ab Austro in Septentrionem sub diuersis polis circũuoluantur, & modò sint astra terræ viciniora, modò remotiora. Planetæ verò penè singuli præfinitam Zodiaci latitudinẽ diuersis tẽporibus, aut tardius, aut velociùs pererrant. *Numquid hic aliquis*, aiebat ille, *coniungere valebit stellas Pleiadas, aut gyrũ Arcturi poterit dißipare?* Iam verò cũm clarissimum sit aliquas esse, easq; diuersissimas stellarum vires in subiecta corpora, siue singulas spectes, siue luminum varias coitiones & aspectus; dum multiformi radiorum coniunctione & commixtione terrenas hasce res illustrant, intimeq; peruadunt, multo magis, quàm peruadit districtorum in bellis ensium mucro, aut quæcumq; penetrabilior res bellica: quis eas habuit vmquam perspectas omninò, & exploratas? quis nouit ordinem cæli, & posuit rationem eius in terra?

Iob 9.

Iob 38.

Ad summam, siue exiguam diluculi & auroræ lucem, vt à principio dicebamus, consideres, quæ non altè admodum videtur attolli, neq; latè porrigi; siue Lunam, quæ vici-

nior est nobis, quasi luminare minus, noctemq; cæteris syderibus, excepto Sole, potentiùs expellit, intueeris; siue Solē, à quo cuncta astra illuminantur, lumenq;, quo vires suas in terras possint exercere, veluti à maiori luminari mutuantur; siue deniq; stellas vniuersas, & earum varias affectiones contempleris; nihil. Aurora, Luna, Sole, Syderibusq; cunctis admirabilius efficaciusq; vsurpari sensibus humanis potest Atq; ita conuenientissimè Deus inquit ostendēs Ecclesiæ suæ Diuinitatem: *Quæ est ista, quæ adscendit, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Nam cùm sint omnia propter electos ad æternam cælestemque beatitudinem, electi verò in hac Ecclesia degant; quidquid vbiq; natura producit & operatur, quidquid vbiq; hominibus contingit, id necessariò ad Ecclesiæ extollendam dignitatem celsitudinemque procedit, ac refertur. Tam multiplices ergo Orbium conuersiones, tātorum luminū circumuectiones & efficientiæ, tot effecta, tot euenta, quæ vmquam fuerunt, aut postea erunt; Regionum vastitates, & cultus; Regnorum exortus, & occasus; Populorū claritas, & humilitas; Gentium amplificatio, & exstinctio; Nationum barbaries, & humanitas; Rerumpublicarum exordia, & excisiones; secundæ & aduersæ res; disciplinæ omnes, similesq; feris mores; miracula & portenta; virtutes ac vitia; bona & mala; atq;, vt summatim dicam, vniuersa mirabiliter, vt apertissimè singillatimq; explicabitur, hinc pēdent: vt Ecclesiæ filij cunctis animi bonis, cæterisq; quatenus referuntur ad hæc, excolantur, contra verò impugnantes bonis omnibus ad extremum sua culpa, quando ita volunt, exspolientur. Ipsa constituta est super gentes, & super regna, vt euellat & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet. Ipsi nimirum datæ claues Regni cœlorum.

Hæc, vt suis locis clarissimè apparebit, vitalibus Baptismi aquis, veluti rore Auroræ matutino perfusa, in terris nitescit, hæc pulchriori Chrismatis sacratissimi lumine illustrata instar Lunæ in medijs tenebris resplendet; hæc admirabilissimæ Eucharistiæ, quæ Christum iustitiæ Solem intra se penitus excipit, radijs coruscans vndique effulget; hæc diuini Ordinis sacramento bellica suorum militum aduersus inimicos spirituales agmina explicās & instruēs toto Orbe terrarum multifariam cunctis illucescit.

Quocirca veluti Domini ſpiritus ornauit cælos ſeptem nobiliſſimis omnium ſtellis, quas vocant errantes: ſic Eccleſiam ſeptem Sacramentis: ob id illa quatuor hiſce quaſi quibuſdam progreſsibus euehitur ad maximam Diuinitatis æternæ ſocietatem, per Baptiſmum, Chriſma, Euchariſtiam, & Ordinationem. Per Baptiſmum namque intimè illuminata ad opera vitæ, ſcientiæque ſalutaris, veluti ab auroræ lumine excitatur. Quod ſi qua parte vitæ huius in terris poſitæ tenebris vllis attingeretur; ſicut illinc Baptiſmo, quaſi Aurora: ſic hinc Chriſmatis ſplendore, quaſi Luna illuſtratur. Adhuc vltra procedit, vt tergeminum lumen excipiat ad varias functiones in vnum coëuntes, Solemque ipſum iuſtitiæ Chriſtum per Euchariſtiam ſibi coniungit: ac tribus hiſce permanentibus ex alio, vt ita dicamus, loco per Ordinationem prouehitur ad illuminandas omnes ſui partes; & quaſi omnium ſyderum & orbium cæleſtium ſibi lumen adſciſcens, vndique mirabiliter diuinis ſanctorũ ſplendoribus circumfulget. Ex his autem progreſſibus, ſiue coniunctionibus, quaſi è montibus ſuæ celſitudinis æternis centum ſigna emiſit, è ſingulis ſcilicet coniunctionibus ſua; quæ ſunt à nobis hoc opere, quod munus eſt Dei, clariſſimè explicanda.

Quantoperè Deus Eccleſiam voluerit laudari. Quanti eam fecerit. Quanti ſit eſſe in ea. Quanti illius coniunctio cum Deo.

CAP. II.

QVantum ſit itaque in Eccleſia Maieſtatis, atque adeò Diuinitatis ab ipſo Deo Chriſto in eam collatũ, nemo ſe vel verbis vel cogitatione facilè aſſequi poſſe confidat. Hinc cùm Deus laudare illam vellet, ad tantum munus obeundum Salomonem elegit; qui ſapientia cælitus infuſa, cunctis præcellens, omnes ſuos neruos contendit, ac totius ſapientiæ ſuæ vberrima flumina effudit in diuinæ laudationis huius argumẽto. Cui quidem rei cùm ſe imparem Salomon probè agnoſceret, nihil omninò de ſuo eloqui eſt auſus: ſicut audierat, ita induxit in Canticis Canticorum Chriſtum Sponſæ ſuæ laudes enarrantem, Sponſam Chriſti ſui laudes explicantem. Singulare in totius diuinæ ſcripturæ libris exemplum: in quibus non eſt vel de laudibus ipſius Dei ſpeciatim volumen vllum con-

ſcriptum : & tamen voluit in eis exſtare Deus ad huius rei commendationem de ornamentis Eccleſiæ ſuæ opus inſigne,quod Cantica Canticorum inſcribi iuſſit, quaſi nullus hymnus cani poſſit, cuiuſcumque rei laudes ille contineat,cui non præſtent carmina, quibus Eccleſiæ dignitas celebratur.Nec tamen ad eum gradum voluit Deus homines euehere, vt eſſent idonei à ſeipſis Eccleſiæ amplitudinem referre : id ſibi ſoli reſeruauit,ſolus ipſe canit odas illas;ipſi ſoli concinens reſpondet Eccleſia:vt ſciremus neminem poſſe mentis oculos in tam coruſcam lucem vel defigere,vel intendere,quò intueatur quanta ſit Eccleſiæ Maieſtas, nimirum per homines alijs loquitur Deus, Eccleſiæ verò ſuæ ipſe idem Deus : nullus interpres inter ipſam & Chriſtum Deum,intermedium nullum. Videas Chriſtum nihil non in ijs Canticis ſibi conueniens elargiri Eccleſiæ; omnia ſua in eam depromit, omnia ſua largiſſimis manibus in eam ex intimis penetraliũ ſuorum theſauris profundit : paria ſunt Chriſti, paria ſunt Eccleſiæ per Chriſti munus ornamenta:Chriſti ſingula,ſponſæ ſingulis,paria paribus reſpondent.Id verò totum Chriſti donum.*Dilectus meus mihi*, inquit illa, *& ego illi.* totus ſcilicet ille in me, ego in illo tota.Et quidnì ita ſit,quando Chriſtus tanti Eccleſiam eſſe voluerit,ac tanti fecerit, vt pro ea tot labores,tot pericula exantlarit,tot ærumnas adire,mortem deniq; ignominioſiſſimam,& dolorum pleniſſimam libẽtiſſimè vltro oppetere voluerit? Audiamus Paulũ : *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea,vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ,vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiã, non habentem maculam,neq; rugam.* Maximi itaq; ſine dubio momenti eſt ſcire,quæ ſit Eccleſia Dei,cùm ſit illa in tam nobili ac tam diuino gradu collocata. Accedit huc, quod in confeſſo eſt apud omnes,nulli ad æternam beatitudinem, quæ poſita eſt in fructu diuini adſpectus, aditum patere, niſi fuerit adſcriptus huic Eccleſiæ.

Quanti Chriſtus Eccleſiã fecerit.

Quanti ſit eſſe in Eccleſia Dei.

Nõ igitur de aliqua re,quæ caſib. humanis ſit obnoxia, nõ de aliquo bono,cui poſſis vel fando vel cogitando aliquid adijcere,ſumus acturi;ſed de huiuſmodi, in qua ſalus æterna,fœlicitas ſuprema verſetur.Nã qui Deus in cæleſtes illũ ſedes admittat,q̃ ſuorũ conſortiũ ſit auerſatus in terris? q̃ filius illi erit,quẽ nõ peperit illi ſua ſpõſa?qui,clamat Cyprianus,Deũ patrẽ habebit,qui nõ agnouit Eccleſiã matrẽ? an coronatũ ſedere in cælo volet illũ Deus,q̃ cũ ſuis nõ ſte-

tit

tit in terris? triumphũ ducet is, qui & à quo staret in pugna, & aduersus quẽ, vel prorsus ignorauit, vel certo nunquã sciuit? sine fide, inquit Paulus, impossibile est placere Deo. At Ecclesię cùm recta sit fides, qui tenet alterã, necesse est alteri sit omninò addictus, & vtramque arctissimè amplexetur. Hinc Ecclesiæ qui non auscultat, quasi Ethnicus & publicanus de Christi sentẽtia nobis est reijciendus: tradidit nãq; illi claues regni cælestis, nemini vt pateat, nemini vt claudatur, nisi cui voluerit Ecclesia patere, cui voluerit Ecclesia claudi, quasi in eam, quod alijs in rebus Iuriscõsulti volunt, clauium traditione cæli proprietas sit translata. Siue igitur nobilitatem, siue vtilitatem spectes argumẽti, quod præ manibus habemus, nihil illi propè comparari potest. Audi, quod præ cunctis admirere: idẽ Dei, vt ostendemus, & Ecclesiæ est spiritus, idem corpus, & idem regnũ, quantum ad res à Deo productas. Est hic Christi sermo: *Non pro eis rogo tantùm* (de Apostolis verba facit) *sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Hucusque Christus, vt intelligamus arctissimã Dei cum Ecclesia coniunctionem. Vna nãque est cum Deo, quantum ad spiritum, quantũ ad corpus, quantũ ad potestatem in res externas. Quòd si illi nos adnumeremur, eueniet profectò, vt & nos, è quibus Ecclesia constat, vnum cum Deo simus, omnibus scilicet animi, corporis, & extrinsecùs adscitis bonis circumfluamus: quæ cuiusmodi sint, paulo altiùs à nobis est exordiendum. Ex his enim tribus bonis cuncta signa, è quibus Ecclesia dignoscatur, exoriuntur.

Ioan. 17

De exordijs Ecclesiæ in terris, ac primo Adami & Euæ statu.

CAP. III.

QVemadmodũ mẽtes ipsæ, vt experimur, cùm volũt aliquid intelligere, gignũt intra seipsas intelligẽdæ rei imaginẽ, & quò similior est illa rei cognoscendæ, eò res meliùs cognoscitur: quòd si posset esse nostri omninò totius, amaretur à nobis æquè ac nos, & illa, siquidẽ valeret, æquè nos amaret, vt filius patrẽ, & contrà pater filiũ.

Sic Deus mens purissima, ad cuius similitudinem facti sumus, semet perpetuò contemplans gignit intra se imaginem sui absolutissimam, eiusdemque essentiæ. Nihil enim in Deo intimũ, nisi Deus. Ex hac verò imagine consubstantiali, ac proinde amatissima sic genita, ac Deo genitore procedit intimus amor, quem Spiritum sanctũ vocamus, qui & ipse Patri, Filioq; est consubstantialis. Vniusmodi nãq; ac simplex est essentia Diuina. Et quamuis hi tres, Pater, Filius, ac Spiritus sanctus, sint vnius naturæ, vnus Deus; cùm tamẽ origo sit inter eos, ideo personaliter distinguuntur; aliusq; est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus ex vtroq; procedens. Sic igitur Deus in sui cõtemplatione ab æterno consistens intimè, naturaliter, essentiam totam Filio, Spirituiq; communicauit: quod etiã Sybillæ, Mercurius Trismegistus, prisci Græci tenuiter adumbrarũt. Neq; fieri potest, vt totum se Deus aliter cõmunicet. Nam, quod considerabat Theologiæ lumen S. Thomas, cùm duo tantùm mens intimè possit, intelligere, & velle: Mens Diuina, qua intelligit, totam se Filio, quà vult, totam se Spiritui sancto dedit. nihil est super, quod intimè totum largiatur; vbi quidquid intelligit, ac vult, omninò profudit. Atq; ita cùm Deus Pater cõmunicasset totũ se intimè, naturaliter, ab æternitate, cõmunicauit se deinde partim, extrinsecùs, volũtariè, principio sæculorum. Hoc enim superesse, ac fieri posse videbatur. Igitur hanc vniuersitatẽ rerum fabricatus est Deus tempore certo, sæculorum initio, hoc illis faciens cum seipso commune aliquo modo, vt sint, cum non essent: à largitate diuina est hoc profectum. Sed si bonitatis æternę nullus est modus, præstabat igitur, aliquis dicet, ab æterno tempore mundum condidisse, hoc enim beneficẽtius fuisset. Atqui hoc non benè colligitur. Nam si summa bonitas est Deus; hinc concluditur esse summã per se, & excogitari maius illa nihil posse, vel sine vlla exterę rei fabricatione. Præterea verò finis adeptio quemlibet ad agendum mouet: Deus autẽ sibi & omnibus est finis, ac sibi semper est præsens: haud fuit igitur necesse ad aliquid aliud impelli. Amplius aũt, si ab ipso prorsus omnia pendent, & quantum ad hoc pendebunt necessario, vt esse, ac non esse potuerint: atque ita non oportuerit ab æterno mundum condi. Conuenientius autem nostræ beatitudini fuit, atque ob id ipsis rebus creatis, aliquod esse tantæ fabricationis principium: atque ita beneficentius fuit ab æterno se non communicare, &

S. Tho. 1. q. 28. art. 4.

Quæstio cur res ab æterno haud creatæ.

& mundum non creare. Nam cum nostra felicitas posita sit in cognitione & amore Dei, hinc quiuis agnoscit fuisse prorsus in voluntate Dei mundum condere; vt eius perspecta libera ad agendum potestate, non modò quantus esset, sciremus, sed etiam de tot ac tantis bonis ab eius libera ac sola voluntate profectis gratias haberemus, & ageremus æternas: atque ita beneficentius nobis fuit, ad quos cetera referuntur, ab æterno haud creari mundum: sic namque expeditior ac patentior aditus nobis datur ad cognoscendum & amandum Deum. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscamus verum Deum.

Iam verò cum Diuinæ bonitatis nullus sit terminus, sequitur necessariò, vt nullis terminis earum rerum, quæ ab ipsius voluntate procedunt, coarctari possit, nunquam largitas eius & infinitio exhauriatur, virtus eius non queat exinaniri. Ob id quamuis ab æterno tempore mundum dedisset in lucem, tamen adhuc excellentius aliquid adijcere potuisset; quod vbi additum foret, infinitis tamen partibus plura iterum, atq; iterum, & infinitè fingi ab ipso posse cognosceremus; ita vt fas esset nobis semper dicere: Cur ante hoc, quod factum est, Deus non est molitus illud, quod est nobilius, ac præcedit, vel naturæ, vel temporis, aliarúmue adiectionum præstantia? Ineptissimè, nullis vnquam cancellis rerum, quæcunque illæ sint, infinitatem Dei concludes.

Quamobrem nulla non gens olim credidit conditum mundum, vt è vetustissimis omnium scriptoribus liquet. Nam si AEgyptios ad Austrum respicias, Mercurius Trismegistus, cuius è nostris meminere SS. Iustinus, Cyprianus, Augustinus, Lactantiusq; in suis ille id libris, qui extant, scribit; Si Chaldæos ad Orientem Berosus, si Græcos ad Boream Musæus, Linus, & Orpheus antiquissimi omnium scriptores ita cunctis mortalibus, suis, qui leguntur, versibus tradidere. Strabo addit, adhuc ętate sua hanc fuisse Indorum, Græcorumq; opinionē: quamuis ante ipsum primus omnium fuerit ausus Ocellus Lucanus, cuius extant in Bibliotheca nostra græcè manuscripti libri, hoc in dubium reuocare: à quo multa, tacito nomine, mutuatus Aristoteles, idem conatus est postea stabilire. Consistamus igitur, ac mente conquiescamus in ijs quæ facta sunt; neque illud nos perturbet, aut moueat, quod effici præstantiora potuerint. Nam si huiusce rei Deus habuisset

Iustin. in exhor. ad gent. Cyp. de Idol. van. Lact. lib. 1 c. 6. Strab. lib. 15

rationem, nihil esset fabricatus; cùm semper excellentiora machinari potuisset: neque vlla in re considere licuisset, qua nihil melius foret, nisi in ipso Deo Patre, Filio, ac Spiritu sancto; quibus nihil esse diuinius potest. Cùm Deus igitur cælum, ac terrã, & quidquid ambitu cæli ac terrę continetur, esset fabricatus, & Angelos ab omni materiæ concretione seiunctos creasset; ex eis autem nonnulli prodita fide, & abiecta obedientia, è superis sedibus fuissent exturbati, quos vetustissimus scriptor Empedocles ἐυρανοπετεῖς, id est cælo ruentes, ob id videtur vocasse; & antiqui, vt ait Plutarchus, gygantum cælo deiectorum narrationibus designarũnt: quæ vates ille respiciẽs, sic inducit Iunonem verba facientẽ ad Alecto ex inferis à se excitam:

Aenei. li. 7.

Te super æthereas errare licentius auras
Haud Pater ipse sinat summi Regnator Olympi.
Cæde locis.

Post hæc Deus, quod ex æterno tempore statuerat, illud est aggressus; Adamum finxit; quòd à Græcis haud ignoratum scribit Iustinus; ac versum Prisci oraculi & hymni in honorem Diuinum conditi refert huiusmodi:

Πρῶτον ὅτι πλάσας μερόπων, ἀδάμιε κχλέοσας.
Cum finxit iam primum hominem, Adamumque vocauit.

Huic adiunxit Euam coniugem, mete ambos pura præditos, corporea tamen mole præterea conflatos, tum vt ex illa parte angelis essent adsimiles, tum vt ex hac ceteris rebus, quæ sensibus sunt subiectæ: ordinem namq; in rebus esse voluit, ita vt alijs aliæ subessent, aut præessent. Ex hoc enim magis potentia, sapientia, ac bonitas eius elucescit, Potentia, quòd non vnam modò rem possit creare, sed plurima, & omnia; Sapientia, quòd suis locis decenter singula disponat, Bonitas, quòd nulli rei vel infimæ desit, neque illi vel esse neget, vel esse suo loco. Ornauit porrò Adamũ & Euam cunctis ijs bonis, quæ ad animum, corpúsue pertinere, aut ad nos referri quouis modo possunt. Atque ita cum sint tria bonorum genera, voluit omnia illis adesse. In primis autem cælestium & terrenarum rerum scientia eos illustrauit. Dedit enim, quod cunctis præferri debet, vt Deum agnoscerent, & in quo magna nostræ beatitudinis est posita ratio, propius eum contemplarentur: & ideo sępius cum Deo collocutos esse legimus. Speciem namq; aliquam sui conspectus cõmunicauit illis Deus. Inde hau-

ſto lumine, quaſi Sole ijs exoriente, ac mentis obſcuram noctem procul diſcutiente, plurima conſpexerunt eorum, in quib. diuini aliquid elucеſcebat. Iam verò quid terrenarum rerū latere illos potuit, quibus in omnia ampliſſimi iuris fuit conceſſa poteſtas? Ideo nomina animalibus impoſuerūt, quibus eorū vires, quippe quę maximè ijs eſſent perſpectæ, notarentur. Retinuerunt illa vocabula Hebræi magna ex parte. Quòd ſi corporis ſpectes ornamenta, datū fuit illis, vt à morte nihil metuerent, modò manus ab arbore ſcientiæ boni ac mali continerent, nihilque inde degustarent. Nullus ad illos morbus habebat acceſſum: dolor omnis procul aberat: neque illorum membra languebant vnquam laſſitudine operis vllius, neq; laborum defatigatione infirmabantur. Præſto illis erat omnibus momentis prouidentia cęleſtis, ne incurrerēt, incideréntve in aliquid, quod ipſos læderet: ſed inoffenſo pede ad cuncta procederent feliciſſimè peragenda, Species illis erat maieſtatis plena, quam timerent, reuererentur, ſuſpicerent cuncta: &, ne quid ad cumulum tot bonorum deeſſet, totius orbis terrarum, & animantium omnium traditum fuit illis imperium: ita vt vniuerſitatis gubernationē cum ijs partitus eſſe Deus videretur: ac cęlum ſibi reſeruaſſe, terrā quodammodo ijs tradidiſſe. ſic enim Dauid: *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filijs hominum.* & alibi admiratus maximè hominis dignitatem, *Quid eſt homo,* inquit, *quia memor es eius, aut filius hominis, quia viſitas eum? minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Hucuſq; Dauid. Ob id adduxit ad eos Deus omnia animantia, vt agnoſcerent illa dominos ſuos, neque aliud nomen ſortirentur, quàm quod ipſi dediſſent. Dictumque fuit ambobus à Deo: *Replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Nullum genus itaq; bonorum defuit primis parentibus, ſiue animam, ſiue corpus, ſiue ceteras res acie mentis peruеſtigare velis. Circumuoluas oculos animi per omnes partes, cuncta circumſpicias licet. Hæc verò omnia optimè complexus eſt Eccleſiaſticus ijs verbis: *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam: & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute: numerum dierum, & tempus dedit illi; & dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram. poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum, & volatilium. creauit*

uit ex ipso adiutorium simile sibi. consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi : & disciplina intellectus repleuit illos. creauit illis scientiam spiritus; sensu impleuit cor illorum; & mala, & bona ostendit illis : posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum. Hæc Ecclesiasticus, vt ostendat cunctis animi, corporis, & extrinsecus adscitis bonis à Deo parentes primos amplificatos. Statuerat enim Deus, illos, eorumq; liberos benemeritos in cælum suis temporibus transferre, & sua quibusq; loca distribuere, Angelorumq; ordinibus adscribere. Atque ita ex ijs Dei populus, quem nos Ecclesiam vocamus, constituebatur. Huius hæc exordia, & summa felicitas ex omnium bonorum affluentia constans; quam vt aliqua ex parte Moyses adumbraret, scriptum reliquit, Adamum & Euam in hortis deliciarum amœnissimis à Deo collocatos. Rursus diuina ait illos imagine & similitudine insignitos, perinde ac si essent aliquod Diuinitatis simulachrũ. Ad summam, quid menti nostræ cupias, nisi vt illa in contemplatione rerum diuinarum atq; humanarum conquiescens, summi boni, supremæq; felicitatis fructum percipiat, & æternæ beatitudinis confinia pertingens Deo quàm maximè similis euadat? quid corpori, nisi vt à morbis, & à morte illæsum, specie formosum, integritate perfectum, robore sit firmum? quid aliarum rerum cupias, nisi vt principatum in cuncta, quæ sunt in terris vllo modo, teneas, & ijs optimè pro arbitrio tuo vtaris?

De præcepto, quod Adamo est datum, deceptione illius & casu: & cur arbores, ac serpentes olim pro Dijs haberentur, & de mysticis, occultisq; inimicitijs inter homines ac serpentes.

CAP. IIII.

HIS omnibus potiti sunt primi parentes; hic erat illorum status: sed quamuis felicissimi viderentur, tamen ad cumulum felicitatis aliqua, & quidem maxima ijs deerant. Nam cùm beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus; omnia verò bona Deus vnus contineat; qui non erit vnus cum Deo, is nullo modo erit beatus. & quidem nulli rei datur, vt vna sit naturaliter cum Deo. potest fieri sanè diuino munere, vt di-

uinæ

uinæ naturæ particeps fiat, illiq; adiungatur; sed vt eam à se sortiatur, id verò est Dei solius; quandoquidem naturaliter aliquid habere, est è sua natura illud habere. Quamobrem cùm cunctæ res appetant bonum, contendunt pro viribus, Deo, summæq; bonitati appropinquare: ac rectè Philosophi dixerunt, superas mentes diuini adspectus amore flagrantes similitudinem illius ambire; & ob id in gyrum cælestes Orbes circumuoluere, vt motibus suis infera hæc generent, benè cunctis faciant, quæ est supremæ bonitatis nota. Ob id etiam videmus cuncta à morte se tueri, vt immortalitate sua Deo sint affinia; & quando omnia orta occidunt, saltem progeniem suam longissimè propagare: sic enim perpetuant vitam. *Omnis creatura*, inquit Paulus, *ingemiscit, & parturit, reuelationem filiorum Dei exspectans. Vanitati enim subiecta est creatura non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Hæc S. Paulus, vt ostendat nihil non appetere æternitatē, in qua maximè Dei similitudo elucescit. Et ijs quidem, quæ mente sunt prædita, vt Angelis, & hominibus, diuinitus est concessum, vt esse possint vnà cum Deo. Id fit mentis humanę intimo in Deum illapsu, quo clarissimè ipsum intuetur; non vllius, imaginis ac similitudinis interiectu, quæ appingatur ipsius intelligentiæ, quod accidit in alijs rebus contemplandis; sed nulla re intercedentę, per ipsummet Deum, vt cùm videt oculus lumen per idem lumen. sic enim perfectè sumus vni cum Deo: quem cùm nulla species referre possit; si per eam nos illi copularemur, id est si per eam dumtaxat nos illum contemplaremur, eoque sic frueremur; non omnibus bonis nostra mens cumularetur: terminata namque species illa foret, vt sunt singula creata à Deo, qui nullius rei terminis circumscribi potest; cùm sit infinitus; ideoque terminata bona obijcerentur nobis, neq; desiderium nostrum expleretur affectantium ad immensam Dei bonitatem, quà datur, peruenire. Videamus porrò, qui Deus animos nostros euehat ad suæ naturæ communionem in huiusmodi contemplatione.

Rom. 8.

Amoris est in vnum res maximè adducere; & quæcumque simul coeunt, id habent à propensione alterius in alterum mutua, quæ mente præditis est amor. Si mens igitur valde in Deum propendat, intimè illi se insinuabit, applicabit, & vnà cùm Deo fiet. Quæ verò maxima intelligentię

nostræ

nostræ in Deũ procliuitas? ea profectò, qua feratur in omnia, quæ credenda proponuntur à Deo, quamuis ardua videantur & præ cunctis difficilia, quibus se accommodet. Hoc enim maximum amoris argumentum. Verbi gratia difficile non est menti, sed omnium facillimum assentiri ijs, quæ sensibus conueniunt, & à principijs naturalibus pendent. At verò ijs credere, quorum cognitio per sensus non habetur, neque à principijs naturalibus illa colliguntur, id sanè facile non erit. Quod si agat hoc intellectus noster de voluntatis morem Deo gerẽtis imperio, ac fidei facta respondeant, impulsu diuini amoris agetur aliquo modo. Nam caritas, inquit Apostolus, omnia credit. Vult igitur Deus homines vnos efficere cum semetipso: id accidit vbi mens nostra sine vlla intermedia imagine Deo contemplando tenaciter atque intimè adhæret. Ad hoc per suos gradus perducitur, vbi ad ea credenda, quæ sunt difficilia, quorum cognitio non habet ortum à sensibus, sese accommodat, & fidem deinde suam factis consignat.

Et verò sunt aliqua, quorum Deus est proxima causa: ideo vt mens proximè accedat ad Deum, necesse est in eis fidem Dei sequatur, & credat ea, quia Deus ipse illa fecit, aut facit, vel credi iubet; quales sunt articuli fidei Christianæ, aut ijs necessariò cohærentia. cùm namque ex effectis naturalibus eorumque notitia causas inuestigo, & cognosco, longissimo tandem decursu mens ad Dei summæ omnium causæ cognitionem peruenit; cum verò à rebus, quæ ab ipso Deo proximè sunt creatæ, vel credi iussę, protinus in Dei cognitione & intuitu conquiescit. vt enim appropinquaremus ipsi, voluit esse quædam, quæ non ab vllis alijs rebus penderent, quàm à seipso: & id etiam congruebat immensæ bonitati eius; quæ se rebus communicat non vnis, sed pluribus modis. Atque ideo veluti sunt, quæ à causis naturalibus habent ortum, sic decebat essent, quæ nullam haberent cum causis affinitatem: ac necesse etiam fuit, esse nonnulla, quę cùm diuinam vim secum longiùs ferant, aut diuinitatem, fieri non potest, vt habeant à naturalibus principijs originem, opus est à Deo proficiscantur. Sed, vt omnia, quæ dici possunt, vnica ratione concludantur, dicimus necessariò fide plurimas res cognoscendas. Nam solus Deus omnia, quæcunque ipse potest, scit, ac vult, infinita scilicet, noscit. Quod si quis post Deum complecteretur illa, is maior esset Deo, velut ipsum

comprehendens. neque fieri potest, vt quorum nullus est finis, nempè infinita Dei potentiæ subiecta finiantur ab ingenij creati complexu; alioquin immensa non forent. Hinc anima Christi, vt aiebat S. Thomas, neque ipsa ex omni parte comprehendit infinita, quæ Deus facere potest. Igitur, quæ intueri ipsimet aliquo modo nequimus, necesse est fide teneamus. Vt verò magis alius alio res ipsas sciat, id necessariò nascitur à rerum & mentium distinctione: quæ distinctio, ne omnia vnum sint, & ipsa oportet, in rebus, ac mentibus inueniatur. Et necesse igitur fuit homini, quædam fide tantùm tenere, donec paulatim Deo magis appropinquans, amoris, & obedientiæ gressibus ea clarissimè intueretur.

S. Thom. 3. q. 10. art. 3.

Ad summam cùm primi parentes (vt ad propositum redeamus) ardentissimo animi impetu ad summum bonũ, cui vicini erant, adspirarent, vt eos tempore suo Deus in cælum transferret, & vnos efficeret secum, voluit elicere atq; inflãmare eorum in se amorem; quo sibi illos adstringeret clarissimo sui adspectus obtutu: & quod difficile videri posset, id credendũ proposuit, cuius Deus erat in causa, ac diuinam iustitię vim secum ferebat. iussit enim, vt abstinerent ab esu pomorum arboris cuiusdam, cui nomen ab euentu positum fuerat scientię boni, ac mali. Nam si ausus esset homo iussa diuina violare, experiretur necesse erat, quid esset discriminis inter bonum & malum; mortisque & malorũ omnium sententiã subiret. Dixit enim De⁹. In quacunq; hora comederis, morte morieris: quamuis nihil non boni pomis illis inesse videretur, ac difficulter secus credi posset, neq; appareret aliquid in eis, quod ad illos puniendos, ac morte mulctandos à Deo proficisceretur. Quod si homo paruisset iussis diuinis, & ijs sese obsequentem, quod decebat, exhibuisset, futurum suo tempore erat, vt ad consortium Diuinitatis intimum mirabiliter eueheretur. Oportebat aũt, Cyrillus inquit aduersus Iulianum, tum cunctis in reb. homines esse Deo subiectos, tum maximè ea parte, qua sunt homines, mẽte scilicet. Nam vt simus vni, & copulemur cum Deo, vel pares, vel inferiores simus oportet: & quis Deo comparabitur? Illi igitur erimus mente subiecti, vt in eam deriuari cõmunio Diuinitatis possit. Pareamus, & credamus. Idem verò amor Dei in humanũ genus, qui fuit in causa, vt De⁹ ab ęterno mũdum non condiderit, vt diximus, effecit, vt arbori vetitæ hunc

longis-

longissimè ab ipso adscitum effectum mortis, ac vitæ, bonorum, & malorum apposuerit; quo scilicet homo agnosceret, ab ipsa Dei absoluta vi pendere omnia, ob id quantus esset contemplaretur, illi vni fideret, ac de beneficijs in se collatis amaret. In qua agnitione, spe, & caritate est posita nosta salus.

Tot igitur ac tantis bonis homo diuino munere ornatus est, atq; hic ad maiora per fidem & obedientiam propositus illi progressus. Quæ cum Dæmon impius videret, inuidia perculsus, effigiem serpentis adsumpsit, mulieremque blandis aggressus dolo circumuenit; persuasit, vt ex arbore vetita gustaret: fore namque aiebat, vt Diuinitatem, quam cupiebat, assequeretur. atque ita à fidei & obedientiæ statu miserrimè deturbauit. Adamus inde verbis suæ coniugis delinitus, & ipse etiam à diuinis iussis infeliciter abscessit. Hinc summa rerum facta commutatio: eiecti ambo ex illis omnium deliciarũ suauissimis locis, spoliati cunctis ferè animi, corporis, atq; externis bonis: eorum porrò nepotes prolapsi in summam ignorantiæ caliginem, scelera infanda, morbos, ac miserias scelerum vindices: innumeris cladibus & vastitatib. afflictus mundus; terra ipsa diuinis exsecrationibus obnoxia nihil non acerbum, nihil non lugubre & mortiferum tulit. &, quod maximè sit memorandũ, Dæmon, vt à principio instituerat, eò perduxit humanum genus, vt exemplo arboris vetitæ crediderit vulgò plerisq; arboribus inesse eam, quam sibi finxerant primi parentes à serpente decepti Diuinitatem.

Notissimum namq;, priscos in eam venisse opinionem, vt Dryadas inesse arboribus veluti numen ingenitum putarent. Hinc apud Gallos Druydæ sacerdotes in primis arbores colebant. & in vniuersum de cunctis gentibus sic Plinius scribit: *Arbores fuêre numinum templa, priscoque ritu simplicia etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atq; ebore simulachra, quàm lucos, & in eis silentia ipsa adoramus* Hæc ille, vt appareat causa, propter quam sic Deus Hebræorum populo edixit, *Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* ob id sæpè idem Deus conqueritur de Synagoga, quę ad hanc arborum colendarum impietatem deflexerat, ijs verbis: *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Quid plura? oraculum Dodonæum, teste inter alios Strabone, è quercu reddebatur, ac fuit omnium vetustissimum. Illius responsis & au-

Plin. lib. 16. cap. vlt.
Plin. libr. 12. cap. 1.
Deut. 6.
Isa. cap. 57
Ierem. 2. 3.
Strab. lib. 7

ctorita-

ctoritate factum refert Herodotus, vt abiecto, obscuratoq; vnius Dei, plurium Deorum cultus à Græcis hac de re interrogantibus acciperetur, & ad posteros transmitteretur. Atque ita Dæmon, sicut ex arbore principium fuit omnibus mortalium malis, sic per eandem quotidiè maiora inuehere aduersus eos haud cessauit, existimantes aliquid ei diuinitatis naturaliter innatum, atque ob id illam colentes. Atque inter Indos adhuc aliquos esse populos aiunt, quibus eadem sit opinio, & consuetudo: sicut à Slauinis idem factitatum suo tempore Procopius tradit, & maiorũ nostrorum memoria eundem fuisse morem Lithuanis anno 1386. Cromerius scribit. Atque hæc quidem quantum ad arbores.

Crom.lib.15.

De serpentibus autem quid dicemus? cùm prope Arcticum polum dicantur exstare adhuc gentes nonnullæ, quæ eos venerentur: quam consuetudinem fuisse etiam Lithuanis anno 1386. idem Cromerius testatur; ita vt viperas alerent, quasi lares familiares, lac ijs libarent, & gallos immolarent. Quid igitur miremur, vt est apud Danielẽ, tam religiose à Babylonijs cultum fuisse Draconem? Sed quid Babylonios memoramus? Romani ipsi Epidauro aductum anguem spirantem nónne venerati sunt honoribus diuinis? Nota historia tùm ex alijs, tum è Valerio Maximo. E Plinio discimus, adhuc ætate sua cultum fuisse illius genus. Athenienses, qui sunt habiti sapientiæ totius assertores, serpentem quendam viuum colebant arcis custodem; menstruaque illi libamenta proponebant, quasi numen aliquod illi foret ingenitum natura sua: neque enim mente concipiebant aliud inter superos diuinius, ad quod cælesti iussu rem per se cassam referrent, loci genium putabant; vt de Aenea, quamuis à se laudato Heroe, Virgilius testatur, quem sic inducit loquentem de serpente, quem viderat è patris sepulchro prodeuntem:

Dan ca.14.

Plin lib. 29. c.4.lib.1.c.8

Incertus geniúmne loci, famulúmne parentis
Esse putem.

Refert Aelianus à Thessalis & Epirotis serpentem cultum, similiter ab Indis tempore Alexandri, & aliàs in Lauinio oppido Latinorum, & Melite Aegyptiorum Vrbe idem factitatum. Ludouicus Barthena in itinerario suo refert ab Indis cis Gangem coli adhuc serpentes quosdam, quasi spiritus illis diuinus adsit: sicut antiquis temporib. in more positum fuisse, non modò Aelianus testatur, sed

Aelian.li.51. c 2.16.17.

Max. Ser. 3.

etiam Maximus Tyrius. Quę cum Deus prospiceret, & nollet admitti, dixit ad serpentem fore, vt poneret inimicitias inter ipsum, & humanũ genus, eumq; insidiaturum calcaneo mortalium, quasi fugientem os adspectumque hominis: quod quamuis referatur in primis ad Christi mysteria; tamen adhuc experimento cognoscitur, serpentes insidiari hominibus à tergo, illorum fugere adspectũ: naturaliter verò datum est hominibus, vt ieiuni oris saliua mirabiliter excrucient eos, ac debilitent: quòd si fauces & os, quibus formata est vox ad Euam decipiendam, saliua attigerint, mirabiliùs illos enecant; quod probati auctores tradunt, Aristoteles, Plinius, Aelianus. quarũ proprietatum, qui causas inuestigant, nullas possunt alias proferre, nisi inimicitias diuinitus satas inter serpentes & homines; qui sicut vetiti pomi esu serpentibus adhæsere, sic ieiuni quadam vi naturali ex hoc tempore cęlitus cõcessa perimere illos ipsa saliua possunt. alioquin cur hæc? cur si fauces, ósve solùm feriantur saliua? cur si à ieiuno tantùm? Taliũ rerum caussę ad aliquod diuinius referendę: naturalis quædam repugnantia inter hasce naturas, earumq; certas aliquas partes est immissa.

Arist. lib. 8 c. 29. de hist. anima. Aelia. lib. 2. cap. 24.

De Reparatione & incremento Ecclesiæ: Christo nouo Adamo, per quem mirabiliter humanum genus renascatur.

CAP. V.

Iren. lib. 1. cap. 20. Tertu. lib. 2. in Marcio. Grego. orat. 35. in Christ. natal. Amb. in examin.

RECtè Irenæus igitur, quem sequitur Tertullianus, arborem illam vocauit hęreticorum doctrinam, S. autem Gregorius Nazianzenus altiorum contemplationem, S. Ambrosius astutiam humanam: non quòd arbor scientiæ boni ac mali verè arbor non esset; sed quòd homo, qui voluit ea vesci, à fide, quæ Deo diuinisque rebus est habenda, desciuerit, sua Dæmonisq; cõmenta fuerit secutus; ideò fuit instar hęreticorum doctrinę. & quoniam in diuinis intelligendis, quæ est altiorum contẽplatio, sibi, non Deo credidit, fuit instar altiorum cõtemplationis, in quibus fidem sequi debemus eorum, qui sunt altiores nobis, vt est Deus. alioquin si volemus altiora nobis ingenio nostro metiri, quod fecêre primi parẽtes, facillimè excidemus à veritate, scrutatores facti Maiestatis opprimemur à gloria. fuit instar humanæ astutiæ, qua credimus

interdum quodammodò Deum fallere, dum violamus illi præstitã fidem. Rursus benè Irenæus, Cyprianus, & Augustinus Ecclesiam dixerunt esse instar Paradisi: in ea nãque quicumque sunt, restituuntur ex parte ad pristina illa bona animi, corporis, & extera, quibus Adamus & Eua spoliati sunt; & assecuturi sumus eadem multo ampliora ac diuiniora, simulatque è vita ab omni scelerum labe expiati migrauerimus in cælum. Ab hac Ecclesia quasi è Paradiso eijciuntur, quicumque à fide & obedientia desciscunt, instar primi parentis vetitum pomum degustantes, ac diuini luminis ductum relinquentes, sensuum fallacijs, & humanæ rationis præstigijs, & cæcitati præsidunt. Sanè nihil apparebat in vetitis pomis, ex quo mali aliquid esset timendum; suauitas ex illis maxima, pulchritudo etiam iucundissima existebat, quæ & sensus ad degustandum pellіceret, & oculos ad videndum conuerteret. id scilicet fefellit cum coniuge Adamum: nimium suis sensibus & cogitatis crediderunt; deturbati sunt cũ tota posteritate è sublimi illo gradu, in quo positi à Deo tot præclaris donis corporis, diuini spiritus, & latissimi regni potiebantur.

Iren. lib. 5. cap. 20. Cypr Ep. 38. ad Iul. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 21.

Quocirca vt retexeret Deus humanum genus, Adamum nouum nouamq; Euam sibi denuò formandos esse constituit, quibus idem cum Deo spiritus, idem corpus, idem regnum foret. Prouehi ad altiora non datur. Nullibi firmitas aut perpetuitas maior fingi potest. Ex his constituit, vt cũcti mortales, quicumq; ad amissa & longè maiora bona restitui aliquando vellent, renascentur. Audi porrò: sic namque intelliges Ecclesiam esse instar Paradisi, arborem scientiæ boni ac mali esse instar doctrinæ hæreticorum, contemplationis altiorum, & astutiæ humanæ. Pulcherrimũ, vt diximus, sui quasi simulachrum quoddam finxerat sibi Deus Adamum: virtutibus cunctis erat excultus, immortalis quodãmodò erat, terras imperio moderabatur, summa felicitate affluebat: amisit prope omnia post peccatum, maxima ex parte est illis spoliatus: imago primæua non illa quidem deleta, sed maximè est obscurata ac deformata, propter quam dictus est homo ad imaginem Dei creatus. Quid igitur Deus? Vide mirabile inuentum. Egit perinde ac si fictor videns hominis statuam, quam magni faciebat, & in qua multum vel studij, vel artificij ingeniosioris posuerat, truncatam fuisse, & in omnibus eius partibus turpificatam, rursus opus aggrediatur maiori

arte & ingenio, statuatque illam sic restituere in priorem vel multo nobilissimam formam, vt quiuis intuens illam, non amplius hominis statuam se intueri credat, ac certò videat, sed ipsummet hominem spirantem contempletur, nihil in ea desideret, nec spiritum, nec membra viuentia, nec viuentium membrorum functiones. Atqui à nemine sine dubio fieri potest, vt ipsæ statuæ spirent, ac viuant, & sint illi ipsi, quorum speciem præseferunt. Sed ponamus id diuinitus accidere posse: quis ingenium, quis artificium nō maximè admiretur? Ita profectò Deus egit. Hominem penè quandam diuini numinis imaginem sic restituit in pristinam formam, sic refecit, vt homo esset, esset Deus verè; cuius effigiē quandam Deus illi affinxerat. Voluit secundā Trinitatis personā, filium suum vnigenitū, in quo sunt omnium rerū primæua simulachra, assumere naturā humanam; Deus cùm esset, & hominem fieri simul. Is est Christus, Adam secundus; per quem retexitur genus humanum, renascitur, & ad pristina bona reuocatur. Homo hic adeò similis Deo, vt sit Deus, nihil illi Diuinitatis desit. Audi Paulum: *Factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: sed non prius; quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus: secūdus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginē terreni, portemus imaginē cælestis. Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.* His Pauli verbis edocemur Christum esse nouissimum Adamum; qui suo nobis spiritu vitam reddat, ita vt spirituales simus, cœlestes, securi à corruptione, si ipsius imaginem portemus; carni & sanguini, idest, voluptatibus carnis non indulgeamus. Reddit hic Christus animi bona, cùm facit vt simus spirituales: Deum scilicet spirantes, inspirans ipse Deum, facit Deum spirantes, dum nobis inspirat vim diuinam, qua nō nisi ad Deum adspiremus. id cuiusmodi sit, fusiùs suo loco patebit. Reddit corporis bona, dum vindicat à corruptione; quod perfectè continget in resurrectione, cum corpus non erit amplius opacum, sed Sole splendidius, nō graue, sed agillimum; ita vt temporis ferè momento ab Oriente feratur in Occidentem; non ita crassum, sed subtile, vt vel solidissima corpora peruadat; non vlli obnoxium

Resp. vt Ecclesia summè esset vna cū Deo omnino diuina, quod à principio dicebatur.

Christus Adamus secundus.

1. Corint. 15.

Amplissimè per Christum tria bona restituuntur.

perpessioni, sed ab omni labe corruptionis, morbi, & læsionis immune. Hinc Paulus ibidem: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget virtute, seminatur corpus animale, surget spirituale*; denique vnum cum Christi corpore. Reddit Christus extera bona: efficit enim cælestes, idest regni cælestis, vnde in terras omnia bona defluunt, consortes. quod quidem quale sit, postea ostendemus.

Ad summam secundus est Adamus Christus, ex quo renascimur; ac per eum restituũtur tria bona quę amisimus; animi quidẽ, dum facit spirituales: corporis, dum facit tutos à corruptione, suoq́; corpori adglutinatos: extera, dum facit cælestes. Sed qualis quæso hic Christus, cuius nobis, vt ait Paulus, est imago portanda? *Est* (alibi idem scribit) *ille, quem Deus constituit hæredem vniuersorum: per quem fecit & sæcula: qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portãsq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* En cuius imago nobis est imprimenda. Neque nobilior, neque excelsior, neq; diuinior excogitari potest. Vis diuitias & opes? Est hæres vniuersorum. Optas immortalitatem? per eum facta sunt sęcula. Cupis venustatem? est splendor gloriæ, & figura substantiæ diuinæ. Desideras robur? portat omnia. Amas clementiam? purgationem peccatorũ facit: Quæris diuinitatem? sedet ad dexterã maiestatis. Habes igitur in ipso animi ornamenta, maiestatem, & purgationem peccatorum: habes corporis, robur, venustatem, immortalitatem: habes diuitias, hæreditatem vniuersorum. Explicat hæc alibi nobis à Christo concessa, breuissimis comprehensa Paulus: *Ipse est*, ait, *caput corporis Ecclesiæ: qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Quid Christo negauit Paulus, vbi asseruit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare in eo? An non deinde per eum nos vult renouari, cùm dicit esse primogenitum ex mortuis, & pacificare omnia quæ sunt in cælis, & in terris? Cupis his apertiora? Rursus audi: *Proposuit*, ait idem Paulus, *in eo in dispensatione plenitudinis temporis instaurare in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt.* loco verbi huius Instaurare, legunt Irenęus & Hieronymus, Recapitulare. sic etiã in græco codice ἀνακεφαλαιώσασθαι,

In Christo omnia bona.
Hebr. 1.

Col. 1.

Nõ modo Ecclesia, sed omnia per Christum restaurantur.

vt ostendat Paulus à capite, qui fuit Adamus olim, nunc Christus, à Deo renouatum fuisse genus humanum. Quocirca vocat Isaias Christum Patrem futuri sæculi: quod cùm didicisset à libris Sybillinis vates aliò rem referens, & quædam gentilitia admiscens cecinit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.
Teque adeò decus hoc æui te consule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menses:
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus Orbem.

De noua Eua noui Adami Christi sponsa Ecclesia & eius dignitate.

CAP. VI.

EN itaque ordo sæculorum nouus, noui menses, noua progenies cælo demissa, gens aurea, Diuis permixti Heroes, deletum scelus, Orbis pacatus, ac diuinis virtutibus gubernatus. Fixum sit igitur, Christum secundum esse Adamum, à quo genus humanum renascatur, restituaturque in pristinum statum, vnde exciderat. Videamus nunc quæ secunda sit Eua. Isaias quidem non aliam vult esse, quàm Ecclesiam: sic enim Deum, qui ad eam loquatur, inducit, *Lauda sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis quàm eius, quæ habet virum.* & mox, *Vt mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam dixit Deus tuus.* Hæc sunt Isaiæ verba; quæ ad Ecclesiam pertinere, quasi Dei, qui est Christus, sponsam, tradit in ea quæ est ad Galatas epistola Paulus Idcirco Isaias idem nomine Sionis Ecclesiam designans ob eas causas, quas adducemus, sic eundem Deum facit loquẽtem: *Numquid*

Ecclesia Christi Eua secunda. cap. 54.

Ergo Christi sponsa etiam mater nostra

Galat. 4.

Cap. vlt.

quid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos? numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? Hæc Isaias ad illud tempus respiciens, quo discipulos Christi in monte Sionis constitutos diuini numinis aura afflauit; plurimiq; alij ad eius cultum ex omni natione die vna sunt perducti, Ecclesiaque constituta: ex qua genuit sibi filios Deus, effuso in corda eorum spiritu non timoris, qui solet esse seruorum, quales erant Hebræi, sed amoris; quo succensi nunc ex Ecclesia nati iubētur dicere, Pater noster, qui es in cælis. Suscepit igitur Deus è Sione, siue Ecclesia sibi filios, sanctissimoque sibi illā matrimonio tum primùm copulauit. Quocirca Paulus apertissimè vocat eam Christi sponsam, ita vt sit idem vtrique corpus, sint in vna carne duo. *Qui suam*, inquit, *vxorem diligit, se ipsum diligit, nemo enim vmquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam; & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna: sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Hac sanè Apostoli oratione nihil fingi potest apertius ad propositum nostrum: ob id in epistola ad Galatas, Ecclesiam non veretur idem matrem nostram vocare: *Illa autem*, inquit, *quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra: scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris.* Sursum verò esse dicit, quia cæli sunt illi claues traditæ, vt inde possit auxilium quodlibet aduocare; ipsius ibi sponsus, ipsius ibi membra nobiliora, filij digniores. Liberam vocat, quòd è seruitute ac tyrannide peccati fuerit asserta in libertatem, & quę priùs quasi ancilla Deo seruiebat, & timore agebatur ad obseruandam legem, vel pœnæ stimulis incitata, vel pręmiorum mercede conducta, nunc quasi vxor legitima versetur in domo Dei, in hac vniuersitate rerum, nihil aliud respiciens, quàm Deum, cuius amore ardentissimo flagrans, cuncta postponit, despicit, nihili ducit.

Ephes. 5.

Ergò maximè vna cum Deo omnia diuina.

Galat. 4.

Ergo maximè est in cælo.

Sed audiamus de hac Ecclesia Dei excellentissima Patrum pręconia, quib. illā tum Christi sponsam, tū matrem nostrā predicant. At prim' in mediū veniat Ignatius Ioan. Apostoli discipulus: *Christus*, inquit: *ille, est via quæ ducit ad Patrem, maceria, clauis, pastor, sacerdotium, sacrarium, ianua scientiæ & agnitionis, per quam introiuit Abraham, Isaac, Iacob,*

Moyses quoque, & omnis chorus Prophetarum, & columnæ mundi Apostoli, & sponsa Domini Ecclesia; pro qua dotis nomine sanguinem suum fudit, vt eam redimeret. hæc Ignatius, quem secutus Irenæus Polycarpi discipulus, cur Ecclesia sponsa Christi nominetur, ac mater nostra, sic explicat: *Vbi Ecclesia, ibi spiritus Dei; & vbi spiritus Dei, ibi Ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neq; à mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidum fontem: sed effodiunt lacus detritos de fossis terrenis, & de lacu putrido bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur, reijcientes verò spiritum, ne erudiantur.* Ex his Irenæi verbis habemus ideò Ecclesiam dictam matrem, quia non modò ab ea gignimur, sed & ab eius mãmillis perenne lac fidei & doctrinæ sugimus. Vtrumque eleganter amplexus est Clemens Alexandrinus: *Vnus quidem*, scribit ille, *est vniuersorum pater, vnum est etiam verbum vniuersorum, & Spiritus sanctus vnus, & ipse est vbique. Vna autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola: quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul & mater, integra quidem & inuiolata vt virgo, amans autem, vt mater, & suos accersens infantulos sancto lacte & infantili verbo enutrit.* Clementi subscribit Tertullianus his verbis: *Si enim Adam de Christo figuram dabat; somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, vt de iniuria proinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia.* hucusque Tertullianus Ecclesiam dicens Christi sponsam, matrem viuentium veram: quasi Eua vera non fuerit viuentium mater, & immeritò nomen hoc illi imposuerit Adamus: Euam namque nominauit, perinde ac si esset mater viuentium: huiusmodi vis est huic verbo subiecta. Addit Tertullianus Ecclesiam formatam è latere Christi, sicut Eua è latere Adami: ac veluti ex hoc Eua formata est, cùm somno correptus detinetur; sic vbi Christus somno se mortis dedit, Ecclesiam sibi fingi suam spõsam voluit. Sed audiamus Cyprianum: *Cùm autem*, dicit ipse, *natiuitas Christianorum in baptismo fit, baptismi autem generatio & sanctificatio apud solam sponsam Christi sit, quæ parere spiritualiter, & generare filios Deo possit, vbi & ex qua, & cui natus est, qui filius Ecclesiæ non est, vt habere quis possit Deum patrem, ante Ecclesiam matrem?* Audin' Cyprianum dicentem nemini posse Deum esse patrem, cui non sit Ecclesia mater? potuit aut clariùs, aut apertiùs dici?

Ergo habet dotem, quæ est sanguis Christi.

Ire. li. 3 c. 4.

Ergo ab illa gignuntur, educantur, & nutriuntur.

Cle. Pædag. lib. 1.

Li. de anima

Ergo formata est è latere Christi, sicut Eua ex Adamo.

Cyp 74. ad Pomp.

Ergo nemo filius Dei, nisi sit Ecclesiæ.

Venit hic mihi in mente præclari cuiusdam dicti, quod Eusebius litteris mandatum scribit à Dionysio Episcopo Alexandrino, viro & pietate & doctrina maximè illustri. is igitur sic ad Nouatum: *Atque illud martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minùs rectè, sed multo plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Nam in hos pro vna quisque anima suffert martyrium, in illo autem pro tota Ecclesia.* En quanti Ecclesiam fecerint Patres antiqui, meliores profectò, & quis hoc negabit? ac doctiores nouatoribus nostræ ætatis; qui maledictis proscindere impio furore perciti, rabieque crudelissima in præceps acti, matrem suam non cessant: & eius auctoritatem labefactare, conuellere, & euertere funditus omni conatu nituntur: cùm sit illa sponsa Christi, mater nostra, cælumque à S. Ioanne Chrysostomo, ac dignior ipso cælo vocetur; & Clemens, vt eius nobis altissimã dignitatem commendaret, sic scriptum reliquerit: *Ecclesiæ eminentia; sicut principium constructionis, est ex vnitate; omnia alia superans, & nihil habens sibi simile, vel æquale.* hæc ille, vt sciamus Ecclesiam vnam cum Deo, quod Christus Patrem rogauit, diuinitatemq; illi cælitus largissimè communicatã. Concludamus itaq;, Christum nouum esse Adamum: Ecclesiam verò ipsius sponsam, matremq; nostram, nouam Euam; & ex his renasci genus humanum.

Eufeb. lib. 6. histo. Eccl. c. 27.

Clem. Stro. lib. 6.

Semina, è quibus renascimur è nouo Adamo Christo & noua Eua Ecclesia, sunt in primis Sacramenta.

CAP. VII.

IN omnibus rebus natura comparatum videmus, hoc esse discrimen inter mares & fœminas, quòd hæ quidẽ semen, quo fœtus concipiant, & conceptos edant in lucem, suscipiant à maribus, illiq; materiam subministrent, quæ formetur à vi masculi seminis in speciem suam: at mares effundunt hoc semẽ in fœminam. Cùm sit igitur Christus sponsus, Ecclesia sponsa, è quibus humanum genus renascatur: videndum quodnam sit semen per quod renouemur. Et disertè Christus dixit in Euangelio: *Semen est verbum Dei.* sed cùm multiplex sit illud, opus est aliqua procul dubio distinctione. Et in primis Christus ipse est æter-

Semen est verbũ Dei.

Christus primū Dei verbum, & cur.

num, coæuumq; Dei verbum eiusdem penitus cum Deo naturæ. Dicitur autem verbum; quòd pater ipse sibi suæ maiestatis infinitudinem manifestam faciat non alterius verbi prolatione, quàm filij sui. Nam velut homines verbo animum suum solent alijs notum facere, sibi verò taciti cuiusdam verbi intima in mente pronunciatione; sic pater diuinitatem suam sibi, quasi verbo quodam intimo, filio suo profert & explicat, nec ipse sibi dumtaxat per hoc verbum sui numinis immensitatem demonstrat, sed alijs etiam, quantum capere possunt. Nam per hoc facta sunt omnia, inquit Ioannes: non quòd semen sit materiatum, sed efficiens omnium rerum, rebus ipsis non admixtum. Et quemadmodum in filio Deus semetipsum contemplatur; sic homines ex effectis per filium cognoscunt Deum. Inuisibilia, inquit Paulus, Dei à creatura per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas. Idcirco res omnes in diuinis libris verba Dei vocari solent, quasi per eas nos Deus alloquatur, & semetipsum nobis prodat. Duplex itaque Dei verbum; & quod illi est per omnia æquale; & quod per hoc est creatum, in primo semetipsum Deus conspicatur: per secundum, quod ad nos per primum proficiscitur, solent homines ex parte Deum cognoscere, dum viuunt. Cupit autem Deus per hoc secundum verbum creatum, per quod ex parte ipsum videmus, perduci nos ad primum; ita vt perfectè intueamur ipsius amplitudinem, in cuius adspectu posita est nostra beatitudo, qua cùm Deo sumus vni. Hinc Christus, *Clarifica*, inquit, *me pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquàm mundus esset apud te.* Hæc Christus de claritate, qua sibimet ipsi Deus in suo verbo clarus est. mox adijcit de discipulis ad diuinæ naturæ communionem iam tum subuehendis: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum; sicut & nos vnum sumus.* Ita Christus.

Res omnes Dei verba quatenus ad Deum nos perducūt per primum.

Io. 17.

Alijs alia magis Dei verba.

Manifestum verò est, si quid magis Dei verbum continet, notitiam scilicet Dei maiorem nobis tradit, id verbum Dei magis appellandum. exempli gratia; quæcumque ampliorem Dei cognitionem nostris animis insculpunt, ea iustius Dei verba: & quæ cognitionem & amorem simul inserunt, multo iustius: quæ denique maximam Dei notitiam mentibus nostris ingenerant, ardentissimumque amorem inflammant, iustissimè Dei verba dicentur, ac Dei semina. Quid ita? Quod scilicet nos efficiant Deos, & ex iis quasi è

seminibus Dei exoriamur, cum tamen simus homines. Idcirco Ioannes, *Dedit eis*, inquit, *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quæcumq; igitur nobis magis diuinitatem impertiuntur, & efficiunt diuinos, magis erunt diuina semina, diuina verba.

Patet autem, non eodem modo nasci nos ex Adamo, & renasci è Christo, & Ecclesia, in qua Christus Dei verba, Dei semina deponit. Nascimur ex Adamo quantùm ad corpus animale; è Christo quãtum ad spiritum diuinum: quò diuinitatem spirabimus. Vt nascimur ex Adamo, morti sumus obnoxij; vt è Christo, à morte liberamur. Adamo, vt à morte se expediret, datum fuit è ligno vitæ sumere; nobis, vt illam possimus effugere, è Christo sumere; qui nobis est instar arboris vitæ. Quæ cùm sciret, & respiceret Paulus, *Primus*, inquit, *homo factus est in animam viuentem, secundus homo in spiritum viuificantem.* Quid sit, Christum nobis esse spiritum viuificantem, alibi interpretatur, cùm dicit, per eum nostra corpora in die nouissimo Iudicij suscitanda: *Si spiritus*, ait, *eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Renascimur itaque è Christo, primùm quoad animum diuini spiritus illapsu; deinde quoad corpus: ita vt vtrique, menti scilicet, & corpori diuinitas communicetur, quantum potest vtrumque capere diuinitatem. sic autem toti renascemur, & Christo simillimi erimus. Nam claritas illa, qua sibi Christus est clarus filio Dei innata, nobis, quod ille Patrem rogauit, communicabitur: vt & nobis per illã Deus sit clarus, quantum dabitur. & corpus eodem modo cælesti gloria perfundetur, quo perfunditur Christi corpus. Hæc Paulus complexus est, cùm dixit: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu* idest, Spiritus Domini mentibus nostris se insinuans, magisque ac magis in dies illas intimè permeans, facit, vt cogitatis, desiderijs, dictis, ac factis adspiremus ad amorem intelligentiamq; Dei omnipotentis: clariorq; nostris animis quotidie ipsius imago imprimatur; qua possimus ipsum clarius intueri; donec tandẽ Christi imaginem corporeq; & animo circũgestemus: & vni simus cum Deo, transformati, inquit, in eandem imaginem, perinde ac si oculus nõ modò rei alicuius imaginẽ,

Per hoc semẽ non eodẽ modo renascimur quo nati sumus.

Rom. 5.

2 Cor. 3.

qua

qua possit ac soleat illam cernere, vti moris est, excipiat; sed in eam penitus transferatur. Meritò itaque Christus de se dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* per ipsum namque quasi per viam quandam perducimur ad ipsam veritatem dignoscendam, quæ Deus est; inde vita verè corporibus nostris vitalis. Et Paulus idem respiciens, *Vita*, ait, *Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* Et alibi: *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Fixum sit igitur, semen per quod ex Ecclesia renascimur & Christo, esse Dei verbum, idest, depositum in Ecclesia.

2. Cor. 4.

Sed nónne alieni ab Ecclesia de Deo diuinisq; rebus verba, & quidem multis in rebus consona veritati faciunt? An non eorum verba Dei verba, qua parte saltem vero respondent? Ita profectò. sed hoc interest: Ecclesia in diuinis tradendis labi non potest, vt ostendemus: id verò solius Dei est. Et Ecclesiæ datum est hac in re maximi momenti, vt vna sit cũ Deo. Ampliùs Ecclesia habet id proximè à Deo, cæteri nequaquam, sed ab Ecclesia. Præterea ex his concipit, parit, educat Deos Ecclesia: dum genus humanum perducit ad diuinitatem. proinde scriptum est: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.*

Tacitæ obiectioni occurrit.

Quærendum est autem, num ex quolibet Dei verbo, siue Dei semine renascamur. Sanè quodlibet Dei verbum adiuuat: sed certa maximè, & efficacia sacramentorum verba, siue sacramenta. Patet hoc, quia cum pueris mentis vsum nondum consecutis non est quòd de rebus diuinis habeamus vllum sermonem: nihil enim intelligunt. Sacramenta tamen ijs hoc præstant, vt adipiscantur æternam salutem, & fiant vni cum Deo; simulatque expediti fuerint è corporis huius vinculis. Rursus fieri potest, vt aliquis intelligat quæ pertinent ad Deum, tamẽ sine sacramentis ad consortium diuinæ naturæ non admittatur: quæ si ritè percipiat, euolet in cælum, diuinitas illi perfectè communicetur. Quæ cùm vera sint, vt ostendemus suo loco, necessariò concluditur, verba Dei, quæ in sacramentis adhibentur, esse omnium efficacissima; è quibus renascamur, primò quidem quantum ad spiritum, deinde quãtum ad corpus. Ob id Petrus de baptismo loquens, *Renati*, inquit, *estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per Dei verbum.*

Cur oẽs res verba Dei dicantur, efficacißima tamen sacramenta.

I. Quia per illa vel mentis expertes renascuntur.

II. Quia nec satis omninò parati renascuntur aliquando.

Hæc itaque semina Christus tradit, ideò sponsus: excipit Ecclesia; ideò sponsa. Et quamuis nonnulla sacramenta possint ipsius hostes Ecclesiæ administrare, veluti baptis-

Per sacramenta quasi per semina renascimur

mum,

mum, atque ita filios Deo procrearet:tamen hac in re sustinēt Ecclesiæ personam,ac necesse est id agere velint, quod agi vult Ecclesia,alioquin nullum est sacramentum: oportet præterea ab Ecclesia id acceperint, vel scripto,vel viua alicuius voce traditum. Sunt igitur Ecclesiæ hæc semina commissa:& idcircò sponsa Christi, qui voluit maximam suæ sponsæ esse fœcunditatem, ita vt per quemuis filij suscipiantur sibi ex Ecclesia, vbi coaluerint semina ab ipso in eam profusa.Enimuerò quemadmodum semina herbarum,fruticum,arborum,animantium,non sunt herbæ,frutices, arbores,animantia, sed continent eorum vim genitalem : sic verba Dei à filio Patris æterni vnigenito profecta, & in Ecclesiam iacta, sunt eius semina, non eiusdem cum Deo naturæ,nullo modo,vim tamen habere solent genitalem, quæ gignat illi filios ex Ecclesia sponsa, qui quidem fiunt eiusdem cùm Christo Dei filio ac Deo naturæ, non naturaliter id habentes, sed adoptionis iure consequentes. Nam qui natura nascimur iræ diuinæ filij,vt ait Paulus,adoptamur & eligimur à Deo in diuinæ naturæ societatem. Dictum est quæ sint semina, & qui propter ea Christus sit sponsus,Ecclesia sponsa. Inspiciamus quomodo ex ijs concipiamur, ac renascamur. Concipitur fœtus hic nouus fide, qua Christo credit, fidit, totumque se ex animo deuouet penitus,etiam si nihil operis præterea agat, modò paratus sit agere simulatque opus erit.Ob id Paulus ait ad Galatas: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Desciuerant Galatæ a recta fide : Paulus illos ad eam reuocabat,ideò inquit, Parturio: parturire namque est niti in lucem emittere fœtum iam conceptum. Est autē necesse, non solùm fidē Christi dictis habeat,sed illi etiā fidat in omnibus : neq; satis est hoc,oportet eandem fidē det eidē,se fore omninò in eius potestate.Et quamuis millies aliquis hanc fidē frangat,milliesq; singulis diebus eā non præstet, tamē eā millies obstringere potest, vbi redit ad eandē mentem,promptus ad imperata ex animo facienda,vbi tempus exiget. Atque hoc est hominem iustificari per fidem sine operibus legis,non eam,quam dumtaxat habeamus Christo, aut in quam nos bonitate ipsius freti conferamus nosmetipsos, sed etiam quam penitus illi obligemus in mandatis eius obseruandis, & quam necessariò sequitur charitas illa in cordibus diffusa per Spiritū sanctum, cùm quis, aiunt Theologi, primam gratiam consequitur. Hac igitur

ex Ecclesia & Christo sponso.

Tacitæ obiectioni occurrit.

Modus quo concipiamur & renascamur speciatim per sacramenta.

Fide concipimur.

S. Tho. ca. 3. ad Rom.

S. Aug de Spirt & lit c. 10.

mur: Baptismi, vt explicabimus, sacramento: nisi quis adultus veluti abortiuus edatur in lucem; cùm Christi fidem, vt diximus, secutus, non potuit ad sacrum fontem, morte præuentus, peruenire.

Cur tanta sit Sacramentorum vis. Cur instituta in verbis, ac rebus corporatis. Cur adiecti ritus. Et de mystica Ecclesiæ coniunctione.

CAP. VIII.

SEd operæpretium est videre, cur voluerit Christus sacramentis inesse vim genitalem, qua filij Dei renascamur per gratiam charitatemque ab illis infusam, qua Deum præcunctis amamus, cum priùs re vera non amaremus: atq; ita diuinitas aliqua nobis communicetur.

I. Atqui in promptu est ratio: quia sæpè fit, vt nulla verba, nulla obiecta possint animum nostrum sic attollere, vt amorem Dei supremum concipiat, illi cuncta postponens, paratus in omnib⁹ illi re vera obedire: quamuis credamus sæpè nos esse huiusmodi, sed id non est propter ipsum præcipuè Deum, sed propter spem metúmve alicúius rei.

II. Permisit autem Deus, vt sæpè neq; verba vlla, neq; alia obiecta possint nos attollere adhunc amorem, vt sciamus nihil esse, vel humanum vel naturale, siue ab hominibus, & natura institutum, quod nobis posset hunc amorem ingenerare, neq; posse nos eò pertingere à nobismetipsis.

III. Idcirco autem permisit, vt sic magis à Deo penderemus singulis momentis, scientes nihil esse in nobis, quo certò pertingere possimus ad Deum; ac sic etiam magis caueamus excidere à gratia ipsius; magis intima nostra perscrutemur; contendamusq; peccata detestari; cùm nō semper sint in promptu sacramenta, neq; semper illa pro libito ministrari possint.

IIII. Hinc sequitur, vt magis agnoscamus Deum, magis amemus certissimi omnem salutem nostram, quæ posita est in diuinitatis communicatione, exoriri omnino, exortamq; conseruari à Deo; cùm fieri possit facilè, vt in peccata labamur; quippè qui homines simus, & sacramenta nobis nō adsint.

V. Ex hoc factum, vt, quando per homines hæc sacramenta ministrantur, euecti sint homines ad altissimam potestatem diuinitus, Deusque illis communicarit diuinissimam

vim: cùm possint per sacramenta inspirare gratiam, charitatemq́;, quæ est diuinitas quædam, & communicatio diuinitatis,

VI.

Amplius autem sic est inita ratio, qua maximè inter se ament homines: cùm sciant, tantum sibi posse communicari per homines sacramentorum ministros; ac tantæ rei, qualis est gratia diuina, se esse illorum quodammodo debitores; cùm sine interuentu ipsorum, sacramenta non ministrentur; homines enim constituti sunt, qui dispensent illa.

Et quoniam consociatio & amicitia maximè procuranda & conseruanda inter mortales; hinc fit, vt maximè stabiliatur: nemo namq; sibi sacramenta tradit, nisi sacerdos Eucharistiam conficiens, aut qui ab illo confectam sumit.

An non autem vehemẽtissimè amabimus Deum de tanto munere, qui mortalibus dedit vt diuinitatem possint inspirare mortalibus? caritas namq;, & gratia diuina, est diuinitas quædam, prouehens nos ad altissimam & intimam cum Deo coniunctionem; vt vnum simus cum eo.

Sic igitur Ecclesia nostra media inter antiquam, & eam quæ in cælo degit; quamuis omnes vnam constituant. Media inquã: quia cælesti diuinitas inest, ac Deus intimè sine inuolucris vllis, ac sine interpositione vllius rei; nobis verò per inuolucra, & interuentum sacramẽtorum: sed antiquis vnum sacramentum circumcisionis, per quod gratia propter fidem in Christum dabatur, caritas ingenerabatur benè, vt diximus, animatis; quæ circumcisio non iterabatur. At nobis adest in primis ipsummet Christi corpus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis; & tum hoc, tum confessio sæpius iterari sumendo potest. Adest præter Eucharistiam, & Confessionem, sacramentum extremę Vnctionis, & Matrimonij, quæ suis temporibus quandoq; non semel administrantur. Adsunt Baptismus, Ordo, Chrisma; quæ non nisi semel percipi possunt. Cùm Deus itaq; non continuò singulas res ad summum perducat, sed sui singulis sint progressus, has differentias inter antiquos, nos, ac superos, sapientissimè, vt diximus, ordinauit.

Quòd si quis quærat, qua de causa Deus voluerit sacramenta constare è certis verbis, quæ sunt instar formæ, ac certis rebus corporatis, quæ sunt instar materiæ; neutrum verò horum liceat vllo modo mortalibus vllis immutare facilis est è suprà adductis responsio; Ne sit ob causas allatas in potestate nostra hanc diuinitatem, diuinitatisque

communionem largiri: quod sanè esset, si nobis facultas variandi daretur.

I. Verba verò adiuncta sunt ad res corporatas, quia clariùs hoc modo significatur, quod efficitur speciatim per sacramenta. II. Accedit ad hęc, quòd per illa rursus ad nouum melioremque statum diuinitus creamur, ac restauramur: verbo autem Deus cuncta creauit: Dixit enim, & facta sunt. & III. ad hanc igitur nouam creationem, qua reparamur ad consortium diuinitatis, erant adhibenda verba, eoque magis, quòd verbum, per quod facta sunt omnia, sibi adsumpsit humanitatem corporatam, per quã nos instauramur. meritò igitur tùm verba, illud increatum verbum significãtia, IIII. tùm corpora Deus voluit adhiberi. Sic etiam pluribus rebus Deus vim tantam largitus est, quod est supremæ bonitatis effectum, vt amplè se, suamque virtutem communicet: idcircò & verbis nostris, & alijs præterea rebus dedit, vt in sacramentorum administratione adhiberentur, diuinitatemq; nobis inspirarent. V. Id etiam conueniebat, quia nos & mente, & corpore conflati sumus, mentem maximè verba tangunt, res ipsæ corpus: atque ita menti & corpori medicina quædam conueniens adhibetur.

Si quis autem rursus cupiat scire, qua de causa ritus varij fuerint adiecti, Respondemus, illis varios produci & significari effectus, de quibus suis locis agetur.

Colligamus nunc quæ diximus, mysterioque altissimo rem totam concludamus. Christus est sponsus, Ecclesia sponsa: Adamus ille nouus, Eua hæc noua: ex ambobus renascitur genus humanum: semina, è quibus renascitur, sunt Dei verba à Christo sponso Ecclesiæ sponsæ commissa. Christus est primum Dei verbum, per quẽ cætera Dei verba Ecclesiæ creduntur, vt ex ijs quasi seminibus renascãmur, ex his efficacissima sacramenta. Sed quomodo cõiungitur Ecclesia cum Christo, sponsus cum sponsa? per quãnam coniunctionem semina hæc excipit? Audi rem mirã: Per Eucharistiæ sacramentum Christus coniungitur cum sponsa Ecclesia, & carnes suas carnibus illius, vt intimè, sic purissimè adiungit. In hoc congressu verba Dei semina profundit in Ecclesiam sponsam Christus, vt ex ijs filios suscipiat. Excipit semen Ecclesia in membris ad hoc destinatis, quales sunt ministri sacramentorum quoquo modo ritè Ecclesiam respicientes. Exclamauit hic Paulus, atque hoc mysterium magnum vocauit. Audi Methodium Martyrem

tyrem sanctissimum simul & doctissimum in Symposio decem Virginum: *Vnde, ait ille, rectè Apostolus ad Christum retulit de Adamo. sic enim cõgruit, ex oßibus eius, & ex carne eius Ecclesiam esse factam, propter quam relicto patre in cælo descendit verbum, vt exhibeat sibi Ecclesiom gloriosam, & omnis maculæ expertem, emundans eam lauacro ad excipiendum spiritum, ac beatum semen; quod ipse intonat, & inserit in profundo mentis: excipit autem illud semen Ecclesia, & format instar vxoris ad generandam virtutem, & alendam. Hac enim ratione impletur illud, Crescite, & multiplicamini, capiente Ecclesia incrementum per congressum & communionem verbi; quod adhuc ad nos se demittit, & soporem capit secundum commemorationem paßionis. Non enim potest Ecclesia aliter concipere credentes, & regenerare per lauacrum regenerationis; nisi & Christus propter eos se exinaniens, vt capi poßit secundùm commemorationem paßionis, vt dixi, iterum moriatur descendens de cælo, adhærẽsq; vxori suæ præbeat virtutem quamdam lateris sui, vt augeantur qui in eo ædificati sunt omnes per lauacrum regenerationis.* Hucusque Methodius. En igitur quanta sit Ecclesię maiestas, & diuina celsitudo.

De Cæremonijs, & Sacramentis antiquæ & nouæ legis.

CAPVT IX.

ILlustriora fient quæ diximus, si, quænam sit differentia inter antiquæ legis cæremonias & nostras, sacramenta illius & nostra, nunc aperiamus. Adami ruina genus humanum sic humi allisum affixumque tenebatur, vt nullo modo mentem ad diuina contemplanda, voluntatemque ad ea persequenda subleuare posset: neque ea dabatur animo percipere, nisi quantum innitebatur nouo huic Adamo Christo, de quo prædictum fuerat, fore vt contereret caput impij illius serpentis, per quem primus Adamus fuerat deceptus, & in tot ac tantas miserias detrusus vnà cum tota sua posteritate. Quocirca infelicissimè conflictatum ac vexatum raptabatur per omnia peccata miserrimè humanum genus, seruiens illis, perinde ac vẽditus seruus, qui nihil sibi acquirit, operas omnes hero dat, nec potest se in libertatem vindicare. quod Paulus ad Romanos scripsit: *Ego autem carnalis,* inquit, *sum venũdatus sub peccato.* quod adeò verum erat, vt lex esset hominibus occasioni maioris peccati, non quòd illa bona non esset, sed quòd essent ho-

Pauli scriptis propositum probatur. Rom. 7.

minis exiguæ vires ad illam seruandam, vt infrà ostendemus. Nam per eam quidem peccatum ex parte dignoscebatur, ac prohibebatur: sed cùm vim tenuem, qua possemus obsistere cupiditatibus, impartiretur; fiebat vt maiore impetu in vetita ferremur; irritabanturq; libidines animi nostri plerumque coërcitione huiusmodi, non edomabantur: idcirco vbi campus dabatur, latiùs ac ferociùs excurrebāt; perinde atque equi indomiti intra stabula conclusi, vinculisq; adstricti, non animos ac spiritus efferos illi ponunt, potiùs attollūt: & vbi se laqueis expedire, compedes effringere, stabuloq; egredi quoquomodo datur occasio; tum verò, quales forent, apertissimè præseferunt. Neque etiam lex impetum cupiditatum nostrarum vinculis vllis iniectis omninò moderabatur: tantum pœna obiecta, quid cauendū foret, ostendebat; idque exiguum lumen animis nostris prætendens, non omninò caliginem, in qua demersi olim tenebamur, discutiens: neque etiam vim, qua possemus incitatis libidinibus obsistere inspirabat, nisi quantum nostra antiqui per fidem Christo, qui datus est nobis, debitā respiciebant.

Multi Pauli locis illustratur quod est dictum. 2. Cor. 3.

Quamobrem Paulus velamen ait positum super faciem Moysis, quòd scilicet oculi Hebræorum velati forent: *Moyses*, inquit ille, *ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur: sed obtusi sunt sensus eorum. sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* sic alibi vocat legem Pædagogum; qui tantum pueri sensus mentemque per sensus excitat ad percipienda quæ docetur, menti lumen infundit nullum, nullam vim largitur. Rursus ostendit idem Paulus, per mādata legis irritatam magis concupiscentiā; cuius est in vetita ferri ac negáta: *Occasione*, ait, *accepta peccatum per mandatum operatum est in me omne concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando: sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortē.* Hæc Paulus, qui multis etiam in locis ostendit, peccatum quasi tyrannum quemdam nostris membris insedisse; & inde impias nobis leges flagitiorum, quibus obediremus, præscripsisse: nos autem cùm infirmi essemus, nulla ope confirmati, colla sub iugum mittebamus. *Video*, inquit ipse, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de*

Gal. 3.

de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Quæ cùm sic essent, populus Hebræus, cui commissa erant eloquia diuina, & quem tot præclaræ promissiones attingebant, ingeniti peccati peruersitate incuruatus, terram identidem spectans, terram mordicus tenens, omnia ad terrena bona sæpiùs referebat; exspectatque adhuc Christum, qui terrena illi in primis bona largiatur.

Quin cunctas legis cæremonias, ampliùs, cuncta præcepta, quasi à bonis corporis hausta, deriuabat ad eadem corporis bona. Nam cùm festos agebat dies Paschatis, mensium, annorum, atque aliorum temporum, agebat ea de causa, quòd aliquod beneficium spectans ad corpus accepisset. Exempli gratia septimum diem, mensem, & annum festos celebrabat, quod Deus vniuersitatem hanc rerum adspectabilem nobis iam tum fabricatus esset, ac quieuisset: Pascha, quòd tum Deus illum ex ergastulo Pharaonis eduxisset; & ob id etiam mensium initia, denique feriæ omnes habebantur ijs diebus ac temporibus, quibus aliquod illis externum commodum contigisset. Neque populus ille agitationibus festorum appetebat aliud, quàm bona terræ. Deusque sese illi quodammodò accommodans, eadem illi pollicebatur, vt apparet è sacris libris: quamuis in ipsius etiam legis scriptis ad æterna cælestiaque illum sæpè erigeret, atque inuitaret. Idem populus cunctas cæremonias ad emolumenta vitæ huius referebat, aut ad expiationem corporum nudam: de animo nihil ferè cogitabat: carnem abluebat; nullam mentis habebat rationem. Neque ipsi Prophetæ poterant oculos eius ad cælestia vllo modo attollere: quamuis sæpiùs durissimè increparent. *Lauamini,* inquit Isaias: *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Et Christus toties eos homines obiurgat; vt cùm dicit: *Hypocritæ mundate quod intus est paropsidis:* & cum vocat eos sepulchra dealbata. Ampliùs præcepta ipsa diuina satis habebant, si facto tenus seruassent; de animo nihil curabant. quod latè exagitat Christus in Euangelio Matthæi illud pronuncians: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Et quod caput erat, cùm prædictum esset diuinitus à Christo, Diaboli caput conterendum, cunctis terræ tribubus ab ipso benedicendum; Hebræi tamen totam iustitiæ vim positã censebant in operibus, q̃ ipsi è præscripto legis

fecissent, Quocirca & ipsis Apostolicis temporibus cõtendebant, ferias & cunctas legis cæremonias retinendas. Petrus autem cùm sciret omnes legis ritus abrogatos, cælestia in humanum genus beneficia diuinitus per Christum collata, caput diaboli ab ipso contritum, gentibus benedictum, traditamque illi omnem in cælo & in terra potestatem, nullam rituum Mosaicæ legis habuit rationem, cùm Cornelium Christiano cultui cum sua familia conciliauit. Alij namque ritus erant sanciendi, quibus repræsentabantur beneficia, quæ Christus in nos cælitus aduexerat, & aduehit adhuc, vt per illos adspirare possemus ad diuinitatẽ. Hinc cunctæ sacramentorũ cæremoniæ in Euangelio, vt videbimus, similitudinem gerunt eorũ quæ Christo contigerunt. Et Paulus, contendentibus nonnullis festos dies Hebræorum celebrandos, sic ad Colossenses scribit: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi.* Sunt igitur antiqua illa corporis Christi vmbra. Et in eadẽ epist. Paulus vocat cæremonias antiquas elementa mundi huius: iisque nos mortuos dicit, innuens nostras cæremonias elementa esse non huius mundi adspectabilis, sed diuini: & exclamat in epistola ad Galatas, *Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos.* obseruantur enim dies, tempora, & anni, quoties obseruãtur ea, quæ temporibus istis subijciuntur, vt omnia terrena subiecta sunt. at quoties obseruamus ea, quæ nos ad æternitatem in primis perducunt, iam non tempora, sed immortalitatem, sed æternitatem spectamus & obseruamus. Ac bene Nazianzenus: *Festos dies,* inquit, *Iudæus etiam agit, verùm iuxta litteram: legem enim corpoream consectans, ad spiritualem legẽ non peruenit.* & post: *Feriamur ipsi quoque, verùm vt spiritui gratum est. gratum est porrò eam à nobis feriandi rationem iniri, vt eorum quoque quæ in rem sunt, vel aliquid dicamus, vel agamus.*

Col. 2.

Hoc igitur discrimen inter cæremonias antiquæ legis, & Christianæ religionis: illæ à terrenis plerumque, hæ à cælestibus donis habent ortum: per illas ob hominis imbecillitatem terrena, per has ob infusam nobis diuinitus virtutem cælestia appetimus: illæ vmbra, hæ corpus Christi: denique illæ non animum, sed corpus abluebant, hæ verò in sacramentis sic expiant animum, vt largiantur illi diuinitatem, qua possimus intelligere, velle, perficere diuina, Deo coniungi, vni fieri cum Deo. Audi Paulum: *Iuxta quam*

Heb. 9.

mu

munera, inquit, *& hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, tantummodò in cibis, & in potibus, & in varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis.* Audisti Paulum cæremonias legis ante quæ vocantem carnis iustitias? sic etiam scribens ad Colossenses, *Circumcisi estis*, inquit, *circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei.* Ob id duriter idem Galatas increpans, ait: *Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consumemini?* Baptizati erant illi, & spiritu cœperant, circumcidi volebant, ideo adijcit, *Nunc carne consumemini.* Et idem Paulus vrget in epistola ad Colossenses, abijcienda omnia sacramenta, ritusque Mosaicos; tenendum caput, qui est Christus, à quo per sacramenta diuinitas per omnia membra deriuatur; vt augeantur, euehanturque ad naturam diuinam; cui soli cùm viuamus, cæteris mortui sumus: sicut & Christus omnibus mortuus soli Deo viuit; per quem resurgens cunctis etiam sic viuit, vt illis vim cælestem communicet. *Nemo ergo*, ait, *vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tamquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaueritis.* Hæc Paulus.

Coloss. 2.

Gal. 3.

Tria verò nobis sunt hucusque dicta: è cœlo maximè ad terram fuisse Adami ruina genus humanum prostratum: deinde non subleuatum legis edicto: postremò à cæremonijs & sacramentis non potuisse illud sustolli, cùm terram semper spectaret, ad terrã cuncta referret: quamuis enim cæremoniæ bonę essent, lex bona esset; non tamen illa aut sciebat, aut poterat bene vti ob debilitatas à peccato, fractasq; vires. Bona esset, inquam; per eam namq; suam infirmitatẽ, peccataq; agnoscebat; per eam saltem metu pœnarum continebatur in officio; per eam perducebatur ad Christum cognoscendum, colendum, illiq; fidendum; quo lumen viresq; acciperet ad seruanda præcepta, beatitudinemq; suo tempore consequendam. Atque ita denique per eam gratia quærebatur ob fidem Christo venturo debitam. Hoc autem rursus nobis est latiùs aperiendum; simulq; quod dici-

Vide S. Aug. lib. de Spir. & lit. cap 11. & cont. Fau. lib 22. ca. 6. & cõtra duas episto. Pelag. c. 5. li. 4.

mus, enucleatiùs explicandum; probandumque quid sit, quòd sacramenta Christi nos efficiant diuinos. Igitur sciendum plurimos è gentibus olim consecutos æternam salutem, quamuis Iudæorum ritum non amplecterentur; vt in epistola ad Romanos scriptum reliquit Paulus, ibique Chrysostomus, quibus subscribunt SS. Dionysius Areopagita, & Iustinus. His satis erat, si crederent cælitus immissa fide vnum Deum; qui bonis pręmia omnem naturæ nostrę facultatem superantia, malis debitas pœnas exsoluendas præscriberet. Accedentem namque ad Deum opòrtet credere, quia ęst, & diligentibus se remunerator est, inquit Paulus. Amplius autem necesse erat, crederent, se remunerandos modo, qui magis Deo placuisset; atque ita implicitam saltem in Christum fidem haberent; cum non sit aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri; & nemo potest aliud fundamentum ponere; & qui audit à pàtre, & didicit, venit ad Christum. Idcirco & gentibus Deus voluit multifariam Christi notitiam aperiri per carmina Sybillarum, scripta Hermetis illius Trismegisti, oraculaq; alia, de quibus Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Arnobius, Augustinus, alijq; è nostris multi. Hæc igitur quicumq; cælesti lumine illustrati credidissent, Deumq; præ cunctis amassent, nemini fecissent quod sibi factum nollent; peccata si quę admisissent, ea diuini numinis auxilio detestati essent ex animo, id ingemiscentes in primis quòd Dei iura violassent; cruciatus æternos euadebant, suo tempore beatorum sedibus adscribebãtur: sed quoniam nullæ his certæ opes sacramentorum, lumen obscurissimum veritatis aderat, maxima erat raritas eorum. At Iudæis clarior diuinarũ rerum lux affulgebat, cæremoniæ multæ, sacramentum vnicum circumcisionis. Ideo gentibus præstabant Iudæi, numeroq; multo ampliore sanctorum, cælestiq; operum suorum dignitate. Ambobus Christiani præcellũt, quòd Christum propiùs attingant, in quo, inquit Paulus, omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter: per quem Deus omnibus terræ tribubus pollicitus est olim se benedicturum, quiq; adeò Christianis est præstò, vt illorum se visceribus intimis, intimisq; venis, ac medullis re vera per sacramenta immisceat. Idcirco quicumque baptismo initiatus est, is excellentiori gloria inter beatos cæli incolas amplificatur, quàm qui vel è Iudæis circumcisus est, vel aliter è

Verum discrimen inter antiqua, & nostra sacramenta.
S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7.
Vide Sot. dist. 1. q. 2. ar. 3.

Gentibus Deo conſecratus. Si quis tamen vel e Iudæis, vel è Gentibus poſtea graue aliquod ſcelus admiſiſſet, is niſi deteſtatus peccata ex animo Deum præ cunctis deinde amaſſet, non aliã potiſſimùm ob cauſam, quàm quòd amabilis eſt per ſemetipſum, deuoluebatur ad inferos, neq; erat amplius vllum ſacramentũ, quo diuinitas illi cõmunicaretur.

Quapropter proderat ob fidem Chriſto debitam, & implicitè ſaltem datam, circumciſio Iudæorum pueris; proderat gentib. quiuis ritus, quo ſuos Deo omnipotenti pueros deuouerent. At intelligentibus, niſi Deum cunctis, quę amantur ab ipſis, re vera præpoſuiſſent, nullum poſt labem flagitij contractam ſuperat ſacramentum, quo vis amandi Deum præ cunctis infunderetur. At Chriſtianis plura ſunt ſacramenta, quæ poſſunt ſæpiùs iterari: atque illa peruadunt animum, diuinitatemque intimè illi admiſcent. Quocirca ſi quis poſt baptiſmum auerſetur patrata piacula, exiſtimetque ſe Deum præ cunctis amare, ſed res non ita ſit: lateat in abditis animi latebris amor alius, qui præponderet amori Dei, fugiat hoc tamen amantem: hic poteſt accedere ad aliqua ſacramenta Chriſti, & ex attrito, vt aiunt, fieri contritus, primam conſequi gratiam. Sunt enim Chriſtianis præter baptiſmum plura ſacramenta; Iudæis præter circumciſionem, Gentibus præter eum ritum, quicumque à parentibus legitimè eligeretur, quo ſuos Deo pueros offerrent, ſupererat nihil, quo gratiã ſibi diuinam certò conciliarent. Qui tamen è Chriſtianis aduertit, in quo Deum poſthabet alij rei, neceſſe habet ſe ab ea diuellere. alioquin prudens ſciensque Deum repellit à ſe, fruſtraque accedit ad ſacramenta.

Quid eſt verò in cauſa, quòd ſi latet ipſum huiuſmodi amor, ope ſacramentorum Deo copulatur? Quia per ſacramentorum vim latenter irrepit in eius animũ numen æternum, & illi ſeſe per omnia aſſociat, fugat inde adulterinum amorem, quaſi per inſidias, vel perficit imperfectum, inſcio ipſo amante: cuius cor quamuis nihil aliud ſecum cogitet, aut ſtatuat, emollitur; vt transferri poſſit continuò ad Deum in effectu ante omnia amandum: imbibit altiſſimè hanc poteſtatem, hãc animi affectionem, hunc amorẽ Dei excellentiſſimum. Hoc igitur diſcrimen inter veteres noſtraſque cæremonias: Priſcis erat ſola circumciſio, qua Iudæi dumtaxat vti ſolebant. Nam cæteræ gentes, quibus via beatitudinis æternæ nota erat & aperta, non habebãt ritum

aliquem præcipuum, quo sibi pueriſve ſuis gratiam diuinam certò conciliarent: ſat erat, ſi quo ſigno religionis externo ſuos infantes vero Deo conſecrarent. Quæ tamen Iudæorum circumciſio, Gentiumque ritus, non ex opere, vt aiunt, operato diuinã gratiam conciliabant; ſed ex opere, quod operaturus erat Chriſtus, cui neceſſe erat implicitè ſaltem fiderent vniuerſi. Duabus porrò his cæremonijs exceptis, ſi quando incidiſſent in offenſionem Dei, non habebant vllum ſacramentum, quo redire poſſent in gratiam. Neceſſe habebant, odio ſummo haberẽt præterita delicta; ſtatuerent illa ante alias res vitare; Deum præ cunctis diligerent, non ob aliqua potiſſimùm præmia nanciſcẽda, aut pœnas fugiendas, ita vt in cauſa præcipua amoris ſit ſpes, aut metus; ſed ob merita in primis, dignitatemque ipſius Dei. Hic amor ſi aberat ab illis, per nulla ſacramenta in animos eorum deriuabatur. At Chriſtianis multa ſunt ſacramenta, per quæ poſſit amor huiuſmodi influere in animos eorum; modò ſint, vt diximus, attriti. Meritò igitur Paulus vetuſtos ritus vocat iuſtitias carnis, Petrus autem depoſitionem ſordium carnis: Sacramenta verò noſtra, verbaque eorum, ſacramenta, & verba vitæ, ac ſpiritus vocantur, lex Chriſti, lex vitæ, ac ſpiritus.

Operum ſtudium eſt ſalutem neceſſarium. Duobus modis homo iuſtificatur ſine operibus legis. Primo contritione perfecta: Secundo ſacramentorum perceptione, cùm fuerit attritus.

CAP. X.

Operum ſtudium ad ſalutem neceſſarium.

VErùm nobis ad explicandam tantæ rei veritatem opus eſt exordio paulo altiùs repetito. Conſtat autem naturæ humanę felicitatem perfici coniunctione voluntatis noſtræ cum voluntate diuina, non quauis, ſed ſumma: alioquin nihil eſt, quod Deo non ſit aliquo modo coniunctum; quando omnia pendent ab illo. At ſi nihil à nobis Deus vellet, nulla in re fieret iſta adhæſio, ac proinde ipſa eſſet proculdubio nulla. Neceſſe eſt itaque, maxima velit, vt maximè illi adglutinemur. Hinc tota mente, ac totis viribus iubemur illum amare. Quod adeò verum, vt ſi mihi fides ſit, qua montes transferam, omnium ſcilicet perfectiſſima; tamen niſi mihi ſit caritas, nihil ſim.

I. Argumen.

II.

III.

1. Cor. 13.

Præ-

Præterea si non modò omnium sit excellentissima fides; sed omnium mysteriorum scientia, ipsorummet cælitum cognitio, quam Paulus vocat Angelorum loquelam; nihil mihi prodest. Quid plura? ponamus, me in maximis meam voluntatem meaque facta diuinæ voluntati subijcere: nisi tamen ea velim pro Deo, aut in alijs maximis, grauibusque velim Deo parere; nihil sum. Hoc apertè Paulus dixit. Quid enim præstantius, quàm se flammis dedere, facultates suas omnes in cibos pauperum distribuere? & tamen nisi in reliquis grauibus velim Deo parere ipsius causa, idest, nisi illum præcunctis amem, nihil sum. Hinc Christus ait, frustra fore, vt plurimi inanem fidem iactēt in die Iudicij dicentes: *Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & nomine tuo dæmonia eiecimus?* Nam nisi opera misericordiæ ediderint, ad inferos deuoluentur. Ad summam Paulus inquit: *Dei sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Non igitur in fide sola. Quid? an Paulus dumtaxat hoc dicit? Audi ipsum Christum: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Hæc à Christo dicta refert Ioannes eo tempore, quo iam Simon Magus, cuius nunc sunt sectatores impurissimi hæretici, asseuerabat, nihil opus esse operibus, vt Irenæus scribit. Nimirum nisi velit aliquid à nobis Deus, nulla in re voluntas illi nostra coniungetur. Sed quoniam cupimus omnium maxima, in maximis necesse est nostra voluntas diuinæ voluntati adhæreat. An non hoc idem Christus dixit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ac ne quid iustitiæ tibi commentitię somniares, recenset ibidem Christus ipsa Decalogi præcepta, quorum summam à nobis exigit obseruantiam; ita vt, quod alibi nobis præcipit Apostolus, abundemus in omne opus bonum. Deniq; exemplum nobis Christus dedit, vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Et ipsemet dixit, quia non venit soluere legem, quantum ad mores, sed adimplere: & passus est pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamur, inquit Petrus, vestigia eius, qui dixit: *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est* Quid igitur venditant contaminatissimi homines vmbratilem quandam fidem?

IIII. V. VI. *Matth. 7.* VII. *Ephes. 2.* VIII. *Ioan. 14.* IX. *Matth. 5.* *2. Cor. 8.* X. *Ioan. 13.* *Matth. 5.* *1 Petr. 2.* *Matth. 5* XI.

Sed tamen ne desperes, audi nunc inexcogitabilem Dei benignitatem in genus humanum. Plantauerat ab exordio

mundi, vt diximus, Deus in medio Paradisi arborem vitæ, vt de illius fructu edens Adamus eiusque posteritas, si in fide & obedientia perstitisset, vitam sibi immortalem compararet. Violata fide, cum genere vniuerso suo à diuinis ijs locis est expulsus, aditusque interclusus ad arborem vitæ. Ad maiora Deus nos vocat, ac restituere vult ad altiora. Plantauit itaque in medio Ecclesiæ, quę est instar Paradisi, quasi arborē vitæ, arborem crucis, merita scilicet Christi, quæ in cruce potissimum eluxerunt, vt ex illius arboris fructibus nos sumentes reparemur ad æternam cælestemque vitam, multo nobiliorem, quàm ea, in qua erat Adamus, reparemur autem primùm animo, deinde corpore, vt disseruimus. Crucem verò esse arborem vitæ, fuit adeò priscis notū, vt Aegyptij signo hieroglyphico crucis, vitā venturam notarent. Quocirca scribunt Socrates & Sozomenus, Theodosio magno imperante euersum fuisse templum Serapidis Alexandriæ, inuentosque lapides quibus erat crux insculpta: quod cùm plurimi è gentibus à Christo alieni vidissent, agnoscentes hieroglyphicum signum, Christo nomen dederunt. Iam verò cùm Christus sit in sola Ecclesia sua, hæc arbor in sola Ecclesia Christi erit veluti in Paradiso. Hæretici non sunt in Ecclesia Christi: quòd Adami exemplo non credant, fidem non habeant est igitur illis occlusus aditus ad hanc arborem: Catholicis non ita, quia credunt, & inesse putant vitam seruantibus mandata. Dixit enim Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; &, Hoc fac, & viues.* neque deterrentur, quamuis idem Christus apertissimè asseruerit, *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Hæretici igitur omnium longissimè vnà cum Simone Mago suo distant ab hac arbore vitæ, obseptæ illis viæ sua culpa: non modò quia nulla illis fides, nunc enim nolo hac de re disseramus, sed quia nolunt parere, aut cōtendunt non esse necesse parere mandatis, exemplo Adami, & non arctam, sed latissimam sibi omniū viam comminiscantur, satis est, inquiunt, Christo fidas. At Catholicis, q̄ arcta est sui natura via, per alios ex Ecclesia maximè dilatatur. Vt enim videbimus clarissimè, in Ecclesia Dei, quæ nostra est, fulgent semper, qui cruce sua sublata Christum sequentes ad summum peruenêre omnium virtutum. Hi communicant omnia sua infirmioribus, exemplo Christi, adimplentes, inquit Paulus, quæ desunt passionum Christi in corpore suo, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Hinc fit.

Soc. l. 7. c. 15
Soz. l. 5. c. 17
Matth. 19.
Matth. 7.

fit, vt quamuis plurimi ex Ecclesia, non sint perfecti sicut pater cælestis, non faciant quemadmodum Christus fecit, non sequantur in patientia eius vestigia, non seruent mandata in effectu, non diligant præ cunctis Deum; ac propterea, vt Ioannes ait: maneant in morte, redire tamen ad vitam possint, sumere ex hac arbore vitæ, atque ad iustitiã initiari sine vllis operibus legis.

Nam veluti scribitur Deus ambulasse in Paradiso ad auram in meridie, & Adamum vocasse, sic Deus idem spiritu suo, diuinitatis aura ardentissima & lucentissima instar meridiei, permeat intimè Ecclesiam, & quicumq; in ea sunt, magis minúsve illos peruadens, quò sunt ab arbore vetita remotiores, à violatione scilicet mandatorum ipsius, & vocat qui mandata fregerunt, vt agnoscant culpam suam, veniam petant: ex animo, ob amorem Dei potissimum, crimina admissa detestati, statuant illa in posterum euitare, atque ita redeant ad vitam. Quid agent hìc Hæretici? Illud idem ad vnguem omnino, quod infelix Adamus: aiunt Deum scelerum omnium auctorem, Adami dictum vsurpant, Mulier quam dedisti mihi. Hoc enim est superbi cuiuslibet, crimen suum non agnoscere, illius culpam semper auertere in alios, & maximè, nisi in Deum, saltem in præfectos, qui Dei personam tenent, aut aliam quamuis rem. Quid verò Catholici sanæ mentis facient, quos aura diuinitatis in meridie, quo passus est Christus in Ecclesia cubans ac pascens, vt est in Canticis, intimè perflat: neque enim sunt eiecti ex Ecclesiæ Paradiso, vt hæretici? Audiunt Deum vocantem, & instar alicuius maximo amore flagrantis, qui diu ad ostium pulsans multas noctes exspectarit, exclamantem: *Aperi mihi: nam caput meum plenum rore, & cincinni guttis noctium*: audiunt inquam aliquando, scelera patrata detestantur, constituunt in posterum vitare, Dei mandatis per Ecclesiam promulgatis obedire ob ipsum in primis Deum; ac protinus sine vllis meritorijs operibus legis iustificantur, sumunt ex arbore vitæ, redeunt ad vitam.

Quòd si millies in die Dei iussa frangant, & repetant idem propositum, millies iustificabuntur sine vllis, vt diximus, operibus legis. Ac si in eo proposito manentes continuò moriantur, neq; potuerint opus vllum efficere, aut res non exegerit, euolabunt illi in cęlum. Quòd si opera diuinis mandatis consona ediderint, non propterea ex illis

ope-

operibus iusti dicemur; potest enim quis eadem efficere, sed non eodem animo, qualem dicit Paulus dare corpus suum vt ardeat, distribuere omnes facultates suas in cibos pauperum. Iustitia, sicut & virtus omnis, ex animo in opera, non ex operibus in animum traducitur: & quamuis inflammemur adspectu, & affectione illorum; flamma taman caritatis intus exardescit; atq; ita numquam ex operibus legis, tamquam ex operibus legis, iustificamur: sed quia ex caritate diuinitus infusa operamur, idcirco iusti sumus. Prior voluntas amore diuino succensa in opus tendit, & quamdiu persistit in eo, iustitiam sibi parit, animo sibi sumit de fructu vitę, subijciens se Christi exemplo cuiuis rei tolerandæ; atque ita priusquàm meritorij moliri possit, iustificatur sine operibus legis; & postquàm venit ad opera, in ijs conficiendis, non tamen ex ijs operibus, iustificatur.

Verum enimuerò admirare ampliùs Dei summam benignitatem, qui voluit omnibus modis infirmitati humanæ consulere. Potest enim fieri vt aliquis detestetur admissa scelera, nolit admittere in posterum, non tamen hæc agat in primis ob Deum, quamuis ipse se agere in primis ob Deum putet; atque ita non concepit animo ardentissimum illum amorem, quo Deo cuncta posthabeat: metus, aut spes alicuius rei potissimùm est in causa, vt moueatur. Deus igitur, vt huic opem ferret, voluit ex arbore vitæ è cruce Christi existere sacramenta; ad quæ si quis accedit, excellentissimus ille amor in eo ingeneretur, etiamsi nihil aliud noui, quàm quæ suprà diximus, tum cogitet. corroboratur enim animus sumentis aduersus cuiusuis rei spem vel metum, vt Deus in primis, non hæc ipsum contineant, & ad noua cõsilia & opera Deus ante omnia sit illum moturus, vbi vsus venerit, non aliqua res creata. Atq; ita iustificatur alio modo sine operibus legis.

Viginti argumenta explicantur, quibus ostenditur per per sacramenta infundi gratiam primam ijs, qui bene dispositi sunt & animati.

CAP. XI.

Aduersus hæreticam opinionem.

I. Argumen.

QVocirca detrahunt summæ Dei bonitati, quicumque dicunt ineptissimè & hæreticè, per sacramenta tantum

tùm fieri, vt excitemur ad nouas deliberationes, ex quibus postea iusti simus; quasi obiectu suo nos illa maximè moueant sensus pulsando. Quid enim foret opus statis verbis ac signis, quæ non licet immutare in sacramentis? an non viri auctoritas, & sermo eloquens magis ad hoc conduceret? Quid opus esset illa sumere? an non satis esset longiori tempore illa videre? An non videmus vnicuiq; hoc ingenitum, vt pictura, aut aliquo huiusmodi magis excitetur, quàm præfinitis ad vnguem omnino verbis & signis? Igitur si quis pictura caperetur, præstaret ante oculos illius ponere sacramenti picturam, aut plurimos videre, quibus administrarentur sacramenta.

II.

III.

IIII.

V.

Assertionis Catholicæ.

I Argumen.

Nos igitur asserimus vnà cum Ecclesia catholica, priùs admirabiliter sacramentorum vi vitam caritatemque diffundi in cordibus nostris; deinde, si opus sit, & mentis vsus adsit, nouas cogitationes exoriri, noua studia. Atque huc propiùs respexit Paulus, cùm dixit hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Quocirca quòd volunt hæretici, vt sacramenta sumens excitetur ad nouum fidei suæ cogitatum, iam volunt ab ipso hoc opus intimum fieri, hanc illi legem præscribunt, atque ita non sine operibus iustificari. Nos non ita; satis habemus, si is non afferat vllam criminum vel admissorum, vel admittendorum voluntatem, depulerit à se illam. In ipso momento sacramẽti sumendi nullum prorsus opus exigimus; quamuis desideremus ac laudemus, & ad id excitemus sumentem, dicamusq; opus esse vt pro virili contendat. Hinc legem Christi, legem vitæ vocari multis in locis scimus. At isti volũt obiectu sacramentorum fieri, vt ea sumens excitetur. Quid si igitur non excitetur, vel clamantibus multifariam, monentibusque sacramentorum ministris? Non igitur iste per Christum reuiuiscet? Non reuiuiscet, aiunt hæretici. Nos contra: quia lex Christi per se habet vt sit lex vitæ, etiamsi nihil ad illam vitale aut meritorium nos afferamus ex animo nostro. quòd si necesse esset vt afferremus, non per se, sed per nos esset lex vitæ; per nostra, quamuis aliunde excitata, nobis esset lex vitæ. Primò igitur ac proximè Christi lex sacramentorum vsu nobis vitam largitur, ex illa; deinde vita nouæ deliberationes, ac verè cælestes & vitales nobis enascuntur. Eodem modo lex Christi vocatur lex spiritus; quòd scilicet qui nullis verbis, nullis rebus, quæ sensibus aut menti obijciuntur, adspirare vllo modo

II.

Roman. 8.

2. *Corint.* 4.

Ephes. 4.

1. *Pet.* 3.

1. *Ioan.* 1.

III.

1. *Ioan.* 3.

possunt

possunt ad assequendam diuinitatem, possint illi per aliquod à Christo institutum, quod est perceptio sacramenti. Ponimus enim contingere obiectu nullarũ rerum, quæ sensus aut mentem feriant extrinsecùs, istum spirare diuina, qui sumit sacramentum. Per ipsum deinde sumptum efficitur, vt iste Christi legibus seruandis ob amorem Dei potissimùm se subijciat: alioquin Christi lex nihil haberet, quod per se spiritũ daret; atq; ita verè lex spiritus nõ esset.

At, inquiunt, excitatur ad nouum cogitatum per sacramenta. Ecquando? num priusquàm sumat? num cùm sumit? Nos ponimus, sæpè contingere, vt neq; vtroq; tẽpore: hoc namq; euenire interdum, negari haud potest. Nisi dicere velimus, omnes omnino, qui baptizantur, aut aliud percipiunt sacramentum, assequi beatitudinem æternam, fieri iustos: aut nisi certò sciremus plurimos persistere in ijsdem cogitatis. Quamobrem nos dicimus, simul atq; aliquis aliquod sumpsit sacramentum, ex illo haurire vim, vt

IIII.

cogitata pristina, quæ Deum potissimùm non respiciebãt, respiciant quasi oculo mentis obdormientis in Deum cõuerso, atq; ita corroboretur homo, vt in primis à Deo moueatur, non ab vllius rei spe, vel metu. Rectè igitur eadem

V. Rom. 4. 5. 6. Ioan. 1.

lex vocatur lex gratiæ; quòd habeat aliquid omnino, per quod pxoximè ac primò mortales Deo fiant grati, à quibus nihil poterat elici, aut extorqueri adhibitis verbis, vel vllis propositis rebus, quod Deo gratum foret, ac cęlesti vi ta dignum, nisi postquàm sacramento sunt aliquo delibuti. Ob eamdem similiter causam lex amoris appellatur, quòd scilicet amori nostro, q. nulla ex re à nobis quoquomodo profecta tantum robóris habeat, vt Dei potissimùm respectu consisteret aduersus omnem metum spémve, adatur tantum roboris per sacramenta, etiã si non haberet cùm sumpsit, tamen habeat ex quo sumpsit, vt nullius spei metúsve obiectu necessariò commoueri aduersus mandata Dei possit, aduersus Dei amorem supremum. Atq; hoc est verè iustificari gratis per gratiam Christi, quod aiebat Paul⁹, cùm scilicet nihil nostri meritorium omnino est, ex

VI. Rom. 3.

quo iustificemur. Sed primò iustificamur per sacramenta Christi, nullo nostro mentis ad id sufficenti motu præcedente, deinde excitamur ad opera diuina, ac cælo digna: atque ita motus subsequitur sacramenta per nouam cogitationem: quamuis neque hoc aliquando oporteat, vt si protinus moriar. Excitent igitur quantumuis verba quæ-

uis, ac ritus obiecti; si quid illis vitale adsociem meum, iam non gratis iustificor; tū verò gratis, cùm nihil est meum, ex quo sim iustus; cùm per mea non possim pertingere ad iustitiam, nisi ex quo robur intimum puritatemque à perceptis sacramentis hausi.

VII. Quid verò est, quòd passim Paulus vocat ministros noui testamenti, ministros vitæ, spiritus, gratiæ? Num quia suis verbis annuncient legē Christi? Quid si igitur nihil proficiant? Non possint vllis omnino verbis summum Dei amorem, quo scilicet præ cunctis ille amatur, inspirare & creare in animis nostris? Non erunt ministri gratiæ, vitę, & spiritus? Erunt per sacramenta: quib. bene animatos eo quo diximus modo inflammabunt, ad vitam reuocabunt, Deo gratos; diuinitatemq; spirantes efficient, nō adhibitis vllis rebus suis, sed illis dumtaxat, quæ certa formula verborū, rerumq; certarum interuentu diuinitus præscripto continentur; ita vt omnino hîc sint ministri, nihil addentes de suis vel verbis, vel rebus, quæ indubitatè possint creare spiritum, gratiam, vitam. In concionibus habendis sat est, si seruemus sensa, certis verbis ac prǽfinitis, rebúsve huiusmodi ad explicanda diuina non adstringimur. in sacramentis non ita: sumus ex omni parte ministri gratiæ, spiritus, ac vitæ: quia diuino munere per nos fit omnino, vt ministrātes sacramenta infundamus percipientibus, eo quo diximus modo, diuinitatem, ad quam non poterant illi suis viribus anteà peruenire, quàm sumpserint sacramenta.

VIII. Quòd si numquam contingit, vt homo producat ministerio solo vitam, gratiam, spiritum; numquam continget, vt verè simus ministri gratiæ, spiritus, ac vitæ. Ob eamdem similiter causam, vt suprà vidimus, Ecclesia vocatur sponsa, atq; eius respectu synagoga vocatur ancilla: ꝙ Ecclesia maximè suo iure sic filios Deo pariat, vt nihil meritorium de suo apponant ad sui creationē, ad se constituendos Dei filios, quod maximè euenit, cum nullo meo cogitatu, impedientia tantum repellens factus sum iustus, factus sum filius Dei, sed sola sacramentorum perceptione, quæ Ecclesia administrat: alioquin sponsa Christi dici, & mater nostra non poterit, cùm sciamus fœtum nihil habere de suo, quo creetur, antequam creetur. Eò similiter respicit, quòd dicimur renasci: at nemo habet ex se, vt nascatur; ac sit, quod ait Paulus, noua creatura: id habet à parentibus totum; matre quidem præbente materiam, quæ informetur;

IX. *Ioan. 3. 1. Petr. 1. 2. Cor. 5. Galat. 6.*

patre

patre autem vim formandi genetrici commodante, quod ſupra dicebamus. Ecquando igitur poterit omnino dici, impios Chriſto renatos, nouas eſſe creaturas, ſi per ipſos factum vt renaſcantur, & ſint nouæ creaturæ, quod verbi ipſius ſignificationi repugnaret?

X. Cap. 13.

Ac meritò Zacharias futurum cecinit, vt ex quo aduenerit Chriſtus, *ſit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris, ac menſtruatæ*, quæ verba referunt Hieronymus ac Rupertus ad baptiſmum; ſed generatim dicta complectuntur quaſcumque res, quibus peccator abluatur: fontis autem nomine continentur; quòd fons ſuas habeat aquarum venas, quibus abluat, non illas aliunde adſciſcat: & ſacramenta ex ſe habent, vt abſtergant nos à ſordibus, quamuis in nobis id verè non ſit, quo abſtergamur: mox fit, vt acceptis ſacramentorum lotionibus exiſtat in nobis fons ſaliens, vt aiebat Chriſtus, in vitam æternam. Eodem reſpexit Deus, cùm per Ezechielem dixit ſe nobis daturum cor nouum. Priùs itaque dat cor Deus; poſtquàm verò dedit, mouebitur illud ad nouas cogitationes. Quid verò ſi moriar antequàm poſſit ſe illud mouere, antequàm prorſus excitetur? Non igitur Deus dedit? proculdubio dedit, cùm ſumpſi ritè attritus aliquod ſacramentum; licet protinùs abſcedã ex hac vita. Priùs itaque eſt cor, deinde motus, non contrà. Priùs intimè inſpirata diuinitus vis amoris diuini, gratia cæleſtis; inde, niſi priùs moriar, ſi res exigit, nouæ cogitationes, noui effectus extrinſecùs: quòd non poteſt fieri niſi per ſacramenta. In alijs namque omnibus euentis aut priùs cogitationes, dein gratia, aut vtrumque ſimul, vt cũ ad verba alicuius fit diuinitus, vt ego præ cunctis amem Deum: quod quamuis diuini ſit etiam muneris, tamen & hoc etiam neceſſe eſt ab eodem Deo fiat (ne mendax ſit) vt aliquando cor ſit nobis, deinde motus: alioquin non cor eſſet, quod in cunctis animantibus eſt motu prius. Idem ſibi voluit apud Hieremiam Deus, cùm dixit ſe ſcripturum in cordibus noſtris legem ſuam. Scribet igitur Deus, non nos: nos ſcriptam legemus mentis oculo, cogitationes appictas à Deo percurremus, & illis aſſentiemur, ſi tempus ſit, ac res exigat; ſin minus, ſcripſit tamen anteà Deus. Nos haud deleuimus vlla ſceleris noui litura. Euolabimus itaque in cælum, ſi priuſquàm deleamus, aut legamus, vita migremus. Atque hoc fieri numquam poteſt, niſi ſumptis ſacramentis. Nam qui modus inuenitur in ſacra ſcriptura,

XI. Cap. 36.

XII. Cap. 31.

sanctorum scriptis, Ecclesiæ traditione, quo id contingat, nisi sumptis sacramentis?

Ob eam causam minister profert verba sacramentorum ex ipsiusmet Christi persona, inquiens: Ego te baptizo: Hoc est enim corpus meum. At cùm de rebus diuinis verba facit, aut alioquin diuina tractat, licèt personam Christi sustineat: non tamen ex illius persona verba pronunciat. Quid ita? vt sciamus nihil diuinius sacramentis, in quibus ab ipsomet Deo volēs mouetur sacerdos ad verba præfinita pronuncianda ex ipsa Christi persona. Nūquid enim cum sacerdos dicit, Hoc est corpus meum, de suo intelligit? nihil minus. Sicut igitur Christ⁹ Deus semetipsum magis exhibet in administrandis sacramentis, sic omnib. modis præsentem facit, sic est necesse per illa magis operetur, quàm per aliam quamcunq; rem, & aliquid omnino speciale ac singulare. Singularissimum namq; est in sacramentis, vt ita velit Christus omnia fieri ex sua persona. Cùm cōtingat itaque ex multis alijs, vt Deus nouis cogitationibus immissis aliquem recipiat in gratiam suam, vt aliquid omnino singulare sit in sacramentis, necesse est dicamus per illa euenire interdum, vt neque alijs cogitationibus antea præcedentibus, quàm quæ sunt attritis, restituatur aliquis in gratiam Dei. Igitur bene Paulus vocauit sacramentum baptismi, & impositionem manuū Christi inchoationem; nihil est enim inchoatione prius, & nihil amore. Ex illo cogitationes. Ante cogitationes inchoatus Christus per sacramenta. Non itaq; est illis opus ad inchoandum Christū in nobis. Desiderandæ proculdubio, ac laudandæ, sed nisi adsint, Christus tamen est inchoatus. An non ita cū baptizatus sum? & similiter cum mihi manus imponuntur, quod fit in reliquis ferè sacramentis? Quocirca licet adhuc argumentari apertissimè: Puer nullo cogitatu ex iræ filio fit filius Dei, quamuis nihil statuat secum noui, nisi post aliquot annos, nihil prorsus cogitet, cùm tamen cælū petat, si interim moriatur. Eodem modo qui filius est iræ ob aliquod crimen, sumpto aliquo sacramento, si ritè sit attritus fiet Dei filius. Vterq; enim, tam puer, quàm adultus, est iræ filius, vt ponimus, vterq; sumit sacramentū: adultus aūt præter hæc de suo confert attritionem, & bonā quamdam voluntatem, vt diximus: quod puero non contingit. Adulto igitur magis aliquid esset cōcedendum. Nihil concedatur: sit eadem conditione. Ergo quemadmodū puer à Deo reci-

XIII.

XIIII.

Heb. 6.

XV.

pitur in gratiam sine vlla ipsius cogitatione; hic aliquando adultus, sumentibus ambobus aliquod sacramentum: Sacramentis enim singulis eadem vis, quo ad hoc, vt nos Deo gratos efficiãt, diuersa quo ad alias functiones. Quin Eucharistia, cùm Christi corpus contineat, amore diuino longè ardentiùs, quàm cetera sacramenta nos inflammat. Quid? nónne lethargo oppressis sunt administranda sacramenta, etiamsi numquam sint ad sensus suos ac mentem redituri, modò verisimile sit eos attritos, aut anteà desiderarint illa? Ita certè faciendum monet Concilium Carthaginense quartum, Arausicanum primum, Augustinus de adulterinis coniugijs, & Leo ad Theodosium: quin Augustinus alibi refert quemdam baptizatum, dum positus esset extra omnem sensum, & quid sibi fieret, ignoraret, qui tamen maximo suo bono est baptizatus. At hi nullo modo excitari possunt ad aliquid noui mente sua constituendum. Non est igitur id vllo modo necessarium; ac per se aliquid efficient sacramenta: alioquin frustra adhiberētur.

XVI. — Cap. 76. Cap. 12. Cap. 26. 28. Lib. 4 ca 4. Leo epist. 91.

Age verò, Paulus inquit, *Vnum corpus sumus, quia de vno pane participamus.* & rursus: *Omnes nos in vno spiritu in vnum corpus baptizati sumus.* Igitur per Eucharistiam & Baptismum sumus vnum corpus: atque ita priùs sacramenta sunt, deinde vnum corpus: alioquin non à sacramentis oriretur vt essemus vnum corpus, ac frustra illorum mentio fieret, & iis coniunctio attribueretur magis, quàm multis alijs rebus, vt fidei, verbo diuino, aut alijs huiusmodi, quibus fit vt in idem conspiremus. Quod verò Paulus inquit de Baptismo, & Eucharistia, idem de reliquis sacramentis affirmandum. Sed meminit in primis horum duorum, quòd baptismus quidem sit omnium primum sacramentum, Eucharistia summum, à quo pendent, & ad quod omnia referuntur: atque ita duobus hisce, veluti principio & fine, cuncta sacramenta Paulus conclusit: quamquam fuerit & illud in causa, vt non omnibus attribuerit Ecclesiæ cōiunctionem, quòd quædam sunt non singulis communia, vt Ordo, & Matrimonium: non enim cuncti hæc ineunt. Oleo verò sancto perunguntur, qui in extremo vitæ tantùm sunt constituti. Quocirca & alibi eamdem coniunctionem tribuit sacramento Confirmationis, cum dicit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo. & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Quæ verba

XVII. — 1. Cor. 10. 12 — 2. Cor. 1.

de sa-

de sacramento confirmationis intelligenda esse suo loco docebimus; igitur per illud fit vt simul in Christo confirmemur. Adscribit alibi idem sacramento Pœnitentiæ, cùm monet Timotheum, *Nemini cito manum imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* quæ verba referenda ad absolutionem confitentis declarabitur. Communicamus itaque per illud alijs; fitque quædam communio, & cohæsio. Quæ si primò nasceretur ex alia quacumque re, nō istis sacramentis referretur accepta, sed illi rei, per quam contingeret. Accedat ad hæc illud. Quæ nos vocamus sacramenta, Græci mysteria. Hinc Paulus: *Sic existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* quo in loco verba facit de sacramentis potissimùm, & in his de baptismo. Cur autem mysteria, cur sacramenta speciatim vocantur, nisi quòd per illa intellectus noster, qui fide, & voluntas, quæ caritate adornatur; habet quidquid est occulti, quod verbo mysterij notatur; quidquid est sacri, quod nomine sacramenti? Non igitur maximè per aliam rem. Atque ita sacramentorum vis precedit omnibus factis, cogitatis, & nostris, & alienis: alioquin temerè vocarentur ab Apostolis ac sanctis speciatim præ cunctis sacramenta & mysteria, nisi præ cunctis id efficerent, quod vocabulo notatur.

1. Tim. 3.

XVIII.

1. Cor. 4.

XIX.

Illud porrò considera, cunctos ritus, sacramenta, sermones, præcepta eò tendere, vt caritas in cordibus nostris diffundatur: vt ex ijs constat, quæ in principio capitis huius disserebamus. Nam finis præcepti caritas, plenitudo legis dilectio; & in hoc præcepto cuncta instaurātur, ait Paulus. Caritas porrò nō est in intellectu, sed in voluntate: hæc verò caritas per solum Spiritum sanctum diffunditur in cordibus, per solum Deum qui ob id caritas vocatur. Sat est igitur, si intellectus cogitationibus ijs, quas attritio parit, fuerit informatus. Ex ijs nullo modo vmquam nascetur caritas, nisi illam Deus voluntati inspiret. Quid igitur efficient sacramenta? numquid parient easdem cogitationes ac deliberationes, quas peperit attritio? sed frustra ad hoc adhibebuntur: eodem namque semper recidemus. Necesse est igitur per illa Deus spiritum, vitam, iustitiam, gratiam, caritatemque nobis immittat; inde noua prorsus, ac diuina, & verè cælestia consilia sequentur: non contrà. Quòd si tempus non patiatur, morte intercedente, ac præcepto mentis vsu, vt illa non concipiamus; nihil refert.

Iam voluntas est inflammata diuini amoris intima accensione: vt aliquando, siue dum corpori sumus alligati, siue ex quo vinculis illius exsoluti sumus, in illud bonum, quò occultè iam cœpit, mox per inspiratam caritatem tendere efficaciter & apertè possit, quod intellectus voluntati, non efficaciter tamen, anteà prætendebat. Atque hoc est opus operatum, quod sacramentis attribuitur, non nobis; illa operātur, haud nos. Hinc solus Deus sacramenta instituere potest.

XX.

Hom. 34. in Ezech.

Rectè igitur S. Dionysius Areopagita, quem venerabilem & antiquum patrem vocat S. Gregorius Magnus, scriptum reliquit libro de Ecclesiastica Hierarchia, per sacramenta effici homines diuinos scientia, actione, & perfectione; coniungi penitus Deo. Et vetustissimus ille auctor de baptismo Christi inter opera S. Cypriani: *Verborum solemnitas*, inquit, *& sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant sacramentum: rem verò ipsam spiritus format & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo, & sanctificationibus officialibus infundit; & rem sacramenti consumat & perficit.* hæc ille, apertè asserens sacramentis administratis infundi plenitudinem gratię, ac rem totam formari & effici à Spiritu sancto. Hinc S. Augustinus: *Sacramentorum vis*, inquit, *in enarrabiliter valet plurimum*; & de sacramento circumcisionis, à qua argumentatur ad nostra, sic scribit: Ipsum per seipsum plurimum valebat, nimirum propter fidem in Christum.

Libr. 19. contra Faust. cap. 2.

Ex his igitur in vniuersum (nam de singulis postea suo loco) probatur in Ecclesia Dei esse aliquod, quod per seipsum nobis ingeneret diuinitatem, quasi arbor vitæ in medio Paradisi: illud verò, quodcumque sit, sacramentum vocamus, veluti fructum crucis, ac laborum Christi. Ob id in cuiuslibet sacramenti confectione speciatim notatur aliquid ac fit, quod euenerit Christo, cùm vixit, ac passus pro nobis postea resurrexit. Mirum verò quàm stulta proferant aduersus has definitiones hæretici. Omnia concluduntur eo, quòd in multis scripturæ locis asseritur nobis esse vitam, salutem, spiritum, gratiam, iustitiam, per alia, quæ sacramentis non adnumerantur: atque ita ingeniosè admodum more suo coligunt: Ergo non per sacramenta. eodem modo colligere poterant: Non per Patrem, Filiū,

&

& Spiritum sanctum, aut quidquid adhæc propiùs accedit. Fatemur quod aiunt, sed per sacramenta maximè, vt ostendimus; per quæ sic datur vita, vt pertingant ad id, ad quod nulla res peruenire potest, nisi solus Deus, qui solus est auctor & institutor sacramentorum, ac solus Spiritũ sanctum diffundere in cordibus nostris potest.

Homo Christianus renascitur per baptismum, quod vndecim noui testamenti locis explicatur.

CAP. XII.

NVnc appositè videndum est, quo sacramento veluti semine diuinitus excepto nos Ecclesia producat in lucem, Deique filios gignat. Disertè hoc Christus dixit. *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei*, & mox: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* quæ verba pertinere ad baptismum tradunt antiquissimi omnes, S. Iustinus, Origines, Tertullianus, SS. Cyprianus, Nazianzenus, Nyssenus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus. Quocirca vt scires per istud sacramentum proximè inspirari Spiritum sanctum, nõ per obtutum cogitationis vllius; tria Christus apposuit: primò namque dixit, ex aqua renasci; non igitur anteà natus: deinde non potest videre; non videbat itaque vllo mentis intuitu. postremò adiecit, ex aqua, mox è Spiritu sancto: vt scias præcedere aquam, deinde subsequi Spiritum sanctũ, qui sese aquis mirabiliter insinuans rem totam perficit. Audi S. Chrysostomum mysteria pulcherrimè explicantem: *Quod est mater embryoni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingitur ac formatur. Nam primùm dictum est: Producant aquæ reptile animæ viuentis: ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non ampliùs reptilia animarum viuentium, sed animas rationales ac spirituales aqua producit.* Vin' clariora? Audi S. Leonem magnum: *Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginalis, eodem spiritu replente fontem, qui repleuit & virginem; vt peccatum, quod ibi euacuauit sacra conceptio, hîc mystica tollat ablutio.* Et rursus alibi: *Originem, quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis, dedit aquæ quod dedit matri: virtus enim altißimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem; eadem fecit vt regeneret vnda credentem.* Nunc rursus audi Nyssenum: *Baptisma*, inquit, *pecca-*

Loca scripturæ probantia propositum.
Ioan. 3. 1.
Iust. apol 2. Tert. de bap. Cyp. lib. 3. ad Qui. cap. 25 Amb. libr. 3. de spi. cap. 2. Hier. ca. 16. Ezech. Basil. Nazi. Nyß. de bapt. ceteri in eo loco.
Homil. 25. in Ioan.
Ser. 4 & 5.

torum expiatio est, remißio delictorum, renouationis ac regenerationis causa. & mox multis adductis exemplis rerum, per quas Deus mirabilia multa effecit, vt Aaronicæ virgæ, & aliarum, subijcit; *Atque hæc omnia, cum materiæ sint inanimatæ, atq; sensus expertes, postquàm vim Dei accepissent, magnis miraculis media intercessere; ac simili consequentia rationum, etiam aqua, cum nihil aliud sit quàm aqua, cùm diuina illi gratia benedixerit, in eam, quæ mente percipitur, hominem renouat generationem. Quòd si quis mihi rursus dubitando & ambigendo negotium exhibeat interrogans, qua ratione aqua regeneret: dicam optimo iure ad eum; ostende mihi modum natiuitatis, quæ fit secundùm carnem. dices fortasse, semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contrà à nobis, quòd aqua, quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem.* Hucusque Nissenus.

Lib. de bapt. Nunc autem da Tertulliano: *Prius*, ait, *liquor, quo viuere dedit. aqua produxit animantia, vt in baptismo mirum non sit, si aquæ animare nouerunt.* *Lib. 2. ep. 2.* Non omittamus Cyprianum, qui scribens ad Donatum, cùm retulisset, se, antequàm fieret Christianus, vix adduci potuisse, vt crederet tantam vim baptismo immutandi mores, studia, & voluntatem inesse, mox esse id re vera expertum, subijcit hæc verba: *Difficile ac durũ pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur vt quis renasci denuò posset, vtque in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod priùs fuerat, exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. quî poßibilis, aiebam, tanta est conuersio?* & mox: *Sed postquàm vndæ genitalis auxilio, superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquàm cælitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit:* & quæ sequuntur. En igitur vt Chrysostomus explicans Christi dicta, tradat aquam esse instar embryonis matris, quæ nos gignat; Nyssenus interpretetur, in baptismo esse semen quo generemur, Tertullianus scribat, per illum nos animari: tantumdem Cyprianus.

Ad eamdem natiuitatem spectant, tum quæ multis in locis de baptismo à Christo, & Apostolis dicuntur, tum verò quæ generationis speciatim meminêre. Hæc enim nos dumtaxat adducemus, vim diuinæ similitudinis sequentes, & propositi à nobis argumenti contextum. Sic igitur Paulus: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & alibi: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ* Et Petrus:

II. *Tit. 4.*

Renati

Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum. Qui proculdubio Apostoli respexère ad verba Christi dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quocirca cùm Christus mandat Apostolis, vt ad omnes gentes proficiscantur, simul etiam iubet ante omnia, vt baptizent. sic enim Matthæi capite vltimo habetur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* En vt velit bis doceri gentes, ante, & post baptismum: ac post illum quidem vult doceri præcepta seruanda; igitur antea quæcumque pertinent in primis ad veritatem fidei ac baptismi: vt scias postea dari vim ad mandata seruanda, in quibus superiori capite probauimus esse positam vitam. sic est apud Marcum Christus loquẽs: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* En vt saluus sit post baptismum, non antea. sic Petrus ad Iudæos est locutus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remißionem peccatorum* & Ananias ad Paulum: *Quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.* Eodèm spectant illa Petri verba: *Vos nunc similis formæ saluos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* de quibus latiùs capite sequenti.

III. *Ephes. 3.* IIII. *1. Pet. 1.* V. VI. *Cap. vlt.* VII. *Actor. 2.* VIII. *Acto. 22.* *1. Pet. 3.* IX.

Denique vt finem faciamus, veluti quælibet res necessariò priùs est, mox operatur: sic oportet Christianus primùm quidem sit per baptismum, vel re scilicet acceptum cùm possit, vel ardentissimo voto, vt explicabimus; deinde operetur quæ sunt Christiani. sic apertissimè antiquus ille & venerabilis, (vt Gregorius eum magnus vocat) pater Dionysius Areopagita argumentatur. *Dictum quidem, inquit ille, est à nobis, hunc Hierarchiæ nostræ esse finem propositum Dei nostri quoad fieri potest, similitudinem, ac cum eo coniunctionem. Hanc autem, vt diuina scripta tradunt augustissimorum præceptorum amore atque affectione solum consequemur. Si quis, enim inquit, diligit me, mandata mea seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quodnam est igitur sanctæ augustißimorum præceptorum perfectionis principium, quæ ad aliorum sanctorum verborum, & actionum susceptionem, atque approbationem animi nostri habitus format, viamq; nobis ad cælestis patriæ domicilium præparat? sanctæ diuinissimæque, vt ita dicam, regenerationis donatio. Vt enim clarißimus præceptor noster dixit, prima quidem mentis ad diuina motio*

X. *à ratione.* *Hom. 4.* *Hier. Eccles. cap. 2.* *Ioan. 14.*

& contentio Dei est caritas; scientiæ autem caritatis progressus, qui principatum obtinet ad diuina perficienda præcepta, est diuini in nobis status, quæ verbis exprimi non potest, effectio. Si enim diuinus status diuino ortu, & vt ita dicam, generatione efficitur, profectò qui diuinum statum non accepit, is nihil vmquam eorum, quæ à Deo tradita sunt, sciet, aut operabitur. An non etiam nos (hominum more & ordine loquor) esse primum, deinde verò operari ea, quæ nos attingunt, debemus: cum id, quod nullo modo est, nec motum: nec statum habeat: quod autem aliquo modo est, ea modo & faciat, & patiatur, quæ natura ipsius ferat. hæc Dionysius de baptismo. Quocirca auctor homiliæ de sacramento corporis Domini inter opera Emisseno Eusebio attributa, ait eadem potentia mundum creatum, & baptismo vim tantam tributam, audi eum loquentem. Ergo, inquit, vt ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita parem potentiam in spiritalibus sacramentis verbi præbet virtus, & rei seruit effectus. Atq; hîc videas, quanta sit Caluini stoliditas dicentis tanta de baptismo hyperbolicè dicta: atqui in hyperbolicis non opus est diuinæ omnipotentiæ testificatione.

XI. *Discrimẽ inter baptisma Christi, & Ioannis.*

Actor.19.
Matth.3.

Quin hæc est differentia inter baptismum Ioannis, & Christi; per illum excitabantur homines maximè ad Deum præ cunctis diligendum, per hunc vis ad amorẽ producendum diuinitus inspiratur; vt è Pauli sermone ad Corinthios colligitur. Et hoc ipsum dixit Ioannes ipse: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne,* quæ verba non modò pertinent ad missionem Spiritus sancti in die Pentecostes, sed & ad omne baptismi genus: vt post alios Beda colligit. Est igitur Ioannis sententia respondentis ad Pharisæos rogantes, cur baptizaret, nisi esset Messias, cùm munus id esset futurum Messiæ: Christus non aqua dumtaxat baptizabit, siue lauabit (sic enim dicimus latinè) sed spiritu & igne, qui baptismo illius inerit. Commodissimè explicat hunc locum Cyrillus Alexandrinus, *quemadmodum,* inquiens, *viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter vrit, quã ipse ignis; sic spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus adspergitur, reformatur ad diuinam virtutem ac potentiam.* hactenus Cyrillus. Ac sanè ineptissimus foret, quicumq; diceret nõ esse maximũ discrimen inter baptisma Ioannis, & Christi:

simul-

simulque baptisma Ioannis non maximæ efficacitatis fuisse; quæ tamen haud pertingeret ad virtutem baptismi, quem Christus instituit. Necesse est præterea, quilibet fateatur adfuisse maiorem vim baptismo Ioannis, quàm baptismatibus antiquæ legis; quæ tamen omnia excitabant humanam mentem ad diligendum præcunctis Deum, & ad semetipsam purgandam ab omni peccatorum labe. E quibus omnibus fit, dicendum nobis atque asserendum, per Christi baptismum dari gratiam, quo diximus modo: nam alioquin, vel nullum, vel exiguum ponetur discrimē inter ista baptismata. & frustra tanti factus fuisset Ioannis baptismus præ antiquis, & Christi similiter baptismus respectu illius, quem conferebat Ioannes; quem Paulus aiebat in pœnitentiam quidem peccatorum datum, non sufficere tamen, atque ideò Christi baptismum ab Ephesijs suscipiendum. Adduximus hucusq; loca nouem desumpta è Testamento nouo, duoque argumenta collecta à ratione ipsius baptismi, & à differentijs baptismatum priscorum.

Vaticinia, & concilia afferuntur, quibus baptismi diuina vis explicatur.

CAP. XIII.

VATICINIA.
Octo vaticinia, decē concilia afferuntur.
A vaticinijs. I.
Psal. 19.

NVnc afferamus vaticinia Prophetarum, quibus illi prædicunt admirabilem quamdam vim futuram baptismo, ac prorsus diuinam: ita vt nisi fateamur Christi baptismo adesse eam, quam suprà narrauimus, necesse sit in istos Prophetas quadret fabella montium parturientium mures; quippe qui maximam rei diuinissimæ exspectationem commouerint, deinde euentus non respōdeat tantis promissionibus & exclamationibus. Igitur Dauid magnificis verbis primo loco Dei filios accersit, vt afferant ad Deum munera, gloriam & honorem; tollant hostias, arietes, intrent in atria illius, qua de causa? quòd vox, inquit, Dei sit admirabilis super aquas, in maiestate, in virtute, magnificentia, confringat cedros, commoueat deserta, intercidat ignes, faciat vt loca aquarum plena olim, diluuij nomine signata habitentur. Denique ait, futurum, vt in templo eius omnes dicant gloriam, Deus virtutem det populo suo, & illi benedicat in pace. Atque eo psalmo Dauid voluit ille quidem commemorare quæcumque super aquas eueniunt mirabilia quocumque modo; sed per illa

significari virtutem baptismi, vt interpretatur Basilius Magnus, ex illo aptissimè colligitur, quòd ait futurum, vt ex ista voce Dei super aquas, in templo eius omnes dicãt gloriam, diuina virtute & pace donentur. Hæc namq; superioribus nullo modo conueniunt, neq; inter se connecti possunt, nisi adsit ad extremum baptismi respectus, propter quem Deus mirabilia multa in aquis efficit, aut effecit. Eodem modo Isaias inducit Deum loquentem principio suarum prædictionum, & tempora Christi præsignificantem, & ob id victimas omnes antiquæ legis respuentem, ijs verbis: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* mox his dictis Deus, vbi reprobauit antiquæ legis sacrificia, quod toto illo capite facit, conuersus ad Hebræos ait: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*; & mox: *Et venite, & arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erũt.* hæc Deus; qui apertè inquit fore, vt per lotionem, quam fieri abiectis ritibus pristinis iubet, adducatur mundities, malæ cogitationes auferantur, ita abstergantur peccata, vt nihil eorum sit reliquum; quamuis infixa priùs essent vt color coccineus lanæ, aut purpureus vermiculo: qui colores omniũ difficillimè è rebus, quibus insederint, abstergi possunt. Hi certè sunt ipsius Spiritus sancti, ipsius diuinitatis summæ effectus. Atq; ita Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus in illum locum, verba illa speciatim pertinere ad baptismum tradunt. Idem volunt Cyrillus Hierosolymitanus, Theodoretus, ac Basilius. Igitur & Dauid & Isaias prædicunt, baptismo non antecessuram, sed subsecuturam Dei gloriam, virtutem, benedictionem, pacem, munditiã, exstirpationem malarum cogitationum, abstersionẽ peccatorum, præstantissimumq; animi candorem, veluti proprios baptismi effectus.

Et notanda maximè Isaiæ verba aduersus imputatiuam pudendamq; hæreticorum iustitiam, qua tectorium quoddã suis peccatis inducunt, non illa auellunt. Rursus Isaias idẽ inducit Deum, qui sic Ecclesiam solatur, ac suos: *Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in excelsis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertũ in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Hæc Deus. At quid magnifici & benefici præ cæteris habet, vt hæc faciat

II. | Isa. 1. | Cyril. Cate. 1. Theod. Ps. 50 Basil. ora. 13. de baptismo. | III. Cap. 41.

ciat Deus suis, etiamsi exarescant siti instar Lybicæ arenæ, nisi promissionibus hisce amplissimis amplissimus quidā cōsentiat euentus longè omnino maior, quàm lauacris antiquæ legis adfuerit. Quocirca rectè Cyprianus & Arnobius hæc verba referunt ad Ecclesiæ baptismum, quo fiet, vt corda ab omni cultu gratiæ deserta, & illius ingressibus alioquin per se inuia propter ipsum riuis ac stagnis cogitationum, deliberationum, & affectionum cælestiū scateant. Isaiæ concinit Ezechiel, qui similiter inducit Deum sic tēpora Christi ac munera prædicentem, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* & mox: *Et dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri.* En priùs aqua baptismi, per illam deinde ablutio perfecta criminū, datio cordis, ac spiritus noui, vt interpretatur Hieronymus, Theodoretus, & Cyprianus. Ob cādem causam Micheas ait futurum vt Deus in profundū maris proijciat omnia peccata nostra: quæ verba pertinere ad baptismum sentiunt Augustinus & Rupertus. Quod cùm sit, profectò baptismus ipse absorbebit peccata, nō ipsi absorbebimus illa per cogitationum nostrarum fluctus ante aquas baptismi excitatos. Sequitur Zacharias, inquiēs: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* quod oraculum spectare ad baptismū scribit in eum locum Rupertus, & Hieronymus. Fons igitur abluit peccata, non cogitatio nostræ mētis ante haustas è fonte aquas. Idem respexit Isaias, cùm plenus gaudij canebat: *Haurietis aquas in gaudio de fontib. saluatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius.* En vt dicat fore, vt saluemur per aquas, de fontibus inquit Saluatoris; saluemur autem inuento quodam nouo, digno quod notum cunctis fiat. Denique vt cum vate eodem concludamus, quicum cœpimus: Dauid hunc baptismum respexit, cùm dicebat: *Adsperges me Domine hyssopo, & mundabor lauabis me, & super niuem dealbabor.* & mox, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* & paulò pòst, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtiq; holocaustis non delectaberis.* En Dauid ait non delectari Deum sacrificijs: fore vt illa ad extremum tollat; idcirco petit se ab ipso lauari, & sumpta similitudine expiationis, quæ fiebat adspersione sanguinis pecudum, cineris vitulæ rufæ, & aquæ simul admistorum, per hyssopum & lignum cedrinum, quæ omnia baptismū signabant, ait

Cypr. epi. 63. lib. 1.
Arnob. in Ps. 106.
Ezech. c. 36.
IIII.
Hier. Theod. in com.
Cyp lib. 4. ep. 7.
V.
Aug. Psa. 115.
VI.
Cap. 13.
VII.
Cap. 12.
VIII.
Psalm. 50.

(Augustinus inquit) Adsperges me, & cor mundum crea in me Deus; atque ita ipsum baptismum futurum, vimque eius intimam, qua nouum cor & spiritus immittitur, iam tum longè implorans, ac desiderans, vt in commentario Theodoretus explicat quod nisi dicamus, temerè Dauid reijcit sacrificia; confugit ad hyssopum. Deus igitur maximè per baptismum lauat, mundat, & supra niuem, siue supra omnem naturalem modum dealbat. Habemus ex his testimonia noui & veteris testamenti apertissima decem & nouem: quibus consentiunt antiquissimi omnes & sanctissimi Doctores, idem quod nos clarissimè testantes tam Græci quàm Latini, quos suis locis adduximus.

CONCILIA.

A Concilijs.

Concil. I.

Vin' modò auctoritatem conciliorum, in quibus innumeri adfuere Episcopi? Audi: Cùm fuisset exorta illa quæstio, An iterum baptizandi essent, quos hæretici baptizarant, Cyprianus concilium coëgit Episcoporum octuaginta septem, qui decreuerunt (quamuis hac in re malè) iterandum baptisma huiusmodi. Adducunt omnes hanc causam, quòd necesse sit per baptismum dari & infundi Spiritum sanctum, gratiam, sanctitatem, vitam, iustitiam, renasci homines, & alia huiusmodi. Similiter aliud concilium congregatum est Ciliciæ, Phrygiæ, Galatiæ, & proximarũ Asiæ regionum: & propter easdem causas idem sensere, vt ex epistola Firmiliani inter opera Cypriani liquet. Contrà verò Stephanus Papa totius Europæ Episcopus aduocauit, & secus definiuit: quia non per hominem Spiritus sanctus infunditur, sed per sacramentum; quod hæreticus in baptismo potest administrare, si statuens agere idem quod Ecclesia Dei, eadem forma ac materia vtatur. Alia porrò concilia sunt in Aegypto & Oriente coacta, quæ sententiã Stephani amplexata sunt; cui deinde cuncti, pristina reiecta, subscripsere, vt ex Eusebio patet. Omnes hoc innitebantur fundamento in primis, quòd per baptismum datur Spiritus sanctus, remissio peccatorum, iustitia, & cætera huiusmodi. id fieri haud posse quidam negarunt à principio, quòd hæreticus hoc non valeat: retractauerunt, quòd agnorint à sacramento pendere, vbi illud adhibet hæreticus eo modo, quo Ecclesia administrat. Consentit his Concilium Nicænum, vt è Græco vertit Alphonsus Pisanus, capite quod inscribitur διατύπωσις, ante octauum canonem: in eo sic habetur: *Baptisma nostrum non oculis corporis considerandum est: sed mentis oculis aquam vides; considera virtutem Dei in aquis*

II.

Lib. 1. ep. 75.

III.

IIII.

Lib. 7, ca. 4. hist.

V.

aquis absconditam. & mox: *Descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, & seruitutis corruptione detentus, ascendit autē ab ea seruitute & peccatis liber, filius Dei, & hæres, & cohæres Christi.* Huic consimile est Concilium Cōstantinopolitanum primum in Symbolo, vbi est: *Credimus vnum baptisma in remißionem peccatorum.* Eadem habes & Mileuitanum his verbis: *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remißionem peccatorum, veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundentur, quod generatione traxerunt.* Eadem legimus in Arausicano secundo Concilio, & supremis Florentino & Tridentino. Quid igitur sibi volunt impii Lutheri & Caluini satellites, vim baptismi negantes, incitamenta quædam ludicra commenti, vt Ecclesiæ ac beatitudinis æternæ fundamenta conuellant, & ad inferos secum miserrimè genus humanum præceps inuoluant?

VI. VII. Cap. 2. VIII. IX. X.

De Signis antiquorum, quibus apertum cunctis Gentibus fiebat, per ipsum baptismum donari diuinitatis societatem.

CAP. XIV.

Classis tertia testimoniorum.

INcredibile est, quanta prouidentia Deus curauerit ab initio mūdi, vt diuinitus inspirata baptismo virtus mortalibus appareret: ne quis defugeret credere, illam posse cælitus aquis insinuari, & per aquas mentibus humanis: nisi quis impiè dicat otiosè Deum circa cardines cæli perambulare, & temerè cuncta in terris agi & ferri. atq; , vt forsan singula, quæ dicturi sumus, non magni fieri possent, omnia tamen simul iuncta maximum habere ad veritatem pondus, & argumento esse clarissimo, nemo sanæ mentis negabit. Nam qua de causa naturaliter institutum videmus vt cùm corpora omnia composita constent è quatuor elementis, seminis tamen cuiuslibet, è quo illa conflantur, potissimam partem sibi humor vindicet, aqua deposcat? ita vt Philosophi magni Thales & Empedocles, prisciique multi dixerint aquam cunctarum rerum principium: neq; enim mente poterant concipere materiam forma omni nudatā, quæ cunctis corporibus esset communis: neque formam sciebant abstrahere à materia, quod Plato fecit, & eum

SIGNA GENTIBVS DATA.

postea

postea secutus Aristoteles: qui plus alimenti esse aquis quàm cæteris elementis scripsit: vt iure sua poëmata summus ille Pindarus inceperit eo versiculo, ἄριστον μὲν ὕδωρ Optimum quidem aqua. Haud temerè hoc Deus prouidit, cui mens erat aquis addere incredibilem vim; qua verbis adiunctis posset homines à sceleribus expiare, & ex hominibus Dei filios efficere. Ne mirere omnino, quisquis hoc audis. & aquis hæc vis naturaliter ingenita, vt cæteris corporibus admixta nil non in terris producat, an non poterit multo mirabiliora, si virtuti se diuinæ subijciat? aut illam sibi diuina virtus associet, & quò voluerit perducat? Igitur perpetuo genitalis humoris exemplo, in omnibus rebus creandis humanæ menti viam strauit omnipotens Deus ad credendam baptismalis vndæ diuinam virtutem: quod obseruarunt Tertullianus libro de baptismo, Ambrosius, & Gregorius Nazianzenus. Iam verò varijs aquarum generibus tanta vis est insita naturaliter ad morbos tollendos, & ad mirabilia efficienda, vt Plinius latè illarum effectus maximos recensens toto capite secundo libri trigesimiprimi de ijs hæc scribat: *Si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte naturæ maiora esse miracula.* Hæc ille. Illud vnum sufficiat ad rem nostram, plurimũ posse aduersus venena aquam, cui serpens fuerit contusus; vt similitudinem quamdam possis agnoscere efficaciæ baptismalis in aqua, quando per illam inducta in humanum genus à serpente peccata conteruntur, & ipsa valet gratiæ cælestis infusione aduersus aliorum scelerum vires.

II.

III. Atque, vt adhuc altiùs attolleret eam Deus, hanc esse cunctis gentibus fidem permisit, vt crederent aquis esse vim, qua se expiarent à peccatis contractis; atque ita proprijs eas consilijs irretiuit, ne possent eamdem fidem denegare baptismo: & quidem, vt arctiùs animos earum deuinceret, siuit esse illis eam persuasionem, non esse fas ad sacra accedere, nisi viuis sese aquis abluissent; quasi efficaciores illæ essent, & aliquid vitale haberent, quòd viuæ essent; quod nos attribuimus baptismo. sic namq; Aeneas ad patrem:

Lib. 2. Aen.

> *Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:*
> *Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,*
> *Attractare nefas, donec me flumine viuo*

Ab-

Abluero.

Et Statius.

Crine dato paßim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Laudonis ad vndas,
Purgatura malum fluuio viuente soporem.

Et Sillius Italicus.

Corpora nunc viua sparguntur gurgitis vnda.

Clarius his Valerius Flaccus vim quamdam nouandi tribuens aquis de sententia antiquorum.

Hic sale purpureo, viuaque nitentia lympha
Membra nouat. & alius vates.
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.

Theb. 9. Lib. 12. Lib. 4. Catullus.

Eamdem fuisse Græcis religionem scribit in Euterpe Herodotus. Hinc Orus in Hieroglyphicis tradit, Aegyptios aqua & igni significasse puritatem; quòd ijs duobus omnis lustratio contineretur. Quod si populi olim, sicut hæc faciebant, sic aliquo modo generatim saltem nostra respicere in his agendis potuissent, quid hac in re ab illis desiderasses? Persæ quidem latè temporibus Strabonis dispersi maximo in honore aquas habebant; quasi numen illis aliquod adesset, vt ipse testatur. Deniq; nullis nō mortalibus hæc insita fuit sententia, vim quamdam diuiniorē iam tum vndis adesse; propter quam religione perfusi per illam se criminibus exsolui putarent.

Lib. 15.

IIII. ELEPHANTIS AESTIMATIO DE AQVIS. Plin. lib. 8. cap. 5.

Quid plura quæris? Narrant scriptores, Elephantem animalium ingeniosissimum quinis tantùm diebus in occulto coire; sexto autem, quasi labem contraxerit, amne se perfundere; neq; ante ad socios suosque redire, quàm se ita lustrauerit. Quis igitur hic non admiretur totius naturæ consensum cuncta in eamdem sententiam trahentis, vt existiment aquis inesse expiandi virtutem? Sanè haud negari potest, hæc diuinitus aut instituta; aut permissa: vt mentes hominum constringeret ad habendam baptismo fidem, concipiendam de illo non humilem, sed omnium altissimam sententiam, quando fuit à Christo institutus, & excellentissimis omnium præconijs commendatus.

Figuræ antiquorum vim diuinam baptismi designantes.

CAP. XV.

Classis quarta testimoniorum.

Hinc

FIGVRAE

Hinc innumeris cum figuris prænunciauit: vt stolidissimi sit hominis, non maxima existimare, & qualia cuncti patres è diuinis oraculis desumpta tradiderunt de virtute illius. Tres adducit in medium Paulus ipse, Maris rubri transmissionem, nubem quæ comitata est Hebræos ex Aegypto proficiscentes; perinde ac si verè nos per aquas baptismi ex Aegyptiaca peccati seruitute liberemur; & ijs peccata nostra, qui sunt re vera atrocissimi hostes, submergantur; similiterque eodem baptismo, quasi nube quadam, protegamur ab æstu nimio vrentium mentes nostras cogitationum; idemque sit instar nubis dux ad iter faciendum per vastas hasce terrarum, in quibus degimus, solitudines, rursusque eadem baptismi virtute, quasi aqua quadam, cùm siti nimia pressi defatigamur, in hac nostra ad patriam cœlestem via recreemur. Comparat idē Paulus baptismo manna, quam vocat Dauid Angelorum panem cœlo demissum: quòd cælestis insit baptismo vis, qua nostra mens alatur. Ita Paulus, cuius dicta latiùs explicant Cyprianus, Hieronymus, Augustinus. Igitur cùm Paulus ipse dicat hasce res fuisse baptismi figuras, & hæ maximæ fuerint, quid de baptismo dicemus, quando inter illas, ac baptismum, discrimen est idem, quod est inter hominis figuram, & hominem ipsum, rem pictam, & viuentem, vt Paulus testatur. Viuimus itaque per baptismum, quando illi est vita; à peccatis abstergimur, quod est à morte mentem necante vindicari & liberari; & quasi humore quodā genitali, quod cunctis accidit seminibus, per illum renascimur.

I. 1. Cor. 10.

II.

III. 1. Cor. 10.

Cyp. lib. 4. ep. 7. Aug. trac. 11. & 13. Hiero. epist. 83. ad Octa. Col. 2.

Rursus audi alia. In lege veteri nullum prorsus immolabatur sacrificium, vt Deo foret acceptum, cuius intestina sacrificanda non lauarentur. Quòd si omnia contingebant Hebræis, Paulo toties id testificante, in figura; sacrificium verò spiritus contribulatus, ait Dauid: necesse est in Ecclesia sit aqua, cuius lauacro spiritus noster intimè abluatur, & per eam Deo fiat acceptum gratumque sacrificium. Quam verò fingemus, si commentis esset locus, nisi quam diuinæ vbique scripturæ decantant, aquam baptismi? Numquid enim mihi vult imponere Christus, qui tanta tribuit baptismo, & cuius mihi figuræ tam præstantes spectandæ proponūtur? Non licebat sacerdotibus ingredi sanctuariū, nisi prius se abluissent: neq; Christianis igitur ad sanctitatem progredi licebit, nisi baptismo fuerint ablu-

IIII. 3 Reg. 7. Leuit. I. Psalm. 50. Exod. 30.

V.

ti, aut ablui quam primum deliberauerint. Similiter idem Paulus ait ad Christianos: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi. consepulti ei in baptismo*. Hæc Paulus, circumcisionem ponens baptismi figuram; sed illam corporis esse, hanc animi. Velu ti igitur verè corpus per eam, sic per hāc verè animus purgabitur. Eodem modo Naaman Syris verè curatus est à lepra per aquas Iordanis, fide habita dictis Elisei: sic, ait Ambrosius, nos ab animi lepra per baptismi vndas: neque satis erit fides, si baptismi sit potestas. Imaginem quamdam similiter habebat baptismi probatica piscina, quæ à credētibus verè morbos expellebat, vbi quis in illam mouente Angelo aquas primus esset ingressus: sic itaque baptismi aqua expiabit credentes, & ab omni sorde absterget, vt ex illa argumentantur Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus. Hinc Chrysostomus ibi ait explicans hanc figuram: Futurum erat baptisma plenum maximæ potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum. alioquin maioris efficaciæ fuisset piscina. Quid verò est quòd cæco nato noluit Christus lumen oculorum restituere, nisi ex quo se ille abluit aquis Siloë, obediēs Christi mandatis? nisi quòd nobis aliquid simile ex aquis futurum volebat commendare: nam cùm simus iræ filij nati, in rebus diuinis contemplandis cæci nascimur. sic colligunt Ambrosius & Augustinus.

VI. Col. 2.

VII. Ambro Luc. 4. de Sacr. li. 2. c. 4.

VIII. Ioan. 5. Amb. de Spiritu sancto. cap. 7. Cæteri eo loco.

IX. Amb ep. 75. Aug tra. 44. in Ioan.

Sed ne omnia consectemur; neq; enim finis esset: paucas tantùm figuras, quòd maximæ videantur, explicemus. ac prima est, quam Petrus proponit: *In diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Sic Petrus: quod Græci omnes ac Latini ita latiùs interpretantur: Sicut aqua supernè infusa ex omni parte arcam abluebat, eamque non obruebat, sed subleuabat, vt qui in ea erant illæsi ab vndis seruarentur, impijs absorptis; eodem modo vos baptismi aquæ abluunt supernè infusæ, euehuntque ad cælestia: ne obruamini ab vndis vel iræ diuinæ, vel scelerum, quibus impij & peccata absorbentur: ex quo fit vt non carnis sordes deponatis, sed conscientia vestra bona efficiatur, vt Deo interroganti respondeatis deuotione mentis, infusione caritatis, parati ad omnia illius mandata obeunda. Viden' igitur, vt Petr⁹ tradat duo discrimina inter antiqua,

X. 1. Pet. 3.

& nostra. Nostra peruadunt conscientiam, prisca carnem. Verè saluatus est Noë cum suis antiquitus quo ad corpus. Verè saluamur per baptisma nos per bonam conscientiam.

Nunc audi Irenæum duas figuras baptismi complectentem. & prima est, qua figuræ omnes cessarunt, & ipsa res aduenit. *Christus*, inquit ille, *potestatem regenerationis in Deum demandans discipulis, dicebat eis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nunc enim promittit per prophetas effundere in nouissimis temporibus super seruos & ancillas vt prophetent: vnde & in filium Dei, filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem patris operans in ipsis* Hucusque Irenæus signans quæcumque Christo euenere in baptismo, & afferens Ioëlis vaticinium de aqua munda, aperteque asserens Spiritum sanctum, in quo baptizamur, cum filio Dei descendere in nos, requiescere, habitare, & operari voluntatem patris in nobis. Igitur baptismus Ioannis erat nostri figura: quid per nostrum fiat, Christus ipse ostendit, inquit Irenæus: tunc namque omnes ita baptizati sumus, vt cùm baptizamur, diuinitas nostrum cor peruadat, aperiatur cælum. Ob id Nazianzenus hanc figuram tangens vocat baptismum clauem cæli. scribunt eadem Athanasius oratione secunda in Arianos, Hieronymus, ac cæteri propè oēs antiqui: qui de baptismo scripsere, Vin' apertiora? Audi rursus: *Sicut de arido tritico massa vna fieri non potest sine humore, neque vnus panis; ita nec nos multi vnum fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est: & sicut arida terra, si non percipiat humorem non fructificat; sic & nos lignum aridum existentes primùm, numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia: corpora enim nostra per lauacrum illud, quod est ad incorrptionem, vnitatem acceperunt, animæ autem per spiritum, vnde & vtraque necessaria; cùm vtraque proficiat in vitam Dei, miserante Domino nostro Iesu Christo Samaritanæ illi peccatrici, quæ in vno viro non mansit, sed fornicata est in multis impijs, & ostendente ei, & pollicente aquam viuam, vt vlteriùs non sitiret, neque occuparetur ad humectationem aquæ laboriosæ, habens potum in se salientem in vitam æternam, quam Dominus accipiens munus à patre, ipse quoque his donauit, qui ex ipso participantur, in vniuersam terram mittens Spiritum sanctum. Hanc muneris gratiam præuidens Gedeon* ille

XI. Iren. lib. 3. ca. 19. Sol. 2

Ioan. 4.

ille Israëlita, quem elegit Deus vt saluaret populum Israël de potentatu alienigenarum, demutauit petitionem, & super vellus lanæ, in quo tantum primum ros fuerat, quod erat typus populi ariditatem futuram prophetans, hoc est non iam habituros eos à Deo Spiritum sanctum, sicut Isaias ait: *Et nubibus mãdabo, ne pluant super eam.* Hactenus Irenæus, clarissimè per duas similitudines, panis, ac terræ, baptismi vim designans. Ille fieri non potest sine aqua: hæc neque fructum ex se emittere. sic & nos sine baptismo esse, aut operari, non valemus. Idem dicit ostendi ijs Christi verbis habitis cum Samaritana de aqua viua. Postremò affert figuram Gedeonis, per aquam verè in vellus delapsam, Spiritum sanctum verè per aquam baptismi in nos illabentem significari affirmans: quod & dixêre Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

XII. *Iudi. 6.* *Isai 5.*

Audi nunc Hilarium: *Quid ergo mihi,* inquit, *ad salutem tanto tempore post genito Iordanis tum a efactus (cùm populus Hebræus ingressus est terram promissionis) impertit? Impertit planè Huius enim primùm aquis peccatorum ablutio, Ioanne pœnitentiam prædicante, donata est: & per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum nobis via cælestis regni, & nouæ regenerationis lauacro possessio æternorum bonorum inchoatur, aquis ipsis baptismate Domini consecratis,* & mox: *Per has enim Iordanis aquas in illa, quæ à prophetis promissa sunt, terræ bona gressu abluendorum corporum transitum est. atque transitur: & ibi cælestis sacramenti exordijs lætamur.* Hæc Hilarius: eadem Ambrosius, & Augustinus; at Cyrillus. Iordanem sancto, inquit, baptismate transiuimus, in terram promissam, & dignam sanctis intrauimus.

Origi hom. 1. in iud. Amb. lib. 1. de Spiritu sancto. Aug. c. 43. in lib. Iud. 12. contr. Faust. c 32. de vnit. Eccl cap. 5 in Psal. 45. 71.

XIII. *Hil. Psal. 65. Ambro. 1. Aug Psa. 113. Cyril lib. 4 in Isa orat. 1.*

Concludamus pulcherrima omnium figura, In Genesi est Deum creasse cælum, & terram, eodemq; momento, vt scriptum est, spiritus Domini ferebatur super aquas in Hebraico est merachephet, incubabat, more gallinæ nidificantis, & oua calore animantis, inquit Hieronymus in Genesim: & Rabbi Salomon sic locum reddidit: Solium gloriæ manebat in aëre, & incubabat super faciem aquarum spiritu oris Domini, & eius sermone, id est iussu, sicut columba incubat super nidum, incubabat. Eadẽ reddit Thargum Chaldæum. Nihil verò refert dicásne nomine spiritus intelligi Spiritum sanctum, vel ventum: nam Spiritus sanctus vbique est, prodere autem se dicitur per ventum,

Cur Christiani pisces dicantur.

XIV.

ob id spiritus vocatur. Vt igitur aqua initio mundi a Spiritu sancto vitalem quamdā vim accepit, vt pisces & volatilia produceret, ita vt omnium prima aqua condiderit animalia, non tellus, aut aliud quoduis; sic baptismus accepit, & quidem omnium primus inter sacramenta, à Spiritu sancto vim procreandi nouos homines, animantia cœlestia, qualia vocantur aues cæli. Ob id hoc obseruans Tertullianus ait libro de baptismo: *Ne mirum sit*, inquit, *in baptismo si aquæ animare possunt*. Idem tradit Hieronymus. Quocirca literæ quinque capitulorum, in quæ distinguūtur Sibyllæ Erythreæ carmina, & continent Domini nostri quatuor nomina diuina, scilicet Iesus, Christus, Filius Dei, Saluator, literę in quam capitulorum conficiunt nomen ἰχθυς. id est piscis, quod adnotauerunt Augustinus ac Prosper; & Optatus libro tertio in Parmenianum: Hinc, inquit, est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur; vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur; cuius piscis nomen secundùm appellationem Græcam in vno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet ἰχθὺς, quod est latinè, Iesus Christus Dei Filius Saluator. hoc innuit Hieronymus epistola 43. *Bonosius*, inquiens, *tanquam ἰχθὺος filius, aquosa petit*. Quocirca haud immeritò Christus ad suos Apostolos dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*: qui nimirum baptismi aquis educant, qui priùs belluinis erant moribus, sic in lucem, vt verè sint homines ad illum statum renocati, quà licet, in quo fuerāt conditi à Deo. Concludamus igitur, esse ipsis aquis baptismi vim creandi filios Dei, qui ex oraculis Sibyllinis sunt pisces ab aqua solummodò creati, immò ex ipsis Christi dictis: Apostoli namque piscatores. Aqua verò sic pisces creat, vt ad sui creationem nihil illi conferant, neq; fas est extra illam gigni: & veluti prima ex elementis aqua protulit animalia; sic vnda baptismi præ cunctis generat animalia cæli, cælesti ratione vtentes homines, ob eam causam quòd Dei spiritus & aura incubet vndis baptismi. Atq; ita Iesus Christus Dei filius Saluator (vt ex iisdem versibus colligitur) sit non cuiusq;, sed eius, qui è primis litteris horum quatuor nominum Græcè pronunciatorum notatur, is est piscis. Quatuor itaque modis propositum nostrum confirmat hæc figura. Primò, quòd aqua verbo Dei iubente prima ex omnibus protulerit animalia perfecta. Secundo,

Augu. lib. 18. de ciui. Dei cap. 23.
Prosp. libr. 2. præd. c. 29.
Matth. 4. Marc. 1.

quæ produxerit, fuerint animalia cæli: aër namque cæli nomine sæpius in scripturis, vt Basilius in Hexamero notat, accipitur. Tertio, quia Christianus piscis vocatur ipso Christo vocante Apostolos piscatores, qui capiant homines. Quarto, quia ex oraculis Sibyllinis Iesus Christus Dei filius Saluator sit piscis. Vt autè piscis creatus fuerit ex aqua, vel animalia cæli, non ex se habent, sed id totum ex aqua, & verbo diuino; similiter, vt pisces capiantur in aqua, non est eorum voluntatis; neque vt Christus nos saluet, nostræ est potestatis: sic igitur, quod baptismi sacramentum nos efficiat Dei filios, non ex nostris præcedentibus cogitatis est, sed è baptismo. Sunt autem litteræ versuum Sibyllinorum Ιησȣς χρειςὸς θεȣ̃ ὑιὸς σωτὴρ, versus ad finem totius operis describuntur.

Miracula maxima, quibus fit apertißimum, per baptisma infundi Spiritum sanctum.

CAP. XVI.

Classis quinta testimoniorum.

Miracula.

REstat argumentorum genus quoddam maximè diuinum, quod è miraculis colligitur, quibus ipse Deus palam facere voluit, aquis baptismi vim diuinam tributam. Nam fieri potest, vt aliquis diuinæ scripturę haud omnino credat, in diuersas illam sententias more Hebræorum trahens, & quæ mortalium est peruicacia, sanctorum dicta nihili faciens. is igitur, nisi velit animo esse impudenti & obstinato, miraculis habeat fidem. Primum sit igitur miraculum, quod contigit cùm Christus est baptizatus: sic enim Marcus ait: *Venit Iesus à Nazareth Galilææ: & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua vidit cælos apertos, & Spiritum sanctum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Refert eadem Lucas: Ioannes adijcit, *Testimonium perhibuit dicens, quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum: & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Igitur quæro, qua de causa hæc contigêre, non nisi ex quo Christus est baptizatus? cur non

I. Mirac. Marc. 1.

Luc. 3. Ioan. 1.

ante? cur non in principio? cur non medio tempore? cur non extremo momento? Nimirum post baptismum perfectum illabitur Spiritus sanctus; tunc aperiuntur cælestia; tunc columba fœcunditatis, & candidæ immaculatæque simplicitatis, sicut & diuini flaminis signum cælitus demittitur; tum se Deus manifestè prodit, inquiens, Hic, qui iam baptizatus est, filius item meus. Ex illo iam Christus per suos ministros baptizat, siue lauat per aquas in Spiritu sancto: Hic est, ait Deus, qui baptizat in Spiritu sancto. An temerè hæc post aquas profusas contigere? Audi nunc aliud; vt certò scias per baptismum, & post illius collationem tanta euenire. Hæretici interdum videri volunt multum se Paulo deferre: hic igitur, qui ab ipsomet Deo vocatur vas electionis, vt portet nomen eius coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel, *cùm tenderet in Damascum spirans minarum & cædis in discipulos Domini habuit in itinere obuium Christum; & subitò circumfulsit eum lux; & cadens in terram, audiuit vocem dicentem: Saule, Saule, quid me persequeris? qui dixit, quis es Domine? & ille, Ego sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. & tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem; & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. & erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* Hucusque verba Lucæ. Post hæc de iussu Dei Ananias accessit ad illum; *& introiuit in domum,* inquit idem Lucas, *& imponens ei manum dixit, Saule frater: Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. & confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ; & visum recepit; & surgens baptizatus est: & cum accepisset cibum confortatus est fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. & continuò ingressus in synagogas prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei Stupebant autem omnes, qui audibant.* Hæc Lucas. Interrogo igitur hæreticos, qua de causa Paulus haud potuit visum recipere, surgere, impleri Spiritu sancto, adde etiam comedere, nisi postquam cœpit Ananias cæremonias baptismi? Impositio enim manus fit adhuc in baptismo paulo antè ipsius aquæ adspersionem, cùm sacerdos hæc ipsa verba profert: *Aeternam, ac iustissimam*

II.
Actor. 9.

mam

nam pietatem tuam deprecor Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus luminis, & veritatis super hunc famulum tuum: vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & sanctifica: da ei scientiam veram; vt dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui. Hæc qui baptizat, imponens manum: quo tempore squamæ ceciderunt ex oculis Pauli, & surgens baptizatus est. Cur non ante baptismum fuit illi potestas, non dico prædicandi, sed neq; surgendi, & comedendi? cur non ante repleuit eum Christus Spiritu sancto? Fieri hæc omnia potuêre ante baptismum, & ritus illius omnes: & interdum contingit, vt homo diuinitus cùm rationis est compos aliquid gratiæ diuinæ assequatur. Hoc vrgeo nunc; cur tanta, cur omnia hæc post diuinum lauacrum reseruata in Paulo? Non alia potest afferri causa, nisi vt certò cognosceremus gratiam diuinam per ipsummet baptismum certò conciliari, quo suprà diximus modo.

III. Atque hoc ipsum est, quod aiebat Petrus, disceptantibus aduersus illum quibusdam Iudæis quòd introisset ad viros præputium habentes, & manducasset cum illis, cùm baptizauit Cornelium Centurionem cum pluribus alijs, in quos (Petro de rebus Christi verba faciente ac dicente post multa, huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum) cecidit Spiritus sanctus. Id videns & admiratus Petrus dixit; *Nunquid aqua prohiberi potest, ne baptizentur hi, qui Spiritum sanctum accepêre, sicut & nos.* & post: *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* Hæc Petrus, manifestè asserens, eum qui non baptizetur post acceptum apertissimè spiritum sanctum, à se Deum prohibere: neque fieri posse, vt quis huic aquam baptismi neget; quòd illa necessaria sit ad acceptæ gratiæ diuinæ conseruationem, & augmentum in ijs, quos ante baptismum Deus amore illo, quo præ cunctis est diligendus, inflammauit; in illis verò, quibus tantus amor deest, modo sint attriti, cùm peruenêre ad vsum mentis, est aqua baptismi necessaria, vt illo amore succendantur. Deus autem prouidit, vt Cornelius cum suis Spiritu sancto ante baptismi aquas afflaretur manifestissimè; ne quis Petrum (quod ipse ait) reprehendere posset, quòd gentes non circumcisas ad Euangelium admisisset, & cum illis esset versatus, & comedisset, ac baptismo esset dignatus; quem qui reijcit,

Act. 10. & 11

vel post clarissima diuinitatis in ipsum delapsæ signa, is à se Deum prohibet, ac reijcit. Hæc igitur viuente Christo, & Apostolicis ipsis temporibus. Inter quæ non illud omittendum, quod accidit Paulo: *nam cùm venisset Ephesum, & ibi inuenisset quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. ille verò ait, in quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum, qui venturus est post ipsum vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Hucusque Lucas. E quibus illustrissimè colligitur Spiritum sanctum dari per baptismum, ac post illum perceptum. Nã Paulus ait nunquid illi accepissent spiritum sanctum: subijcit id fieri per baptismum: videns non accepisse, baptizat: deinde confert sacramentum confirmationis, quod fit impositione manuum: atq; ita illi non modò Spiritum sanctum, sed eius plenitudinem accepêre; quod fit per illam manuum impositionem, quæ contingit post baptismum; nõ illam quæ ante, vt libro de secunda coniunctione latiùs dicetur. Igitur ex illis miraculis linguarũ, & prophetiæ, quæ euenêre istis baptizatis palam fit, societatem diuinitatis iniri nobiscum post baptismum.

Actor. 19.

IIII. Atq; hic quarto loco possent afferri innumera miracula, quæ cunctis temporibus accidêre mortalibus post susceptum baptismum, quo sanati sunt à pluribus morbis; quib. vix vlla prodesse medicinæ & artis humanæ vis posse videbatur. hæc omnia nos in vnũ conijciemus: quæ quidem Deus prouidit, vt certò cognosceremus per baptismũ curari morbos animi. Ac si vellemus huiusmodi multa cũcta colligere, nullus esset finis, aliqua illustrissima referemus. Omnibus est nota historia Cõstantini, qui cũ lepra perfusus esset, ac nullum superesset remedium, nisi vt se ablueret balneo confecto è puerorũ sanguine, quod remedium veluti certũ solebant vsurpare Aegypti Reges, qui morbo hoc sæpius tētari solebãt, vt eos cõsueuisse vsurpare Plinius testatur; admonitus est ille, vt baptizaretur, atq; ita futurũ vt reciperet sanitatẽ: baptizatus est, recepit: tantæ rei veritatẽ confirmat eruditissimè post alios Cæsar Baronius noster. Sed quoniã nolumus hic antiqua cõsectari & recẽsere; nullus enim esset finis, pauca quædã

Plin. lib. 26. cap. 1.
In adnot. Martyro. die 22. Aug.

nostræ ætatis referamus. & quidem, qui plurima eorum eorum vult cognoscere, legat epistolas Patrum Societatis Iesu, è quib. discet inter Indos maximè disseminari fidem ex hoc, quòd multi ægroti per baptismi aquas ab innumeris morbis liberentur. Illæ sunt omnibus in promptu, & multos habet pietatis fructus earum lectio; idcirco veritatis studiosum reijcimus ad illas. Nos tantùm contenti erimus referre quod contigit nepoti Regis Tibut (hæc est insula amplissima Molucharum) & innumeris indigenis ei⁹ loci. Referemus autem, quòd non sit hoc miraculum per sacerdotes Societatis effectum, neque ab ijs narretur, neque illius cognitio sit adeò facilis: scriptis autem mandatum est, & habetur in libris nauigationum Fernandi Magaglianis; qui ab Orbe condito primus omnium mortalium totius Orbis circuitionem nauibus est aggressus, & inuenit. Cùm Magaglianes itaque appulisset ad hanc insulam, & non nihil in ea consedisset, plurimos morti proximos baptismi aquis tinctos, ad vitam sanitatemque reuocauit: in his, vt diximus, etiam nepotem Regis, qui simulatq; est ablutus, in somnis plurima vidit cælestia, & quàm miranda illa essent omnibus narrauit: vt sciamus & animæ robur ad virtutes assequendas per baptismum dari, & intellectui lumen ad contemplanda diuina.

Sed nunc aliud miraculorum genus quinto loco penè incredibile enarrabo, & tamen illud verissimum. E baptismo, qui homo est, sit filius Dei, & mirabili quodam modo Deus. & quidem vt è bellua vera quis homo fiat, non datur per baptismum: nisi quantum quis per baptismum mores exuit belluinos; quod sanè fieri nos latè docemus signo de innumeris gentibus ad humanitatem per Ecclesiam nostram traductis. Nunc aliud aggredimur. Sæpè euenit, vt nonnulli incidant in quamdam mentis alienationem, qua sibi videantur non ampliùs homines, sed belluæ, ac feræ ipsæ. accidit id cùm bilis atra vehemētiùs concitata insedit illi animæ parti, qua imagines omnium rerum mentis oculo contemplandæ recipiuntur, & cogitantibus intimè obijciuntur. Quòd si quis incidat in hunc morbum, non modò sibi videtur bellua, sed inter belluas quodammodò vult esse, ac versari: ac difficilis est huius curatio, nisi medici agant cum illo perinde atque cum fera: sic enim paulatim medicinis adhibitis interdū reuocatur ad mentem, ad quam tamen sæpè non potest

V. Baptismu[illegible] aliquando dedit pu[illegible] chriorem formam.

 Tro-

reuocari; quod spiritus intimi corporis & instrumenta mentis corpori affixa sint omnino deiecta & euersa. atque ita cælesti diuinoq; opus est auxilio. Atque hæc sanè medicis notissima. Exemplum huiusmodi euentus illustrissimum in diuinis scripturis habetur apud Danielem, cùm Nabuchodonosor sic est in bestiam mentis alienatione mutatus, vt annos septẽ fuerit inter eas moratus, eodemq; modo habitus, ac feræ ipsæ; donec sensus redditus est illi: sic enim rem totam explicat S. Thomas, Hieronymus, Gregorius, Rupertus, ac doctissimè post alios prosequitur Benedictus Pererius. Contingit prætereà, vt non modò alicui mens mutetur, sed etiam Dæmonum præstigijs effigies eius aliter atq; est, vel omnibus, vel aliquibus intuentium quandoque obijciatur, & spectro hoc decipiantur homines; vt accidit ijs, qui pacta societatemque ineunt cum Dæmonibus; aut alijs ob aliquod scelus, occultáve Dei iudicia. ac fieri posset vt eidem non omnibus in rebus mẽs sit amota, sed dilucida interualla, vt aiunt, sortiatur: quod etiam nonnulli tradunt eidem Nabuchodonosori euenisse: & simile quiddam narrat in vita Hilarionis Hieronymus nonnullaq; exempla retulimus nos in signis secundæ coniunctionis; & vulgatissima quædam narrat in hac re Olaus Magnus in historia sua, de quibusdam Liuonibus, Lithuanis, ac Prutenis, qui in lupos conuersi videntur: & Herodotus quibusdam populis idem similiter ad Boream positis accidere ætate sua, vt ferebatur, scribit. Vt igitur Deus palam cunctis faceret quanta sit baptismi vis ad mẽtem nostram corroborandam, maxima ostendit hac in re quandoque miracula. Duo proferam. Tyridates Armeniæ Rex, imperante Constantino, Christum secutus est hac occasione: nam cùm variè Christianos vexasset Diocletiani temporibus, cum multis suorum in porcum visus est sibi mutari. Agnoscebantur præstigiæ, & spectra: sed ab ijs nulla erat ars, quæ Regem cum suis liberaret. Gregorius eum vir sanctissimus aquis baptismi pristinæ figuræ & moribus humanis restituit cum suis: quod fuit in causa, vt Armeni latè Christi cultum amplecterentur, & religio Catholica altissimas radices ageret in ijs locis. Rem fusius describit Simeon Metaphrastes, & Nicephorus Callistus in historia sua: idem Sozomenus innuit factum.

Nunc aliud haud minus admirandum & illustre referamus. Anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo,

Tho. op. 2. li. 2. c. vlt. Greg. libr. 5. moral c. 8. Rup. libr. 6. de vict. ver. ca 29. ceteri in eo loco.

Libr. 18. cap. pen. & vlt.

Sur. Tom. 5 sep. 30. Niceph. li. 8. cap. 35. Soz. l. 2. c. 7.

Rex Tartarorum Cassanus, quem vocant alio nomine Magnum, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit, & finitimas regiones; omnibus itaq; formidandus petijt sibi vxorem filiam Regis Armeniæ, quòd audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus tanti Regis viribus exterritus, dedit. Illa post aliquod tempus è viro suo Cassano edidit in lucem partũ tantæ deformitatis, vt Rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere; quòd monstrũ videretur. Vocat ad consilium Primarios: de ipsorum sententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum vltimo supplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem suam deplorans, ad preces confugit; ignara consilij petijt vt sibi liceret baptizare quem peperisset: data illi facultas: Ita tamen, vt adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri vnà cũ Rege, ne qua fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus est puer, adeò venustus ac formosus apparuit, vt Rex tanta re permotus cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum Christianæ rei factum fuerit incrementum. Hæc Ioannes Villaneus, qui his temporib. fuit, & post eum S. Antonius. Quis igitur haud fateatur inesse baptismo diuinitus per se vim cælestem immutandorum hominum, ita vt à moribus ferinis ad humanos ac diuinos transferantur? Rex ille Armeniæ ardentissimè cupiebat nomen Christo dare, paratus ad omnia, Christo maximè fidens; ab illa tamen effigie suilla nullo modo liberatus, ab illius horrendi spectri imagine haud exemptus est, nisi ex quo. S. Gregorio visum est vt baptizaretur. Ac partus ille rationis vsum nullum habebat. An temerè hæc Deus prouidit? Huc aliud argumentorum genus ex alio miraculorum genere producatur sexto loco. Athalaricus Italię Rex genere Ostrogotthus & Arianus hoc refert; ad fontem quemdam Lucanię quotannis die stata sacerdos accedebat vt baptizaret illius aqua: vbi preces baptismatis incipiebat, non quibus antea solebat fons meatibus fluebat; sed cursum cohibens sese in altum supra duos gradus attollebat: peracto sacramento, rursus sese demittebat; solitumque interinibat. hæc Athalaricus veluti rem notissimam, & magni omnino miraculi, refert apud Cassiodorũ. Audi modò euentũ contrariũ. Ariani q̃ nollent Filiũ Patri ęqualem, non iisdem verbis in baptismo vtebantur quibus Catholici, sed illorum forma immutata Filium significabant Patre minorem. Contigit igitur, quod sumus dicturi valde

Lib. 8. c. 35.

VI. Miracula fontium baptismalium.

Caßiod li. 8 epist. vlt.

admi-

admirandum, vt Arianus baptizaturus more suo accederet ad fontem aquarum plenum: vbi eò venit, continuò aqua omnis euanuit; quò fugeret, nullus apparebat exitus: noluit impio cultui se exhibere. id testantur Paulus Diaconus & Zonaras.

Quid igitur ad tanta miracula dicemus? An non sic possumus iure argumentari? Nullus adest intellectus aquis; & tamen obediunt efficaciæ baptismali supra suæ naturæ vires; hanc vim diuinitus hauriunt, vt non intelligentes pareant: ergo multo magis homo, propter quem fit baptismus, etiam si nihil aliud mente concipiat quàm priùs, imbibet infusis aquis vim parendi diuinis mandatis; suoque tempore ac loco supra naturæ suæ facultates attolletur, vt caritate prouehatur ad obsequia diuina. Nam qui Deus hæc miracula efficit, nisi vt hæc omninò sic concludamus?

VII. Non videtur illud prętereundum, cuius tota Roma testis est, ac quilibet sensu percipere in Vrbe potest. Anno Domini 68. vt Cæsar noster Baronius diligenter colligit, euenit S. Petrum in carcerem Mamertinum fuisse missum: adseruabatur à militibus Processo & Martiniano, qui multas ob causas S. Petri monitu nomen Christo dederunt: cumq́; non esset eo in loco ad illos baptizandos aquæ copia; mirabiliter è solido saxo fons erupit; è cuius aqua baptismus est administratus. Illud igitur primum miraculum, è lapide protinus emanasse copiosum fontē: quod acta sanctorum, quæ adhuc exstant, testantur. huic secundum accedit, post annos mille quingentos viginti non exaruisse fontem è sicco marmore fluentem. Quod verò superat omnia, & quiuis experiri potest, & plurimis est experimentis compertum; quantumuis inde haurias, nūquam tamen contingit exhauriri. altitudo est cubiti vnius, latitudo ferè palmi, quotannis eò totius vrbis Romæ concursu ventitatur: nemo est qui nō ex eius lymphis potet, sumatque: nihil imminuitur tamen. Atq; vt magis obstupescas; etiamsi nullus ex illo hauriat; in eodem tamen permanet statu; non exsuperat, aut redundat. Non te ablego ad Indos & Antipodas. Carcer Mamertinus est ad radices Capitolij, ibi fons, ibi locus: patet omnibus. Quid igitur dicemus? Nobis tot sunt ad rem diuinam operibus diuinis certissimò consignandam miracula, vt neque aduertantur, neque magni fiant. Numquid ergo haud poterit Deus per

aquas baptiſmi educere caritatis, iuſtitiæ, gratiæque cæleſtis riuos ex animo noſtro, quamuis ille nihil ex ſe huiuſmodi poſſit emittere, nullaque illi facultas ad hoc adſit, ſit inſtar duriſſimæ petrę ſaxique ſolidi obfirmatus aduerſus hoc? Eduxit Deus ex illo lapide & educit per tot annos fontem. non excitat lapidem dormientem, aut qui naturaliter id queat, & ſit adhoc paratus. Nihil minus. Qua de cauſa? niſi vt liquidiſſimè cognoſcamus, liquorem baptiſmi efficere, quod fons ille efficit per tot ſæcula perenni & inexhauſta emiſſione? Non temerè hæc facta, non temerè prouiſa. ſicut ille fons erumpit mirabiliter ex aridiſſimo ſaxo, neque exſiccatur, ſic per aquas baptiſmi gratia cæleſtis influens in animos noſtros erumpit, in optima cogitata & actiones.

De vi medica & innocua diuinitus addita aquis poſt baptiſmum.

CAP. XVII.

Claſsis ſexta teſtimoniorum.

NVnc duo audi maximè admiranda. Plinius libro trigeſimo primo, capite ſecundo, latè proſequitur admirabiles aquarum medicinas; innuere tamen videtur, aliquas non omninò credendas, quaſi fabuloſas. ſed ex quo Chriſtus aquis vim vitalem dedit, experimentis certiſſimis comperimus non modò quæ forſan aliqui fingebant, niti veritate noſtris temporibus; verùm tanta illarum copia vbique, & maximè inter Chriſtianos abundauit aduerſus omnem morbi vim, vt nulla ſit ciuitas, quę non habeat aliquem huiuſmodi fontē, vel riuum, in multis etiam regionibus ipſa flumina ampliſſima. Quod nę cui falſum videatur; in Germania antiquitus huiuſmodi ferè nulla erant, nunc plurima habentur, vt è Geographia etiam impij Munſteri apparet. Dixi ampliſſimis fluminibus poſt ortum Chriſti eamdem vim medicam communicatam. Non longè exempla adducam, quæ ſint occulta, & quæ ſcriptis conſignari haud potuerint, aut ab antiquis obſeruari. Quis Romæ degit, & ignorat, aquam Tyberis omnium maximè turbidam & lutulentam, in quo ſordes

Natura inſolita aquarum.

omnes proijciantur, intra vigintiquatuor horas vasis inclusam sit purgari, vt ab omnibus passim bibatur, optima sit, ceteris præcellat, & medicæ sint illi vires? Id causæ naturali adscribitur. Haud nego sed cur non ante Christum exstitit huiusmodi causa, vel non dedit hunc effectum, nullive vsui tali seruiuit? Nam qui id contigisse ante Christũ scripsere; & Plinium, Strabonemq; adducunt, omnino decipiuntur nihil huiusmodi ab istis de Tyberi affirmatur, quamuis eius laudes maximè celebrent: & quod adducũt quidam illud Virgilij, *Qui Fabarim, Tyberimque bibunt*, & illud Ouidij: *Et tanto est arbula pota Deo*, isti non aduertunt poetarum morem, qui flumina bibi à gentibus dicunt; quòd earum seruiant vsibus, aut etiam quandoq; bibantur in summa necessitate. Sic Virgilius dixit: *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim.* Si Tyberis aqua fuisset olim tam salubris, vt nunc, id non tacuissent Plinius & Strabo, qui fluminis huius singulas laudes recensent. An non hęc apertissimo argumento aquarum virtutem per Christum diuinitus maximè amplificatam? Possunt naturali, & ingenita vi per se corpus iuuare mirabiliter aquæ: Cur diuinitus immissa per se non possint animam? Poterunt multo magis. sic enim decet Burchardus natione Germanus, & fide dignus, veluti à se cognitum quod dicam refert: in Aegypto ætate sua fuisse fontem, quo Maria Christum sæpius abluisset. Inter alia miracula narrat Sarracenos illorum locorum solitos emittere fœtorem grauem, & accedere ad eum fontem; quo cùm se lauissent, non amplius malè oluisse. Poterit itaque è carnibus humanis educere malum odorem fons, non poterit diuina ope malas propensiones? non poterit facere vt Christi bonus odor simus, non excitando insitum odorem, & augendo, sed inspirando? non enim lympha illa excitabat è Sarracenorum corporibus, & educebat odorem bonum; sed expellẽs malum perse adspersione sua, vt solitus adesset, efficiebat. Aliud miraculum simile huic refert Otho Frisingensis lib. 7. capite trigesimotertio.

Plin. l. 3. c. 5. Strab. libr. 5.

De fonte in quo Christus est ablut᷑. *Bur. 2. par. c. 4. in descrip. Terræ sanctæ.*

VIII. De diluuijs antiquis, cur nunc tã raro tam magna.

Nunc audi postremò rem iucundissimæ contemplationis. Anno ab Orbis fabricatione millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, vt Genebrardus inter alios diligẽtissimè colligit, diluuium fuit vniuersale, quo genus humanum totum fuit octo exceptis absorptum. Inde post annum quadringentesimum octuagesimum exstitit Ogy-

gis diluuium; quod Achaiam prope totam, Græciamque submersit, vt è Diodoro Siculo, Varrone apud S. Augustinum, SS. Iustino Martyre, Clemente Alexandrino, Iulio Africano, Eusebioq;, & Orosio habetur. Post hoc annis circiter trecentis exstitit Deucalionis diluuium; quod similiter omnium maximum Græcis visum post ortum mundi anno bis millesimo quarercētesimo quinquagesimo septimo; quo cuncta illi prodidere absorpta: huius item meminit Orosius idem, diuersumq; constituit à diluuio Ogygis; sicuti & Eusebius adducens testimonia antiquorū, libro de præparatione Euangelica; in quo quantum ad rationem temporum videtur dissidere à chronico suo. Consentit his Pausanias in Acticis. Quocirca intra annos mille ducentos tres aquarum inundationes maximæ fuerunt; quibus tam latè tellus obruta est, vt crediderint antiqui totum genus humanum propè deletum. successere his aliquot minores, quibus multæ similiter regiones, plurimaque mortalium millia submersa: quarum nonnullas Strabo prosequitur libro suæ Geographiæ primo. ab illis diuerso tēpore Acarnia Ambracio sinu, Achaia Corinthiaco, Europæ atq; Asiæ loca latissima Ponto ac Propontide diuulsa, locaq; interiacentia abscorpta. Sic etiā mare perrupit Leucada, Antirrhium, Hellespontum, Bosphoros duos; interiacentem tellurem fluctibus operiens vsq; ad ætatem nostram. similiter auulsit mare ab Italia Siciliam, & multo ampliori interuallo à Syria Cyprum, à Boethia Eubolam, ab Eubola Atlantem, & Macrim, à Bythinia Bissbicum, ab Aphrica Hispaniam; quæ Plini⁹ scribit. Sed hæc sanè quamuis maxima videantur, nullius tamen sunt momenti, si recordemur eius quod Plato narrat in Timęo Atlantidem insulam longè Europa & Lybia maiorem à vorticibus maris vnà cum suis habitatoribus demersam.

Quibus sanè rebus exterriti antiqui, domicilia & vrbes in montibus altioribus constituebant, vt Aegyptius ille sacerdos in Timęo narrat: & ita nos factum cognoscimus in vetustissimis quibusque oppidis. Hinc Aborigines dictos vult Dionysius, quòd in montibus habitarent. & Vmbri nostri, qui in excelsissimis Italiæ montibus habent sedes habiti sunt antiquissimi: quasi qui ab imbribus superfuissent, inquit Solinus, ac Plinius: cùm tamen constet Noe nepotes in multis priùs locis concedisse. sed minora illi diluuia respiciebant; à quorum imbribus seruati sunt Vmbri.

Aug. li. 18. de ciuit. cap. 8.
Iust. ad gentes.
Clem. stro. 1.
Euse de præpara. l. 10. c. 3.
Oros. li. 1 c. 7.
Oros. lib. 1. c. 9
Plin. l. 2. c. 88

Quid

Quid illud, quod Strabo ſcribit libro decimoquinto, ab Indo flumine deletas pluſquàm mille vrbes aluei mutatione? ſed remota ad noſtrorum ſcriptorum memoriam non peruenerunt: alioquin multo certiùs ſciremus, quanta ante baptiſmum fuerit aquæ vis effera ad perdendas gẽtes, ac regiones. Mirandum ſit igitur, qua de cauſa diuinitus conſtitutum fuerit, vt poſt ortum Chriſti per tot annorum ſæcula nihil huiuſmodi, aut aliquo modo ſimile potuerint aquæ in humanum genus. omittamus autem minores aliquot clades ab ijs allatas: id certè conſtat eueniſſe, ex quo Chriſtus aquas conſecrauit ad vitę largitionem, eaſque vitales eſſe voluit, haud ampliùs adeò letales. Cæteris elementis aut rebus vti voluit quaſi mortis adminiſtris, cladiumque memorabilium, quibus magna ac nobilis aliqua pars mortalium fuerit abſumpta: noluit aquas ita vt priùs tantùm cladis humano generi afferre, quòd iã deſtinarentur ad vitæ inſpirationem. Veritas itaque ſibi ex omni parte reſpondet, & infima ſummis ita connectuntur, vt cuncta inter ſe apta mirabiliter contemplari poſſis. Ac ne putes exempla deeſſe maximarum cladium, quas attulerint aquæ in Italiam; nam reliquarum regionum monumenta nulla exſtant; ſatis ſit vnum producere. Narrat Plinius ex Mutiano ter Conſule, vbi nunc eſt palus Pontina, fuiſſe viginti tres ciuitates, quas aquæ deleuerunt. Videtur innuere contigiſſe hoc, anno ab Vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo primo. Nunc ſi forſan vna vrbs aquis opprimeretur, quas tragœdias Chriſtiani quidam molles, qui maxima Chriſti beneficia temporibus noſtris conceſſa non agnoſcunt, excitarent? vigintitres vrbes vnus annus inundationibus exſtinxit: idem verò fuit, quo ſcribit Liuius à Tyberi duodecies inundata Romę plana. Quid ad hoc ſcioli quidam dicent, qui Romæ oſtendũt lapides aliquot, ad quos diuerſis temporibus poſt multos annos Tyberis excreſcens peruenit? Mirum ſit igitur, nihil omnino ſimile Italiæ contigiſſe per annos prope mille octingentos. Inundationes namque illę euenerunt ante annos ferè ducentos, ex quo Chriſtus aquas baptiſmo ſuo conſecrauit.

Maxima in Italia, & Romæ diluuia.

Plin. li. 3. c. 5

Tit Liu. l. 38

Iam verò vt cognoſcas, non modò quot inundationes Tyberis, ſed quantæ eſſent, ſatis ſit eam retuliſſe, quam recitat Oroſius accidiſſe haud multo ante iſtas, de quibus ſcripſimus. Ille igitur narrat anno Vrbis conditæ 507. vel ſi Faſtos alios ſequamur, 512. inundationem talem his ver-

Oroſ. lib 4. cap. 11.

bis: *Tyberis insolitis auctus imbribus, & vltra opinionem vel diuturnitate, vel magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in plano posita deleuit. Diuersæ qualitates locorum ad vnam cõuenêre perniciem: quoniam & quæ segnior redundatio tenuit madefacta dissoluit; & quæ cursus terrentis, impulsa disiecit.* hæc Orosius. Quòd si mysticis rerum proprietatibus, & causis, vti decet, aures dandæ sunt; cùm veritas argumentis solidissimis humanam mentem conuincentibus est illustrata: qua de causa dicemus factum, vt postquàm Christus instituit baptismum, cessarint huiusmodi inundationes? cur noluit aquas ita vti priùs administras esse mortis, tantumque mortalitatis afferre? Nónne voluit palam fieri, ab illis mortem fugere veluti ab inimica potestate? An quæ vndis influentibus in intima nostra potest enecare, & tantum mali inuexit in homines aqua, haud possit eadem diuinitus ex aduersa lance sacrosanctæ adspersionis vitam nobis dare? An non maxima euenta maximarum rerum signa? Num temerè mundus fertur? Non cogitantibus hominibus tantum potuit aqua in ipsorum maximas clades, cohibitaq; est numine diuino; neque multo magis poterit ijsdem nõ cogitantibus, eo quo diximus modo, summa beneficia deferre, consilio numinis eiusdem sempiterno?

De Cæremonijs Baptismi.

CAP. XVIII.

Bene est vt videamus quæ pertinent ad cæremonias sanctissimas baptismi. atque vt omittamus, quæ dici possent de impositione manuum; hoc enim commune est singulis prope sacramentis, vt in ijs aliquo modo manus imponantur à sacerdote illa administrante; ad cetera progrediamur, ac reuocemus ad memoriam quod diximus, Deum per sacramenta diuinitatem suam nobis communicare, veluti per vim verè, ac diuinitus ingenitã solis & ignis calefacit, & vrit; per motum cælorum mouet hæc infima. An non hæc indicant verba baptismi, quæ sacerdos Dei personam sustinens ita profert? Ego te baptizo. quid? nomine meo? nequaquam: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cur autem tres nominat? Quia cùm conditus fuit Adamus, dixit Deus, Faciam? Nullo modo; Faciamus. Eadẽ namq; ratione Adamus hic noster

De verbis baptismi siue forma & figuris.

I. Ritus.

Ratio cæremoniarum in baptismo.

II. *Iustin. Apol. Cyril cat. 3. Col. 3. Cæremoniæ baptiſmi oſtẽduntur omnes è Paulo, & Patribus antiquis. Col. 3. Rom. 3. Heb. 10.*

eſt reficiendus ac reſtaurandus, ſicut olim factus eſt. Nudus creatus fuit ille; ſic baptizandus ſe exſpoliat, & induit nouas veſtes: quod Iuſtinus & Cyrillus Hieroſolymitanus Conſtantino æqualis tradiderunt. quò reſpexit Paul⁹, cùm dixit: *Nolite mentiri inuicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum*, & alibi: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Quamuis quæ aguntur in baptiſmo, in primis ſignificent, quæ Chriſto, deinde quæ Adamo contigerunt. Nam corpus eſt Chriſti, vmbra antiquorum, imago Chriſtianorum. Sic Paulus: *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum, non ipſam imaginem rerum.* Nos itaque interiecti ſumus, hinc vetuſtis, inde cæleſtibus adiuncti.

Luc. 3. Cur tres perſonæ nominẽtur in baptiſmo.

Quamobrem in baptiſmo tres perſonæ nominantur, Patris, Filij, & Spiritus ſancti. quoniam cùm Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne, certò ſe prodiderunt omnes. Nã Chriſtus, qui & filius, baptizatus adfuit: Patris audita eſt vox dicentis; Tu es filius meus dilectus, in te mihi cumplacui: Spiritus ſanctus, ſimilitudine columbæ aſſumpta, ſuper caput eius reſedit. Eodem modo Chriſtus exuit veſtimenta; quò reſpexit etiam Ioannes, cùm dixit: *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Audi præterea. ſcientiæ diuinæ lumen magna ex parte amiſit Adamus: ideoq; in tenebricoſas ſyluas, à conſpectu Dei fugiens, ſe abſtruſit: Chriſtus antequàm baptizaretur, in nemora ſola abſceſſit; ex his continuò egreſſus, mundum illuminaturus, baptizandus acceſſit ad Ioannem: tum cœpit docere; tum cæpit alijs illuceſcere. Ob has cauſas baptizandus accenſam candelam præfert, lumen fidei doctrinæque cæleſtis recepturus. Ideò Tertullianus baptiſmum vocat illuminationem. Tertullianum cum Græcis ſequitur Gregorius Nazianzenus. Id innuit Paulus, cùm dixit: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei.* Et alibi: *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* Ruſus ad Hebræos: *Rememoramini*, ait, *priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paßionum.*

III. Cur candelam fert baptizandus. Tertu. lib. de bapt. Epheſ. 3. Heb. 10.

Satanæ dicto fuit audiens Adamus: Satanam repulit in illo ſolo ſeceſſu Chriſtus: Satanæ, ac pompis eius renunciat, qui baptizatur. quod obſeruauit, cũ Dionyſio Areopagita Tertullianus. Afflauit Spiritu ſancto Deus Adamũ: afflauit Spiritus ſanctus corpus Chriſti ſpecie columbæ:

IIII. Cur Satanæ renunciet. Tertul. libro de bapt.

afflat

afflat baptizandos Sacerdos: vt recipiant, inquit Tertullianus, illum Dei spiritum, quem de afflatu eius acceperat Adamus, cum creatus fuit è limo. Porrò si cum Christo volumus restaurari, necesse est cum eo & moriamur, & cruci affigamur: ideò signo crucis frons notatur. Quod Paulus respiciens inquit. *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus, in Christo Iesu baptizati sumus*: & paulo post idem tractans. *Vetus homo noster*, ait, *simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*: & alibi: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Similiter Deus Adamo edixit fore vt plurimis vndique ærumnis premeretur; terra illi spinas, & tribulos ferret, donec in terram reuerteretur. Christus è sublimi dignitatis, & existimationis gradu deiectus, ac morte ignobilissima notatus, sepulchro fuit inclusus. Adamus è Paradiso deturbatus in hāc miseriarum vallem. Et nos aquis immergimur; vt cùm Christo deinde possimus resurgere: cuius quidem immersionis olim similitudo magis exprimebatur: nuda namque corpora lauacris submittebant: vnde egressi præseferebant cum Christo quasi è monumēto resurgere; vt immersio esset adumbratio Christi sepulchro inclusi, emersio signum resurgentis è sepulchro. Hoc obseruauit Origenes, & Auctor quæstionum, quæ Athanasij operib⁹ attexta, Athanasio adscribuntur. Et ante eos tradidit Paulus, cum scripsit: *Consepulti sumus cum illo in mortē per baptismum, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim cōplantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.*

V. *Cur affertur à sacerdote*

VI. *Cur signetur cruce.*

Rom 3.

VII. *Cur aquis caput immergat.*

Orig. in. c 6. ep. ad Rom. Ath. q 125.

Ac veluti Adamo duo sponsores adfuerunt mendacis promissi, serpens, & Eua. Christoq; Angeli ministraturi præsto fuerunt; vbi in illa solitudine Satanam superauit. Sic etiam in baptismo duo adhibētur sponsores: sic enim vocabant olim; quos nunc patrinos nominamus: vt appareret è Dionysio Areopagita, & Tertulliano. Id innuit Paulus cum dixit. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Per hæc igitur nobis restitui videtur imago illa pristina; quæ nobis fuerat à Deo pulcherrimis lineamentis, & colorib. impressa; quamq; conatus erat abradere, & obscurare impius Dæmon. Est aūt Christus splendor paternæ gloriæ; figura substantiæ eius. Et quid est Christus, nisi vnctus? Vngimur itaq; & nos, vt Christi simus, Christūq; induam⁹, ipsius imaginē nobis affigētes. Ob id Paul⁹

VIII. *Cur adhibeātur sponsores.*

Dion li Ecc. Hierar. c. 4. Tert. de bap.

IX. *Cur vngatur*

Gal. 3.

Quicumque, inquit, *in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et alibi. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginē cælestis.*

Ad summam mirabiliter conueniunt, quæcumq; fiunt in baptismo, ijs quæ Adamo acciderunt primo, & secūdo. Sic enim imago respondet vmbrę, sic corpori. Antiqua erant instar vmbræ; nostra imaginis sunt instar; Christus corpus. Nos medij inter vmbram, & corpus vtriusque aliquid referre debemus. Hic verò nullo modo sunt audiendi, qui pertinaciter contra sanctissimæ Ecclesię matris nostræ decreta; contra ipsius Christi sententiam contendere audent, infantibus Christianorum non esse necessarium baptismum. Apertè namq; Christus dixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Neminem excepit cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit*: cùm subiecit, *Non potest*, omnem præcludit aditum. Hanc verò esse illorum verborum vim, vt paruulis Christianorum filijs etiam necessarium sit baptisma tradunt Dionysius, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Origines, Cyprianus, Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Concilium deniq; Mileuitanum. Sed quid, si quis se totum Christo, Deoq; addicat; cupiatque sacris aquis lauari; morte tamen præuentus voto excidat; nónne hic euolabit suo tempore in cælum? sic est profectò: tamquam abortiuus hic cum sit adultus, qualem se Paulus dicebat, egressus est in auras, non mundi huius, sed cæli; baptismum non re, sed animi deuotione percepit. conceperat illum mater Ecclesia è semine verbi Dei, quod est omnibus commune, Euangelicæ fidei, ac doctrinæ: satis est: maiorem tamen inibit Dei gratiam, qui re simul, & voto, fuerit diuino lauacro ablutus. Hoc igitur sit semen, ex quo Ecclesia Christi sponsa purissimis congressibus fœcunda nos concipit, ac demum parit: vt renati quantum ad spiritum, renascamur deinde suo tempore quantum ad corpus.

Soluuntur aliquæ quæstiones maximè ad rem facientes.

I. *Quæstio de paruulorum baptismo.*

Dion. c. 2. & vltimo Eccl. Hier. Iust. q. 16. Iren. li. 2. c. 39. Tertul. lib. de bap. & de anima. Cyp lib. 3. ep. 8. lib. 59. Nazian. orat. 3. Orig. hom. in Leuit. c. 6. ad Ro. Aug. ep. 28. libr. 3. de peccat. remiss. Amb. in Lu. cap. 3.

II. *De ijs qui voto baptizantur.*

III. *Qua in re quo ad spiritū renascamur.*

Quocirca quæritur, qua in re spiritus noster ex hoc baptismi semine renascatur per Adamum secundum, secundamq; Euam, qui fuerat exstinctus per Adamū primum. Renascitur, vt possimus adspirare, & certo adspiremus votis ac factis ad diuina intelligenda & habenda: factus est enim Christus in spiritū viuificantem. Terræ priùs ac terrenis vnà cum vetere Adamo è superis exturbati eramus affixi; non poteramus extollere oculos ad cælestia contem-

templanda, non animum excitare ad illa desideranda; nec nos vllo modo mouere ad quærenda & potiunda: immer simus corpus, veteremq; Adamum sacris aquis, perinde ac si illum morti traderemus, cruci affigeremus, & sepulchro includeremus vnà cum Christo, tincti, ablutiq; ab omni sorde peccati: sic abstergentes omnem ex oculis caliginem, quæ nobis adspectum diuinum eripiebat, curantes omnem animi languorem; quo tenebamur ne progredi ad ea possemus, cum Christo simul è sepulchro terræ surreximus, quasi quoad spiritum denuò nati, nascituri postea suo tempore quo ad corpus: *consepulti enim sumus cũ illo per baptismum in mortem; vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus; hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Quãobrem subiicit idem Paulus alibi: *Deponite vos secundùm pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundũ desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* & rursus: *Consepulti enim baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis; & vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta, delens quod erat aduersus nos chirographum decreti.* & mox: *Igitur si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, & non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* hęc Paulus, vt comprobet ea quæ à nobis dicta sunt.

Rom. 6.

Sed quemadmodum qui nascitur, habet ille quidem quæ maximè, & omnino sunt necessaria ad integritatem corporis plerumq;, membris tamen est nequaquam valentibus, sed infirmioribus, quibus non potest inniti, nõ progredi, nulla onera ferre, sustinere, contraria à se non satis repellere, expedientia non bene ad se adducere; necesse est adolescat, peueniat ad ætatem quamdam, quæ confirmata sit, robur suum nacta: sic qui baptismo lotus est, qui è Christo & Ecclesia renatus quo ad spiritum, vim quamdam diuinitus sortitur intimam, qua rectũ videre & prosequi possit; sed imbecilla est, quasi paruuli infantis, cui tenuis sit spiritus. Hinc Paulus. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, Tamquam paruulis in Christo, lac vobis po-*

1. Cor. 3.

bis patum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Et qui huiusmodi est, communia quædam, & maximè necessaria scit, ac potest munere huius sacramenti, nisi aliunde forsan ad ampliora confirmetur: quin appetit tantùm quæ talia sunt, sicut pueri sciunt, ac possunt, quæ sunt admodum vniuersalia, sine quibus nec consisterent. Hinc agnoscunt illi parentes, nutrices, domesticos; ignorant ceteros, & auersantur: ora possunt admouere vberibus, lac sugere, brachia collo applicare, inde pendere, ad alia nec satis idonei, nec satis propensi: iure nam si conarentur; quod non valent, deficerent, periculum foret ne membra luxarentur, aut aliquem morbum incurrerent. Idcirco Petrus: *Sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Bene igitur baptizandis communia quædã ac maximè necessaria doctrinæ Christianæ capita credenda, & ediscenda proponuntur: vt deinde adulti maiora spirent, audeant, possint, exsequantur: atque ita spiritu, quo sunt renati, robustiores effecti, magis ac magis in dies morti tradant, & cruci affigant veterem Adamum carnem nostram, cui perpetua est cùm spiritu nostro pugna: atque ideò magis ac magis in dies illustriores resurgant cum Christo, Christique & Dei fiant: Exspoliantes, inquit Paulus, veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius, qui creauit illum: vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia & in omnibus Christus; cui occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: nec simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinę. Et meritò incipit à spiritu renouatio: ab illo namq; cœpit casus, cùm primus homo adspirauit ad diuinitatem: dictumq; est illi: *Eritis sicut Dij, scientes bonum ac malum.* Ac veluti tunc falsam scientiam sectatus in varios incidit errores, aberrans à Deo summa veritate: sic modò est necesse, vera imbuatur scientia fidei diuinæ, quã violauit astu Dæmonis fallacissimè circumuentus; & per legitimos tramites ad eam diuinitatem possit adspirare ac peruenire, cuius specie inani à serpente obiecta, miserrimè delusus fuit.

Petr. 2.

IIII. *Cur à spiritu incipiamus renasci.*

De homine per baptismum renato.

CAP. XIX.

APertiùs adhuc est explicandum nobis, & aperiendum singillatim, quomodo è Christo renascamur, & Ecclesia. Primum quantum ad spiritum; deinde quantum ad corpus: sic enim clarius fiet, gratiam conferri attritis per sacramenta, & per ea nouum aliquid creari. Igitur quemadmodum mascula, vi sui seminis excepti à fœmina, distinguunt in sua membra & suos articulos fœtum; quem concipit illa, subdens masculo semini materiam; quę conformetur, ac specie sua per singulas partes adornetur: sic Christus, qui diuinitate ac virtute sua rerum vniuersitatem pertingit, efficacitate seminis sui, interserit se mentibus nostris. Hoc autem semen creat intimè in animis nostris nouellum hominem, quasi paruulum Christum, qui nihil non diuinum spirat, positusque est in quadam mentis nostræ diuinitur immissa propensione ad amandum præ cunctis Deum, sectandaq; Christi vestigia, vsq; ad intimam arctissimamq; cum illo mentis & corporis coniunctionem. Is quasi aluo materno embryo: sic aqua, aiebat Chrysostomus, aluo Ecclesiæ continetur, fouetur, ac formatur institutione, doctrinaq; matris nostræ: in auras diuinas editur, veluti assecutus omnia membra, & artus omnes baptismi sacramento; idq; quamuis sua culpa interdum gratiam diuinam non assequatur. Nam satis est, velit ritè alioquin suscipiens baptismũ, id agere, quod Ecclesia vult agi. Renascitur enim, filiusq; Ecclesiæ fit per baptismum ratione productionis saltem, si non ratione imitationis. Et quemadmodum semen à terra exceptum, efficacitate sua qua nititur fœtum producere, terræ circũstantis partes à crassiore materia puriores sibi adglutinat, & in suũ fœtum conformat, coeuntibus simul, & adiuuantibus calore, luce, ac motu; qui cælitus desluentes, ac cuncta permeantes, insitam vim seminis promouent, & educunt: sic semen illud diuinum ab animis nostris exceptum puriores mentium nostrarum partes sibi adiungit; & in suum fœtum, qui paruulus est Christus, spiritu cælesti conformat: Christusq;, qui peruadit omnia potestate humanitatis ac diuinitatis suæ, quiq; est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & ignem sui caloris venit mittere in terram, &

Christus per suum semen creat in nobis hominem nouum.

Hic Homo nouus paulatim nos sibi totos ad glutinat.

vita est in motu posita, luce, calore, motu q; suo prouehit innatam seminis vim; quæ magis ac magis in dies diuino spiritu virtutem suam amplificante perscrutatur intima mentis, ac profundissimos eius recessus; vt maximè illam sibi adstringat, vnamq; secum faciat, & Christo quàm simillimam reddat: inde vires exerit, corpus inuadit; vt illud etiam suo tempore Christi corpori geminum reddat, & efficiat.

Ephes.3.

Hic igitur nouus homo spiritu constans, de quo Paulus sic ad Ephesios: *Deus det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.* Est autem genitus voluntate diuina hic homo intimus, veritatisq; agnitione: voluntate, inquam, diuina, & qua voluit Deus, & nos voluntati eius adhærentes voluimus: veritatis agnitione, qua nostros animos luminum pater illustrauit, immutans illos, cùm sit ipse immutabilis, discutiens ex illis vmbras omnes, quæ suæ lucis adspectum possent eripere. *Omne datum optimum,* inquit Iacobus, *& omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicißitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Atq; in penetralibus mentium nostrarum versatur hic homo ab oculis humanis absconditus, sed superis bene cognitus, & Deo, quibus cum magna intercedit consuetudo; qui tamen ex suis effectib⁹ extrinsecus etiam rectè cognoscitur. Ob id Petrus: *Non sit,* ait, *extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Versaturq; cum cælitibus, quos maximè amat & colit, vt ex eorum consilijs, & monitis intimis, Christi similitudinem magis assequatur: à quo illud etiam exspectat, vt corpus ipsius ad eamdem figuram cum suo perducat. *Nostra autem conuersatio,* ait Paulus, *in cælis est, vnde etiam exspectamus Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ac sunt hic nobis obseruanda verba illa Iacobi, quibus asserit apud Deum non esse vicissitudinis obumbrationem. In Græco namq; est τροπῆς ἀποσκίασμα, quod reddi potest, conuersionis adumbratio; vt sit, quod aduertit interpres quidam, huiusmodi sententia: Sol quidem vbi propius accessit ad Aquilonem, tunc conuertit cursum suum ad Austrũ: id accidit ęstate media:

Iacob.1.

Lætet in occulto.

Cum cælitib. versatur.

deinde vbi factus est vicinior Austro, conuertit iterum se ad Aquilonem: huiusmodi conuersionibus suis efficit ille maiores vmbras, efficit ortus, incrementa, maturitates omnium rerum. *Generatio præterit*, ait Salomon, *& generatio aduenit: terra autem in æternum stat. Oritur sol, & occidit; & ad locum suum reuertitur.* Sol igitur hisce conuersionibus seu vicissitudinibus cuncta perlustrans, res gignit: Deus autem non ita: nulla apud eum mutatio, nulla conuersio, aut vicissitudo. Quamobrem bene Petrus dixit, hunc hominem esse in incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus. In Deo namque is moratur, in quo viuimus, mouemur, ac sumus; in eo quiescit, neque ab illo se mouet. Et cùm Deus sit vbiq;, neq; apud eum sit transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio; non est quòd ille vsquam progrediatur; est in incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus.

Bene similiter idem Petrus vocauit nos renatos è semine incorruptibili. Alia namque semina corrumpuntur; atque ita ex eis corruptis fœtus prodit: huic non ita cōtingit, permanet incorruptum; augeturque fœtus eius homo interior è corruptione hominis exterioris. Licet is, inquit Paulus, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouàtur de die in diem: Quomodo verò corrumpatur homo vetus, corporatus, exterior; renouetur autem nouus è spiritu constitutus, interior, aperiunt nobis alibi tum Petrus tum Paulus Apostolorum principes. Corrumpitur ille quantum ad duo, desideria, & ignorantiam. Renouatur hic desiderijs, & veritatis agnitione. Audi Paulum; *Deponite*, scribit ad Ephesios, *secundùm pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris: renouamini autem spiritu mētis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Audi Petrum; *Sperate*, ait, *in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Iesu Christi, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs.* Quod igitur Paulus dixit, corrumpi veterem hominem desiderijs, hoc pertinet ad volūtatem; quod subiecit, erroris, hoc refertur ad intellectionem. ideo bene addit, renouandum quantum ad iustitiam, quæ sita est in voluntate; & quantū ad veritatis sanctitatem, quæ spectat ad mentem. complexus est vtrumq; breuissimis Petrus, cùm monuit, ne configuraremur desiderijs ignorantiæ.

Semē est quo renascitur incorruptibile. 2.*Cor*.4.

Augetur è corruptiōe hominis exterioris, & quomodo. *Ephes*.4.

Discrimen adhuc aliud est nobis aduertendū inter hæc

ſemina diuina, & alia concreta. In his non eſt vllo modo, niſi vi ſua, mas generans; à quo ſemen in fœminam profunditur: nam ſimul atq; profudit, abeſt, tantum reliquit ſemen genitale. At in ſemine diuino, ex quo nos Chriſtus & Eccleſia gignunt, & ex quo renaſcimur, adeſt Deus, Chriſtusq; diuinitatis ſuæ præſentia, atq; ita adeſt, vt intimè in illis inſit, illa excitans, promouēs, amplificans, diſtinguēs, & perfectiſſimè ornās ſemper, quouſque pertingamus ad ſummum bonum ſummamq; veritatem: quorum alterum intelligentia, alterum voluntas appetit. Ex his fit, vt homo hic quo ad voluntatem cunctis perficiatur virtutibus: quæ Paulus reſpiciens adhortatur Coloſſenſes vt *exſpolient hominem veterem, nouum induant, eum qui renouatur* (ita loquitur) *in agnitionē ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.* & poſtea ſubdit: *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit nobis, ita & vos. Super omnia autem hæc caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exſultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore.* Ruiſus corrūpitur homo vetus quantū ad intelligētię infirmitatē. Rectè namq; Philoſophus dixit, mentē noſtrā ita ſe habere ad contēplanda diuina, vti ſe habet oculus veſpertilionis ad lumen ſolis. Hæc igitur debilitas ab ea tollitur, vt poſſit aciem ſuam in cœleſtia defigere, nedum intendere. *Induite*, inquit Paulus, *nouum hominem, eum, qui renouatur in agnitione ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.*

Coloſſ. 3.

Sed quod maioris eſt momenti, id nullo modo nobis eſt ſilentio prætereundum. Ita fert animi noſtri natura, nihil vt videat, niſi appingatur ipſi illius rei, in qua figit obtutum, imago. Idcirco cùm contemplamur aliquid, proponimus nobis ante oculos mentis ſimulachrum aliquod illius; ſicut oculus corporis nihil intuetur, niſi pupillæ illius affingatur imago rei, quam conſpicit. At homo hic interior, qui renaſcitur è Chriſto, perrumpit omnia ſimulachra exteriori homini affixa, & in Deum fertur ſine vllius imaginis interiectu contemplandum, diuinitate vndique circumfulgens. Quod Paulus iis verbis deſcripſit: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.* Quamquam, vt ita Deum ſancti contemplentur, dum viuunt, non omnino aſſequuntur, ſed ex parte. *Ex par-*

2. Cor. 3.

te, inquit, *idem cognoscimus, & ex parte prophetamus; videmus enim per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut, & cognitus sum.* Elegantissime hoc descripsit sponsa in Canticis, cùm cecinit: *En ipse stat post parietem nostrum prospiciens per fenestras, respiciens per cancellos.* Mens enim nostra Deum prospicere solet interdum per rimulas fenestrarum, & cancellos; è quibus dignoscere possumus aliquem, qui sit; sed qualia sint eius lineamenta, qualis forma conspicere non possumus. Hoc igitur modo nos renascimur. Nouellus homo non corporatus, sed spiritu constans in aditis animi nostri creatur ab Ecclesia & Christo: is mentem primo; deinde corpus sibi adglutinat: in illo homine Deus & Christus inest: augetur è corruptione hominis veteris. corrumpitur homo vetus alia intelligẽdo ac volẽdo, q̃ quæ priùs corrũpitur valentiùs intelligendo; corrumpitur acutiùs penetrando. Valentiùs quidem, quòd qui diuina vix poterat contemplari, quasi solem vespertilio, possit facillimè. Acutiùs autem, quòd sine vlla imagine intermedia in Deum sese insinuet, dum viuimus hic ex parte, postea demum omninò. Quod si valentiùs, & acutiùs mens nostra intelligit; valentiùs & acutiùs volet: sequitur enim voluntas intelligentiam: nam quæ ignoramus, quomodo volemus? Est porrò sciendum Ecclesiam Christi esse sponsam. Verum id quidem: nihilominus tamen & quæuis anima Christi sponsa dici potest ac debet, vbi illi intimè animi studio adhæserit. Bene enim Doctor gentium non ad omnes, sed ad quosdam scripsit: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et nónne corpus Christi, corpori nostro sanctissime coniungitur Eucharistiæ sacramento, carnesque nostræ carnibus eius sanctissimè copulantur? Sic est profectò. Tradunt autem filios concipi, & edi in lucem parentibus quàm simillimos, vbi illi ardentissimè inter se amant; & cùm coëunt, toti sunt alter in alterius forma contemplanda. Habemus exempla rei huius in Iacobo; qui cùm suum non posset exigere à Labano socero; quod alia via non poterat, id arte est aggressus: conuenit cum illo, vt q̃ nascerentur oues variæ, & maculosæ, illæ spectarẽt ad Iacobũ; qui cùm duceret eas potũ, eæq; tũ coirẽt, subijciebat aquis decurrentibus varij coloris virgas, in quarũ adspectu defixæ concipiebant & ipsæ coloris varij fœtus. Hæc igitur ita sunt, vt apparet. Et mens itaq; nostra, vbi adiuncta huic

Colligit summatim quæ dicta sunt.

Dictum est in principio, hunc hominẽ nouũ positum esse in intima propensione erga Deũ & Christum sectandum vsq; ad mentis, & corporis arctißimã coniunctionẽ. dictũ de mente, nũc de corpore.

Gen. 30.

homini nouello feretur impetu vehementissimo in Christũ Deũq;,totaq; erit in illius amore & cogitatione, altissimè, penitusq;,&ex omni parte, ipsius imaginem sibi insculpet. Est in historijs visos aliquãdo tres soles: id accidit ea de causa, quòd nubes aliquæ in orbem conformatæ, solidaq; intus materia conflatæ, solem excipientes, ex aduerso solẽ reddebant. sic igitur animis nostris continget. Quid ergo mirum, si legimus sanctissimos viros interdum maximum ex se splendorem emisisse; quod Moysi contigit in monte Synai, Christo in monte Thabor? Quid mirum si euecti sunt vsque ad nubes, spiritu eos diuino sustollente? Et Frãcisco nónne eadem quę Christo vulnera diuinitus impressa? Cor ego Claræ virginis vidi omnibus Christi passi insignibus, quamuis antiquitas nonnihil ijs detraxerit, mirabiliter insculptum. Paulus de se asserebat apertissimè: *Viuo iã non ego, viuit verò in me Christus. Quòd autem viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Habebat intimè Christum Paulus sibi insitum, vel animum suum verius insitum Christo; idcirco dicit: *Viuo, iam non ego.* & quoniam fidebat, persuasissimumq; ipsi erat, fore suo tempore, vt corpus suum Christi corpori simile per omnia redderetur, vt alibi sæpè scribit, subijcit: *Quod autem viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Hinc Christi plenus aiebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Progrediamur, ac reuocemus ad memoriam, Christo datum vt corpus eius esse in pluribus locis possit: ingreditur verò illud corpora nostra per Eucharistiæ sacramentũ, & illis se penitus adiungit, potestatẽ dans ijs munere diuino collatã, qua possint aliquando resurgere, & Christi corpori simillima existere. *Tum Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ:* euenietq;, vt animo & corpore quiuis dici possit renatus secundùm imaginem eius (addit Apostolus) *qui creauit illum, vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber. sed omnia & in omnibus Christus.* Hoc autem quid est, Erit omnia, & in omnibus Christus? non enim corpus abibit in nihilum, vel animus; sed Christus inerit in nobis intimè, eo quo diximus modo. *Scimus enim* (Vas ait electionis) *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati; eò quòd* noil-

Gal. 3.

Philip. 3.

Col. 3.

2. Cor. 5.

nolumus exspoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audin' nos effici à Deo, non vt abeat in nihilum quòd habemus, sed vt absorbeatur quòd mortale est à vita. *Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, tũc fiet sermo* (scribit Apostolus) *qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua?* Quo circa & Petrus asserit nos fieri saluos per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ participes efficeremur. Igitur patet ex his, omne quòd est in nobis infirmum, mancum, mortale abire in vitam, vitæ adhærescere, quemadmodum ferè si guttula aquæ mari admisceatur, ab ipso absorbeatur, deglutiatur. Atq; hoc est, quod Paulus vocat superuestiri nos, non exspoliari. Permanebit tum mens, tum corpus nostrum: sed cùm vestitum sit vtrumque suis affectionibus, superuestietur adhuc alijs, atq; alijs: quæ quoniam diuinitatem deferunt secum, futurum est vt absorbeant illas, deglutiant, amplitudinis & æternitatis suæ potentia, atq; immensitate. Et quidem apparet hoc ex ijs, quæ de animo nostro sunt hucusque disputata; cuius cùm duplex sit vis, & qua volumus, & qua intelligimus; vtraq; diuinitatis intimo illapsu, & adiunctione perpetua renouatur, firmatur, & extollitur ad summum, & quadam quasi infinitudine amplificatur, & dilatatur. At corpus cùm nihil ferè nũc habeat illustre & splendidum, potiùs obscuræ caliginis amictu tenebroso sit opertum, septuplo solem fulgoris sui micantibus vndiq; radijs superabit: cumq; grauitatis ingenitæ pondere, soliditatisq; crassitudine sic circumdatum, penetrabilis cuiusdam subtilitatis agilitate sic adornabitur, vt solidissima quæque minimo temporis interuallo peruadere possit: corruptioni nunc est obnoxium; languoribus & morbis obsidetur; incorruptionem tunc induet, robore incredibili armabitur. En quomodo superuestiemur. En quomodo mors deglutietur, quod mortale est absorbebitur à vita. En quomodo è Christo, & Ecclesia renascemur quo ad spiritum, & quo ad corpus.

1. Pet. 3.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EGVBINI, LIBER II.

De legis antiquæ ac nouæ scriptione, & renati hominis in Ecclesia diuino incremento.

CAP. I.

Renatus est homo è Christo sponso, & Ecclesia sponsa, è semine, inquit Petrus, incorruptibili baptismi, quod suscipit illa in pudicissimo congressu & coniunctione corporis sui cum corpore Christi per Eucharistiæ sacramentum: quod à Paulo obseruatum Methodius explicauit. Renatus est autem quantum ad spiritũ, vt postea renascatur quantum ad corpus: sed paruulus est. Videamus, quomodo adolescat, & perueniat ad ætatem virilem: simulq́ue ostendamus, quod initio polliciti sumus, qua ratione restituantur maximè homini bona animi, quibus est exutus; atque ita restituantur, vt spiritus illi potissimùm sit vnus cum Deo. Constat inter omnes de vera fidei doctrina bene sentientes, Christum Deum simul hominemque esse. Hac in re tam sublimi, penitusq́ue diuina, fuêre qui dicerent Christi duas fuisse naturas, duasq́ue personas, diuinas scilicet, & humanas, hinc inde separatas. In hac hæresi fuit olim Nestorius; cuius opinio pestilentissima diris est addicta, cum suis sectatoribus in Concilio Ephesino, cui præsedit Cælestini Pontificis nomine Cyrillus Alexandrinus. Contra fuêre, qui assererent vnam Christi fuisse naturam simul & personam, diuinam scilicet; ita vt humana in diuinam prorsus abierit. In hoc errore fuit Photinus, & Eutyches cum suis. Ecclesiæ Catholicæ hæc est sententia: Christi duæ naturæ, vna persona. Fingamus exempli gratia arborem, è cuius stipite rami tres prodeant; horumque vni ponamus insertum surculum alterius naturæ: ramus profectò hic vnus est à primo stipite enascens; naturæ duæ, tum primæua, tum insita. sic Dei vna natura, quasi stirps vna: rami tres, quasi

Quæstiones explicandæ

si tres personæ: harum vni personæ, veluti ramo inserta, surculi instar, humana natura; vt duæ sint naturæ, vna persona. Hinc fit vt quidquid à Christo vt homine factum est, aut fiet; quamuis illud ab humana proficiscatur natura; id esse Dei dicatur; perinde ac poma ex inserto surculo enascentia, rami illius, atque adeò arboris esse dicuntur. Quòd si similitudo allata nimis absona videtur (nihil enim potest omnino conuenire) adducamus id, quod nonnullis magis placuit. Quidquid ab homine fit, id profectò ipsi est adscribendum: & quædam tamen ab animo in primis, quædam à corpore fieri videmus; quorum quoduis est alterius ab altero naturæ. Velle, & intelligere, animi est: tangere, comedere, corporis: & tamen homo verè vult, intelligit, tangit, comedit: eodem modo, quæcumque ad Christum spectant, siue illa ab humana, siue à diuina proficiscantur natura, personæ diuinæ adscribi meritò debent, ita vt actiones & opera Dei dicantur esse. Nam quod est humanæ naturæ in Christo, quæ personæ diuinæ innititur, id personæ diuinæ meritò tribui potest. Ex hoc colligitur, si Christum spectemus, eumdem Dei & hominis esse spiritum, corpus, & regnum: eadem animi, corporis, & extrema bona. Nos autem Christum induimus in baptismo. Erit igitur in nobis idem, sed non eodem modo: ille namque natura Deus est, nos adoptione: id est non nati sumus huiusmodi; sed postea ad id vocati, è principijs naturalibus id non habentes. *Accepimus enim*, inquit Paulus, *spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.*

Sententia catholica.

Primæ quæstionis prima solutio.

Sed videamus adhuc enucleatiùs ac limatiùs, quæ dicuntur; & aliunde exordiamur. Antiquitus, vt omnes norunt, data est per Moysem lex populo Hebræo in monte Sina, quinquagesimo die, ex quo egressus est ex Aegypto; agnumque paschalem mactauit, cùm quadragesimo à transitu maris rubri die consedisset ad radices montis: ea lex tabulis lapideis est incisa. Sed cùm Deus ab æterno tempore statuisset forè vt humanum genus in tot ac tantas miserias demersum mirabili modo, vt aperiemus, renouaretur per Christum; simul etiam statuit legem suam cordibus hominum aliquando non ampliùs tabulis lapideis inscribere. Sic enim Deus per Hiere. *Ecce dies venient, dicit Dñs: & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum, quod pepigi cùm patribus eorum in die, qua apprehendi manũ*

Initium secundæ solutionis.

Cap. 31.

eo-

eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactũ quod irritum fecerũt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. & mox: *Dabo legẽ meã in visceribus eorũ, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* sic Deus per Hieremiam prædicit inscribendam in cordibus legem, in voluntate scilicet, & intelligentia: vt intelligamus, ac velimus, quod Deus vult nos intelligere, ac velle. Et quemadmodum in corde principium motus, inde in omnes corporis partes dimanat: sic animo nostro per huiusmodi scriptionem procliuitas quædam inseritur, qua propendeat ad omnia diuina peragẽda: ita vt à corde nostro, à nobismetipsis desciscamus, vbi à diuinis præceptis desciscimus; cordis nobis fibras auellamus, vbi impetũ diuinitus animo insitum non sequimur. Consentit cum Hieremia Ezechiel dicẽs: *Et effundã super vos aquã mundam, & mundabimini ab omnib. inquinamentis vestris & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos; & dabo vobis cor nouum, & spiritũ nouũ ponã in medio vestri: & auferam cor lapideũ de carne vestra, & dabo vobis cor carneum & spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Audiamus Paulum eadem cum Hieremia & Ezechiele dicentem: *Epistola nostra vos* (scribit ad Corinthios) *estis.* & mox. *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hæc Paulus vocans homines epistolam Christi scriptam spiritu in cordibus.

Quid sit legẽ scribi in corde.

Cap. 36.

2. Cor. 3.

Sed qua ratione hæc facta sint videamus. Quinquagesima die, ex qua Christus, qui verus est agnus tollens peccata mundi, mactatus est, & resurgens eduxit populum suum non ex Aegypti Pharaonisque ergastulo, sed Limbi, vt vocant, in quo sancti Patres detinebantur, aliosque ex ergastulo similiter peccati, cuius ceteri vix poterant effugere tyrannidem, quin dum viuebant in alia atque alia scelera miserrimè sese induerent, scripta est lex diuina in cordibus Discipulorum; cùm quadragesima die, ex qua Christus surrexit, quasi è mari rubro sui sanguinis effusi, conuenissent in cœnaculo quodam, quod erat in monte Sione: & dum complerentur dies Pentecostes, Spiritus sanctus è cælo delapsus animos illorum penitus afflauit ac repleuit. Et quemadmodum post quadraginta dies, transmisso mari rubro gens Hebræa vidit columnam nubis in altum sese attollere supra monten Sina, quasi illa in cælum asscẽderet, vt apparet ex illo psalmo, cuius est initium: *Exsurgat*

Quo tempore scripta sit lex diuina in cordibus humanis.

Deus, & dißipentur inimici eius : ac Deus ipse, qui columnæ, quasi currui cuidam insederat, deuictis Aegyptijs hostibus suis, vnà cum populo Hebræo spolijs inimicis onusto triumphum duceret : sic Apostoli post quadraginta dies, ex quo Christus è sepulchro veluti mari rubro transmisit, & vnà cum populo Hebræo, cæterisq; quos eduxit de Limbo, surrexit, viderunt illum, qui fuit ipsis instar columnæ, cui inniterentur, in cælum ascẽdere: *cùm deleuit quod ad uersus nos*, ait Paulus, *erat chirographum decreti*, quo obligati eramus ob nostam culpam, non Pharaoni, sed peccato, *quod* quidem chirographum *erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : & exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso ; & ascendens in altum* (scribit alibi idem) *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?*

Collatio nouæ, & antiquæ legis, cũ datæ sunt.

Colos. 2.

Ephes. 4.

Sic igitur mons Sionis erit pro monte Sinai; mactatio Christi, pro mactatione agni paschalis: comestio Christi corporis, pro comestione agni illius; liberatio è seruitute peccati, pro liberatione è seruitute Pharaonis; eductio populi Hebræi, quorum nonnulli in vinculis erant, & habitabant in sepulchris (vt è psalmo illo, qui incipit, Exsurge Deus, constat) pro eductione Patrum è Limbo; quorum nonnulla corpora è monumentis, vt est in Euangelio, cùm cruci Christus est affixus, exierunt: Exspoliatio inferorum, à quibus erepti Patres illi; & exspoliatio omnium Christi inimicorum, à quibus cuncta ablata bona ac tradita Christianis, vt potestas ac dignitas Imperij Romani, scientia Græcorum, religio Hebræorum; pro exspoliatione Aegyptiorum, quibus Iudæi abstulerunt pretiosa omnia: sanguis Christi, pro mari rubro: emersio Christi è sepulchro, Patrumq; cum ipso ex inferis, pro emersione Hebræorum ex inferis rubri maris locis: quadraginta dies à resurrectione Christi, vsque ad id tempus, quo dixit Discipulis suis: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*: pro quadraginta diebus, qui intercesserunt, ex quo Hebræi surrexerunt è mari rubro, & consederunt ad radices montis Sinai: ductus Christi, pro ductu columnæ: terræmotus in resurrectione, pro terræmotu qui accidit emergentibus è mari rubro Hebræis, de quo habetur in psalmo: *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob* : & *Montes exsultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium* : &, *Terra mota est* : et

Psal. 113. *enim cæli distillauerunt.* Afcenfio Chrifti, pro afcenfione columnæ: quinquaginta dies à refurrectione Chrifti vfque ad illapfum fancti Spiritus, pro quinquaginta diebus ab egreffu ex AEgypto vfque ad datam legem: linguæ igneæ demiffæ fupra capita Apoftolorum, pro lingua illa, de qua pfalmus canit, Hebræum populum in monte Sinai audiffe linguam, quam non nouerat: animi Difcipulorum diuino fpiritu afflati, pro tabulis lapideis, & earum lege: fpiritus amoris, gratiæ, & veritatis, quo repleti funt Apoftoli, pro fpiritu timoris, minarum, & caliginis montem Sinai replentis, quo concuffi fuerunt Hebræi dicentes: *Loquere tu nobis Moyfes; non loquatur Deus.* denique cæleftia, pro terrenis: diuina, pro humanis. Sina namque in feruitutem generat, inquit Paulus de lege antiqua loquens: Hierufalem, in qua mons Sion, in libertatem. Liber autem folus Deus cum filijs fuis. Hinc illa: Ego dixi Dij eftis, & filij excelfi omnes: &, Vbi fpiritus Domini, ibi, libertas. Sumus autem filij quo ad fpiritum in primis; vt oftendemus; cui prælium iuge cum carne, quæ peccato feruit, ait Paulus. Ab hac feruitute liberat eam fpiritus, dum quotidie pugnat, & hoftes infultantes interficit; qui è carne, quafi ex arce, tela prauarum impulfionum torquere non ceffant in fpiritum. Spiritus autem propellit ea, fortis in fide, ac retorquet tela hoftilia, donec exturbatis ex arce inimicis, atque ad internecionem datis, à tyrannide hac impia carnem liberet, & ad incorruptionem demum tempore refurrectionis perducat: tum verò perfectè filij Dei erimus, quo ad animum, & quo ad corpus.

Psal. 80.

Gal. 4. Psal. 81. 2. Cor. 3.

Heb. 12. Nunc igitur, fcribit Paulus de antiqua & noua lege, *non acceßiftis ad tractabilem montem, & acceßibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ fonum, & vocem verborum: quam qui audierunt, excufauerunt fe, ne eis fieret verbum: non enim portabant quod dicebatur, Et fi beftia tetigerit montem, lapidabitur. Sed acceßiftis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierufalem cæleftem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclefiam primitiuorum, qui confcripti funt in cœlis, & iudicem Deum, & fpiritus iuftorum perfectorum, & teftamenti noui mediatorem Iefum.* Hucufque Paulus. In monte itaque Sionis factus eft Chrifti Dei, & Ecclefiæ maximè fpiritus vnus; qui intimè in animos Difcipulo-

rum illapsus, diuinam legem cordibus eorum inscripsit. Hinc illa tot præclara oracula, tot excellentia præconia montis eius in diuinis libris. Sic enim Christus de semet ipso; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.* Montem Sion vocat spiritum diuinum eo in loco Ecclesiæ intimè infusum: montem Sion vocat Ecclesiam tunc Deo firmiter adiunctam. Huc Isaias respexit, cùm cecinit: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles* (nimirum Dei Ecclesia, Deo copulata, est omnium altissima) *& fluent ad eum omnes gentes* (quid est, fluent? nisi quod abluti flumine diuino, baptismi scilicet aquis, fluunt?) *& ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Ecquando verò hæc contigerunt? nónne cùm Petrus habuit illam concionem primam post acceptum Spiritum sanctum in Sion, qua conciliauit Christo tria ferè hominum millia ex omni natione? Quam rem prospiciens multa ante sæcula Isaias, sic inducit Deum loquentem, & propè admirabundum: *Quis audiuit vmquam tale, & quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos? Numquid ego, qui alios parere facio; ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Hæc Isaias, apertissimè explicans terram die vna parituram; quia ex omni gente plurimi ad Christi cultum perducti sunt ea die, ac tum primùm cœpit è sua sponsa filios habere Deus. Synagoga namque, si comparetur Ecclesiæ, quæ nunc est, Christianæ, locum tenuit ancillæ: ideo Agar Ægyptiæ comparat eam Paulus. seruos illa plerumque, non filios Deo pariebat: nos autem non sumus ancillæ filij, sed liberæ; qua libertate nos Christus donauit. Benè igitur Isaias inducit Deum sic loquentem: quasi nondum filios vllos solitus fuerit suscipere, sed seruos; quos non amor Deo coniungeret, sed plerumq; timor ad Deum compelleret; non Deum spectarent, sed mercedem. Hinc Paulus: *Quicumq. spiritu Dei agũtur, hi sunt filij Dei: nõ enim accepistis spiritũ seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritũ adoptionis filiorũ Dei, in quo clamam⁹ Abba Pater. Ipse n. spiritus reddit*

Summa eorũ quæ dicta sunt, ac secundæ solutionis.
Psal. 2.
Act. 2.
Cap. vlt.
Gal. 2.
Rom. 8.

testimonium spiritui nostro, quòd filij Dei sumus: si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Quanto interuallo distent antiqua à nostris.

Stet igitur, nobis restituta sic esse animi bona per Christum, vt sit idem nobis cum Deo spiritus. Id quãti sit, hinc perpẽdamus, quòd filij Dei sumus, qui serui eramus: ita vt cuncta Deo metiamur, cuius nulla sunt confinia. Tanto igitur interuallo nos ferè distamus ab antiquis, Christiani à Iudæis, quanto infinita à finitis; at quantum sit hoc interuallum non potest cogitari. Vin' id alio exemplo planum fieri? Paulus ipse antiquam legem vocat mortis ministrã; ministros eius, mortis ministros; nouam legem, vitæ ministram; ministros eius, vitæ ministros: nam quidquid vitale habebat antiqua lex, id habebat, quòd Christum notaque respiceret, in quibus est Christus. *Deus*, inquit ille, *ministros nos fecit noui testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria; ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quo modo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* At quantum, quæso, spatium intercedit inter mortem & vitam? Tanto sanè differt alterum ab altero, quanto id quod est, ab eo quod non est. Vin' percipere etiam, quod sit discrimen inter eum qui solummodò est baptizatus, & eum qui spiritu hoc diuino sit perfusus? Audi. baptizatus sanè renatus est & ipse quantum ad spiritum: sed vt diximus, paruulus est; necesse est crescat: instinctu spiritus huiusmodi crescit.

2. Cor. 3.

Explicatio alterius quæstionis propositæ in principio capitis.

Sed quò pertinget hoc incrementum? An non diximus baptizatum emergere è sepulchro vnà cum Christo, educi è terra, qua includebatur, cùm terrena antiquitus homines respicerent, terrenis essent affixi? ita vt immersio eius, qui abluitur diuino lauacro, sit similitudo Christi sepulchro inclusi; emersio similitudo Christi resurgentis. hoc est à nobis explicatum: & loca Pauli multa in medium adducta, quibus id quod diximus, illustretur. Christus enim terræ ac terrenis hominem veterem occidit morte sua, suscitauit superis ac diuinis resurrectione. sat est abundè id dictum. Sed nónne adiecimus hunc diuini spiritus illapsum facere vt simus instar Christi ascendentis in cælum: Hui tantúmne crescemus; vt vsq; ad cælum caput extollamus? Ita sanè. Audi rursus eundem Paulum: *Deus autem qui diues est in misericordia*, inquit, *propter nimiam caritatem suam*

Ephes. 2.

ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia ſaluati eſtis, & conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cæleſtib. in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ. Audiſtin' Paulum? Audiſtin' quò nos euehat hoc ſpiritus incrementum? Vſq; ad diuinum conſeſſum. Idcirco bene idem Paulus in epiſtola ad Hebræos ait, antiquis Deum de terra locutum, nobis autem de cælo loqui. Neque mirum, ſi Ioannes Chryſoſtomus protulit illa verba: *In terris ſita eſt Eccleſia, ſed in cælo verſatur; & tranſcendit cælos eius radix in cælo, & cælo honoratior.* quę quidem qualia ſint clariſſimè poſtea oſtendemus.

Nunc proſequamur inſtitutum noſtrum. Cùm ſint duo homines; alter vetus, carnalis, occidendus, ſepeliendus; alter nouus, ſpiritualis, ſuſcitandus, euehēdus ad cælū: illū habemus ab Adamo; hūc habemus à Chriſto. Vetus ille occiditur ab hoc nouo, vbi libidinibus eius obſtitit; ſepelitur exemplo Chriſti, & ſuſcitatur in baptiſmo: ſed cùm paruulus ſit infans, adoleſcit ad perficienda cæleſtia, cùm maiores ſpiritus ſumit diuini flaminis afflatu. Reſpice Apoſtolos, reſpice Petrum: bene illi ſentiebant de Chriſto; optimè erant in illum animati; iactabant, nihil non ſe ipſius gratia perpeſſuros; vincula, verbera, mortem nihili facturos. Vbi ventum ad rem, profugerunt omnes, protinus in pedes ſe dederunt. Petrus ipſe omnibus longè confidentior ad vnius mulierculæ ancillæ voculam exterritus, & exanimatus, quàm nullum ſpecimen amoris dedit? quàm nullius animi, nullius ferè ſpiritus apparuit? Nimirum paruuli erant omnes: exilis ijs ſpiritus. At vbi inſinuauit ſe in eos aura diuinitatis, ac totos repleuit; mirum, quàm fuerint ab illis, qui priùs erant, mutati. non audebant antea in publicum procedere, in conſpectum ſe dare; latibula quærebant. tum verò, quaſi in aperto totius Orbis theatro poſiti, palàm Chriſtum profitentur, prædicant, ex omnibus populis homines ad eum perducunt: & quam diuinitatem ſpirabant ipſi, eamdem è cœlo aduocant in alios, eamque illis inſpirant: quod accidit Petro, qui ſola oratione ſæpè alios Spiritu ſancto repleuit. Verbis Iudæorum malè habiti, in vincula duriſſima coniecti, verberibus peſſimè accepti, virgis cæſi; tamen ibant à conſpectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Chriſti

Summa eorū quæ dicta ab exemplo probantur ſupra dicta.

contumeliam pati. Exterminare illos Hebræi Paulo duce, occidere, in profundum mergere, ad nihilum redigere conantur. maiores illi ſpiritus ſumunt, fortiores euadunt, illuſtriores reſurgunt, numero multitudinis longe copioſiore abundant. Iudæa non illis ſatis, Samariam adoriuntur, Gentes inuadunt, in imperium Romanum irrumpũt, impetum faciunt, capiunt, euertunt ſolo æquant: mox reſtituunt, ſibi ſubijciunt omnia, & vnà cum ſemetipſis euehunt (vt oſtendemus) ad cælum, diuinitatiſque ſocietatem. Quanam quæſo ratione Chriſtiani tanta audent, moliuntur, efficiunt, ad ſummum perducunt? veterem hominem occidendo, ac ſpoliando; nouum ac ſpiritualem ſuſcitantes per baptiſmum, extollentes diuini flaminis afflatu. Hæc omnium ſumma.

Sacramento confirmationis vnum fieri Eccleſiæ ſpiritum cum Deo: idq́; teſtimonijs ſeptem ſcripturæ probatur.

Cap. II.

Claſsis prima.

Vol. 3 hom. de Spiritu ſancto.

SPiritum ſanctũ (Chryſoſtomus inquit) cùm ſummo è cælo Eccleſia ſuſcepit hodie; facta eſt ipſa quoque cælum, & homines efficit cæleſtes. Non enim cælum inprimis eſt nobis reputandum corpus hoc adſpectabile, tot luminibus diſtinctum, tot ſtellis ornatum; quod circumuectione ſua ſolem lampadis inſtar fulgentiſſimæ circumducit; diemq́ue & noctem, vel acceſſu ſuo, vel receſſu mortalibus defert; ſed mentes illæ, quibus vt propius adeſt Deus, ſic illæ magis cæleſtes, & diuinæ. Ciuitas non eſt in cæmentis, & parietibus, domibus, & palatijs, ſed in hominibus: cælum non in corpore potiſſimùm, ſed in mentibus eſt poſitum. An non hoc Paulus dicit? *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctũ in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Sunt igitur Chriſtiani cæli incolæ, ampliùs domeſtici Dei. Quòd ſi ſenſilibus adhæres, terræ affigeris, & arbitraris cælum præci-

Epheſ 3

puè

puè domumque Dei constare e corporibus & materia-tis; voces quantumuis Christianos lapides, & ædes; non tamen eiusmodi sensibus subijciuntur, sed multo nobiliores, ac diuiniores. *Accedentes*, inquit Petrus, *ad Christum lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & approbatum*: & *ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales superædificantes*, adijcit Iudas Apostolus, *Vosmetipsos sanctißimæ Dei fidei in Spiritu sancto*. Hoc verò interest inter nos, quos obuoluit & circumstat corpus huiusmodi crassumque & tenebricosum, & superas mentes ab omni concretionis mole expeditas: quod nobis est inclusum, id illis est apertum: sed spiritus sanctus nobis magis ac magis in dies explicat occultam diuinitatem; & cùm simus paruuli, perducit ad Dei sublimitatem. sic enim reuelata facie, ait Paulus, gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. Enimuero, cũ paruulus essem (dicit idem) loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.

1. Pet. 2.

2. Cor. 3.

1. Cor. 13.

Videamus autem quomodo vis inspiretur nobis diuina, qua grandiores efficiamur. Explanatum est quidem quando effecti fuerint Apostoli. Nobis aũt quid fiet? Dictum est, merito & instituto Christi per sacramenta in nos diuinitatem deriuari. Est igitur sacramentũ, quo perducimur ad ætatem confirmatã spiritus; ita vt quęcunq; sint necessaria statui nostro, scire, & exsequi possimus; ac per illud diuina lex cordib. nostris inscribatur, spiritus sit vnus nobis cum Deo. Hoc autem varijs nominibus apud antiquos, ob varias, q̃ adiunguntur illi, cæremonias, designatur. Nam manus impositio, vnctio, chrisma, sigillum, signum, & confirmatio appellatur. Manus impositio, quòd manus Episcopi Christum referentis, cui mos erat manus ægrotis imponere, capiti, frontiq; imponatur eius, qui sacramento hoc initiatur. Accedit etiã, quòd hac consuetudine perducimur ad eã Christi similitudinẽ, cùm in cælum ascendẽs, eleuatis, ait Lucas, manib. benedixit discipulis suis. Chrisma, qua voce hodie vtimur, quod frons inungatur. Nã Christus Græcè, Latinè Vnctus dicitur. perfectiori

Quo sacramento maximè fiat vnus cum Deo spiritus noster.

autem modo Christi esse incipiunt, qui sunt huius participes sacramenti. Signum ac sigillum, quòd Episcopus dicat: *Signo te signo crucis*, pollice namque in modum crucis ducto, frontem tangit Episcopus, quasi ea sit signum, quo nos, qui epistola (inquit Paulus) Christi sumus, & tabulæ noui fœderis, consignemur. quin hoc est signum, quod attollentes conserere manus cum hostibus non dubitamus; eosque fidei constantia, caritatisque inconcussa stabilitate à nobis repellere, fundere, fugare, morti denique tradere valemus.

I. Confirmemus, quæ dicimus, testimonijs diuinæ scripturæ, antiquorum Patrum, & Conciliorum. Et quidem cùm Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum:* Non minus pertinet ad baptismum propter aquam, quàm ad confirmationem, si perfectionem respicias propter Spiritum sanctum, qui licet infundatur per baptismum, & euehat nos in cælum, nō tamen ita perfectos, vt cùm confirmati sumus; tunc enim pleniori modo quasi ad ætatem perfectam perducti renāscimur. Hoc autem dictum, vt certò sciamus sacramenta per se inspirare gratiam, ea quam suprà diximus ratione: sicut enim, qui nascitur, nihil confert ad sui creationem, quod possit illum perficere; sic neque qui accipit sacramēta, omnino est necesse vt in gratia Dei sit, re vera Deum præ cunctis amet: sat est, si sit attritus. Adducta verò verba pertinere ad sacramentum confirmationis, testis est

II. Cyprianus epistola ad Stephanū. Sed & in Actis Apostolorum legimus Samaritanos à Philippo Diacono baptizatos, manibus deinde impositis à Petro & Ioanne, Spiritum sanctum accepisse: quod pertinere ad hoc, de quo agimus, sacramentum testatur Cyprianus epistola ad Iubaianum,

III. Augustinus contra Donatistas, Hieronymus contra Luciferanos. Sic etiam Paulus imposuit manus super Ephesios: & venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur varijs linguis, & prophetabant. Qua in re videas quàm sint ridiculi, qui volunt per sacramenta tantùm nos excitari ad functionem operum. Nam qui exciter ego ad loquendum lingua, quam numquam audiui? qui prophetem? Protinus imposita manu hoc accidebat, non antè. quid non potuisset alioquin hoc agere Philippus cum Samaritanis? qui fuit necesse accersere Petrum & Ioannem? Sed vt sciamus ex opere, vt aiunt, operato, sacramenta diuinitatem com-

municare, impertiri caritatem, hinc tum ceteris omnib⁹, tum maximè hoc sacramento imponitur manus, qua solent opera designari, perinde ac si operetur illa, seu per illa Deus. Meminit huius sacramenti sæpiùs Paulus in epistolis, vt cùm dixit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Audin' Paulum meminisse confirmationis, vnctionis, signi, & spiritus in corda illapsi? Loqui verò illum de hoc sacramento hîc, tradunt S. Ambrosius, ac Theodoretus. Peto igitur ab ijs qui negant sacramenta agere ex opere operato, an qui signamur à Deo, vt ait Paulus, ipsi nos signum premamus, an Deus; an verò satis sit, cùm quis signatur, vt se exhibeat signandum, consistat; similiter an pignus à pugno (hinc enim dicitur) existat, an satis sit vt illo comprehendatur, ac teneatur. Vnguentum, quo Deus vngit, in manu Dei operantis, non nostra. De hoc sacramento sic alibi S. Paulus idem: *Nolite*, inquit, *contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* Rursus; *In quo & signati estis spiritu promissionis sancto* Quæ duo loca explicans S. Cyrillus Alexandrinus in caput vltimum Isaiæ, sic ait: Signati sumus spiritu redemptionis, & omnium cordibus impressus & formatus est Christus participatione Spiritus sancti. De eodem sic Ioannes (vt interpretantur SS. Cyrillus Hierosolymitanus, Alexandrinus, & Augustinus) *Et*, inquit, ille, *vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.* Quid potuit his verbis esse apertius? Huius vnctione sacramenti, ait Ioannes, nos edoceri oĩa eaq; vera. An non igitur diuina per illud lex exaratur in cordibus nostris? vt sciamus scilicet ipsi per nos ad statum nostrum spectantia, vel vt monentibus rectè assentiamur inquit S. Thomas, nimirum docti à Spiritu sancto aures veris præbere.

2. Cor. 1. IIII.

Ambr. de ijs qui init. c. 7. Theod. in illum locum.

V.

VI.

Ephes. 4.

VII.

1 Ioan. 2.

Afferuntur testimonia Patrum idem confirmantia.

CAP. III.

Clasis secunda testimoniorum.

Testimõia Patrũ pertinentia ad chrisma.

ADduximus septem testimonia diuinę scripturæ ad cõfirmationem spectantia; nunc audiamus Patres no-

nostros, qui annunciauerunt nobis: & more nostro incipiamus ab antiquissimis quibusq; ordine temporum seruato, vt eorum continuatam, perpetuamq; doctrinam videamus. Sic igitur S. Dionysius: *Ipsa verò*, inquit, *vnguenti vnctio, quæ perficiendi vim habet facit eum, qui vngitur, bene odoratum sacra enim regeneratio copulat baptizatos cum Spiritu sancto: aduentum verò Spiritus sancti arcanum, qui odorem efficit spiritualem, illis relinquo cogitandum, qui communione diuini spiritus habiti sunt digni* Rursus idem: *Qui baptizatus est*, inquit, *ipsa vnctio perficiens donat aduentum Spiritus sancti.* Et iterum: *Baptizatum alba veste ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac deifico prorsus* (nota hæc verba) *vnguento virum signat.* Audi: vocat virum, qui potest fieri vt sit ætate puer, aut sexu fœmina: & mox: Perficiens illa vnctio facit perfectum. deinde, Sed & ipsis, ait, qui sacramento regenerationis mysterio consecrantur, aduentum Spiritus sancti consummans vnguenti vnctio elargitur. Clemens Alexandrinus Dionysio subscribens ait de hæreticis quibusdam: *Quare nec ampliùs baptismus rationi consentaneus, nec beatum signaculum* (sic vocat hoc sacramentum) *nec Filius, nec Pater, sed est eis impia naturarum distributio*: Rursus idem apud Eusebium narrans quod contigit discipulo cuidam Ioannis Apostoli, de Episcopo inquiens, qui eum (scilicet Ioannis discipulum) baptismi sacramento illuminauit, postea verò sigillo Domini, tamquam perfecta & tuta animi custodia, obsignauit. Omnium verò elegantissimè & clarissimè cuncta explicauit Tertullianus, quæcumque pertinent ad hoc sacramentum, tum alibi, tum libro de resurrectione: *Caro*, inquit ille, *abluitur, vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur. vt anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur.* Viden' vt omnia Tertullianus enumeret breuissimis, quæ totam ad hanc rem spectant? Vim nobis immitti vult hac vnctione delibutis, lumen prætereà, vt hoc, quod rectum sit videre possimus; illa, quod vidimus prosequi, tenere, ac tueri valeamus: & quemadmodum virtus altissimi vngendos obumbrat, qui consecrantur ob id veluti spirituales sacerdotes. Idcirco sic alibi: *De hinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum; & paulo antè, egreßi de lauacro perungimur benedicta vnctione de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotio solebant; ex quo Aaron à Moyse vnctus est: vnde Christus dicitur à chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen* accom-

De Ecc. Hie. c. de bap. & c. 4.

Cap. 2. par. 2

Par. 3. ca. 4

Lib. 6. Stro.

Euseb. lib 3. Hist. cap. 17.

accommodauit facta spiritualis. Eadem, quæ Tertullianus, scribit Origenes: sic ergo ait: *Conuersis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superiùs diximus, donum autem gratiæ spiritus per olei imaginem designatur, vt non solùm purgationem consequi possit is; qui conuertitur à peccato, sed & Spiritu sancto repleri.* At sanctus Cyprianus epistola ad Iabaianum: *Nunc quoque*, ait, *apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ afferantur, vt per nostram orationem, & manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*. & ad Stephanum Papam: *Parũ sit*, inquit, *eis manus imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum planè sanctificati, & esse filij Dei possunt, si sacramento vtroque nascantur; cùm scriptum sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* hæc S. Cyprianus, cuius æqualis S. Cornelius eadem tractans in epistola ad Fabianum Episcopum Antiochenum sic ait apud Eusebium: *Verùm morbo tandem elapsus Nouatianus, neque cætera, quibus post baptismum secundùm Ecclesiæ canonem tribui potuerat, acquisiuit, nec Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutiquam potitus, quomodo Spiritum sanctum adeptus est?* Audi nunc horum æqualem scriptorem de operibus cardinalibus inter opera Cypriani, sermone de vnctione: *Hodie in Ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum in participatione dignitatis & nominis sacrum chrisma conficitur: in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem; quibus dignitatibus initiandis diuinitus est vnctio instituta.* & mox: *Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentiùs operatur, & adest veritas signo, & spiritus sacramento.* Rursus: *Huius vnctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus diuinitus datur, consilium, & fortitudo cælitus illabitur, scientia, & pietas, & timor inspirationibus superiùs infunditur: hoc oleo vncti cum spiritualibus nequitijs colluctamur.* Audiamus post hos S. Cyrillum Hierosolymitanum; sic igitur ille catechesi tertia: *Vt Christus postquàm in Iordane baptizatus ascendit de aquis, & factus est super eum substantialis aduentus Spiritus sancti, simili super similem requiescente: sic etiam nobis, postquàm è sacro fonte ascendimus, datum est chrisma, illius, quo vnctus est Christus, imago, qui est Spiritus sancti* & paulò pòst: *Sed caue ne suspiceris, solum vnguentum esse illic: vt enim panis Eucharistiæ post illam Spiritus sancti inuocationem non est ampliùs panis terrenus, sed Christi corpus; sic*

Hom. 4. in Leuit.

sanctum hoc vnguentum cum inuocatione non est solum & nudum, neque commune, vt aliquis posset dicere; sed Christi & Spiritus sancti chrisma præsentiam diuinitatis efficiens : quo quidem symbolicè frons tua, aliæque partes corporis vnguntur : atq; vnguento quidem, quod cernitur, vngitur corpus; sancto verò & vitali spiritu anima fit sancta & mox: *Sicut enim Saluator per baptismum & Spiritus sancti descensum egressus aduersarium deuicit; sic & vos per sacrum baptisma induti mysticum chrisma, quæ est Spiritus sancti armatura, state aduersus hostes; eosque debellate, dicentes : Omnia possum in eo, qui me confortat, Christus : à cuius chrismate Christiani appellamini, perducentes ad veritatem nomen Christianum, quod à baptismo cœpit nominari: siquidem ante hanc gratiam non eratis propriè digni eo nomine, sed potiùs eò progredientes tendebatis, vt Christiani essetis.* Nõ omittamus auctorem, cuius opera nomine Emisseni circumferuntur : sic igitur ille sermone de Pentecoste; *Quod nunc*, inquit, *in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis.* Haud dissimiliter S. Ambrosius: *Sequitur*, ait, *spirituale signaculum; quia post fontem sequitur vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* & alibi: *Serua quod accepisti : signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus.* Eadem Prudentius testatur multis in locis: vnum sufficiat attulisse; ait itaque de pugna animæ loquens.

Lib.3. de Sac. cap.27.

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne.

Omnibus his subscribit Augustinus multis in locis, præcipuè verò scribens aduersus Petiliani litteras his verbis: *In hoc vnguento sacramentum chrismatis vult Petilianus interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & baptisma. sed potest esse in hominibus pessimis.* & rursus: *Discerne igitur visibile sanctum sacramentum, quod esse in bonis & in malis potest; illis ad præmiũ, istis ad iudicium, ab inuisibili vnctione caritatis, quæ propriè bonorum est.* & alibi: *Vnctio spiritualis*, inquit, *ipse spiritus sanctus est e ius sacramentũ est in vnctione visibili.* Finẽ facimus cum Cyrillo Alex. qui explicans Isaiam, loco de quo dicemus: *Per vinum*, inquit ille, *mysticam benedictionem, & incruentæ hostiæ modum significat, quam in sacris ecclesijs consueuimus administrare. Vnguentum nobis pulchrè Sancti Spiritus vnctionem designat. Scribit enim S. Ioannes : Et vos vnctionem habetis à sancto illo; neque opus habetis, vt quis doceat vos : de omnibus enim inuncti sumus vnguento, maximè sacrosancti baptismi tempore symbolum accipiendi Spiritus sancti vnctionem facientes.*

Lib.2.c.104

Epist.1. Ioan.tract.8

Cap.25.

tes. *Sed hæc*, inquit, *omnia trade gentibus. Consilium enim hoc super omnes gentes. Antiqua enim lex, eiusque cultus per Angelos administratus, non omnibus simpliciter gentibus dabatur; sed vni & soli è sanguine Israelitico oriundæ. At gratia in Christo, & per fidem vocatio, adhæc per spiritum sanctificatio, hocque per consilium Dei & spiritus sacramentum in omnes gentes existit.* hucusqu. Cyrillus.

Quòd si te concilia delectant, habes antiquissima concilia, Arelátense primum, & secundum, Laodicenum, Aurelianense, Meldense, Hispalense, secundum Germanum sub Bonifacio Moguntino, vt est in eius vita. sit instar omniũ totius Orbis consensus, de quo testatur Hieronymus his verbis aduersus Luciferianos: *An nescis*, ait, *etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis posteà manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In actibus Apostolorum, etiam si scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur; auctoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt.* hæc Hieronymus, quæ eò libentiùs adduximus, quòd opponant quidam non exstare vllum præceptum in diuina scriptura sacramenti huius. Exstat enim non modò in actibus Apostolorum, vt annotauit Hieronymus, propterea quòd Petrus & Ioannes à Samaritanis, Paulus verò ab Ephesijs exegit huius sacramenti susceptionem; sed & in Euangelio, & epistolis Pauli, & Ioannis, vt suprà ostendimus; quorum tamen testimonia non curauit adducere Hieronymus, contentus totius Orbis inueterata consuetudine, & vnanimi consensu.

Concilia. *Are. 1. ca. 8 ca. 17.*

Nunc itaq; vt alijs quibusdam hęreticis respondeamus, obijcientibus non esse hoc sacramentum, quòd linguarum donum per illud, vt olim, non detur; afferamus in medium verba Augustini, ac finem faciamus. Sic igitur ille: *Neque enim temporibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda: quis enim nunc hoc exspectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina caritas inspirari, vt possint dicere, quoniam diuina caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* hæc Augustinus. sed & ad hanc obiectionem nos alijs modis respondemus inferiùs signo de generibus linguarum. Nunc audiamus præstantissima tanti sacramenti vaticinia,

nia, & inspiciamus pulcherrimas eiusdem figuras: sic enim cuncta conferens, conquiescet animus noster in iucundissimarum rerum contemplatione.

Vaticinia, decem Chrismatis, siue Confirmationis.

CAP. IIII.

Classis tertia.

Vaticinia chrismatis

VIx credi potest à quoquam, quot ac quàm diuinis vaticinijs, cælestibusque mysterijs & figuris voluerit Deus illustrare hoc sacramentum. Nos illa in capita simul redigemus. In primis igitur, vt tantæ rei maiestatem Christus commendaret, illud prouidit, vt materia sacramenti istius esset ex oleo, & balsamo, quod admiscetur oleo; quamuis satis esse velint non nulli, si intermisceatur oleo, nisi balsamum habeatur, aliquid maximè affine. Ipse autem Christus est finis omnium vaticiniorum, figurarum, legum, rerum denique singularum; & tamen non aliud sibi nomen voluit assumere ex antiquo tēpore, quàm quod huius sacramenti functionem materiamque præsignificaret. Nam qui Hebræis est Messias, & Græcis Christus, Latinis est Vnctus. Nomen igitur ipsius filij Dei inter homines, quem respiciunt oracula, & figuræ omnes, est pro prædictione tanti sacramenti: vt non temerè omnia videantur ad illius consignandam potestatem diuinitus prouisa, ac disposita mirandum in modum. Quocirca, vt suprà ostendimus, Cyrillus Hierosolymitanus per hoc sacramētum scribit nos verè ac perfectè esse Christianos, id est vnctos: quod longè ante ipsum dixit Theophilus Episcopus Antiochenus, qui fuit à Petro sextus, in libro ad Autolycum, qui habetur in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum. Sed & apertissimè eadem scripsit Paulus, cùm dixit, nos confirmatos in Christo, & vnctos à Deo, vt suprà ostendimus. Sed numquid non est aliud huiusce ipsius rei oraculum in diuina scriptura? Audi, cui secundus locus detur, ipsam sponsam primis verbis principio Canticorū loquentem: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt verba tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Potuit res clariùs explicari? Nam sponsi cælestis Dei & Christi nomen est oleum, sed effusum: effunditur namque in omnes Christianos:

I.

II.

a Chri-

à Christo, siue vncto, Christiani nominamur, atq; vncti: atque ob id adolescentulæ siue animæ maximè amant, q vngantur hoc sacramento, & à Christo in primis per illud pendeant, cuius vbera fragrant vnguentis similiter huius sacramenti. Sed numquid hæc interpretatio ad hunc locũ inepta? Nullo modo; est S. Dionysij Areopagitæ venerabilis & antiqui Patris, vt eum vocat Gregorius Magn⁹, libro de Ecclesiastica Hierarchia capite quarto loquẽtis de hoc ipso sacramento: *Iesu*, dicit ille, *nomen, oleum est effusum. Christus enim appellatur, quòd ipse eximiè fragrans repleat diuina voluptate participes; est enim fons suaueolentiæ emittens diuinos halitus in pias animas.* hæc ille. Iure igitur sponsa vocat sponsum nomine olei, q hoc maximè sacramento Christiani Christo veluti sponsæ spõso adglutinemur, vnguenti atq; olei mystici interuentu. Atq; huc tertio loco respexit Dauid describens Christi maiestatem, & decus: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vnctus est Christus ab ipsomet Deo quantũ ad humanitatẽ, inquiunt SS. Ambrosius, Hilarius, Vigilius, Cyrillus; sed vnctus est absq; vllo omnino vllius rei interuentu, nos à Christo Christiani chrismatis administratione; idcirco vnctus est ille præ consortibus, siue ante cõsortes, qui nos sumus. Hæc verò Dauidis verba respicere sacramentum confirmationis voluerunt S. Basilius in eius loci explicatione, antiquissimus ille auctor libri de chrismate inter opera Cypriani, & Simeon Episcopus Thessalonicensis libro de sacramentis. Hinc idem Dauid quarto loco ait: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum.* Sciendum verò, pro eo quod nos habemus, Gutta, in Hebræo & Græco esse, Stactem, quo vocabulo significatur etiã balsamum, vt sequenti capite aperietur, quod oleo admiscetur in sacramento chrismatis. A vestimentis igitur Christi fluit hoc balsamum; quo nam verò modo? enarretur, si potest, alius, aut cõuenientior, q̃ chrismatis administratione. Hinc subijcit, A domib. eburneis, siue vt alij reddũt, Tẽplis pulcherrimis, in qb⁹ scilicet Episcopus Christũ referens, & sacris vestib. indut⁹ vngit Christianos hoc sacramento, & animas nostras efficit Reginas Regũ filias, quę maximè Christum delectent, & honorent. Vnde Prudentius chrisma vocat regale: antiquitus enim Reges vngebãtur; & nos vngimur itaq; veluti Reges, animæ nostræ veluti Reginæ-

Hom. 34. in Ezech.

III.
Psalm. 44.

Amb. Heb. 1.
Vigil. lib. 4.
Hil. de Tri. lib 11.
Cyril. de Incar. lib. 1.

IIII.

Cœtibus

Cœtibus aut magni Laterani currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali chrismate signum.

Ob id etiam quinto loco idem vates ait alibi: *Impinguasti in oleo caput meum.* quæ verba pertinere ad vnctionem sacramentorum, tum multi interpretes ibi scribunt, tum verò apertissimè Chaldæus. alioquin nihil magnifici haberent quæcumque eo psalmo persequitur Dauid, nisi mysteria siue sacramenta designent. Hinc alibi idem canit, bonum iucundumq; esse habitare fratres simul, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbã Aaron, quod descendit in orã vestimenti eius; sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.

V.

V.

Hîc quæro, quid habeat similitudinis vnanimis habitatio multorum cum vnguenti persusione, aut roris defluentis in montem Sion? aut quid sibi velit Dauid dicens in monte Sionis mandatam benedictionẽ? nisi quòd in monte Sion accidit vt Apostoli replerentur, quod aut Theodoretus explicans hunc locum, Spiritu sancto: qui nobis exemplo illorum datur, vt è multis suprà ostendimus, sacramento confirmationis. ob id igitur in monte Sionis mandata benedictio vnguenti iucundi & boni, rorisque diuini; per quæ caritas diffunditur in cordibus nostris, vt vnanimes simul habitemus in Ecclesia Dei. Mentionem verò fecit Aaronis & vnguenti Dauid, non modò quia Aaron vngebatur, & vngebat antiquitus, & Episcopos nostros signabat; sed vt perstet in similitudine montis; Aaron enim mons dicitur Hebræè; & quod in monte Sion accidit, clarius depingat vnde propter illapsum spiritus sancti defluxit in omnes gentes hoc sacramentum.

VII. Cap. 28.

Audi septimo loco Isaiam hoc apertissimè dicentem: *Et faciet*, inquit, *Dominus in monte Sion conuiuium omnibus gentibus: bibent vinum, bibent lætitiam, vngentur vnguento. trades hæc omnia gentibus. consilium enim eius super omnes gentes.* hæc Isaias, vt est apud septuaginta interpretes, quorum editionem tanti S. Paulus fecit, vt eam præponat codici Hebrço; hoc namque omisso, vtitur illa in epistolis suis: quamuis in multis, quæ adducit, locis dissentiat ab Hebræo codice, quem nunc habemus, & in quo sic habent allata verba: *Faciet Dominus conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ.* quæ quantum ad vim sunt eadẽ. Vnguentum

namq;

namque colligitur è pingui aliquo, quod è medullis fuerit expressum, siue intimis aliquarum rerũ partibus, quas scriptura solet medullas vocare; vt medullam tritici, & alia huiusmodi. Septuaginta igitur clariùs dixerunt, fore, vt Deus in monte Sion apparet omnibus gentibus conuiuium, in quo bibant vinum, & vngantur vnguento. Certum verò est, non hîc agi de conuiuio aliquo, quod expleat ventrem: nam qui mons caperet omnes gentes? vnde vnguentum? vnde vinum? Quamobrem S. Cyrillus Hierosolymitanus, & Alexandrinus, ac post eos Theophanes Episcopus Niceæ in libro de concordia noui & veteris testamenti apertissimè aiunt hîc agi de sacramento chrisma tis, quod gentibus est traditum, & in monte Sionis apparatum, cùm spiritus sanctus illapsus est in corda discipulo rum, & illabitur quotidiè in animos Christianorum per hoc sacramentum confirmationis, quo vnguntur.

VIII. Quamobrem loco octauo huc referuntur, quæcumque oracula tribuunt maxima quæque vnguentis: ea verò sunt innumera: nos aliqua tantùm referemus, in his illa sponsæ verba, quibus ait futurum vt curramus in odorem vnguentorum Christi. En quanta efficacitas vnguenti sacrosancti; vt odore dumtaxat suo nos incitet ad cursum. Verbis verò illis notari sacramentum confirmationis scribit ibi S. Gregorius Magnus. Atque hîc sciendum, quòd eadẽ sponsa paulò pòst ait: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. intelligitque balsamum, quo vtimur in chrismate, siue id tunc exstaret, siue futurum præuideret spiritus sponsæ loquentis: quod enim versum est Cypri, Hebraicè cophuer habetur, ac significat illum fruticem, è quo nascitur balsamum. Engaddi autem vicus est in tribu Iuda prope mare mortuum, inter cuius vineta copher, siue cyprus, & opobalsamum solebat oriri. quamuis alij canphoram velint intelligi, nonnulli cyperum herbam odoratissimam: ego dixerim, nomine ignoto cuncta spiritum diuinum complexum facientia ad rem.

Ex hoc igitur sacramenti propositi balsamo sponsa siue quælibet anima Christo dedicata, habet vt sit ei potissimũ Christus sponsus, ipsi intimè adiungatur, verè dicere possit, balsamum mihi sponsus. Diximus suprà, in vnctione pronunciari ab Episcopo illa verba; *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*: & eodem tempore crucẽ signari vnguento pollicis ductu. Hinc Tertullianus ait libro de

præscriptionibus: *Signat in fronte milites suos.* idemq; retulimus suprà ex Prudentio, & latiùs sanctus Cyrilius catechesi tertia, & Augustinus in Psalmum centesimum quadragesimum primum ad illa verba: *Absconderunt superbi laqueum meum.* Atque huc respexisse videtur Ezechiel, cùm ait quosdam signatos in frontibus signo Thau, quod crucis formam retulisse, sanctus Hieronymus, & S. Cyprianus dixêre aduersus Demetrianum: & post Ezechielem, S. Ioannes recitat ab Angelis Dei idem factitatum in Apocalypsi, vt Oecumenius, Beda, Anselmus, ac Rupertus volunt. Sed his omissis, nos vnum tantùm oraculum Isaiæ producemus. sic igitur ille, seu potiùs per illum Deus loquens de suis: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes.* hæc ibi. Sed quodnam quæso signum ponitur in nostris, cùm mittuntur ad gentes, & qui soli hucusque missi sunt ad eas Christo conciliandas, vt latè ostendemus in signo de fidei propagatione, nisi signum quod fronti insculpitur: quod passim vates idem iussu diuino prædicit in nationibus attollendum, vt mox aperiemus; & quod sit hoc, explicabimus latè.

IX. *Cap. 9.*

X.

Decem figuræ Chrismatis afferuntur.

CAP. V.

Classis quarta.

Figuræ chrismatis

NVnc ad figuras veniamus: & quoniam diximus Christum nomen non aliunde sibi assumpsisse, nisi ex huius sacramenti respectu; vt quiuis intelligeret quanti illud esset: quin suos voluisse nominari ex eiusdem susceptione, vt scirent hoc sacramento nomen Christo dari, & inter eius milites recenseri: cõtemplemur huic rei figuram maximè respondentem. Iacob enim cùm pergeret in Mesopotamiam, somnoq; se dans, capiti lapidem supposuisset, vidit in somnis scalam è terra pertingentem ad cælum, Dominumq; illi innixum, sibiq; dicentem: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* & mox: *Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ: & ero custos tuus quocumque perrexeris.* & quæ sequuntur. Euigilans Iacob dixit: *Quàm terribilis est locus iste: non est hîc aliud nisi Domus Dei, & porta cæli tulit que lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper,* adiungens, *lapis iste vocabitur domus Dei.*

1. Figura. Gen. 28.

huc-

hucusque Iacobi euentum, quo manifestissimè tum Christus per illum lapidem, tum quilibet Christianus in Christo designatur: nam lapis est Christus, & nos viui lapides, inquit Petrus, superædificamur in domum Dei. vngitur autem lapis iste, vt vocetur domus Dei, titulumq; lapidis ac domus Deo dedicatæ sibi vindicare possit. Sed ab antiquioribus rem repetamus.

II.

Nemo non scit, columbam speciem Spiritus sancti præferre; sic namque apparuit supra Christum baptizatum. Quid verò est, quòd illa detulit ad Noe ramum virentis oliuæ, vt significaret ipsi ex arca egressum tutum, pacata omnia? nisi vt nobis præsignificaret (ait Petrus Damiani sermone in cœna Domini, & Damascenus) oleo chrismatis, quo Spiritus sanctus illabitur in animos nostros, columbaq; insidet nobis, veluti arcæ, ac templo iam diuino, & domui Dei, esse iter aduersus omnes impetus hostiles securum, nihil ab illis metuendum.

Dam. li. 4. de fid. c. 10.

III.

Eodem spectat, quod Deus instituit, vt ex oleo, myrrha, calamo, casia, cinnamomo conficeretur vnguentum, quo adspergerentur tabernaculum, vasa, supellexq; vniuersa diuino cultui dedicata; addiditq;, vt quicumque illud tangeret, sanctus esset; nemo illud conficeret, aut ad alios vsus conuerteret, alijsve daret; sanxitque vt illo delibuta essent sancta sanctorum. Sed quid sibi voluit Deus hac figura: *omnia namque*, inquit Paulus, *in figura contingebat illis*: nisi maximum quoddam vnguenti alicuius nostri sacramentum? & quodnam quæso, nisi chrismatis? vt adnotarunt auctor libri de vnctione chrismatis inter opera Cypriani, & Petrus Damiani sermone primo de dedicatione.

Exod. ca. 30.

Quamobrem cùm tanta figuræ illi antiquæ diuinitus tribuerentur; quid ipsi rei datum dicemus? nónne quod asserimus, vt per vnctionem hanc Spiritus sanctus abundè influat in corda nostra? quî verò abunde? ita abundè, vt quod interest inter priuatos subiectosq;, & ipsum principẽ regemq;, id intersit inter initiatos hoc sacramento, ac non initiatos. Cur autẽ? Quia per hoc chrisma Reges creamur, regni inquam cælestis, de quo Christus dixit: *Regnum cælorum intra vos est.* Nam sicut antiquitus Reges vngebantur, sic nos cùm sacramento hoc vngimur, regni cælestis possessionem quamdã capimus, atque, vt ait Paulus, pignus spiritus pugno, ac manu iam tenemus di

uina ipsa, veluti cælestium Reges. Hinc Petrus vocat Christianos regale sacerdotium: & prudentius versibus suprà adductis, chrisma hoc vocat regale. Idem significauit De⁹, cùm iussit à Salomone Cherubim, ianuasq;, & postes oraculi fieri è ligno oliuarum; vt cognosceremus nimirum ex arbore huiusmodi fructũ futurum, per quem diuino munere edoceremur, diuina queq; oracula cęlestiũ rerũ exciperemus, ad audienda rerũ cęlestiũ arcana admitteremur.

V.

VI. Omnium verò pulcherrima illa figura videtur, q̃ Zacharias vates inspexit: afflatus enim diuinitate, & ad supera cõtẽplanda euectus, vidit candelabrum, & in eo duas oliuas, alteram à dextris, alteram à sinistris; & similiter duas oliuarum spicas, è quib. aurum diffluebat: dictumq; est illi duas spicas esse duos filios olei splẽdoris, qui assistunt dominatori terrę. Hi certè nulli possunt esse alij, nisi qui vnguntur; q̄ accidit generatim omnib. Christianis in cõfirmationis sacramento, speciatim verò sacerdotibus in ordinatione: innituntur ambo, veluti cãdelabro, ipsi Christo. Alioquin quid sibi oliuæ, oliuarúmve spicæ volunt, nisi designent alicuius magni sacramenti dignitatem, per quod assistam⁹ Deo terras gubernanti? Et per quod quęso sacramentũ sumus olei filij, vel splendoris, ita vt ex illo nascamur aliquo modo? Sicut itaq; suprà ostendimus instar Regũ nos vngi, atq; ideò vocari hoc chrisma regale: sic per idẽ necesse est assistamus dominatori terræ, veluti Reges Regum Regi.

VII. Septima his addatur figura, quòd iusserat Deus interiori tabernaculo adesse candelabrũ, cuius lampades oleo nutrimentũ subministrante semper ardentes splenderent. Necesse est igitur aliquid his respõdeat in Ecclesia Dei multò efficatiùs, ac diuiniùs: ac detur oleum, per q̄ non aer illuminetur, & templũ materiatum, sed mens nostra, nos ipsi; qui, vt inquit Paulus, sumus templũ Dei, ait hanc figuram tractans Petrus Damiani sermone de cœna Domini. Et q̄ dicemus hoc oleum, nisi chrisma, quando videmus illud tot miraculis, tot figuris, tot scripturæ testimonijs, tot Patrũ præconijs, iugiq; Ecclesię consuetudine cõmendatum?

VIII. *Leuit. 2.* *Rom. 15.* Succedit huic octaua figura, qua mandabat Deus omnes oblationes adspergi oleo. Nunc autem nulla fit oblatio Deo, nisi omnium nostrum coniunctorum vna cum Christo corpore, ad quod omnes oblationes referuntur. decet itaq; præsto sit oleum, quo adspergamur, non quantũ ad corpus dumtaxat; sed per corporis ministerium, quantum ad

-d nos ipsos totos: *vt accedamus*, ait Paulus, *cum vero corde in plenitudine fidei adspersi corda, à conscientia mala.* *Heb. 10.*

Nona sit, quòd Christus toties ascendebat in montem oliuarum. numquid temerè? Audi Bedam exponentem verba illa Lucæ. *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. In montem*, inquit, *oliuarum discipulos educit, vt omnes in morte sua baptizatos altissimo sancti Spiritus chrismate confirmandos esse designet* sed & longè ante Bedam Amenus poeta Christianus: IX.

Montis Oliuiferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis.
Frondibus æt rnis præpinguis liquitur humor,
Qui probet infusum terris de Chrismate donum.

Sed & sanctus Augustinus, *Iesus perrexit in montem olineti, in in montem fructuosum, in montem vnguenti, in montem chrismatis, vbi enim decebat docere Christum, nisi in monte olineti Christi enim nomen à chrismate ductũ & chrisma Græcè, Latinè vnctio nominatur. Ideò autem nos vnxit; quia luctatores contra Diabolum fecit.* *Aug tracta 35. in Ioan.*

Quamobrem postrema sit figura, quòd Christo descendenti è monte oliuarum populi occurrerunt cum ramis arborum, oliuarum scilicet, quæ in itinere ac monte illo pręmanibus erant; & clamabant illi: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Rex Isrǽl.* At occursatio cũm ramis oliuarũ non fiebat nisi triumphantibus, ac victoribus, aut ab ijs qui supplices pacem peterent, quod ostendimus; vt palam fieret quod populi facturi erant, hoc sacramento ituri obuiam Christo Regi, habituri affluentiam pacis æternæ, & mox contemplaturi eundem Christum, qui è monte oliuarum cum maxima maiestate ascendit in cælum: vt nos veluti oleastri fractis ramis, quod aiebat Paulus, infereremur, & coniungeremur intimè Christo veluti bonæ oliuę, & filij essemus eius sicut nouellę oliuarum in circuitu mensæ ipsius, portante nos ore & afflatu diuinitatis suæ columba Spiritus sancti in arcam supernæ quietis; vt oleo peruncti instar lapidis Iacob, verè dicere possimus: *Hæc est verè domus Dei, & porta cæli* Audi Aratorem antiquum poetam, qui sic de Christo ascensuro: *Rom. 11.*

cælum petiturus oliuæ
Progreditur lustrare nemus; quo germine sacro
Luminis, & pacis locus est; vult inde reuerti,
Vnde creaturam signata fronte micantem

Diuinus commendat odor; cum de super vnctos
Abluit interius Christi de nomine chrisma.

Signa rerum naturalium, atque humanarum, & mirabilia, quæ Deus prouidit ac constituit in oliuis, vt homines disponeret ad tanti sacramenti fidem.

CAP. VI.

Classis quinta.

Signa rerũ naturaliũ, & humanarum mirãda.

CVm *sapientia attingat*, inquit Salomon, *à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter*: hinc diuinitus prouisum, vt plurima exstiterint in rerum natura, aut permitterentur in mores humanos induci, quibus animi mortalium non erubescerent tanto sacramento habere fidem; sed admirarentur cælesti prouidentia multas res exoriri, aut permitti, quæ auctoritatem tantæ rei conciliare possent, simulque vis illius & efficacitas designari clarissimè conspiceretur. & quamuis horum singula, si seorsum ab alijs considerentur, haud magna videri possent; vniuersa tamen huiusmodi sunt, vt indubitatam fidem faciant hominibus sanæ mentis. Ac primum signum pertinet ad olei ipsius naturam, quod adhibetur in hoc sacramento; estq; omnino necessarium: nulli namque rei tot contingunt, quibus chrismatis potestas cõmendatur, quot ac quanta oleo. In primis enim est efficacissimum aduersus venena remedium; corpus nutrit, ac confirmat; ferrum mollit, vt Dioscorides scribit; igni alendo est omnium liquorum conuenientissimum; præseruat à rubigine, tineis, carie; splendorem solidis corporibus, vt ferro, ligno, lapidibus, alijsve huiusmodi rebus inducit: quod experimentis plurimis quotidie fit manifestum. sic oleum chrismatis valet in primis aduersus flagitiorum virus; omnium maximè cælestibus epulis pascit, & corroborat; cor emollit ad diuina excipienda; caritatis ignem nutrit, ac fouet; facit ne à rubigine & carie corporis ac desidiæ exedamur; sed splendore quodam solido fulgeamus. Addit Aristoteles, nihil æquè subire ac peruadere quaslibet res, ipsa etiã ossa, vt oleum: quod innuit Dauid, cùm dixit: Et intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius, similiter numquam glaciatur, plurimũ tenuissimi spiritus

I.

Lib 1.c. 50.

Probl. 22. Sect. 31.

Psalm. 108.

habet,

abet, superstat & innatat alijs humoribus; deniq; si insecta, quæ uocantur, animalia, quales serpentes, illo adspergantur, haud multò pòst emoriuntur, citissimè autem si capite illito exponantur Soli; quod idem scriptor testatur, vt sciamus chrismate delibutos ita diuino amore succendi, vt vix conglacientur; plurimum diuini spiritus habere; cunctis rebus præstare; dæmonas humano generi aduersarios serpentibus assimiles expellere, ac morti dare. Idem sublitum oculis mirificè ijs prodest, inquit Plinius. sic chrisma mentem nostram ad vera videnda mirabiliter iuuat. Antiqui ob has causas sæpiùs caput oleo perfundere solebant; quod viderent plurimùm conferre, non modo ad sanitatem & robur eius, sed ad intimos spiritus excitandos & confirmandos; quo seruirent expeditiùs, ac promptiùs menti nostræ, si quid esset contemplatura. Consuetudinis huius passim meminit Homerus antiquissimus gẽtium scriptor: meminit Dauid: sed clarissimè rem totam designans Salomon, cùm dixit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Quocirca Horatius veluti auarissimum notat eum, qui nolebat caput perfundere oliuo.

De hist. animal. l. 8. c. 27

II.
A consuetudine capitis vngendi.

Cur antiqui caput vngerent.

Eccl. 9.

Quid plura? Antiqui fabulantur, Palladem sapientiæ Deam, è capite Iouis enatam, Athenarum patronam, in quibus erat sapientiæ magisterium; eidemq; consecrarũt oliuam; quasi hæc arbor omnium maximè suo fructu cõferret ad sapientiam. Quid igitur dicemus? An non sapientia attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? An non Deus optimè ac prudentissimè ab æterno per cunctas ætates ordinauit ima summis, vtraque medijs aptissimè connectens? Numquid temerè hæc instituta, & permissa? An non aliquid maximum & diuinum, tantis rebus naturalibus, humanis, & sacris etiam præcedentibus, erat subsecuturum?

Audi, vt videas Deum plurima siuisse in mores induci, quib⁹ mortalium mentes faciliùs adducerentur ad habendam tanto sacramento fidem; nec puderet eos diuina venerari, & suscipere, si inepta & humana admirati essent. Plinius scribit: *Honorẽ Romana maiestas magnũ præbuit oliuæ, turmas equitum idib. Iulijs ex ea coronando, item minorib. triumphis ouãtes. Athenæ quoq; victores olea coronã.* hęc ille. Idẽ cõstat inter alios, ex eo ꝙ olympica certamina oĩum nobilissima erãt; & in ijs victores olea similiter coronabãtur, vt è Pindaro discim⁹

III.
Ab oliuæ significationi. apud gentes.

Quanti facerent oliuas antiqui.

Plin. l. 5. c. 4.
Libr. 3. Geor.

Hinc Virgilius:

Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadriiugos agitabo ad littora currus.
Cuncta mihi Alphæum linquens, lucosq; Molorchi
Cursibus, & crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse caput tonsæ folijs ornatus oliuæ,
Dona feram.

Lib. 5. Et alibi inducens Aeneã ad victores verba facientẽ, canit:

tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliua.

Dion. lib. 7. Addit Dionysius Halicarnasseus, priscos pacem petituros, solitos fuisse supplicum in morem cum ramis oliuarum pergere ad eos quos voluissent exorare; antiquissimumq; profert huiusce rei exemplum. Quod respexit idem vates, cùm dixit:

Virgil. lib. 7. *Paciferæque manu ramum prætendit oliuæ.*

Oui. pont. 11. Et Ouidius:

Adiuuat in bello pacatæ ramus oliuæ.

Sta. Thæb li. Et Statius:

Vittata, & laurus, & supplicis arbor oliuæ.

Quin sacra facturi solebant olea coronari.

Hinc Virgilius de Numa:

Virgil. lib. 6. *Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ*
Sacra ferens.

Plin. libr. 15. cap. vlt. Ob id in sacris non accendebatur, Plinio teste. Numquid temerè hæc Deus inter gentes permisit? haud sciet è malis, si qua erant inter illos, bonum seligere? Quocirca sicut rectissimè sancti Dionysius Areopagita, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus aiunt nos vngi chrismate ad subeunda certamina spiritus aduersus dæmonas, veluti athletę olim certaturi cum suis colluctatoribus; sic Deus vti voluit oleo ad inspirandam diuinitatem, pacem cælestem, coronamque suis dandam, illosque ad omnia sacra instituendos, multo iustiùs, quàm prisci vterentur. Ridendique hæretici, qui obijciunt illud Deuteronomij: *Caue ne imiteris gentes, & requiras cæremonias eorum.* Non enim catholici hæc agunt, quòd instituta aut vsurpata fuerint hęc à gentibus: sed quia diuinitus præcepta, antiquissimis oraculis & figuris præsignificata, à Christo sancita, ab Apostolis in mores inducta, perennique consuetudine per Ecclesiam continuata, vt vidimus, ad nos deuenere. Tanta verò exstitit vis diuinitatis in sacramenta inspi-

Deut. 12.

randæ; vt vestigia imprimi illius ex omni parte inter omnes gentes Deus voluerit; ne à mysterijs illæ accipiendis declinandi causam haberent; & omnium rerum, gentiumq́; denique naturæ ipsius consensus exstaret aduersus impios illa contemnentes. Quin immò, vt ait Iustinus, Clemens, Tertullianus, & Eusebius, cùm Dæmon ex oraculis & figuris conijceret nostros ritus huiusmodi futuros, videri volebat illos imitari ad dignitatem immeritò vsurpandam, maioremq́ue eorum, qui nostra contempsissent, pœnam.

IV. A propagatione oliuarum.

Ante Christum natū non tot in locis oliuę.

Sed qua de causa factum dicemus, vt paulo ante natum Christum in plurimis nobilissimis prouincijs nullæ essent oliuæ, mox autem latissimè fuerint propagatæ? qua de causa contigit, vt in quibus illæ essent, tardissimè fructus ederent, postea verò non ita? Cælestis huius prouidentiæ quæ potest afferri causa, nisi vt Deus consuleret tanto sacramento, ne quid illi deesset ad ipsius administrationem, simulq́ue significaret fore propediem, vt vnctus, & vncti diuinæ virtutis oleo, Christus, & Christiani latissimè propagarentur per orbem terrarum? Quid dicam? Non oriebantur antiquitus oliuæ, nisi intra quadraginta milliaria à mari. Cur postea datum, vt supra istud spatium nascerentur? Hoc enim mirabile. legatur Plinius hæc scribens: *Oleam, inquit, Theophrastus è celeberrimis Græcorum auctoribus vrbis Romæ anno quadringentesimo quadragesimo negauit nisi intra quadraginta millia passuum à mari nasci.* Hæc ille ante annum ducentesimum & sexagesimum propè à Christo nato. Neque verò protinus accidit, vt defuncto Theophrasto secus eueniret: atq; ita non ante tot annos à Christo nato concessum, vt alibi prouenirent oliuæ. Rursus eidem Plinio demus aures, qui cùm retulisset à probatis auctoribus, in Africa, Italia, Hispania, Gallijs, anno ab Vrbe condita centesimo octuagesimo tertio nullam fuisse oleam; subijcit: *Minus ea miretur, qui sciat post annos viginti duos Cn. Pompeij quarto consulatu oleum prouincijs Italiam misisse. Hesiodus quoque in primis cultum agrorum docendam arbitratus vitam, negauit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quemquam: tam tarda tunc res erat. At nunc etiam in plantarijs serunt, translatarumq́ue altero anno decerpuntur baccæ.* Hæc ille. Quid ad hæc dicemus? Ad alia procedamus.

Lib. 15. c. 1.

V. A fontibus

Constat ex Eusebio, & Orosio, paulo ante Christum natum, Romæ in regione transtyberina erupisse olei fontem, ac tota die sine intermissione fluxisse: translati mox in ea

Cur tot fõtes olei post Christũ natum.

loca ab Augusto Iudæi, teste Philone. Huiusmodi euentu Christum, Christiq; mysteria diuinitus prædicta, asserunt iidem scriptores, & exitus ipse comprobasse videtur: nam Christus vnctus, Christiani vncti dicuntur; sacramẽta maxima, vt videmus, vnctionis ministerio perficiuntur. Mirandum quidem quod Eusebius & Orosius tradunt: quamuis alibi fontes fuisse tradantur, cuius aquis lucernæ arderent, & explerent olei vicem, vt è Plinio scimus: sed è trãstyberino fonte manasse ipsum oleum scribunt illi. Marcus Polus in Armenia fontem tradit esse, è quo largè scateat oleum; Faxelus alium in Sicilia in territorio Mazaræ, qui adhuc exstet, & oleum fundat. Quo tempore eruperunt isti, haud compertum: Plinius, qui nihil omisit istarum rerum, nihil meminisse videtur. Sed hęc sane minora, & nullius pretij. Illud maximè suspiciendum, post ortum Christi, qui petræ symbolo, vt omnes norunt, plurimis oraculis designatur, è petra multis in locis oleum fluere cœpisse; ac fluere adhuc, vt hodie in agro, quantum ferunt, Mutinensi; quod ante ortum Christi nullo modo accidisse vmquam memoratur, vel non ita passim, & abundè. Dioscorides quidem diligentissimus scriptor, cùm singulas oleorum species recenseat, huius non meminit, neque similiter Plinius. Quòd autem quidam volunt hoc oleum adnumerari bitumini, video doctissimis viris haud placere. Illud certè constat, è petra nihil vmquam simile, præsertim tanta copia, ac perennibus riuulis fluxisse, nisi post ortum Christi: idcirco Iob dixit, perinde ac fieri nisi diuino opere ac mirabili non posset: *Petra mihi fundebat riuos olei.* quod tamen quidã referunt ad oliuas, quę sæpè inter saxa viua lætissimè proueniant: sicut & illud, *Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durißimo.* Quid est igitur in causa, vt nato Christo hæc acciderint? An non dicendum vnà cum Iacob, qui lapidem vnxit, Hic porta cæli, & domus Dei? An non maxima hoc euentu mysteria significata? An nõ hæc, de quibus agimus? negabis. Cur igitur è tot sanctorũ corporibus oleum ad omnes morborum curationes mirificum cœlesti munere post ortum Christi manare multis in locis certò scimus? quam rem nos latè prosequimur signo de admirandis cadauerum sanctorum affectionibus. Huc omnia necesse est referamus. Omnes res naturales, humanæ, diuinæ ad hoc sacramẽtum præsignificandum conspirarunt innumeris modis.

Pli. lib. 3. c. 2.

Dec. 10. c. 3. hist. Sic.

VI. Ab oleo petræ.

VII. Ab oleo corporum sanctorum.

Mirabilia Balsami, quæ Deus ad huius sacramenti fidem prouidit.

CAP. VII.

Classis sexta.

DIximus de oleo. Videamus de balsamo, quod admiscetur oleo in huius sacramenti administratione, vt testantur SS. Dionysius Areopagitta, auctor sermonis de vnctione chrismatis Cypriano æqualis, Gregorius Turonensis, Gregorius Magnus, Concilium secundum Braccarense. Illud verò à nobis primo loco dicatur, quòd eadem ferè vis balsamo, & oleo, sed balsamo longè efficacior. huius illud proprium, quòd odore est præstantissimo. Hinc in Ecclesiastico habetur : *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* Quamobrem multa in hanc rem S. Dionysius Areopagita meditatur libro de Ecclesiastica Hierarchia, ostendens hoc significari, nos propter huiusmodi sacramentum consequi vt bono odori simus tum Deo, tum hominibus, grati & iucundi vniuersis; atque ita diuinitus dari, vt omni dono cælesti circumfluamus, cunctosque ad nostri admirationem & imitationem trahamus; denique nobis illud conueniat, quod ait Paulus, Christi bonus odor sumus. Balsamum nascitur è frutice quodam altiori instar myrti, qui cultro inciditur osseo, vitreo, aut lapideo, non autem ferreo (inquiunt Plinius, & Solinus) ita tamen vt incisio corticem tantùm aperiat; ea verò parte fit plaga, quæ respicit solem: inde fluit humor lacteus, ac spissior, hic balsamum. Frutex Hebræis dicitur copher, si credimus Genebrardo. Hoc respexit sponsa in Canticis, cùm dixit : *Botrus cypri*, siue copher, *dilectus meus mihi*. Botrum vocat eam balsami concretionem, quæ guttis scatentibus in vnum confluens botro similis videri potest: quod accidit etiam stacti, & styraci, vt è Strabone & alijs apparet. Cor itaque amantis, Deum respiciens, solemque iustitiæ Christum, è medio pectore inter vbera emittit odorem suauissimum sanctissimarum cogitationum, desideriorum, sermonum, atque actionum, quibus exprimit Christum sibi suum; neque illum sibi dũtaxat refert, sed alijs quoq;. Hoc igitur est quod ait: *Botrus cypri dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.*

VIII. Ab arbore balsami.

Mirabilia balsami sub Chrismatis institutionem.

Gre. Tur. l. de glo. mar. c. 40

Greg. c. 1.

Brac. Cõc. c. 6

Eccle.. 24

Strab. lib. 12.

Hæc vero vt efficere maximè possimus, assequimur per sacramentum confirmationis, quo nullius ferri sectione, dũ cruce signatur, incidi frons ab Episcopo videtur, vt ex intimis nostris suauissima quæque in omnes partes dimanẽt, respicientibus nobis, ac penitus excipientibus solem iustitiæ Christum. significationi autem diuinarum rerum maximè conuenit admixtio balsami cum oleo; quòd hoc omnium maximè odores conseruet, quo significatur sacramenti vis conseruans maximè inspiratam diuinitus sanctitatem. Ad eamdem rem facit, quòd cætera vnguenta experti solerent à fœminis, balsama à viris: sic enim Martialis:

Balsama me capiunt: hæc sunt vnguenta virorum,
Delicias Nini vos redolete nurus.

Vt intelligamus scilicet, hoc sacramento infundi in mentibus nostris masculam quamdam virtutem, qua non amplius pueri, sed viri ætate iam confirmata simus. Valde illud admirabile, quod Pausanias refert in Boëthicis: in Arabia plurimas viperas considere sub arboribus balsami; sed quæ sub ijs commorantur amittere venenum balsami pastu, eorumque morsus ob id innoxios esse: Arabes illas habent pro sacris, neque fas putant eas necare, quòd genios loci putent. Vt scias & hoc sacramento dæmonibus, qui serpentibus notantur, adimi omne venenum, omnemque potestatem: non esse noxios eorum morsus. Nunc veniamus ad reliqua.

Pauſ. lib. 9.

IX.

Iuſt. libr. 36. *Strab. 16.* *Sol. cap. 36.* *Plin. lib. 12. cap. 25.*

Balsamum ante natũ Christum in sola Iudæa postea plurimis in locis.

Iou. libr. 17.

Scribunt diligentissimi auctores Strabo, Iustinus, Plinius, Solinus, vni Iudææ balsamũ, nullis præterea terris concessum. Quamobrem Pompeius arborem balsami ob Iudæam tum primùm ab ipso deuictam, Romanæq; ditioni adiectam, duxit in triumpho. Et Vespasianus Imperator, qui Hierosolymam diruit, eius arbusculam similiter Romam detulit. Quin Iudæi cùm viderent omnia capi à Romanis; ne frutex in eorum potestatem veniret, in illum sæuire, & exstirpare prorsus, ac delere sunt conati. Quid igitur in causa esse dicemus, vt quæ fastidiebat, inquit Plinius, alibi nasci, sub ortum Christi non ita contigerit? Dioscorides enim scribit, in Aegypto produci, quod & nostra ætate scimus, vt è Iouio apparet, sed & Auicenna meminit huius rei. vixit autem Dioscorides circiter Christi natiuitatem. Pausanias, qui floruit imperante Adriano, vult in Arabia produci, quod innuit etiam Strabo: quin etiam hodie

die aduehitùr ex Indijs occidentalibus, quod Nicolaus Manardus scribit. Cur igitur Deus immutauit illo ipso tempore, quo Christus in terras iamiam venturus erat, aut etiam venerat, cæli, terrarum, & fruticum naturam? Iam delendus est ille Virgilij versus, quo referens suas cuiq; regioni res attributas, quæ non alibi orientur ita canit:

Diuisæ arboribus patriæ, sola India nigrum
Fert Hebanum; solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama?

Greg. 2.

Nam balsamis iam non vna Iudæa, sed Arabia, Aegyptus, ac latissimæ Indiarum regiones sunt instar patriæ. Nimirũ tempus illud exstitit, quod Sibyllæ prædixerant, & idem vates cecinit:

Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur Amomum.

Eclog. 4.

Quamobrem sic Solinus: *In hac terra* (Iudæa) *tantùm balsamũ nascitur, quæ sylua intra terminos viginti iugerum vsq; ad victoriam nostram claudebatur. At cùm Iudæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, vt iam latissimi colles sudent balsama.* Hæc ille, excisa iã Hierosolyma.

Cap. 36.

Atq; hæc de balsamo satis: quod Iosephus tradit allatũ à Regina Sabæ ad Salomonem, eiq; dono datam ipsius radicem ab illa; atq; ex illo Iudæa balsamum sola produxit. Sed certè neque Iosephus audet id asserere; ait enim: *Dicunt à Regina Sabæ dono datam Salomoni radicem balsami*; atque ita non asseueranter ipse id affirmat. Certò namque scimus duo: in tota scriptura non haberi balsami certam mentionem; quamuis in illa sæpiùs referantur laudes Iudææ, & singularum propè rerum, quæ commendare vllo modo illam possent. Nam quod nos attulimus de botro copher, non est mihi omnino exploratum; & Septuaginta interpretes, ac Paraphrasis Chaldaica non suffragantur satis huic opinioni, quòd intelligatur de balsamo ille locus. Iesus filius Sirach, qui floruit temporibus Ptolomæi Euergetis Regis Aegypti, solus meminit balsami in Ecclesiastico. Ac veluti in libris diuinis antiquioribus nulla mentio certa balsami habetur, sic neque in alijs scriptoribus priscis, qui in rebus hisce describendis fuere diligentiores. Herodotus in singulis rebus singularum regionum recensendis accuratissimus, cùm narret historiam thuris, ladani, casiæ, cinnamoni, myrrhæ; non omittat styracem, & alia

Ioseph. lib. 8. c. 6. antiq.

Quando balsamum cognosci cæptum.

id

id genus; nihil omnino de balsamo pretiosissimo omnium liquore. Viden' igitur vt balsamum Deus huic vni rei de qua agimus, chrismatis inquam sacramento, Christo, Christiq; rebus videatur produxisse, ac reseruasse. Nā post multa annorum millia vni Iudææ, ac paruulæ illius glebæ illud dedit, sub aduētum Christi latè disseminauit. Hæc proculdubiò temerè haud fieri potuerunt. Vides igitur quàm sit ineptus hæreticus ille, qui aduersus hoc sacramentum scribens aiebat balsamum non esse, vastata Iudæa. Atq; vt adhuc rem magis teneas, & altissima Dei mysteria demireris, vltimo loco proferam, quòd nisi scriptor grauis ipse vidisset, ac referret, nullo modo credendū forsan videretur acutulis quibusdam, & insulsis.

Cap. pen. X. Balsami mirabile euentum.

Burchardus natione Germanus fuit ante annos ferè trecentos, diu moratus est in Oriente, fuit in Aegypto, vidit hortum balsami; aitq; fruticem balsami non edere vllum ex se fructum, nisi irrigetur fonte vicino, in quo Maria sæpius, quod suprà retulimus, Iesum lauit; Sarracenosque expertos frustra irrigare alijs aquis: quamobrem duxisse in illum fontem aliunde aquam, vt virtutem diuinam inde hauriens abundè sufficeret ad irrigationem. id refert ille fide dignus scriptor, tamquam rem non modò Christianis, sed cæteris etiam nationibus à Christo alienis notissimam, quàm Mahometani ipsi haud inficiarentur; non scripturus certe, nisi id re vera esset: nostri enim tunc ad eas oras frequentissimi ventitabant; & in cunctis ille se prodit grauem, nullo modo credulum, vel leuem. Quid itaque ad tot ac tanta dicemus? Nónne cuncta naturalia, humana, diuina in vnum conuenere mirabilibus & innumeris modis ad chrismatis sacramentum commendandum, efficaciamque ipsius maximè cælestem? Verumtamen audi maiora.

Miracula, quibus Chrismatis sacramentum comprobatur.

CAP. VIII.

Classis septima.

I. Acto. 8.

SEquuntur miracula, quasi ipsius Dei testimonia, quibus hoc sacramentum confirmetur: quorum nonnulla magis ad rem facientia proferemus. Ac primū sit illud, quod est in Actis Apostolorum: missos SS. Petrum &

& Ioannem ad Samaritanos, qui Christo se adiunxerant, & baptizati fuerant; quibus Petrus & Ioannes manus imposuerunt, & acceperunt Spiritum sanctum.

II. *Acto.19.*

Secundum sit, quòd sanctus Paulus Apostolus baptizauit Ephesios duodecim, mox illis imposuit manus, & cœperunt loqui varijs linguis, & prophetare. Ad hæc hæretici respondent, nullam fieri mentionem in hac impositione manuum vngendi, aut alterius rei. Quasi verò necesse sit singulis in locis, vbi narratur aliquid de sacramento, singula ad illud spectantia recensere: quod fieri haud posse, nemo ignorat: alioquin vno momento opus esset omnia dicere & cognoscere; satis est fieri mentionem manuum impositionis. Alibi de vnctione ab ipsis SS. Paulo, Ioanne, & Patribus alijs mentio fit. Dicunt alij, nunc per huiusmodi chrisma nostrum non contingere, vt qui vnguntur, varijs linguis loquantur, ac prophetent. Videte ineptias. Numquid exigimus omnibus in rebus, & actionibus miracula? Aliquando illa euenerunt: non est opus semper. quamuis & alijs modis respondeamus signo de generibus linguarum.

III.

Tertium refertur à Prudentio, quòd se puero contigisse ait, Iuliano scilicet imperante. Cùm namq; hic Imperator sacra facere vellet, & adstaret Christianus quidam sacrosancto chrismate delibutus:

In Apotheo. aduersus Iud.

Tam subitò exclamat media inter sacra Sacerdos:
Pallidus en quid ago? maius Rex optime maius
Numen nescio quod nostris interuenit aris,
Quàm sufferre queant spumantia cymbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ.
Accitas video longè dispergitur vmbras.
Territa Persephone longè vestigia vertit.
Exstinctis facibus, tracto fugitiua flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala possunt
Carmina: turbatos reuocat nulla hostia manes.

Et mox idem sacerdos, vbi narrauit omnia sua sacra turbata & collapsa.

Nescio quis certè subrepsit Christicolarum
Huc iuuenum: tremit hoc hominum genus infula, & omne
Puluinar Diuum lotus procul absit, & vnctus.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, & exanguis collabitur, ac velut ipso
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum.

Ipse

Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
Pallet, & adstantes circumspicit, ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo;
Quid Zoroastræos turbasset fronte susurros.
Armiger è cuneo puerorum flammicomantum
Purpurei custos lateris deprenditur vnus.
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Proijcit, ac Christi signum se ferre fatetur.
Prosilijt pauidus, deiecto Antistite, Princeps
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum.
Dum tremefacta cohors, dominiq; oblita supinas
Erigit ad cælum facies, atq; inuocat Iesum.

IIII. Vin' maiora? Præsentia vnius Christiani, quod esset chrismate vnctus, testatur Prudentius ætate sua dæmonas fugatos, ipsorum præstigias in exstis consulendis exterminatas ipsum sacrilegij impij Antistitem humi corruisse. Imperatorem Iulianum metu perterritum aufugisse: cohortem verò militum sui domini oblitam nomen Iesu agnouisse, & nomen inuocasse.

V. Quintum simile huic multa complectens, quod Lactantius refert, à multis Imperatoribus ideò Christianos varijs supplicijs cruciatos, quòd cùm forent vncti, ac frontem signatam gererẽt, in causa essent, ne dæmones responsa darent, & in exstis nulla signa apparerent. Audi eum: *Cũ Dijs*, inquit, *suis immolant, si aßistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant.*

Lib. 4. de vera sap. ca. 27.

Nec consula potest consultus reddere Vates.
Et hæc causa præcipua iustitiam persequendi malis Regibus fuit: cùm quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis adsisterent imposito frontibus signo, Deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Hæc Lactantius, qui temporibus Constantini Magni floruit ante ipsum Iulianum de superioribus Imperatoribus, ac Regibus.

VI. Sextum sit, quod Optatus narrat, scelera Donatistarum recensens: *Ampullam quoque*, inquit, *chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt: & cùm casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam subiectione spirituali deduceret; proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa cõsedit.* Hæc Optatus de chrismatis ampulla, cùm tamen sciamus ibi non esse sacramentum, sed rem tantummodò adhibendam ad sacramentum, quod in ipsa administratione

pertinet.Quid igitur de sacrameto dicemus: quantæ illu curæ erit Deo, & Angelis eius?

VII.

Septimum sit, quod accidit sancto EpiscopoRemberto,qui cùm cęcum chrismate inungeret, illi reddidit visu luminis in Suedia . Vixit autem Rembertus, secundus Bremæ Episcopus, ante annos circiter octingentos . Exstat ius vita ab ęquali illius scripta apud Surium tomo primo mense Februario.

VIII.

Octauum sit S. Malchi Hyberni Episcopi, quod narrat in Malachiæ vita sanctus Bernardus. *Nam puerum,* inquit *mente captum, ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione curauit.* hæc sanctus Bernardus. Quis igitur abrogabit fidem sacramento chrismatis, si per illud oculorum mētisque vsus restituitur? vt nimirum cognoscamus quid intimè fiat per hæc conspicua signa.

Crucis vis miranda.

Dion. Eccle. hier c. 456. Chrys ca. 12. Matt. ho. 55. Aug. tract. 118. in Ioan. ad finem.

Age verò cùm in omnibus sacramentis administrandis signum crucis adhibeatur, vt S. Chrysostomus, Dionysius & Augustinus tradunt; id maximè necessarium in confirmatione, vt crux signetur in fronte; dicitur enim: Signo te signo crucis: quod alibi non dicitur. Hinc cùm innumera miracula crucis numerentur, maxima tamen & illustrissima sunt crucis in fronte signatæ. Satis vnum sit quod Paulus Diaconus ijs temporibus proximus, Zonaras, & Nicephorus Callistus tradunt. Imperante Mauritio, Constantinopolim venêre plurimi Turcæ; quorum multi in frontibus crucem gestabant, compuncta carne in eius formam, infusoq; atramento. Interrogati ab Imperatore, dixerunt quasdam Persidis & Turcarum regiones peste ac fame vexatas: neq; cladi ab vllo remedio positum finem, nisi ab illo, quòd à Christiano quodā moniti signum crucis frontib. impresserunt: tunc mortalitas quieuit, sterilitas cessauit Audin' quòd possit crux fronti inusta? quid igitur si accesserit ad illam sacramenti diuina efficacitas?

X.

Zon. in vit. Mau. Niceph. li. 14 cap 20.

X.

Pallad. c. 54. Vict. de persecut. Vand. lib. 2.

Postremum sit itaq; innumera complectens miracula, quæ non alio modo sunt edita, quàm signo crucis fronti impresso. Palladius in historia Lausiaca refert, quemdam crucis signo munitum diu permansisse in medijs flammis illæsum. sicut Victor Vticensis scribit, Eugenius Episcopus Carthaginensis, eodem modo reddidit lumen cæco. Sanctus Gregorius Nyssenus tradit in vita sancti Gregorij Thaumaturgi, ipsius Diaconum munitum signo crucis egressum è balneis inter innumerabilia dæmonū spectra, è

quibus nemo exierat viuus. Quamobrem cunctis Christianis ab exordio nascentis Ecclesiæ hæc fuit consuetudo, vt frontem cruce signarent, quasi chrismatis insiti vim foras educentes & excitantes. Audi antiquissimos quosque Patres. Sic igitur Tertullianus: *Ad omnem progressum, atque promotũ, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quandocumque nos conuersatio exercet frontem crucis signaculo terimus.* Et Cyprianus: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur.* & libro de lapsis: *Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit; coronæ se Domini reseruauit.* Origenes ait: *Timor & tremor cadunt super eos* (scilicet dæmonas) *cùm signum in vobis crucis fideliter fixum viderint.* Cornelius Papa inquit: Nouatum à dæmone arreptum, quòd non recepisset in fronte signaculum Christi; innuit autem confirmationem, quam Nouatus cum suis reiecit. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quarta: *Non pudeat,* inquit, *nos crucis Christi: quod si aliquis id occultet, tu manifestè signa te cruce in fronte.* Ephrem: *Pingamus,* ait, *in ianuis, atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum: armemur insuperabili hac Christianorum armatura.* Hieronymus ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis munias frontem tuam.* Et Augustinus: *Quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsa aqua, qua regenerantur; siue oleo, quo chrismate vnguntur; siue sacrificio, quo aluntur; nihil eorum ritè perficitur.* Deniq; cùm dixerimus nos hoc confirmationis & Chrismatis sacramento adolescere, ad ætatẽ confirmatã peruenire, & Christianæ militiæ adscribi: in hac militia crux est vexillum, quod aduersus hostes attollimus, vt multi ex adductis patribus dixere. Audi nunc sanctum Paulinum natali octauo sancti Felicis.

Lib. de coron. mil.

Lib. 4. epi. 6.

Orig. cap. 25. Exod. ho. 6.

Corn. apud Euse. lib. 6. c. 33. hist.

Ephr. lib. de pœnit. c. 3.

Tract. 118. in Ioan.

Nos crucis inuictæ signum, & confeßio munit.
Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, & quamquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animi decernimus hostes.

Quocirca videamus latiùs de duce, signo hoc, armatura, inimicis, regno, triumphisque eorum qui sunt initiati hoc sacramento.

De duce, signis, armatura, inimicis, regno, triumphisq́ eorum qui sunt initiati hoc sacramento.

CAP. IX.

POsita sunt vtrimque castra in hac vniuersitate rerum & his quidem Christus cùm suis præsidet, illis impius Dæmon. Fixum est Christo, caput conterere Dæmonis huius, qui serpentis more reptans humi per insidias à tergo incautos adoriri solet. dixit namque illi olim Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* hæc Deus bellum serpenti generis humani nomine indicens, pollicitusque est, se præstò nobis in tempore futurum; quin misit vnigenitum filium suum, qui staret à suis in acie ante omnes, quem Deus antecedit. Ipse namque Christus Deus antè erat, quam cœperit esse homo. Antecedit aũt, manu sua protegens illum, tela hostilia repellens in ipsius inimicos. Audi Christum loquentẽ: *In vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam.* Audi Deum loquentem: *In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad Sion: Populus meus es tu.* Christus igitur habet adultorum delectum, quos educat in prælium; & manu illos diuina similiter aduersus hostes protegit. An non hoc aperuimus, cùm dictum fuit: adolescere nos sacramento chrismatis, ad ætatem confirmatam perduci, manum nobis imponi, qua caput ab imminentibus hostium gladijs protegi possit? Attollit manum personam Christi sustinens Episcopus, non modò vt capiti imponat, & illud tueatur, sed vt ensem stringens, vehemẽtissimo validissimoque eos ictu vulneratos prosternat. Ob id ascendens in altum, eleuatis manibus, ait Lucas, benedixit nobis. Audi eum loquentem: *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderũt me retribuam; inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Quid est aũt, quod ait, viuo ego in æternũ? Existimabat efferus Dæmon exstinctũ Christũ, cùm seditione in illũ, & quidẽ militum eorum qui se iactabãt esse à Deo, cõcitata, cruci ꝓcurauit affigi; sed lõgè aliter euenit. *Altitudo tunc,* ait Habacuc, *manus suas eleuauit, pa*

Gen. 2.

Dux Deus & Christus.

Isa. c. 49. & 51.

Deut. 32.

lamque cunctis fecit se viuere in æternum. Rursus manum Christus attollit, & personam Christi sustinens Episcopus; vt innuat cælestibus, ipsi etiam Spiritui sancto, vt accurrant, opem ferant. *Aduocatur,* inquit Tertullianus, *& inuitatur huiusmodi signo accitus Spiritus sanctus.* Et quid est quòd fronti sublimiori corporis parti crucis signum appingitur? attollit vexillum suum Christus, vt milites eò conuolent, & cæteros eò ducant. *Hæc dicit Dominus Deus,* ait Isaias: *Ecce leuabo ad gentes manum meam; & ad populos exaltabo signum meum. & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt: & erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Numquid tolletur à forti præda, & quod captum fuerit à robusto saluabitur? Et cibabo hostes tuos carnibus suis; & quasi musto sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te.* hæc Deus, indicans tantum se robur, manu signoq; sublatis, Ecclesiæ suæ daturum, vt cuncti subijciant se ad eius pedes, puluerem pedum ipsius lingant, vultu in terram demisso eam colant, filios suos in vlnis, filias super humeros ferãt. Quòd si qui aliquid ab ea rapuerint, fortissimi sint licèt; id ab ipsis tollatur. Ampliùs fore, vt hostes eius tãta inter se crudelitate sæuiant, vt carnes eorũ sint ipsis cibus, sanguis sit potus. Qua de causa hæc effecit Deus, hæc ꝓmittit? quia Deus est Ecclesiam saluans, vt adijcit ad finem: Dominus est, qui dicit: Confirmo te chrismate salutis. Hinc Isaias idem describens arma Christi, filiorumq; eius, dicit: galeam salutis esse in capite eorum. Et Apostolus, *Galeam salutis,* ait, *assumite.* Quamobrem non est nobis (idem scribit) colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harũ, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumẽtes scutum fidei; in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeã salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbũ Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu,

Armatura.
Isa. 59.
Ephes. 6.

Huiusmodi igitur nobis est bellum cum nostris hostibus: atq; in eo non vulnera carni infliguntur, non effunditur

Hostes Dæmones.

tur sanguis: ob id non est colluctatio nobis aduersus carnē & sanguinem: sed illi quidem nostræ intelligētiæ tenebras offundere, volūtatem nequitia corrumpere nituntur; idcirco rectores tenebrarum, & nequitiæ spiritus. Nos aūt succingimus lumbos veritate, induimus loricam iustitiæ; vt luce veritatis omnem falsitatis noctem dispellamus; lorica iustitiæ tuti simus ab omni nequitiæ telo. Adiuuat veritatem scutum fidei, & ensis spiritus in verbo Dei precibusq; diuinis positus. Ex quo fit, vt galea salutis caput protegatur: pedes autem, quocumq; se illi vertant, pacem deferāt secum. Ac bene alibi arma nostra Paulus esse dicit, arma lucis, & iustitiæ; lucis aduersus tenebras; iustitiæ aduersus nequitiam. *Abijciamus*, ait ille, *opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Per arma*, inquit alibi, *iustitiæ à dextris, & à sinistris. Arma namq; militiæ nostræ* (paulo pòst subdit) *non carnalia sunt; sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequiū Christi.* Quo circa obseruandum, in potestate hostium nostrorum esse hunc aërem, nisi Deus obsistat. Dicit enim magister gentium. *Aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi huius, qui nūc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ facientes volunt atem carnis, & cogitationum: & eramus natura filij iræ.* Atq; est in manu inimicorum nostrorum commouere corpora, miscere perturbationes, spectra quæuis obijcere. Apparet hoc è prælio, quod habuit dæmon Dei permissu cum sanctissimo illo viro Iob, quem bonis omnibus spoliauit, igne consumptis ouibus, turbine disiecta domo, morbis ablata valetudine, simulachris horribilibus animo eius concusso: perstitit ille tamen in officio fidei, & amoris diuini. Quapropter illi possunt, nisi opposuerit se Deus, carnem & corpus nostrum obsidere, inuadere; inde mentis arcem supremā, cui voluntas & intelligentia præsident, adoriri: ciebunt illi perturbationes, quibus concupiscimus, quantū possunt; nimirū desiderium, fugam, amorem, odium, tristitiam, gaudiū: ciebunt perturbationes, quibus indignamur, audaciam, timorem, spem, desperationem, & iram. Aduersus hæc spiritus diuinus armat animum, lucis & iustitiæ telis; luce intelligentiam, iustitia voluntatem, quæ sunt animi nostri primariæ vires, circumdans, & protegens. Quæ cum sciret, &

Rom 13.
2.Cor.6.
2.Cor.10.
Ephes.2

respiceret Paulus scripsit: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Exturbandi sunt igitur sæpè nobis è carne membrisque nostris inimici: expediendaque protinus arma spiritus; diuinæ scientiæ lumen aduersus caliginem scientiæ humanæ; iustitiæ aduersus iniquitatem. Hanc verò pugnam cùm sæpè experiretur Paulus, & exaltissima suæ mentis specula sancti Spiritus lumine perfusa ingressos in confinia hostes præsentiret, exclamabat: *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum; quoniam malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* hæc Paulus, ostendens impios dæmonas intra fines corporis, quasi in suo regno consedisse, ac leges dare; quibus qui obediunt, rei sunt mortis ex decreto diuini spiritus. Impellunt illi tamen, & vrgent membra, carnemque nostram ad opera sua: cogitationes immittunt carni, appingentes spurcas prauasque imagines rerum: *Transfigurant se*, ait alibi idem, *in Angelos lucis.* Atque ita caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur. Confirmationis itaque sacramentum militiæ huic, veluti ætate iam confirmata viros, adscribit; & cruce nos in fronte signat; vt vnà cum Christo cruci affigamus, vti ream mortis ob sua delicta, carnem. Nam *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: Scribit Apostolus. Et, *Si spiritu facta carnis mortificaueritis* (addit idem) *viuetis.* &, *Exhibete vos tamquam ex mortuis viuentes.* &, *Si compatimur, conglorificabimur, semper mortificationẽ Iesu in corpore nostro circũferẽtes, vt & vita Iesu manifestetur in corporib nostris. Sẽper enim nos, qui viuim⁹ in mortẽ tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Hoc sciẽtes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà nõ seruiamus peccato. Qui n. mortuus est, iustificatus est à peccato. Si aũt mortui sumus cũ Christo: credimus quia simul etiam viuemus cũ illo: scientes, quòd Christus resurgẽs ex mortuis iam nõ moritur, & mors illi vltra nõ dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato*

Rom. 4.

Gal. 5.
Rom 8.
Rom. 6.
2. Cor. 4.
Rom. 6.

cato

to, viuẽtes aũt *Deo in Christo Iesu Domino nostro. Nõ ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obedieatis concupiscentijs eius.* hæc Paulus, qui deinde ostendit membra nostra desiderijs illicitis morem gerentia esse arma peccati, dæmonumque hostium nostrorum quasi antemuralia quædam, aut propugnacula ab ipsis in nos mentemque nostram excitata; vt ex eis impetum in illam facientes, in miserrimam peccati seruitutem adducant, & in vincula nequitiæ coniectam carcere tenebricoso includant, mortique tandem addicant æternæ. Ex aduerso nos expugnantes eorum munimenta, facimus vt membra nostra sint arma iustitiæ. *Sed neque*, ait ille, *exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes: & membra vestra, arma iustitiæ Deo.* Patet autem, quando regnet in carne nostra peccatum cum rectoribus tenebrarum. *Manifesta sunt* (ait Vas electionis) *opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quid est autem, Regnum Dei non consequentur? quia scilicet ab hostibus expugnentur, dæmonibus inquam. Sed nónne antiquitus Reges vngebantur? Ita profectò. Et hoc sacramento Christianus vngitur, quasi Rex in regno Dei ac spiritus. Hinc Petrus ad Christianos: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen.*

Rom. 6.

Gal. 5.

1. Petr. 2.

Sed opus est huic Regi regnum suũ tuer aduersus milites inimicos. Quodnam verò regnum? qui milites inimici? Audi eumdem, qui subdit: *Charissimi, obsecro vos, tamquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Carnalia igitur desideria sunt milites aduersarij. Audi adhuc Paulum: *Regnum Dei non est esca, & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* rursus: *Deus dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Hoc itaque regnum est iustitia, pax, gaudium in Spiritu sancto, denique dilectio Dei.

Inimici similiter desideria carnis.

Rom 4.

Col. 1.

Iam cùm sit huiusmodi Rex, & habeat hostes huiusmodi; meritò in fronte signatur cruce, cui carnem affigat ini-

Sacramento confirma-

micam, & his armis ipsam occidat, proponēs sibi ante oculos mentis Christum passum, & hac armans se cogitatione. Sic enim Petrus: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* armis hisce nos induimur præcipuè sacramento confirmationis, cuius est ea vis, vt hæc cogitatio Christi passi sæpè oculos mentis feriat: vt inde caligo omnis ignorantiæ, & meticulosæ noctis disijciatur; nec sit qui nos fascinet. Hoc voluit sibi Paulus, cùm dixit: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus?* Quid verò est fascinauit? fascinātur maleficis oculis pueri, ne robur assequantur, sed languescant corpore. & fascinantur Christiani, cū cedunt hostibus suis, neq; illis obijciunt crucē Christi, quā interficiantur, sed abijciunt illam metu exanimati: quāuis ante oculos suos habeāt Iesum crucifixum depictum sacramēto hoc, quo dicitur Signo te: signo crucis. fascinantur vbi veritati nō obediunt: in cuius admirabile lumen, quod suprà asserebat Petrus, sunt translati: subijciunt autem se potestati tenebrarum, & rectoribus earum.

tionis vis ac memoria crucis menti insculpitur.

Gal. 3.

At vbi cruci carnem cùm suis libidinibus affigunt, limites regni sui protendunt, ac cum Paulo dicunt: *Deo gratias, qui semper nos triumphat cùm Christo Iesu, qui donauit nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; & exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Ob id crucis signo frontem, vt ait Tertullianus, terimus: quod cùm Iulianus, quamuis alienus à Christiana religione fecisset, dæmonas fugauit, dum magicis rebus operam daret. Et ipsi Constantino dictum: In hoc signo vinces. Pugnemus igitur & nos, ac cruci, mortique nostram carnem, & vitia affingamus, occidamus, ac sepeliamus: vt cum Christo resurgamus, ascendamus ad superos, triumphemus, & consideamus in regno cœlesti; nobisque sit idem cum Deo spiritus, nihil aliud quàm cælestia ac diuina spirantibus intelligentia, & voluntate nostræ mentis: ita vt spiritu intimi oris nostris interficiamus omnem impietatem & iniquitatem. Hæc verò omnia elegantissimis sententijs ac versibus Prudentius descripsit libello de pugna spiritus, siue animæ, Græcè est ψυχομαχία, in quo singillatim recenset bella ac prælia gesta inter animā & carnē; ex illo nobis satis erit, quæ maximè

1. Cor. 2.
Coloss. 2.
Triumphus deletio peccatorum in Christo.

mè facit ad rem propositam, huc adduxisse. Igitur inter alia narrat, pugna commissa post acies vtrimque explicatas, dextrum cornu militum Christianorum penè deditionē meditatum, ac significationem quamdā dedisse transeundi in castra luxuriæ: tum verò sobrietatem sustulisse vexillum crucis, & habita egregia concione suis in mentem redegisse tum multa; tum verò in primis sacramentum confirmationis. Sic igitur sobrietatem inducit:

Ingemuit tam triste nefas fortißima virtus
Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Inuictamque manum quondam sine cæde perire.
Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
Dux bona protulerat, defixa cuspide, sistit.
Instauratque leuem dictis mordacibus alam,
Instimulans animos nunc probris, nunc prece mixta.

Audin' sublatum crucis vexillum? Audin' edito loco quasi in fronte defixum? Audi nunc concionantem virtutem.

Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quò ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis?
Lilia luteolis inter lucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas,
His placet assuetas bello iam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier vlnas?
Vt mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Conbibat infusum croceo religamine nardum
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & chrisma perenne.

Viden' vt excitet ad memoriam primo loco tanti sacramenti, ad abijciendas omnes delicias. Nunc attende vt vincat hoc sacramento summa fronte corusco carnales hostes.

Sic effata crucem Domini furentibus offert
Obuia quadrigis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos: quod vt expauere feroces
Cornibus expansis, & summa fronte coruscum,
Vertunt præcipites cæca formidine fusi
Per prærupta fugam.

Hæc Prudentius: qui deinde singillatim cetera prosecutus complectitur, & addit victorias, præmia, triumphos, aliaque multa, quæ legere & contemplari satis est homini

S. Paul. ad Cytherium.

Christiano, & perito iucundum. Rectè igitur sanctus Paulinus hæc respiciens cecinit:

Quia fronte signum Christianis emicat,
Quo mors soluta deperit.

Summum nequitiæ, atq; iniustitiæ, ad quod peruenit humanum genus ante sacramentum confirmationis.

CAP. X.

SEd hominum otiosorum sunt, inquies, ista commenta, vmbratiles meditationes. Atqui apertissimè ostendemus, veras pugnas fuisse, cruenta certamina, clarissimos triumphos, nō aliunde profectos, quàm ab eo, cuius causa narratio tota est instituta, sacramento confirmationis: quo fides, spes, & caritas in verum Deum Christumque in mentibus nostris altissimè ingeneratur: ita vt nullum possit hæreticis esse effugium, cuncta nostra, atq; hoc in primis sacramentum impugnantibus. Quod vt clarissimè elucescat, necesse est ante oculos ponamus in quantā caliginis, ac sceleris miseriam corruerit olim genus humanum. quod vt optimè teneamus, enumerabimus gradus tantæ calamitatis.

I. Ac primus sit, quòd prisci omnes summis honoribus inferos dæmonas, & eorum presidem tenebrarum Regem coluerunt, ijs sacrificarunt, eos vocauerunt in vota supplicibus animis; quem quidem Latini Ditem vocauerunt; quòd, vt ait Cicero libro de natura deorum, terrena vis omnis ac natura ipsi dicata putaretur: nam & omnia in terras recidunt, & ex ijs oriuntur. Hinc Claudianus:

O maxime noctis
Arbiter, vmbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina; qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendique vices aliena morte rependis:
Qui vitam, lethumque regis; nam quidquid vbique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus æui.

Eumdem verò Græci venerati Adem vocauerunt: de quo sic apud Platonem Socrates ille sapientiæ dictus princeps, ᾅδης *plerique mihi videntur interpretari, quasi* ἀηδὴς, *hoc est tri-*

ste,

ste, vel tenebrosum : & proinde timentes hoc nomen Plutonem vocarunt. quam tamen sententiam mox idem impugnat ; siquidem ait : *Plurimi quotidie illum subterfugerent, nisi fortißimo vinculo eos, qui illuc descendunt, ligaret.* & rursus: *Cupiditate validißima illos ab Ade constringi, qui illuc descendunt : quòd nullus reuertatur ; & propterea eum veluti doctißimum sophistam beneficum dicit ; quippe qui suis ingentia beneficia largiatur, immensasque diuitias, atque ob id Pluto dictus. Inquit itaque ἅδης vocatus est ἀπὸ τῦ πάντα εἰδέναι, quod noscat omnia pulchra.* Hæc Græcorum sapientissimi de Plutone, à quib. & vocatus est ἀγεσίλαος, quòd populos omnes ipse gubernaret. De quo plura ex Aeschilo & Methodio Atheneus, & ob eamdem causam dicitur à Pindaro λαγέτας. AEgyptij similiter cum nuncupauerunt Serapim, & veluti deorum suorum summū coluêre ; vt tradunt Plutarchus libro de Isi & Osiride, Archematus Euboeus, Ponticus Heraclides, Porphyrius libro responsorum, Diodorus Siculus. Quocirca Eusebius libro quarto de preparatione euangelica ex Porphyrio dicit illum habitum principem dæmonum malignorum. At quicumque è Persis, Chaldæis, Assyrijs, & Orientalibus vetitæ magiæ dederunt operam, maximè omnium dediti fuerunt inferis. De quibus non est quòd multa dicamus : res namque illorum notissime, quantum pertinet ad argumentum propositum. omnes porrò hi sacra faciebant inferis : & ex huiusmodi sacrificijs quid sequendum agendumque constituebant : quas res diligentissimè prosequitur Lylius Gyraldus libro de historia deorum. Hinc Galli, qui inter Europæ populos nobiles non omnino postremas tenebant, vt maximam nobilitatem iactarent, aiebant se è Plutone progenitos, vt testis est Cæsar libro commentariorum sexto, & nunc maximi probri loco reputatur ab omnibus, si cui dicatur mali dæmonis filius. Quis porrò ignorat quanti semper ab antiquis facti sint Brachmanes Indi? & tamen adhuc hodie dæmona colunt; & deformi horrendaque facie depictum venerantur, sicuti plerique Sinæ, Iaponij, & Indi. An posses igitur magis in præceps agere humanum genus, quàm si ad illas, quod ait Vates,

Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam,

misertimè detrudas, vt caligine altissima, mediaq; tellure inuolutum obruatur?

Synt. 17.

II. Secundus tamen gradus est, quòd eos, qui existimabantur ab ipsis superi dei, nullis nõ flagitijs addictos prædicabant, adulteros, raptores, homicidas, præposteræ libidini addictos: & quodnam quæso facinus illis non imposuêre? Qui ignorat hæc, is omnium litterarum prorsus est rudis, & satis habebit asserentibus credidisse.

III. Tertius est gradus, quòd homines similiter scelestissimos cælo adscripserunt, diuinis sunt honoribus venerati, sacris ac sacerdotibus institutis. Exempli gratia prisci Romani, qui sunt habiti seueriores, Floram deis annumerarunt. hæc autem, vt Lactantius & Varro inquiunt, cùm magnas opes ex arte meretricia comparasset, populumq; Romanum scripsisset hæredem, meruit ab eis diuinos honores, institutiq; ea de causa ludi Floralia: sed quia flagitiosum videbatur, ab ipso nomine sumpta occasio, vt pudendæ rei dignitas adderetur, deam finxerunt esse, quæ floribus præesset. sic verò eam colebant, vt meretrices in publico nudarent corpora, & cunctis ea contemplanda proponerent, in honestis motibus, quos referre pudor haud permittit, vniuersos commouerent ad similia efficienda, aut animo saltem concupiscenda: ita vt animis quædam spicula infigerentur, quibus mox, quasi œstro quodam, miserrimè ad omne libidinis genus impellerentur.

Quid verò Floram quærimus ita cultam? Ipse pater Romulus, qui à principio vitam latrocinijs instituit, Remum fratrem per summum scelus occidit, Sabinas fœminas rapuit, in templa tamen est deorum receptus, ait ille vates, post facta ingentia. Quæ verò facta? Audisti, latrocinia, raptus, fratricidium. Sed meliores credo posteri. Adrianus forsan Imperator, qui Antinoum suum Cynedum retulit inter cælitas: templa, sacra, ac sacerdotes illi sanxit? Quemnam quęso igitur eligemus, qui tam flagitiosa probra non admiserit inter Romanos dominos rerum, cui pręcipua laus erat, inquit Virgilius, inter omnes gentes, paci imponere mores. Omnium dicitur optimus fuisse Antoninus philosophus. Audi igitur quid de illo hac in re Capitolinus: *Faustinam vxorem* (Antoninus) *suam in radicibus montis Tauri in vico Halale exanimatam subito morbo amisit. Petit à senatu, vt honores Faustinæ ædemq; decerneret, laudata eadem; cùm tamen impudicitiæ fama grauiter laborasset; quæ Antoninus vel nesciuit, vel dißimulauit. Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuæ. Diuam autem Faustinã à Senatu appellatam gra-*

gratulatus est, quam secum & in æstiuis habuerat, vt matrem castrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum, in quo obijt Faustina; & ædem illi exstruxit. & mox: *Crimini ei datum est, quòd adulteros vxoris promouerit, Tertullum, & Vtilium, & Orphilum, & Moderatum, ad varios honores, cùm Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. de quo mimus in scena, præsente Antonino dixit: Cùm stupidus nomen adulteri vxoris à seruo quæreret, & ille diceret, Tertullus: & adhuc stupidus quæreret, respondit ille: Iam tibi dixi, Tertullus dicitur, & de hoc quidem multa populus, multa alij dixerunt. patientiam Antonini accusantes.* Hæc igitur optimus ac sapientissimus Imperator, vt est habitus vnà cum laudatissimo Senatu, & exstat adhuc Romæ in foro monumentum templi in honorem Faustinæ dedicati. Iulianus Imperator in conuiuio suo deorum nihil non agit, vt tantum crimen amoueat ab Antonino: & bene est videre, quas affert excusationes; neq; enim scelus diffitetur. Ac ne putes alias gentes Romanis meliores.

IIII.

Quartus sit gradus, quòd ipsa flagitia cælo dedicârunt, Deos finxêre, qui sceleribus ipsis præessent, & quibus gratum fieret, & quodammodo sacrificium probris ad mittendis. Audi quid de Babylonijs scribit Herodotus: *Omnibus mulieribus indigenis commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus cum externis viris consuetudinem habere. Ceterùm cùm pleræque sint diuitijs tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis subuectæ pro templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitij turba. Pleræque etiam hunc in modum faciunt, ad templum Veneris sedent, nodis corollisque tempora reuinctæ; è quibus dum aliæ seorsim abeunt, aliæ regrediuntur. Nam diuerticula vndecumque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quas cuique libuerit, deligendas. Porrò cùm semel illic consederint, non priùs domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum iniecerit, & cum eadem à fano seorsim abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulerit, dicere oportet, Tanti ego tibi Mylittam imploro: Mylittam enim Aßyrij Venerem appellant. At verò pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas reijcere; siquidem in sacrum conuertitur vsum. Neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare; sed quicumque is est, qui pecuniam obiecerit, primùm hunc illa sequitur citra delectum. Postremò vbi iam congressa fuerit cum externo mulier, Dea expiata, domum reuertitur. Ac deinceps haud ita multo conduxeris. Iam quæ forma sunt elegantiori, citiùs*

(vt

(vt par est) expediuntur: quæ verò deformes, diutiùs coguntur desidere pro templo, antequàm legi faciant satis. Fitque interdum, vt vno atque altero anno, aut etiam triennio, atque etiam diutiùs expectare oporteat miseras. Alicubi nempè in Cypro similis quædam lex est. Hucusque Herodotus, qui & alibi de Lydis eadem propè tradit, quæ & Baruch propheta scripsit his verbis: *Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs sedent succendentes ossa oliuarum, cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quòd ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.* hæc sanctus Vates de Babylonijs. Videamus quid de Corinthijs Strabo in idem argumentum: *Fanum Veneris*, inquit, *Corinthi ita fuit locuples, vt plures quàm mille habuerit sacrorum meretrices, quas deæ viri mulieresque dedicarunt. Ob hæc igitur & magna hominum multitudo in ea vrbe, & diuitiæ fuerunt. Naucleri enim sua facilè prodigebant. vnde adagio locus, Non est Corinthum adire cuiuis integrum.* hactenus Strabo, qui & de Armenijs alibi eadem scribit.

Baruch. c.6.

Stra. li.8. & 11. ad finem.

Quid plura? an non pudenda membra, quæ nominare nobis est nefas, in toto orbe passim diuinis honoribus colebantur, habebantur pro Deo? Nónne in honorem ipsius condita vrbs, Strabone teste, à Cizicenis, aut Milesijs, siue etiam Corinthijs in Hellesponto? Suidas est auctor hunc pudendum Deum (loco spurcissimi nominis hoc substituam in afferendis antiquorum scriptorum testimonijs, vt modestiæ & honestati consulamus) ab Aegyptijs Horum & Typhonem vocatum; à quo terram & mare in lucem putarent edita: ob id dextra sceptrum, læua, quòd nefas dicere, apertè tenebat; quod semina humo tecta in apertum mitteret, & Ithyphalli vocabulo quotannis summo cultu illius festum celebrabatur, circumferentibus fœminis imaginem turpissimam, vt Herodotus scribit. Eidem præterea matronæ Latinæ, ad aduertendum fascinũ, solebant imponere coronam, vt tradit Augustinus libro septimo de Ciuitate Dei, & colligitur ex Acrone in illud Horatij, *Minúsue languet fascinum*, & Plinio. Vnde vates ille:

Herod. lib. 2.

Plin. l. 8 c. 4.

Ruber sedere cum rubente fascino.

Quin de eodem Mutuno dicto sic in quarto aduersus gentes Arnobius: *In manibus pudendis, horrentique fascino vestras inequitare matronas, & auspicabile dicitis, & optatis.* & Lactantius Firmianus in primo: *Mutunus, in cuius sinu pudendo nubentes*

tes præsident, *vt illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur.* Idem pręterea bonus dæmon, seu genius, ac τεχνίτης, σωτὴρ, id est artifex & seruator vocabatur, inquit Phurnutus, tanta apud omnes antiquos in existimatione veluti Deus habebatur idem custos hortorum, furum, atq; auium, vt Virgilius canit. Sed ne plura quæso his de rebus. Eodem modo Mars cædibus, Mercurius apud Gentes fraudibus faciendis præsidebant, & ob eam causam colebantur. Hinc Mercurius κλέπτης, ait Phurnutus, & κλῶπα, inquit Suidas, fur scilicet est vocatus: nam

Georg. lib. 4.

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius Maia genitus, canit Prudentius.

Quò respiciens Horatius aiebat de quodam subdolo mercatore.

Hortos, egregiasq; domos mercarier vnus
Cum lucro noram, vnde frequentia Mercuriale
Imposuêre mihi cognomen compita.

Lib. 2. Sat. 3

Et alibi laudans ipsum, canit:

Callidum quidquid placuit iocoso
Condere furto.
Te boues olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Car. lib. 2.

Ob eamdem causam Plautus vocat eum subdolum, & versipellē. At Mars à Græcis ἄρης nuncupatus, ἀπὸ τȣ̃ ἄιρειν ab interficiēdo, & οὖλος, quasi pernicios⁹, & αἱμωχαρὴς ab Homero, idest sanguine gaudens, & ab eodem βροτολόιγος, hominum necator.

Sed inspiciamus quintum gradum, in quo mortales eò dementiæ deuenerunt, vt rebus inanimis, ac monstris ipsis diuinitatem tribuerint; rebus fœdissimis & ineptissimis sacra fecerint, cælestes honores tribuerint, ædes consecrauerint: vt Rex Tullus Pauori, & Pallori; quod scribit Liuius in primo historiarum libro. Febri autem Romani templum posuerunt, & aras multis in locis; vt è Plinio & Cicerone cognoscimus; nimirum in Palatio, in arce Marianorum, in parte vici longi. Omittamus Cloacinam, Sterquilinium, Deosq; huiusmodi portentosos Romanorum. Audi rem prorsus ridendámne, an miserandam dicam? Lycurgus ille, legislatorum sapientissimus,

V.

Cic libr. 3. de nat. Deo. 2. de leg. Plin. lib. 2.

Risus simulachrum, vt Dei, apud Lacedæmonios erexit: quod Plutarchus testatur. Tanto Deo Thessali Hypatentos quotannis sacra faciebant. meminit illius Pausanias. Iam verò Aegyptij crocodilos, canes, feles, serpentes, boues, asinos, pro Dijs habebant.

Hinc Virgilius: *In Octauo.*

Omnigenumque Deum, monstra, & latrator Anubis,

Meminere horum latè Herodotus, Diodorus Siculus, Aelianus, Ammianus Marcellinus: nostros enim scriptores præterimus. Nam si Minutio credimus, quod pudet dicere, crepitus pro Deo est ab illis habitus. Allia certè, & cæpas, multaq; alia his similia numinum loco reputata testatur ille vates antiquus.

O fortunati, quorum nascuntur in hortis
Numina,

Isidem porrò summum Aegyptiorum Deum, cui caput erat caninum, cum multis huiusmodi portentis Romani in templa receperunt. sic enim Lucanus:

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim,
Semicanesque Deos, & sistra mouentia luctum.

Incredibile verò est, quot modis dæmon adigeret mortales ad hæc colenda. Quis enim putet interdum muscas dumtaxat ad hoc adhibuisse? Refert Pausanias in Arcadicis, Arcades immolare Myyagro Deo, muscarum scilicet abactori; ne quid ab eis molestiæ patiantur. Solinus ait, Romæ in foro boario Herculis sacellum fuisse, quod potuerat ille, quò neque canibus, neque muscis esset aditus. Plinius scribit, in Olympicis omnium celeberrimis certaminibus sacra fieri consueuisse Myiodi Deo, quod est expulsori muscarum, vt abirent extra territorium: & alibi solitos Cyrenaicos inuocare Achorem Deum muscarum, multitudine illarum pestilentiam afferente; quæ protinus intereant, vbi litatum fuerit. quò videtur respexisse sanctus Gregorius Nazianzenus, cùm dixit oratione prima in Iulianum: *Non amplius muscæ quærent Deum Accaron, aut si quid musca est ridiculosius,* hæc sanctus, è quibus illustrantur quæ habentur in diuinis libris de Beelzebub, Deo nimirum muscarum, qui colebatur in Accaron, vt habetur in quarto Regum. En igitur quò robur, ac scientia generis humani peruenit? Vide incredibilem illius cæcitatem, turpitudinem, nequitiam, in quas deiecit illud serpens ac dæmon antiquus.

Lib. 29. c. 26
Lib. 8. c. 28.
Cap. 1.

Ex

Ex his consecuta duo, vt in nulla non scelera præcipites corruerint cuncti mortales: & hoc primum. Secundum verò sit, Philosophos illos celeberrimos, plerosque omnes iisdem inuolutos, magis in amentiam versos, vt apparebit. Quantum ad primum: constat è Strabone, Cretenses temporibus iis primis habitos à cunctis gentibus omnium optimè moratos; ita vt populi vniuersi contenderent illos imitari. Hinc fabulis datus locus, eorum Regem Minoa, & Rhadamantum regnis inferorum præsidere, & præmia pœnasque defunctis pro merito quorumlibet distribuere. Cretensiũ Spartani sunt habiti in primis imitatores, quos tanti fecit antiquitas, vt dictum sit à sapientibus illorum sæculorum, alibi pueros, Spartæ viros ali. Videamus qui fuerint hi, vt inde colligamus qui cæteri forent. Cretensium Rempublicam latè describit ex Ephoro diligentissim' auctor Strabo. Inter cetera, ait, hanc esse illis consuetudinem, vt laudabile reputetur inter eos, puerorum amorib. & nefandæ libidini indulgere, ac nobilissimum quemque rapere ex composito; duos menses retinere; ac donatum remittere. in publico verò conuiuium apparabatur post hæc ab his; & habebatur concio palam, qua probra ista laudabantur, & infames inde voluptates enatæ. Pueris verò raptis primarius locus dabatur, & vestis splendidior, quam veluti mercedem præmiumque ab amante accepissent: atque hic mos illis quousque ex ephœbis excessissent. Tum non amplius pueri pueros ipsi rapiebant. Tales igitur Cretenses. Videamus, qui forent Spartani. Inter eos hic mos erat, vt puellæ nudæ cum adolescentibus item nudis, populo inspectante colluctarentur.

Strab. lib. 10.

Hinc Martialis:

Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Lædeas Lacedæmonis palæstras.

Atque hunc sanè morem laudat in Republica sua Plato, qui volebat communes esse vxores: vt iam non sit mirum si Paris Helenam Lacedæmone abduxit. Testatur Plutarchus, quando iam vidimus quales essent laudatissimi populi in his quæ pertinẽt ad honestatem, apud omnes gentes fas fuisse cunctis vti præpostera libidine cum seruis suis; quin etiam cum liberis volentibus permittebatur: atq; hanc etiam legem quo ad seruos esse Mahometanis testatur Ioannes Leo. Quocirca in celeberrimis ciuitatibus erant puerorum prostibula, sicut etiam meretricum, quod

è libris Machabæorum facilè dignoſcitur. ac deridetur in Pædia Cyri miles ille egregius, qui non ſecum ducebat puerum formoſum. Iam ſcimus Romæ obſoletorum huiuſmodi talem fuiſſe copiam, vt cùm vellet Alexander Mammeæ bonus Imperator illos exigere, haud potuerit. qua in vrbe ventum eò denique vt Imperator Nero, publicè applaudente ſenatu ac populo, in apertiſſimo totius vrbis atq; orbis theatro nuptias cum Sporo liberto celebrarit; neque hoc contentus, legem tulerit, vt cuiuis mari liceret nubere eodem modo, & marem habere in matrimonio: quæ Dion diſertiſſimè teſtatur.

Nunc inſpiciamus quæ fuerint gentes reliquis in rebus. Thucidydes eſt teſtis, adhuc ætate ſua in mediterraneis Græciæ locis habitum glorioſum rapto viuere, ac latrocinari. vixit autem Thucidydes anno ante Chriſtum natum ferè trecenteſimo. Olim ſanè laudabile id fuiſſe conſtatè milite illo apud Virgilium, qui Troianis deſidiam exprobrat, & ſuorum mores ita iactabundus effert:

Caniciem galea præmimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Et quidem apud pleroſque ita foret, cùm Spartæ hic mos eſſet, vt furari liceret, modò id clam fieret, neq; deprehenderetur aliquis in furto. ſcimus autem Spartanos omniũ laudatiſſimos populos fuiſſe. Quod ſi cui ſuos ciues licebat clam ſpoliare, quidni multo magis exteros? Et quando id Spartani laudabiliter agebant, an ceteros putamus ſe continuiſſe? Pauciſſimos credendum fuiſſe. Illud certè iuris gentium erat, vt cuiuis populo ac principi liceret bella indicere, & exercere quauis de cauſa; nulla etiam, ſi qua forſan eſſet gens, quæ bellum mouentis leges ferre nollet, ac tributa illi pendere, & obedire recuſaret. itaq; vt furta & latrocinia punirentur ac vituperarentur alicubi; publica bella mouere iuris gẽtium exiſtimabatur. Quocirca haud mirandum (inquit Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſecundo in vita Numæ) ſi Romani prouecti fuerint ad tantam, quam cuncti norunt, poteſtatem: non enim vt ceteræ gentes bellum mouebant, niſi iuſtis plerumque de cauſis, cognita re, iniuria ab hoſtibus in ipſos aut ſocios illata, ac fecialibus miſſis ad infeſtos ſibi populos, vt iniuriæ ſatisfacerent. ceteri plerumq; non ita. Hinc Ariſtoteles ipſe aiebat: *Ars bellica ſecundùm naturam quodammodo acquiſitioni dat operam.. nam & venatoria pars illius eſt, qua vti oportet contra beſtias,*

Polit. l. 1 c. 5.

stias, & contra eos homines, qui ad parendum nati sunt, nec volunt parere: quia natura id bellum iustum existat. hæc ille, vocans more suo natos ad parendum, barbaros. Ex his omnibus factum, vt plerumq; Reges olim vellent haberi & coli pro dijs, & viuentes, & defuncti: vt rectè precaretur Dauid: *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt.* Ac testatur Cyprianus, ætate adhuc sua, Reges à Mauris suos deorũ loco reputatos; & in vniuersum, qui colebantur dij, Reges antiquorum fuisse plerosque apud omnes ferè gentes; quod Tertullianus etiam, Lactantius, ac Minutius in Octauio scribunt. Hinc ille: *Sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, & præter ipsum non est alius.* Non est quòd longinqua consectemur. Apud Romanos ipsi Imperatores pro dijs habiti, templa illis erecta, instituti sacerdotes, & sacra ex senatusconsulto, & lege Augustorum, ac suprà dicebamus, Faustinam in cælitum numerum relatam ab Antonino philosopho Imperatore, qui habitus est omnium optimus.

Cyp. de idol. van.

Tertu. in Ap. Lact. li.1.c.15 21.

Iudith. ca.5.

Hinc Horatius:

Cælo tonantem credidimus Iouem
Regnare: præsens Diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusque Persis.

Et alibi.

Præsenti tibi maturos largimur honores;
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.

Sed hæc sanè ferenda videntur, si consideremus consuetudinẽ fuisse olim plerisq; populis Imperio Romano haud subiectis, vt homines innoxios immolarent. Vsitatius id alibi fuerat ante Imperium Romanum constitutum: neq; ab hac feritate desitum, nisi ex quo Papæ, missis qui perducerent illos ad Christi cultum, sustulerunt hanc atrocitatem: quod nos signo de nationum catholicarum felicitate, vbi de ducẽtis Borealiũ bonis agimus, late ostendem⁹.

Neque verò putet quisquam multum præsidij fuisse in Philosophis ad veritatem cognoscendam, quandoquidem nihil apud illos erat certi & constantis vlla de re, præsertim in diuinis. nam cùm ratione ac vi humana tantùm niterentur, verè Aristoteles dixit nos in ij s cognoscendis esse vt vespertiliones in sole perspiciendo. An non suprà ostendimus quid Socrates & Plato de dæmonibus sentirent?

eorum porrò sententias discrepantes quis persequatur? quis mente assequi vnquam possit? Ab illorum plerisque eò ventum, vt partim dicerent summum bonum voluptatem, quorum Dux Epicurus innumeros nomine ac re sectatores habens; partim verò diffinirent, nihil prorsus sciri. Quid igitur dicas? quid quæras? Hi Socratem profe-runt parentem, qui asserebat illud; hoc vnum scio, quod nihil scio: & omnium maximam sectam constituerunt o-lim, quam dixère Academiam, non modò propter locum, sed propter nobilissimos asseclas, de quibus latè Cicero de Academicis quæst. Quamobrē si scientiā spectes, philoso-phi vel omnem prorsus nobis eripuerunt, vel in diuinis ne garunt, vel omnino præposteram tradiderunt. Quòd si in-spexeris eorum vitam; signo de summa Ecclesiæ sanctita-te ostendimus philosophorum summos fuisse contamina-tissimos, ita vt pessimi nostrorum sint illis meliores. En diximus summatim, quò genus humanus meserrimè tan-dem fuerit redactum.

Sacramento confirmationis est factum, vt tanta ac tot flagitia plurimis in lo. is tollerentur è terra.

CAP. XI.

Classis nona.

APparet clarissimè, in quantas calamitates incide-rit humanum genus. Nunc ostendamus, sacra-mento hoc contigisse diuinitus, vt ex ijs erueretur.

I. Ac primo loco id esse verum constat ex eo, quod è Lactan tio & Prudentio adduximus supra; ob eam causam Chri-stianos ab Imperatoribus & impijs tam miserè diuexatos, quòd dæmones responsa dare nollent præsentibus Christi anis vnctis, & regali chrismate signatis. En igitur dæmo-num prostrata potestas: per quos tantę calamitates in mor tales inuectæ, non alia de causa, nisi quòd Christiani hoc sacramento vncti essent. Ac veluti obstruebatur illis os ad apertè loquendum, sic vis ad excitandas cogitationes im-pias, & consilia nefaria, infirmabatur: liquet enim fuisse illis robur debilitatum, præclusos aditus, quo minus pos-sent se foras prodere, & in publicum dare.

Secundo loco id colligitur, quia per hoc sacramētum crux altè infigitur animis nostris, amor omnia tolerandi pro Deo, Christi exemplo, ac munere. Hinc per eam Constantinus ad Christum traductus. Testatur enim Eusebius ideò Constantinum Christo nomen dedisse, quia crux illi apparuerit, dictumq; illi sit. In hoc signo vinces: atque is tum labarum Romani Imperatoris vexillum in crucis formam fabricari iussit, vt late ostendimus signo de miraculis in propagatione fidei factis, & signo de miraculis rerū quæ referuntur ad corpora sancta. Post hæc Constantinus iam factus Christianus, & chrismate vnctus (vt habetur in actis sancti Syluestri, vitaq; eiusdem, quam Simeon Metaphrastes scribit, constatq; ex historijs Greg. Turon. Photij, Calecæ, Nicephoriq; scriptis) templa idolorum claudi iussit, nihil ijs sacrificari sanxit. En igitur vt crux hæc, quæ maximè necessariò in chrismate adhibetur, mentibusque nostris imprimitur, adduxerit Constantinum ad veritatem: en vt ille post hæc baptizatus, & chrismate vnctus substulerit sacra dæmonum, & nefandas, quas suprà memorauimus, superstitiones. Iure igitur hæc spectans Prudentius, qui sub ipsa tempora Constantini fuit, sic Theodosium inducit, qui alloquitur Romam, Maximo & Eugenio deuictis.

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est;
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.
Hoc signo inuictus transmißis Alpibus vltor
Seruitium soluit miserabile Constantinus,
Cùm te pestifera premeret Mezentius aula.

Et mox:

Testis Christicolæ Ducis aduentantis ad Vrbem
Miluius, exceptum Tyberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quænam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Protulerit; quali radiantia stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum clypeorum insignia Christus
Scripserat; ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarißimus ordo,
Qui tunc concreto proceßit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris ad inclita flendo

Procubuit vexilla iacens; tunc ille senatus
Militiæ vltricis titulum, Christique verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Et rursus de baptismo.

Iamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazaræorum,
Atque ad Apostolicos Euandria curia fontes.

Et pòst de chrismate.

Cœtibus aut magnis Laterani currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi Christe dicatam,
In leges transisse tuas? omnique volentem
Cum populo, & summis cum ciuibus, ardua magni
Iam super astra poli terrenum extendere regnum.

Hactenus Prudentius, signo crucis à Maxentij tyrannide liberatam per Constantinum Romam scribens, à Romanis cultam crucem, baptisma susceptum ad Apostolicos fontes, chrisma ad ædes Laterani, denique transitum factum in leges Christi.

III. Atque vt adhuc tertiò videas per chrisma factum vt impij ritus, de quibus egimus suprà, moresque sint deleti; illud attende experimento compertum, impios ritus ex inferis reuocari ad extremum per illos, qui quamuis Christianos se profiteantur, tamen quando hæretici sunt, vel chrisma contemnunt, vel etiam si venerentur, tamen vim non possunt illius ob hæresim suam penitus animo excipere. Valens enim fuit hæreticus Arianus; & hic potestatem fecit vt Idolorum templa rursus aperirentur, & prisca sacrificia renouarētur, quod testatur Sozomenus, & Theodoretus. Atq; en tibi rursus crux ad Idola rursus deijcienda, & mores à dæmonibus inductos: Theodosius namque Imperator cùm pergeret aduersus Eugenium, qui imperium occidentale occupârat, & ingentes in ipsum mouebat exercitus; Herculisq; signum præferebat copijs suis; nullis suorum consilijs acquieuit dicentium, ne se aduersus tantas Eugenij copias committeret, & manifestum periculum subiret. Nam minimè tantam tribuendam esse imbecillitatem dixit omnipotenti crucis armaturæ, quæ ex aduerso Herculis imagini opposita esset: *Exercitui enim meo*, inquit, *crux præit; illius autem copias Hercules ducit.* hæc Nicephorus. Quocirca sustulit Imperator, Eugenio iam per crucem deuicto, renouata rursus sacrificia per leges

Lib. 12. c. 39.

Valentis.

Valentis. Hinc Prudentius sic Theodosium, qui Romam alloquitur: inducit:

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Et mox ipse alloquens Honorium filium, petensq; vt gladiatorum certamina auferat, inquit:

Arripe dilatam tua Dux in tempora famam;
Quódque patris superest successor laudis habeto.
Ille Vrbem vetuit taurorum sanguine tingi:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.

Hæc Prudentius, qui paulo antè retulit habitam nobilissimam victoriam de Barbaris ad Polentiam, non alio, quàm signo hoc crucis frontibus inscripto, sic canens:

Dux agminis imperijque
Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atque parens Stilico, Deus vnus Christus vtrique,
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti,

Audin' vim chrismatis.

Inscripta cecinere tubæ, prima hasta Draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic ter denis gens exitiabilis annis,
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent, mirabere seris
Posteritas sæclis inhumata cadauera latè:
Quæ Pollentinos texerunt oßibus agros.

Ex his liquet hoc sacramento potissimũ diuinit' esse cõcessum, vt quas diximꝰ, abominationes de medio tollerentur.

IIII. Sed quartò adhuc idem colligitur: nam quoties maximè propagata est Christi fides, id non alia ratione contigit: quàm crucis ipsius conspicuę interuentu, quod nos latè signo de admirandis affectionibus rerum, quæ ad corpora sancta referuntur, ostendimus. Hic illud repetijsse sit satis. Inter alias causas, quibus innumeri adducti quotannis in Indijs orientalibus, quarum latissima sunt confinia, conuolant ad fidem Christi, est illud, ꝙ Malipure, siue ciuitate S. Thomæ, crux illa lapidea, ad quam genuflexus Apostolus est interfectꝰ, in die festo ipsius sancti, vbi recitatur Euangelium in missa solemni, splendescit, ac liquorẽ fundit, perinde ac si oleo delibuta esset, inquit Osorius. Quęro igitur cur Deus quotannis ex illa cruce hoc edat miraculum,

Osor. lib. 4.

cur oleum crux illa emittat primò nigri coloris, deinde sanguinei, vt idem refert, & nos recitauimus signo de miraculis in fidei propagatione factis? nónne vt palam fiat, per oleum chrismatis in formam crucis fronti appictum, splendorem nobis ad effugandas tenebras, & sanguinem pro Christo fundendum cęlitus infundi? Cuncti iudicent an hęc necessariò referenda sint ad oleum, crucemq; sacramento chrismatis Christianorũ fronti inscriptã; an tanta diuinę potentiæ miracula temeritati sint adscribenda.

V. Verùm quid esse in causa dicemus, quinto loco, vt dæmones non effugentur è locis & corporibus, quæ occupãt & infestant, nisi per nostros, qui chrismate sunt vncti: qđ ostendimus signo de potestate in dæmonas. In amplissimis Sinarum & Iaponiorum regnis dæmones inuadunt humana corpora; neque inde egredi volunt, & ab illorum vexationibus cessare, nisi obsessus syngrapha conscripta iuret, se quotidiè dæmoni daturum diuinos honores. quo præstito, dæmones egrediuntur, neq; ampliùs quicquam molestiæ inferunt miseris illis. Tum verò ij dæmona depingunt eadem, qua nos, deformitate, horrentem, nigrũ, flammis circumdatum, flammas spirantem, adspectu truci: & singulis diebus ante illum se sistunt proni, genua flectunt, adorant, thus illi accendunt, & quas possunt maximas maximi cultus significationes ostendunt. Quocirca vbi nostri in illas oras venere, incredibili omnes sunt admiratione perculsi, vidẽtes quanta sit nostrorum potestas in dæmonas, vt fugiant ad ipsorum preces, expellantur è corporibus obsessorum. Quin etiam terras & vrbes multas ijdem dæmones in ijs regionibus affligunt, & nostrorum iussu expelluntur. rogantibus & supplicibus responsa dãt, oracula fundunt; sed ad nostrorum adspectum tacent, obmutescunt, se nihil posse confitentur: vt eodem signo latè prosecuti sumus. quod est in causa, vt abiecto variæ superstitionis cultu, moribusque efferis, plurimæ nationes nomen Christo dent in ijs locis.

VI. Quamuis sexto loco illud adduci verissimè potest, nunquam nisi per nostros Christi cultum propagatum inter nationes; idq; signis de fidei propagatione est explicatum: quod est euidentissimum argumẽtum nobis esse solis vim, splendoremq; crucis ad tenebras disijciendas, dæmonasque profligandos: alioquin crux Christi euanuisset. Hoc namq; maximè mirum, per mille quingentos & quinquaginta

ginta annos nullam nationem potuisse ab hæreticis ad Christum perduci (hęreticorum namque est peruertere, non conuertere) cunctas gentes à nostri Christo conciliatas, gentilicios ritus à nostris prostratos, nobis omnẽ vim crucis datam, nullis alijs. Quò d si non est euacuanda crux Christi, inquit Paulus ad Corinthios, proculdubio euacuant, qui tollunt hoc sacramentum, quando per illud solum fit vt Christi filij generentur, quod euentis certissimis comprobari dicto signo aperuimus. Annon hoc verum? 1. Cor. 1.

VII. Audi septimo loco. Apertissimè ostendimus signo de interitu fidei, cultusque Christiani, simulatque in aliquibus regionibus maxima ex parte hæresis consedit, continuo in eas irrumpere efferatissimas gentes, quæ ad extremum cultum Christi fidemque ex illis exterminent, ac deleant. Atqui hoc est argumentum certissimum, chrisma esse verissimum sacramentum, per quod pugnantes vincimus inimicos Christi. At hæretici, tantum abest, vt vincant, vt ad nihilum redigantur; quòd nimirum vel non habent hoc sacramentum vel vim gratiamque sacramenti.

VIII. Huic septimo argumentum succedit octauum, quod quibus in locis per hæreticos facta est Christianæ religionis iactura huiusmodi, vt nihil ferè illius in eis superesset, in ijsdem facta est per nostros restauratio diminutę aut extinctæ religionis: quod signo de reparatione dictum fuit à nobis abunde. Non igitur vmbratiles hæ pugnæ, neque commentitia potestas huius sacramenti.

IX. Quid, quod nono loco afferri potest? Nobis duntaxat catholicis esse perpetuam Martyrum successionem; siue spectes illos, qui vitam profundunt pro disseminanda Christi religione inter gentes; siue eos, qui qualibet ætate ab hæreticis interfecti sunt, ex quo hęreticis aliqua potuit esse potestas. Hæc verò signis de Martyrum successione & summa fortitudine apparet. Vt igitur hæreticorum factio nes possint falso nomine Martyres aliquos suorum ciere, non tamen ijs perpetua successio, neque aut multitudine, aut patientia cum nostris comparandi. Martyrum porrò coronas Cyprianus atribuit sacramento chrismatis, libro de lapsis inquiens: *Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reseruauit.* Denique vt vno pluri ma concludamus, ad tantum virtutum omnium culmen nostri peruenere, vt illud mente assequi non potuerint

philosophi, hæretici verò fieri non posse dixerint aliquando, vt eò perueniretur: quod plurimis signis spectantibus ad omnia virtutum munera, summamq; caritatem, & sanctitatem, sumus persecuti. Non igitur hęc sunt commenta, sed verissima cælitus hominib. Catholicis concessa dona.

I. His porrò omnibus quinq; accedunt maximè suspicienda, quòd quoties est Ecclesiæ Catholicæ, quantum ad amplitudinem, multitudinemq; credentium populorum, aliquid detractum, tum magis est illi ex alia parte diuinitus

II. adiectum. Deinde cùm tempora illi fuerunt iniquissima, tum maximè sanctis viris cælesti munere est amplificata,

III. & ornata. Præterea verò cùm potestas ipsius à Principibus prophanis est imminuta & oppressa, Deus ex alia parte longè altiùs illam paulò pòst extulit, & euexit; quæ signis

IIII. suis suoque loco singillatim declarabuntur à nobis. Quartum verò per hoc sacramentum cælitus Ecclesiæ datum est, vt illa errare non possit in vniuersalibus fidei morumque decretis, siue spectes subiectas nationes, ac toto orbe diffusas, siue Episcoporum vniuersitatem Papæ subiectã, siue ipsum Papam; quæ proculdubio cælestia maximè, & omnium diuinissima iudicari debent. Neque verò mirum: nam per illapsum Spiritus sancti, & hoc sacramentum, facta est cælestium humanarumq; rerum mirabilis quædam connexio, & continuatio: vt Ecclesia iam cœlum sit, quam-

V. uis posita in terris; quod Chrysostomus aiebat. Hinc quintùm, quo compages Ecclesiæ mirabiliter continentur, & eius arctissima cõiunctio conglutinatur. Omnes Catholici, qui ab Apostolica ætate semper exstiterunt toto orbe cognito dispersi, nihil vmquam certò crediderunt, nisi quod diffinitum, aut pro diffinito habitum est veluti certò credendum, non ab hominibus incertis (alioquin quiuis eligere potuisset, quos sibi assentiri vidisset, quod hæretici faciunt) sed ab Episcopis vniuersis vnà cum Papa veluti referentibus Ecclesis totius personam; aut ab eo qui vniuersorum personam sustinuerit, qui est Papa, Petri successor, Vicarius Christi: idq; siue pertineret ad interpretationes sacræ scripturæ, siue ad aliud quodcumq;: Hebræi namq; ipsi, & diabolus etiam, sicut hæretici quoq;, sacras scripturas adducunt. Singuli porrò Episcopi fuerunt eadẽ mente. Papa idem sicut diuino priuilegio non potest errare in vniuersalibus morum fideiq; legibus ferendis, licet ipse possit sibi esse hæreticus, scribere, prædicare hæretica;

quod

quod si faceret, excideret à potestate, vbi admonitus haud resipisceret; sic omnia sua decreta superiorum Pontificum, & Ecclesiæ Catholicæ decretis cõsona promulgauit. Quæ verò fuerunt sic diffinita, aut pro diffinitis certò ab omnibus existimata, sic omnes Catholici crediderunt, vt nihil hæsitârint in ijs credendis, vitam profundere pro ijs parati. Cætera submiserunt diffinitionibus faciendis, siue scriptis consignata, siue ore pronunciata, siue animo tantùm fuerint comprehensa. Atq; ita omnium maxima coniunctio inter Catholicos. Nam primo loco quæ diffinita sunt, aut habita pro diffinitis, sic crediderunt, vt innumeri pro ijs posuerint vitam, cæteris ad idem paratis. Secundo, quæ non fuerũt, submisere singuli iudicio totius vniuersitatis, aut eorum, vel eius, qui vniuersorum personam refert. Tertio posteri non recessere in ijs, quæ sunt æternæ veritatis, à sanctionibus huiusmodi superioris ætatis: superior ætas, quæ non fuerunt huiusmodi, iudicio posterorum submisit, ea credens ita, vt determinarentur. Nulla porrò cogniti orbis gens exstitit, cuius non habuerit aliquem nostra Ecclesia, qui mente huiusmodi foret, per annos mille quingentos, & amplius. Id verò neq; vlli populo, neq; vlli hæreticorũ cœtui contigit: nõ enim certos vllos sibi cõtinuata serie succedentes nominare possunt, quibus ipsi, posteri eorum, maioresq; in quæstionibus emergentibus indubitatè credãt, crediderint, aut sint credituri. Præterea superiores ipsorum non hoc erga antecessores suos animo fuerũt in omnibus, sed ab ijs aliqua in re discesserunt, quam non submisere vniuersorum iudicio, vel secus interpretati diuinas scripturas, vel maiorum decreta. Postremò non habuerunt ex omni cogniti orbis natione, qui ipsorum sentẽtias sequerentur, quive pro ijs vitam ponerent, aut disseminarent inter alias gentes, ad quas aditus singulis sæculis aperiretur. Quę sanè omnia diuinissimo beneficio Catholicis acciderunt. Non alijs sanè viribus, quàm diuinis; quas accepere per hoc sacramentũ à Spiritu sancto, cui per illud coniunguntur, & quo dæmonas, & eorum potestates fugarunt è terris: quod & ipsi dæmones olim prædixere euenturum Spiritus sancti potestate.

Audi versus eorum de Trinitate, & Spiritu sancto:

Μὴ ὄφελες πύματόν με καὶ ὕστατον αὐτὸς ἐρέσθαι
Δύστηνε προπόλων περὶ θεσπεσίου γενετῆρος
Ἀμφί τε τηλεγένοιο πανομφαίου βασιλῆος

Καὶ πνοιῆς, ἣ πάντα περὶξ σφονδυλὸν ἔχει
Οὔρεα γῆν, ποταμοὺς, ἅλα, τάρταρον ἠέρα, πῦρ τε
Ἢν μὲ οὐκ ἐθέλοντα δόμων ἄπο τῶνδε διώξει,
Αὐτίκα ἐρημαῖον δὲ λελείψεται οὖδας ἀφήνωρ.

Ne infœlix quæso me percunctare Sacerdos
Postremum de diuino summoq; parente
Atque eius nato cunctorum Rege potente,
Spiritu, & adstrictum qui mundum continet omnem
Montes, terram, amnes, mare, tartara, & aëra, & ignem,
Ac me his inuitum detrudet ab ædibus idem
Ex templo, & limen, solum, mutumq; relinquam.

Audistin' vt dæmon vel inuitus fateatur se à Spiritu sancto expellendum, vt ampliùs loqui non posit: quod sacramento confirmationis præstitum vidimus. Idcirco affirmat S. Hyppolitus libello de consummatione mundi, futurum, vt Antichristus inter alia edicat & iubeat, ne quis in fronte sua crucem pingat; quod Antichristi præcursores apertisimi hæretici nostræ ætatis nunc sedulò præstant, dum crucem chrismatisque sacramentum, quo delabitur in nos Spiritus sanctus, & memoria visque Christi crucifixi mentibus infigitur, infestisimè oppugnant. Sic igitur nostri apti inter sese, colligati, & cum superioribus posteri cum posteris superiores, & cuiuslibet ætatis spiritus in sæculum sequẽs continuatur per orbem totum peruiæ telluris. Nullus itaque è catholicis credit omnino suis cogitatis, & interpretationibus ad sacras scripturas, sed ijs quæ sic approbantur toto orbe terrarum per annos mille quingentos & ampliùs. Hæc altisima spiritus coniunctio nulli cœtui contingens, Ecclesiæque Catholicę peculiaris, copulat singulos per singulas ætates, & in omnium pectora sese insinuans, per cunctorum corda catholicorum dilabitur: propterea Christi nomen, oleum diffusum, & vnguentum è capite Aaron vsque ad oram vestimenti pertingens dimanans namque à Deo, diffluensque in singulos vnius: spiritus vinculo, quod suis signis apparebit, mirabiliter omnium sæculorum mortales catholicos toto orbe conglutinat, & connectit. Hic Ecclesiæ vnus spiritus cum Deo qui tam magna ac diuina inter humanum genus, vt latiùs apparebit singillatim, producit in lucem, dæmonasque omnes cum suis sectatoribus, spectris, legibus nefandis & impijs, ad infera deuoluit, & detrudit.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LIBER III.

Amor suijpsius est omnium malorum causa; idcirco radicitus hic in Ecclesia Dei euellitur, vt tum demum catholicorum pectoribus inseri omnes virtutes possint, immisso penitus Dei, proximiq; amore.

CAP. I.

AMor suijpsius est omnium malorum, quæ in humanum genus ex quacumque causa ad ipsius extremam perniciem dimanare solent, fons & origo: vt bene dixerit Augustinus, ab illo Babylona condi, impiorumq; ciuitatem; sicut contra ab amore Dei ędificari asserit admirandũ, de qua agimus, Dei ciuitatem, Hierusalem nomine designatam. Hinc Christus toties illa repetebat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*; &: *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodiat eam; qui amat in hoc mundo, perdet eam.* Neq; verò dæmon est alia via aggressus olim primos illos hominum cunctorum parentes, quàm suijpsius amore, cùm dixit: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Ex hoc omnium bonorum facta commutatio. Radicitus est igitur omnino hic amor ex Ecclesia Dei & sanctorum societate exstirpandus, & quando hęc est prima actionum siue intra mentis nostræ recessus manentium, siue in alia prodeuntium causa, vt aliquid credatur; ob id in Ecclesia Dei hoc est immobile fixumq; principiũ, ad exterminandum suijpsius amorem, vt nemo sit in ea, qui sibi credat vni, vel eum sequatur, qui sibi vni crediderit. Et sanè videmus, experientiaque quotidiana in singula momenta tenemus, idcirco nos ad aliquid agendum moueri (si modò ratione ducimur, non casu, belluarum instar, ferimur) quia credimus aliquid, siue iucundum sit, siue vtile, siue honestum, boni certè veriquespeciem nobis

habere illud aliquo modo persuasimus. Hæc igitur persua-
sio in Ecclesia Dei à suimetipsius amore neque nasci po-
test, neq; debet. Alioquin Ecclesia Dei non esset, Babylon
est illa. Atq; hoc est illud, quod toties Paulus in epist. suis
passim repetit, atque ingeminat, vt nemo sibi credat, nemo
sibi sapiat, nemo sibi placeat, nemo denique sibi viuat. *Ne-*
Rom. 14. *mo enim nostrum*, inquit ad Romanos, *sibi viuit, aut sibi moritur.*
1. Cor. 8. & ad Corinthios: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognouit*
2. Cor. 5. *quemadmodum oporteat eum scire. Qui viuunt, iam non sibi viuant.*
Gal. 3. & ad Galat, *Si quis se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedu-*
cit. & ad Philippenses: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis.*
Rom. 12. & rursus ad Rom. scribit, ac præcipit *nõ plus sapere, quàm opor-*
tet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ, & idipsum inuicẽ sentientes, nõ alta
sapientes, sed humilibus consentientes: Nolite esse prudentes apud vos-
Rom. 15. *metipsos. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum su-*
stinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo pla-
ceat in bonum, ad ædificationem. Quamobrem bene de hæreti-
2. Pet. 2. cis Petrus ait: *Dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes,*
sectas non metuunt introducere blasphemantes. Ex hac amoris pro-
prij exstirpatione fit, vt cùm sacra scriptura in varios à nõ-
nullis sensus trahatur (& dæmon namque illa vsus est ad-
uersus Christum in solitudine positum, cùm ieiunaret, &
Iudæi vtuntur adhuc; ac nullus est hæreticorum cœtus, in-
numeri verò sunt illi, qui non scripturas diuinas obtendat)
nemo catholicorum, siue eorum qui in Ecclesia Dei sunt,
sibi in sententijs illius explicandis, sicuti neq; vlla in re, pla-
cere, credere, aut sapere possit. Omnes interpretationes o-
pus est expendat è communi Ecclesiæ totius fide.

Deniq; necesse est inter nos sit illa admirabilis animo-
rum connexio & conspiratio, de qua dicebamus ad finem
secundi libri, ita vt animus cuiusq; intimo illapsu exordia-
tur ab antiquissimis Ecclesiæ decretis, & pertingat ad su-
premas eiusdem sanctiones, decurratq; per omnes ætates,
& insinuet se in animos eadem sentientiũ, stabilita credẽs,
& stabilienda iuxta inconcussam priorum normam crede-
re paratus. Ea sola vera, iustaq; sibi certissimo persuadens,
cætera ab his dissentientia sine dubio falsissima, & ab om-
nibus iustitiæ constitutionibus remota.

Neque verò vel Episcopi vniuersi, Conciliaque, vel ip-
se Pontifex summus est vllo modo immunis ab hac animi
obligatione, qua deuincit se antiquis Ecclesiȩ scitis, & quȩ
ab his clariùs explicata in singulas ætates deducuntur, aut

vmquam deducentur. Nam cùm decreta Ecclesiæ vel sint eorum, quæ pro temporum, regionumque, & hominum cõditione variari possunt, ac debent, veluti pertinentia ad mores quosdã mutabiles, ritusq; diuersos, diuersis cõuenientes; vel eorum, quæ sunt immutabilia, & æternæ veritatis, ac stabilitatis, vt materia & forma sacramentorum, & quæ per se vera, ac bona sunt, atque aliter esse non possunt: quo ad prima Pontifex summus, & Concilia Episcopique summam habent potestatem, vbi mutationum causæ iustæ intercedunt. Quo ad secunda, si quidem scientes ac volentes recederent ab antiquis decretis vel vniuersalium conciliorum, vel Pontificum, idque certò deprehendi posset, protinus exciderent ab omni potestate pontificia; vt inter alios tradunt Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Optatus, & ipsi Pontifices Romani Cælestinus, ac Nicolaus Primus. Quocirca & ab hisce longissimè abest amor hic proprius: propter cuius exstirpationem sacramento ordinis Deo dedicati illud merito, quod ostendemus, consequuntur, vt quando sibi non credunt in ijs, quæ certò definita sunt, aut pro definitis ab Ecclesia tota Catholica indubitatè accipiuntur, idcirco in reliquis, nimirum ambiguitatibus emergentibus determinandis labi non possint.

Cypr. li. 1. ep. 6. lib 2. ep 1. Amb. li. 1 de pœn. cap. 2. Hier. contra Lucif. Aug. in Enchi. c. 65. Cælest. epist. ad Io. Antio. & cler. Cõst.

Et Pontifex itaque summus, & Episcopi vniuersi Ecclesiæ Catholicæ potissimùm nudati hoc suijpsius amore in ijs quæ credunt. Nam primo loco obligati sunt ea credere omninò, quæ superiora Concilia & Papæ decreuerunt. Secundo necesse est sint parati credere, quæ in futurum sancientur. Tertio, si qua emergat quæstio, necesse est in illa diffinienda videant, quis sit Ecclesiæ totius Catholicæ cõsensus huiusmodi in re, vt signo sequenti explicabitur. Videu' vt nemo in Ecclesia Catholica sit suus? propriæ sit opinioni relictus?

Rursus aliud audi, & admirare diuinæ prouidentiæ altissima consilia. Illud vsu venire videmus, vt diuersarum nationum quandoque diuersa sint studia, diuersæ mentes. Vt itaque Deus, in ijs quæ credenda sunt, ex animo suorum stirpitus euelleret hunc amorem proprium, semper illud prouidit, vt Ecclesia ipsius esset Catholica, id est toto Orbe diffusa, nulla scilicet natio cognita, è qua non sint multi in Ecclesiæ Catholicæ complexu, atque ita

in hanc, quam diximus, conspirationem toto æuo diffusam connectātur. Esse Ecclesiam Catholicam demonstramus signo de Ecclesia Catholica. Quapropter nequa sibi gens in Ecclesia Dei hac in re indulgeret, atq; vt funditus ex eius corde proprius hic amor exhauriretur, quælibet natio, modò Christi velit esse, necesse haber alteri deferre, ita vt singulæ illud Apostoli mandatum seruent hac in re, *Humilitatem inuicem insinuate*. deponant studia propria & proprium sensum. Sic exempli gratia ad Concilium Tridentinum conuenêre Episcopi, ac docti viri ex omni natione, Polonia, Hungaria, Bohemia, Prussia, Suetia, Germania, Gallia, Britannia, Scotia, Hispania, Italia, Cauarijs insulis Africæ, & Africa ipsa, ex Indis, è Græcia, ex Oriente[:]: Moses namque Bardenus Patriarcha Seleuciensis, eò misit suam professionem fidei, atque ita ex omni gente in idem conspirarunt. Quod de Tridentino Concilio dicimus, idem constat de Florentino: ad quod Armeni, & Aethiopes extremi conuenerunt, & quicumque Græcis adhęrent vel ad Orienten in Asia, vel ad Aquilonem in Asia & Europa simul constituti, quos fusiùs recenset S. Antoninus, qui tum Florentiæ degebat, & Crantzius. perspici verò potest id è subscriptionibus ad finem Concilij Florentini positis tum in Gręco, tum in Latino Codice. Tridentini porrò acta fusiùs descripta habentur à multis; in quibus leguntur ex omni natione innumeri Episcopi in eadem decreta conuenisse. Quamquam recepta sunt ista concilia toto Orbe Catholico, ita vt nulla sit illustrior natio, quæ nō illis dederit assensum, detque adhuc, si non per vniuersos, saltem per aliquos ex ea natione prognatos: ita vt exosculentur eorum constitutiones, veluti non modò vniuersales & ad vniuersitatem totam Christianorum spectantes, sed etiam veluti verè cælestes, ac diuinas; atq; ita in vnum spiritum singulæ nationes singulis deferentes conglutinentur, amore proprio funditus exstirpato.

Neque verò illud omittendum. Nam cùm Deus nolit in Ecclesia Catholica amoris istius proprij remanere vllas fibras; ne quis sibi blandiretur in aliquo, ne quis latibula haberet & effugia, diceretq; se haud sibi credere, sed alijs, quos ipse sibi placentes eligeret, voluit in Ecclesia sua certos viros exstare Episcopos, ac sanctissimum Papam, quibus haberemus fidem, quorum fidem sequeremur; atque ita neque illud in arbitrio nostro foret optare, quorum dictis

ctis haberemus fidem. Episcopi verò, & Papa, vt diximus, ni velint continuò potestate ac iure omni spoliari, necesse habent sequi antiquorum decreta, & Ecclesiæ totius catholicæ sensum, ne scilicet ipsi subijciantur amoris huius proprij dominationi; ac tyrannidi. Quin oportet in ambiguis sequantur consentientia & priscis decretis, & Ecclesiæ totius menti. An verò sequantur, non est prorsus huius illiúsve Episcopi, aut hominis, & gentis iudicare, sed vniuersitatis totius, siue Episcoporum vniuersorum, vel sanctissimi Papæ, qui & ipse in causa hæresis iudicio vniuersalium conciliorum est subiectus; vt scilicet omnis ansa præcidatur huic amori proprio, nec sit vllus omnino, qui suos sibi iudices quærat, suæ sententiæ, suæ gentis, in dijudicanda veritate eorum, quæ credit. Nunc animum intende, & circumspice omnes hominum cœtus, qui sunt aut fuerunt: nullos videbis, quorum mens per omnia sæcula, per omnes nationes intimo fidei illapsu progrediens sit alligata immobiliter absque vlla mutatione certis decretis, certísque in omne tempus personis; ita vt nemo sit, qui arctissimo sit hoc vinculo exsolutus. Res equidem diuina ad exterminandum suijpsius, inserendumq; Dei ac proximi amorem.

Et sanè quanti hoc esset, viderunt ipsi antiquorum sapientes, qui statuerunt omnia mala à suijpsius amore in humanum genus proficisci. Hinc illa probro maximè data à Græcis φιλαυτία, id est, amor suijpsius, de quo Aristoteles in Ethicis latè disputat, qui & in Politicis aiebat, in gubernanda ciuitate ac Republica illud esse optimum, vt iudicis arbitrio nihil, quantum fieri potest, relinquatur; ne scilicet perturbatione aliqua commotus aberrare à vero possit. Sed audi Platonem libro de legibus latinè loquentem: mittimus enim Græca ad prolixitatem vitandam. Sic igitur ille: *Omnium verò, ait, maximum quoddam malum in multorum animis est innatum; cuius quidem, cùm facile sibi ignoscant, remedium nullum excogitant. Est autem hoc, quod dicere solent, quòd natura sibi quisque amicus est: recteque est, ita se habere. Sed reuera nimius in seipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa. Obcæcatur enim circa obcæcatum, qui amat. Quadam propter, qui se amat, cùm seipsum magis quàm veritatem honorandam putet, quid iustum, bonum, & pulchrum sit, malè iudicat. Decet sanè eum, qui magnus vir futurus est, neque seipsum, neque sua diligere, sed iusta semper, siue à seipso, siue ab alio quouis gerantur. Ex hoc*

Lib. 9. cap. 13.

Lib. 5.

ipso delicto accidit omnibus, vt ignorantiam suam esse sapientiam opinentur. Hinc fit, vt quamuis nihil, vt ita dicam, sciamus, scire tamen omnia arbitremur. Cùm verò neq; alijs committamus facultatem agendi, quæ nos ipsi facere ignoramus, facientes ipsi errare cōpellimur. Quamobrem nimium suijpsius amorem fugere quisq; debet, & meliores sequi, nullo rubore verecundiæ impeditus. hæc Plato. Similiter & Demosthenes: *Quare facillimum,* inquit, *est omnium, seipsum decipere: quod enim quisque cupit, id etiam animum inducit, & sibi persuadet.* Hactenus græcorum maximus orator cui cōcinit Euripides Tragœdorum summus:

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί

Αὐτοὶ δ' ὅταν σφάλλωμεν οὐ γινώσκομεν.

Omnes in admonendo sapimus;

Sed cùm ipsi aberramus, haud aduertimus.

Rectè igitur Cicero communem vocauit φιλαυτίαν. At ille egregius vates elegantissimè illud pronunciauit:

Sua cuique Deus fit dira cupido.

Ac bellissimè profectò prisci amorem sic pingebant, vt velo obducti essent oculi illius. quòd amor scilicet suijpsius oculorum nobis lucem tollat, efficiat, ne reuera dispicere veritatem possimus. Viderunt itaq; antiquorum sapientiores quiq;, in causa omnium malorum esse amorem suijpsius, ab hoc fieri ne errores nostros aduerteremus, ab hoc fieri vt cupidines nostras à Deo putemus immissas, atque ob id esse diuinas.

Sed tamen ad exstirpandas eius radices nihil attulerũt remedij in commune: Ecclesia verò catholica sic attulit, vt velit suos nihil omninò credere, nisi quod consentiat vetustissimis decretis, quæ pro certissimis vult haberi. iubetque singulos esse paratos ijs dumtaxat habere fidem, quæ diffinientur ab alijs in posterum ac totius Ecclesiæ ex omni natione constantis inspici communem sensum; aduocari in ambiguis Episcopos, doctosq; viros ex omnibus Orbis locis ad quæstiones examinandas, ac determinandas: quod in vniuersalibus fit concilijs, in quibus licet Episcopi soli è toto Orbe accersiti sententiam à Pontifice summo confirmandam ferant, audiuntur tamen, & adhibentur ad res dubias disceptãdas, docti oẽs. Horum verò vniuersalium conciliorum potestatem neque Pontifex summus in causa hæresis effugere potest. En, vt nemo inter nos sibi credere possit, non modò homo, sed neq; populus, aut natio,

non

non modò ætatis huius, sed neque superioris id valuit, neque futuræ valebit. En vt nostra decreta sint immutabilissima, non ab vno profecta, neque ab vno pendentia homine, populo, aut natione, huius, illiúsve sæculi; verùm ab ipsa æternitate totius humanę vniuersitatis, in vnam fidem mutua quadam mentium demissione & colligatione conspirantis. Quocirca & Christus ipse caput huius Ecclesiæ, exemplar omnium virtutum, toties illud aiebat: se loqui illa, quæ audisset à patre; se non recedere ab eius præscripto; voluitq; à pluribus audiri illam vocem cælitus à Deo demissam, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite; ad huius præterea rei apertissimam testificationem miracula edidit diuinissima, innocentiam vitæ præseferens singularissimã. quod & fecêre, faciútq; adhuc eius discipuli, Ecclesiæ nostræ alumni, vt suis videbitur locis. Hoc igitur argumentum, quod hoc capite tractamus aduersus non modò hæreticos, sed etiam quoslibet homines, ac populos alienos à nobis, valere ac meritò inter signa connumerari posset. Sed quando illud est commune omnibus signis, quæ ab aliqua virtute deducũtur; virtus autem reuera esse solida non possit, ac sibi ex omni parte constans absq; amoris proprij exstirpatione; idcirco præmisimus illud omnibus signis. Videamus itaq; quid ex ipso consequatur.

SIGNVM PRIMVM,

Fides ex auditu.

Illa est Ecclesia Dei, in qua nemo est, aut fuit, qui non crediderit fidei ætate sua annunciatæ, & per manus à maioribus acceptæ, & auditæ.

CAP. II.

APparet in altissimo diuinitatis gradu Ecclesiam, quamuis in terris modò degat, cælitus esse collocatam: & quando, vt ostendimus abundè, illi vnus est cum Deo spiritus, diuinam proculdubio doctrinam, cui labes vlla subesse nullo modo possit, ab

ore suo spirabit;ac si quis illi audire fidemque habere paratus non erit,is etiam neq; audire, neq; habere fidē Deo dicetur. Quocirca cùm spiritus diuinus mentes sibi dedicatas peruadat,mentium verò supremum sit intelligentia, hanc sibi primam,modò sua futura sit, consecrabit,assensumq;illius ad se conuertens efficiet vt homo indubitatam fidem prorsus habeat,& habere sit paratus ijs, quibus habendam tanquam diuinis ab Ecclesia sit auditurus; ita vt totus pendeat ab ore illius, diuinitatem scilicet spirantis.Hinc euidentissimum primumque signum à prima hominis parte,prima hominis actione deliberata,quæ est fides,& prima diuini spiritus coniunctione cum mente humana illius impulsionem sequente, deducetur. Ac rectè Paulus, *Fides*, inquit, *est substantia rerum sperandarum*. nam veluti à substantia cunctis in rebus cuncti prodeunt effectus, vel signa illam comitantia; similiter à fide ortum ducent, quæcumq; ad Deum, in quo spes omnis nostra ponitur, referuntur.& quod in Latino apud Paulum est substantia,in Græco ὑπόστασις,quo vocabulo significatur, quam Philosophi primam substantiam vocant, à qua cuncta existere decernunt.Hoc igitur signum, de quo sumus acturi, meritò vocabitur Fides ex auditu,cui sententia est hæc subiecta: Illi sunt ex Ecclesia Dei, qui & ipsi & auctores eorum fidē habent ex auditu, siue ex auditis prædicari ab Ecclesia, in qua vel ipsi,vel auctores eorum à principio fuerunt.

I. Ratio. Propositæ verò diffinitionis ac notæ ratio plurimis argumentis illustrari potest. Ac primo: Omnis fides, de qua nunc agimus,existit ex auditu;ergo fides non erit,quę auditis quamlibet ob causam repugnabit. Audiamus Paulum: *Quomodo*, inquit, *credent ei, quem non audierunt?, Quomodo autem audient sine prædicante? Quo modò verò predicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* hucusque Apostolus decernens fidem non esse aliunde quàm ex auditu; idcirco exclamat aduersus Galatas, quos nonnulli scriptæ legi innixi, seu potiùs proprijs interpretationibus scriptæ legis, à veritate fidei abduxerant; & ait: *Hoc solum à vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Audin' Paulo satis hoc esse ad ostendendam fidei verita-

Rom. 10.

tem

tem, si probetur ea concors auditis, non inuentis? Quamobrem Basilius sic fidem definit: *Fides est assensio indubitata ad ea quæ audiuntur, certa veritatis persuasione ad ea quæ prædicantur per Dei gratiam.* & iterum libro eodem, cùm percunctatus esset quid proprium credentis foret, ait: *Vt tali persuasione assentiatur virtuti dictorum, neque quidquam præsumat, vel adijcere. nam si quicquid ex fide non est, peccatum est, inquit Apostolus; fides verò ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ergo quicquid extra diuinitus inspiratam scripturam est, non ex fide existens, peccatum est.* hęc Basilius, cuius vltima verba peruertit hęreticus quidam interpres: sic verò esse vt nos reddidimus, apparet è græco, in quo habetur: πᾶν τὸ ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς οὐκ ἐκ πίστεως ὂν ἁμαρτία ἐστίν.

In asceticis.

Neque verò scienti diuina, quod dicimus de fide habenda ijs quæ audiuntur ab Ecclesia, mirum videri debet. Propositum namque est Deo in captiuitatem redigere (vt aiebat S. Paulus) omnem intellectum, & consilia destruere, & omnem scientiam extollentem se aduersus Deum. id verò fit per assensum, fideiq; incõcussam persuasionẽ, qua noster animus suis cogitatis haud credit, sed ijs, quæ per Ecclesiam Christus credenda proponit: hoc est enim redigere intellectum in captiuitatem, subijcere scilicet alienæ potestati, neq; sui iuris esse permittere, vt quicquid velit, eligere possit credendum. Audi Clementem; qui, & quod suprà diximus, & quod nunc est in manibus explicat: *Catechesis*, inquit ille, *seu quæ per auditum suscipitur institutio, ad fidem deducit.* en vt institutio fidei sit per auditum. Aures nunc demus eidem dicenti, non esse fidem, quæ non sit ex auditu: *Cùm veritas*, ait, *sit ardua & difficilis, propterea certè fuerunt quæstiones, ex quibus quæ nimio sui amore laborant, & sunt ambitiosæ, & cupidæ gloriæ sunt hæreses eorum, qui non didicerunt quidem, neque verum acceperunt, sed sibi cognitionis sumpsere principium.* rursus habemus ab eodem Clemente qua in re sit animo nostro data optio, & electio permissa: *Cùm*, dicit, *Ecclesiæ doctrina in sola veritate, & antiqua Ecclesia sit perfectissima cognitio, & ea, quæ re vera est optima hæresis, id est, electio.* est igitur Clementi optima electio, qua non nostram, sed Ecclesiæ doctrinam complectimur: pessima, qua nostram. Hinc ait dictos hæreticos, quòd intellectum nolint alieno iuri supponere, sibique adimere electionem rerum cre-

II. Ratio.

2. Cor. 10.

Lib. 1. pædag.

Lib. de præsc.

dendarum. elegantissimè explicauit idem Tertullianus: In omni penè, inquit, epistola (loquitur de Paulo) de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ, hæreses dictæ græca voce, ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. ideò & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur sibi elegit. nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Quibus autem de causis Deus nolit homines suis cogitatis habere fidem, suis à nobis est locis explicatum.

Inf. signo seq. & suprà cùm de amore sui ipsius, & coniunctione animorum est actum.

Regula fidei quæ sit.

III. Ratio.

Phil. 3.

Gal. vltimo.

2. cap. 10.

Hinc à maioribus nostris tradita & instituta regula certissima, qua verum à falso apertissimè dignoscere, & hæreses confutare possemus, & cui mentem nostram, ne quid obliqui haberet, ne quid non expoliti, penitus accommodaremus: regula namque est, qua vtuntur homines ad rectas lineas deducendas. Hanc porrò regulam vocarunt fidei regulam, veritatis, & Ecclesiæ, vt scilicet idem crederemus, quod ceteros credere audiremus, non quod nobis in mentem veniret. Sic enim Paulus: *Si quid aliter sapitis, & hoc Deus vobis reuelabit: veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula.* & alibi cùm dixisset communi Apostolorum decreto circumcisionem, legemque Moysis abrogatam, & ita omnes sentire, adijcit: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* & ad Corinthios: *Spem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam.* hucusque Paulus, testatum nobis relinquens tenendam fidei regulam, quæ est vt idem sapiamus; sic enim pronunciauit. Si quis igitur aliter ac reliqui sapit, is non permanet in regula ab ipso Deo per Apostolos instituta. Eiusdem regulæ meminerunt, eamque describunt eo modo, quo diximus, adhibentque ad hæreses detegendas ac depellendas antiquissimi quique, ac probatissimi scriptores. Ex his primus in medium veniat sanctissimus ille Ignatius, qui sic ad Philippenses: *Id ipsum dicatis omnes idem sentientes, in hoc ipso fidei regulas præceptaque seruaui, sicut & Paulus erudiens nos* (locum Pauli, in quo meminit huius regulæ ad Philippenses scribens, suprà adduximus) *dicit: Vnus est enim Deus omnium, pater Christi, ex quo omnia: & vnus Dominus noster Iesus Christus filius Dei vnigenitus dominator vniuersorum, per quem*

omnia, vnus autem Spiritus sanctus, qui operatur in Moyse, & Prophetis, & Apostolis. vnus quoque est baptismus, qui datur in morte Christi. Vna itaque esse Ecclesia debet, & vna fides. Audin' Ignatium dicentem, se regulam fidei seruasse, quia dixerit quod omnes dicebant, senserit quod omnes sentiebant; ex quo fit vt vna sit Ecclesia, & vna fides. Ignatium sequitur Iustinus, qui ita monet: *Quicquid est fidei recta agendum regula.* & Irenæus, *Sic autem,* inquit, *& qui regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per baptismum accepit, hæc quidem quæ sunt ex scripturis nomina, & dictiones, & parabolas cognoscet.* aperit deinde quæ sit regula veritatis, subijciens: *Ex hoc enim diligenter cognoscere est, & ex ostensione eam formam, quæ ab Ecclesia prædicatur, veritatem.* & alibi: *Cum discrepant ad inuicem & doctrina, & traditione, & qui recentiores eorum agnoscuntur affectant per singulos dies nouum aliquid adinuenire, & fructificare quod nusquam excogitauit, durum est omnino describere sententias. cùm teneamus autem nos regulam veritatis, id est quia sit vnus Deus; & post hanc ergo tenentes regulam, licet varia & multa dicant, facilè eos deuiasse à veritate arguimus.* Hac ergo regula arguit hæreticos Irenæus, quòd noua inueniant, nusquam excogitata, à veritate aberrantes, quæ prædicatur ab Ecclesia. Meminit eiusdem regulæ Clemens his verbis: *Omnia ergo, quæ facitis: in gloriam Dei facite, quæ scilicet à regula fidei permissum est facere.* & alibi: *Nullo modo conuenit transilire regulam ecclesiasticam, & maximè eam quæ fit de rebus maximis professionem nos quidem obseruamus, illi autem* (loquitur de hæreticis) *transiliunt.* Testatur eadem Tertullianus libro de præscriptionibus, inquiens: *Fides in regula posita est, habet legem, & salutem de obseruatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit habens gloriam solam de peritiæ studio. cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti.* Testimonium Tertulliani sequitur auctoritas antiquissimi scriptoris, cuius fragmenta quædam ponit Eusebius, nomen tacet; eius autem verba aduersus Theodoti coriarij assеclas sunt huiusmodi: *Sacras audacter scripturas deprauarunt, veteris fidei regulam abrogarunt.* sic ille scriptor agens aduersus hæreticos non alio argumento, quàm quòd regulam fidei abrogarunt, quæ est vt idem sapiamus, quod ceteros sapere audimus. Hinc Dionysius Alexandrinus, vt est apud Basilium, *His congruenter,* inquit, *vt nos etiam formula regulaque à senioribus,*

Iust. de vi. christ. Iren. lib. 1. c. 1.

Strom. 4.

Lib. 5. c. 27. Hist. eccl.

Lib. de Spiritu sancto. ca. 29.

qui ante nos vixerunt; accepta concordibus vocibus gratias agere, & nunc etiam vobis scribere desinemus. Deo autem patri, & filio Domino nostro Iesu Christo cum sancto Spiritu gloria, & imperium in sæcula sæculorum Amen. & Athanasius: *Quisquis vti læsus, opem in commune conferat, ne paulatim ecclesiasticæ regulæ, & Ecclesiæ fides corrumpatur; quæ ambo in periculum veniunt, nisi Deus vestra opera quàm celerrimè delicta castiget, & Ecclesiam vindictæ compotem reddat.* & Augustinus: *Hæreses namque tam innumerabiles à regula Christianitatis auersæ testes sunt non admitti ad communicanda sacramenta eos, qui de patre Deo, & sapientia eius, & munere diuino aliter sentiũt.* & alibi. *In eo, ad quod peruenimus, ambulemus si quid ergo intellexeris quod nõ sit contra regulã Catholicæ fidei, ad quã veluti viã, quæ te ducat ad patriã perueneris, & sic intellexeris, vt inde dubitare omnino nõ debeas, addo ædificiũ, noli relinquere fundamẽtum:* hactenus de regula fidei Ecclesiæ, & veritatis, per quã stamus auditis, idem cum reliquis sentientes. ex quo fit, eum, qui à communi reliquorum, quam audit, fidei professione recedit, ex Ecclesia non esse, sicuti neque sunt, qui eum postea sequuntur: nam quælibet hæresis reuocanda ad auctorem suum.

Ad orthodoxos vbique.

De verbo Domini.

Tracta. 99. in Ioan.

IIII. Euangeliũ quod dicatur.

Hinc etiam colligitur aliud, quod in primis facit aduersus hæreticos hodiernos, antesignanumque ipsorum Lutherum, qui nomen Euangelij verbiq; diuini impudentissimè iactant. Christus, & Apostoli cùm vellent omnibus liquere, ijs habendam fidem, quæ audimus à cæteris credi, & prædicari, ipsam Dei doctrinam totam nomine Euangelij, & verbi diuini, diuulgari apud omnes, & appellari statuerunt. At Euangelium (vt qui, vel primoribus labris græca degustarunt sciunt) est ipsa annunciatio, verbumque id, quod ore profertur: hæc deinde per similitudinem ad scripta, quibus illa consignantur, paulatim traducta. Igitur Euangelium reijcit propriè, ac verbum diuinum, qui fidem non habet ijs, quæ prædicari & asseri à cæteris audit, & impietatis suæ sectatores post se abducens ex Ecclesia, quam priùs colebat, dirimit, ac discecat Ecclesiæ præconium, vt aptissimè Dionysius Episcopus Romanus vocarit hæreticos diuisores, sectores, peremptoresque reuerendissimi de Deo præconij. ponit eius verba Athanasius libro de decretis synodi Nicænæ. Ad summam necesse est, ex hoc capite hæreticum esse illum, cuius fides non est ex auditu: tota namque fides Christianæ pietatis Euangelio verboque

diui-

diuino continetur, ipsa inquam prædicatione, ipsa dictione doctrinæ, quę auribus hausta influit in animos eorum, qui sunt ex Ecclesia Dei, qui per os Ecclesiæ sermonem facit. non est quòd aliquis interpretationum suarum commenta in codices sacros iacter, sua cogitata venditet. Ad Ecclesiæ annunciationem confugiendum, inde vera, inde germana diuinorum librorum sensa ac mysteria percipienda, & addiscenda: sic certiùs. sic tutiùs vera à falsis, adulterina à sinceris dignoscere ac distinguere possumus. Ex quibus omnibus constat euidentissime, fidem, quam sequitur & profitetur quicumque est ex Ecclesia Dei, esse ex auditu, licet enim possit aliquis (demus hoc accidere aliquando potuisse) non ex auditu. sed è lectione alicuius libri forte venire in cognitionem cultumq; Christi; tamen is hoc esse animo debet, vt auditis ab Ecclesia parere velit.

V. Ratio ab exemplis.

Sic enim fixum voluit esse Deus, esse ex auditu fidem, vel ad illum referri (idem namque vtrumq; arbitramur) vt neminem ab huiusmodi obligatione statuerit esse immunem. Pauli Apostoli exemplum sit nobis instar omnium: elegit eum Deus, vt nomen ipsius portaret corã gentibus, ac Regibus; apparuit illi in via, & sic à rebus omnibus abduxit ad cælestia, vt fuerit Damasci tribus diebus nihil cibi sumens, totus scilicet in rerum diuinarum contemplatione defixus, in qua & vidit virum Ananiam nomine ad se introeuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat: & tamen est illi à Christo dictum: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere: atque ita amandatus est ad Ananiæ magisterium. Quid? raptus est ad tertium cælum; & tamen ascendit Hierosolymam, vt cum Petro & alijs Euangelium conferret, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset, vt conferret, inquã, cum Petro Euangelium, quem multò antè voluit videre, & apud eum manere multis diebus ex officio, inquit Tertullianus, quia, addit Ambrosius, cupiebat videre Petrũ, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. Hieronym' autem honoris deferendi causa factum dicit, cui subscribit Theodoretus, inquiens: *Principi Apostolorum, quem par erat, honorem tribuit*. At Chrysostomus Pauli amantissimus, quia Petrus os Apostolorum erat, princeps & vertex ipsius cœtus. Quamobrem licet in epistola ad Galatas nihil aliud agat, nisi vt auctoritatem suæ prædicationis sanciat; &

Actor. 9.

ideo in exordio ipsius profiteatur se Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christũ; tamen & bis ad Petrum concessisse, & cum illo Euangelium contulisse vult ab omnibus sciri.

VI. ab ipso Christo.

Aduerte autem ad clarissimam signi præsentis explicationem, quòd anima Christi eodem momento, quo creata est, essentiam Dei vidit, & omnia creata, effectusq; & euentus eorum cognouit: nihilominus cuncta præcipua ad ipsum spectantia, vltra hanc cognitionem, sciuit etiam ex auditu: verbi gratia, quæcumque dixerunt Simeon & Anna, quæcumq; Ioannes Baptista, quæcumq; doctores ipsi Hebræorum simul in templo congregati, quos duodecennis interrogauit, mysteria scilicet ipsius, à quibus reliqua omnia pendebant. Denique audiuit vnà cum Ioanne Baptista, & rursus vnà cum Petro, Iacobo, & Ioanne Euangelista, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Denique vnà cum Discipulis omnibus, ac plurimis alijs tum Iudæis, tum Gentilibus, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Quid? Orbe toto nihil æquè tum prædicabatur, & audiebatur, tum inter Iudæos ex oraculis diuinis, tum inter gentes è Sibyllinis, quàm Messiam cælitus illo ipso tempore venturum, illiq; euentura, quæcumque ipsi Christo nostro contigerunt. Hoc enim Magos traxit ex Oriente ad Christum colendum, hoc mouit, vt ille vates caneret à Sibyllis acceptum, *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas*, & quæ sequuntur. Hæc omnia Christus ipse audiuit. Adeò scilicet Deus ipse voluit esse fidem suorum ex auditu, vt neque ipsum Christum exemerit ab hac lege, non quidem quantum ad animę notitiam, sed quantum ad auditum. Et existet aliquis, qui volet esse fidem suam non ex auditu? non auditorum? sed eorum quæ excogitauit ipse, aut interpretatus est ad scripturas, aut collegit hinc inde ab aliquo scriptore, ceteris reiectis? Huius nulla est fides: & eorũ qui hunc sequentur, quamuis sequantur audita, nulla est fides.

VII. Ratio ab antiqua cõsuetudine.

Tantæ verò curæ antiquitus fuit Christo Deo, & Apostolis ipsis, vt fides ipsa esset ex auditu, vt in more positum fuerit ab omnib. Episcopis, simulatq; electi fuissent, quam fidem sequerentur, eam per litteras significare Pontifici Romano Petri successori, Petri inquam, quem Deus elegit, vt per os eius gentes audirent verbum Euangelij, & crederent: idq;, teste Cypriano, diuinę erat institutionis, & ec-

clesia-

clesiasticæ traditionis; propter, quam scribit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, doctrinam suã Paulus contulit cum Petro. De hac porrò consuetudine postea latiùs agemus.

VIII. Ratio.

Sed & ex oraculis antiquis patefit, ex auditu futuram Christi fidem: & illa quidem recitauimus abundè infrà ad finem tertiæ coniunctionis, vbi agimus de diuina Ecclesiæ doctrina. nunc sufficiat attulisse illud solummodo, quod habetur in Isaia, qui sic inducit Deum loquentem: *Cùm venerit Sion redemptor, & is qui auertet impietatem à Iacob* (sic Apostolus legit, vt est apud septuaginta duos interpretes) *hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodò, & vsque in sempiternum.* Audin' Dei verba fore in Ecclesię ipsius ore, à quo pẽdeant cuncti? atque vt rem teneas, adducit hoc oraculum Paulus eo loco, quo disputat ex auditu esse fidem. Hinc etiam Dauid prædicit fore, vt Ecclesiæ iam Christo adiunctæ filij per eam constituantur principes super omnem terram: ex quo fiet, ait ille, vt populi Deum confiteantur in æternum, quia principes ij memores erunt diuini nominis in omni generatione, & generatione. Ac sanè Christus coli voluit à suis modestiam in primis, & humilitatem, qua de se nullo modo arroganter sentirent; effici voluit paruulos vt cælum possent ingredi: ob id à cunctis respici voluit quòd ceteri sentirent, & illud credi, non quod aliquis se à reliquis diuellens aliquando fuerit professus: huiusmodi namque hominibus arcana cælestia non patefiunt. Sic enim Christus apud Matthæum: *Confiteor tibi pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* atque hæc satis de hac nota, è qua dignoscimus illam Ecclesiam Dei in terris, cuius fides sit ex auditu: quod cui non continget, ea nullo modo Ecclesia Dei dicenda, vt apparet.

Cap. 59.

Rom. 11.

Psal. 45.

Matth. 11.

Recentiorum, & antiquorum hæreticorum factiones, & sectas non esse ex Ecclesia Dei constat; quia fides eorum non sit ex auditu, quod ex ipsorum confessione probatur.

Cap. III.

Edictis

E Dictis apertissimè dignosci poterit, nostræ ætatis hæreticorum factiones (atq; hi sunt hæretici omnes in varias & innumeras sectas diuisi, qui post Lutherum ex inferis eruperunt) nullo modo esse ex Ecclesia Dei; quia fides eorum non sit ex auditu, sed è propria diuinæ scripturæ interpretatione, qua volunt impudentissimè effugere Ecclesię disciplinā, more aliorū hęreticorū qui ante ipsos fuerūt, vt ostendem⁹ paulò pòst suo loco. Id sic esse clarissimè ipsi fatentur. Ac primus producatur in medium spurcissimus homo Lutherus, & quid sentiat, ipse dicat. Igitur sic ille libro de seruo arbitrio contra Erasmum in medio ferè aduersus Dionysium Areopagitam, Irenæum, Clementem, Cyprianum, Arnobium, quorum doctrinam in causa liberi arbitrij à maioribus traditam, & per os Ecclesiæ annunciatam audiuimus, credimus, ac prædicamus, patres tot sæculorum planè omnes cæcutisse, imperitissimos fuisse sacrarum litterarum: & quæ de libero arbitrio scripserunt, solùm stylo, animo verò peregrinante asseruisse; denique tota vita errantes, nisi ante mortem reducti fuerint, neque sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinere.

Idem in præfatione ad assertiones suas apud Roffensem disertè profitetur se nullius sancti Patris auctoritate cogi velle, nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatum. Hæc ille; qui deinde scripturam, more Hebræorum, qui Christo haud credunt, interpretatur. Huius discipulus Melanchthon ad tertium caput primæ ad Corinthios ait: *Statim initio Ecclesiæ, scriptores veteres obscurauerunt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt cæremonias, & finxerunt esse peculiares cultus fuerunt duriores, quàm oportuit, in præcipiendo cælibatu.* At Ioannes VVigandus Lutheri studiosissimus, vn⁹ è quatuor illis, qui Centurias conscripserunt, sic in libro, quem inscripsit, De bonis, ac malis Germaniæ: *Secundum Germaniæ bonum seu beneficium est*, inquit, *præcipuorum articulorum finis illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus hucusq; in hoc mundo non est cognita*: (atque ita homo iste doctrinam hęreticorum non modò vult non auditam, sed neque cognitam prædicat) *discrimen enim legis, & Euangelij oblitteratum fuit post Apostolorum tempora*: (ergo neque auditum si credimus isti nugatori) *sed per Lutheri ministerium dilucidè explicatum.* Et mox: *Totum corpus doctrinæ cælestis est à Theologis Germaniæ traditum, quale in omnium Patrum scriptis post Apostolos nullum*

inueni-

inuenitur. Matthias item Flaccus Illyricus, vnus ex illis quatuor, sic scriptum reliquit: *Vetusti quidem scriptores obscurârunt sacras litteras ob inscitiam tum linguæ, tum rerum ipsarum; recentiores verò sophistæ ob inscitiam simul, & malitiam.*

Veniamus ad Caluinum, qui sic in suis impietatis Institutionibus: *Etiam in antiquis illis, & paucioribus concilijs, est quod iure desideres; vel quod eruditi alioquin, & prudentes viri, qui tum aderant. præsentibus negotijs districti, multa alia non prospiciebant; vel quod grauioribus & magis serijs occupatos nonnulla serioris momenti subterfugiebant; vel quòd simpliciter, vt homines imperitia falli poterant; vel quòd nimio affectu præcipites ferebantur.* rursus idem sic scriptum reliquit, quod maximè ad rem facit, & est memoriæ infigendum: *Deum omnes docendi partes in filio impleuisse, neque post hæc, vt antea, subinde per alios atque alios locuturum; ideoque omnium hominum ora clausa esse nunc debere, postquàm semel locutus est ille* (ergo fides non ex auditu) *in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ essent absconditi. Item non solum singulis pastorib. negatur illa potestas, vt certam sibi fidem haberi iure postulent; quia permittitur, vt loquentibus Prophetis duobus, aut tribus, ceteri dijudicent; verùm etiam toti Ecclesiæ hoc negatur: quia ad Romanos decimo dicitur: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei ergo à solo Dei Verbo pendet fides.* Quis hic non stomachetur ad Caluini apertissimam stoliditatem, qui pro se adducit quod facit euidentissimè contra ipsum? Stultissime, verbum est, quod ore profertur. Hoc vel ipsi pueri, qui prima elementa Grammaticæ addiscũt, sciunt. auditus est per aures. Quid igitur garris impie? & quod est oris, traducis ad scripta; quod est auditus, transfers ad libros? Apostolus itaq; vult nos attendere Doctores Ecclesiæ, aures ipsis dare, fidemq; esse ex auditu, nõ lectione, per verbum, non per scripta. Non clausit Christus ora hominum, sed ascendens in cælum dimisit linguas igneas, non occlusas ore, sed in aperto, vt quilibet audire possit, insidentes super capita Apostolorum, & vniuersorum discipulorum; & quidem igneas, numquam scilicet consistentes, sed verba semper facientes. Quid igitur nebulo insipientissime vis tui similibus imponere? nobis certè quidem non impones vllo modo, qui scimus in ore Ecclesiæ verba Dei à Deo posita fuisse. Ecquis verò ferat effrenẽ illius impudentiam, qui in sacrificio Missę ausus est dicere vetustissimos Patres imitatos esse propius Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus,

Lib. 4. c. 17. part. 30. q. 10

Lib. 12. ca. 9. §. 9.

Admirabilis stabilitas Caluini.

aut

Inst. libr. 4. par. 8. c. 11. Lib 3. cap. 3. part. 16. Lib 2 cap. 2. part. 9. Lib. 3. cap. 5. part. 10.

aut Euangelij ratio ferebat; & in describendis pœnitentię fructibus vetustos Patres dupliciter modum excessisse; & in causa liberi arbitrij frigidam & deformatam Theologiam nobis tradidisse; magisq; ex placitis Philosophorum, quàm iuxta diuini verbi sensum, de eo tractasse; & in quęstione de precibus pro defunctis, mandato Dei, & legitimo exemplo destitutos fuisse; abreptos deniq; in errorem, dum nimium publico mori, & vulgi imperitiæ dederunt. Lutheranos autem Magdeburgenses quis non maximè abominetur, qui singulos Apostolos multis in rebus falsę doctrinæ sint ausi arguere (vt apparet ex eorum scriptis) quin immò omnium sæculorum sanctissimos & doctissimos Patres?

Colligit quæ præmisit, & concludit. I. Ratio.

Abeant igitur isti cum nefandis suis commentis: nobis nulla fides, nisi quam ab Ecclesia per orbem totum diffusa constanter annunciatam audiuimus acceptam a maioribus nostris, perenniq; præconio Euangelij, ac verbi diuini, quod scriptis illi suis ad æternam rei memoriã consignauerunt, ad nos nostraque tempora felicissimè deductam. Nam quî vestra fides Lutherani, & Caluinistæ, dicetur esse ex auditu, quam commentus est Lutherus, & Caluinus, illa reiecta quam sentiebant ab Ecclesia prædicari? idq; illi palam profitentur: ac vos, qui sinitis, ô miseri, abripi ad inferos ab huiusmodi impostoribus: nam quicumque eos deinde sequuntur, cruciatibus æternis addicentur.

II. At quomodo vestri Principes, qui suo ingenio diuina scripta interpretari, & arcana cęlestia metiri voluerunt, in captiuitatem redegerunt intellectum? III. quomodo Ecclesiæ regulam secuti sunt, qui non idem, quod ceteri ex Ecclesia, senserunt? IIII. An non sciebant Euangelium id esse in primis quod annunciatur? verbum, quod ore profertur? vt esset omnibus testatum, illi ante omnia adhærendum, & quod scriptum est, inde pendere, inde vim, vocabulum deniq; ipsum, nomenq; sortiri, non habiturum vel vllam vim, vel vllum prorsus nomen sine illis? V. Numquid imitati sunt isti exemplum Pauli Apostoli, qui licet accepisset à Christo Euangelium, tamen illud conferre voluit cum Apostolis antecessoribus, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset; & quidem raptus ad tertium cælum? An Petro sunt similes, qui Iacobo rectè consulenti, Paulo palam reprehendenti acquieuit? Numquid antiquam consuetudinem tenuerunt, vt fidei formulam transmiserint ad Pe-

tri

tri successorem, vt audirent quid rectum, quid prauum? Ignorabant à Deo Dei verba posita non in libris, sed in ore Ecclesiæ; & populos Deum confiteri, quia Principes non à semetipsis, sed ab ipsa Ecclesia constituti, non super vnū locum, sed super vniuersam terram memores sint non aliquo tempore, sed in omni generatione & generatione, nominis diuini? At si isti horum nihil egerunt, si arrogantissimi fuerunt, contemptores conciliorum, sanctorum omnium, iniurij in Patres, maledici in Apostolos ipsos, quos Paulus vocat Ecclesiæ Christianæ fundamenta; quanam ratione erunt paruuli, vt iubet Christus? qua ratione illis diuina reuelabuntur? Eant igitur procul; ad inferorū tormenta, nostram lucem non amplius visuri cum suis sceleribus retrudantur.

VI.

Cum schismaticis nunc, & hæreticis aliquibus Orientem versus positis, nobis sit sermo. Michaele filio Theophili Iconomachi, & Theodoræ, homine ignauo, imperium Constantinopoli tenente, sed illud administrante in omnibus Barda Cęsare, contigit vt Ignatius monachus illustri sanctimonia Constantinopoli esset Patriarcha: hic Bardam, quòd vxorem legitimam diuortio contra sacras leges facto expulisset, & cum sua nuru habere rem diceretur, templum vetuit ingredi. Ignatij iudicium multi Antistites secuti sunt. Bardas ob id Ignatium sede deiectum, sepulchro inclusit, mox in Insulā Mitilenem relegat: Photiūq; substituit, anno octingentesimo sexagesimo primo: huic rei assensum præbuēre à Barda persuasi Papæ Legati; is erat Nicolaus primus: quos ob id ille, quòd mandati fines egressi essent, habito Romæ concilio, dignitate spoliauit, Ignatiumq; restituendum, Photium sede pellendum decreuit. Hadriano deinde secundo coacta est octaua synodus vniuersalis Constantinopoli Episcoporum 383. In ea, dignitate exutus Photius, & cōmunione piorum submotus; Ignatius autem restitutus, præsidentibus Apostolicæ sedis Legatis, anno octingentesimo sexagesimo octauo. Tū vero Photius stimulis odij exagitatus cœpit circumspicere, si qua in re Occidentales carpere, & discordias serere posset, aususque est asserere non esse fas azyma consecrare, neque Spiritum sanctum à Filio procedere. Quæ quidem quæstio multo ante cæperat agitari inter Orientales, & Occidentales, regnantib. Pipino, & Carolo Magno:

D. Antonin⁹ 3. par. tit. 22. cap. 13.

Nilus auctor Græcus.

Aimo. lib. 4 c 67 & 97.

hære-

hæreticum tamen id esse non dixit, donec anno 1053. Michaël Patriarcha (quem superbiæ notat Zonaras horum testis, homo Græcus, ac multis in locis reprehendit) ausus est Papam cum suis excommunicare ob has causas. Resipuit tamen ad legationem ac litteras Leonis Noni, quæ exstant. nihilominus Græci redierunt sæpiùs ad pristinos errores à Photio disseminatos, ac sæpiùs etiam redierunt ad mentem, & suorum, & nostrorũ monitis adiuti. Hanc verò eorum fidem, qua dissentiunt à nobis, non esse ex auditu: nostram verò esse sic probamus apertissimè, ac demonstramus Photium discessisse ab auditis.

Lib 3. prope finem.

Sub annum millesimum ducentesimum vigesimum secundum, Ioanne Duca imperante, cùm res huiusmodi venisset in disceptationẽ; Nicephorus Blemmydes Monach[9] eximiæ sanctitatis, & doctrinæ (vt testatur homo nobis infensissimus Gregoras,) quiq; , vt scriptum reliquit Pachymeres, tã sublimi ac diuina mente fuit, vt illa corpori alligata nullo modo videretur, librũ conscripsit, in quo innumera testimonia sanctorũ Patrũ ꝓ nobis faciẽtia collegit. Illum cùm post annum vigesimum quintum legisset Ioannes Becus Patriarcha Constantinopolitanus, à nobis alienissimus, & loca sanctorum Patrum ab illo citata inspexisset, hæresi Græcorum repudiata, ad nos concessit, neq; sententiam mutauit, licet innumeris iniurijs exagitatus.

Lib.5.

Eodem tempore vixit Metochytes, quem sibi cognitum mirificis laudibus ornat idem Gregoras, & inter alia inquit fuisse ardentissimo studio religionis & pietatis; qui ab heresi Græcorum dissensit, & plurimos ad nos traduxit: & quamuis fuerit ob id variè & crudeliter à Græcis afflictatus, & vexatus; perstitit tamen in fide: neq; diffitetur Gregoras, qui tum vixit, sanctorum Patrum testimonia esse pro nobis, in oratione, quam Constantinopoli habuit aduersus Papæ Legatos; sed adijcit illos ea dicere dum scribunt aduersus hæreticos alios, ob alias quæstiones; quos dum maximè vrgent, & insectantur, egisse ait vt qui maximo impetu fertur in obiectos hostes, & obuium commilitonem prosternit; atque ita vult eos per imprudentiam lapsos Ex his patet, Photium versatilis hominem ingenij, non stetisse auditis. Antiqui namque Patres secus prædicarunt, vt apparere ex eorum libris testatur Gregoras vester homo, nobis inimicissimus, & à Blemmyde viro sanctissimo fusiùs esse explicatum confitetur.

Libr. 10. in fine.

ita

Ita verò esse constat è scriptis Cypriani, Athanasij, Basilij, Gregorij Nisseni, Cyrilli Alexandrini, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Leonis Magni, Hormysdæ Papæ, Concilij Toletani secundi: quorum ne effugere possitis auctoritatem, Cyrillus vnà cum Episcopis sibi subiectis ita scripsit ad Nestorium, & eius litteræ sunt recitatæ, & approbatæ in Synodo Ephesina, & Chalcedonensi, quinta etiam sexta, ac septima. Hormisdas item sic scripsit ad Iustinum seniorem: & has litteras Imperator ille, vnà cum Ioanne Patriarcha Constantinopolitano, & cæteris Græcis, amplexatus, ac veneratus est. Leonis Magni epistolas, quæ hoc continent, scimus in Chalcedonensi Concilio sancitas. in Synodo Toletana secunda sic est diffinitum, recitatumq; aduersus Arianos, qui tum Recharedo Rege ad veritatem redierunt.

II. Argumentum.

Ephes 5 c.14 Chalc. Act 5. Quinta acto. vltim. Sexta actor. 167. Septima act. 7.

Hæc sanè occulta nullo modo esse potuerunt, quantũ pertinet ad processionem Spiritus sancti. Nam de azymis, quid opus est verbis, cum Christus ipse azyma consecrarit? nam Paschæ diebus fermentata non apponebantur in mensæ & Paschæ apparatu, vt è Leuitico constat; & Ecclesia Occidentalis azyma palam consecraret, & res ipsa loquebatur à temporibus Apostoli Petri. Quantum ad reliqua, quæ garriunt nonnulli hæretici, satis est eos reiecisse ad scripta Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani, quæ aduersus ipsos edidit. Sed quid multa afferre volum⁹? An non Concilium Florentinum, cui interfuerunt Imperator Constantinopolitanus, & plurimi Episcopi Græcorum, sic decreuit? quo tempore Iosephus eorũ Patriarcha vita decedens vltro fidei nostræ sua manu subscripsit.

III.

Quòd si nos haud stetimus auditis; quid audiebat Photius, cum scripsit aduersus Occidentales? An non secus ab ipsis prædicari vnanimi consensu, & solus ipse à reliquis secessit? Neq; dici potest aliter arbitratos Orientales. ante Photium namq; nemo hoc dixit non esse fas azyma consecrare, vel Spiritum sanctum à Filio non procedere, nisi vnus Damascenus insciens, vt credimus, & Theodoretus aduersus Cyrillum Catholicum hæreticè tum scribens cõtra tot Patrum testimonia, contra totius Ecclesiæ fidem. Quid? an non communicabant nobiscum ijs temporibus Orientales, & per annos ferè quingentos postea communicarũt sacra vsque ad Michaelem, qui primus est ausus à

IIII.

communione nostra discedere: Vos itaque infelices, à fide, in qua nobiscum communicabatis, deficientes, regulam fidei, veritatis, & Ecclesiæ violastis, intellectum vestrum sanctis Patribus, in quibus, & Blemmyda numero, testibus vobis, ac Gregora vestro, Concilijs Florentino, Lugdunensi, Lateranensi, Toletano septimo, sexto, quinto Ephesino, Calcedonensi, haud subiecistis. Sanctos Patres dicitis per imprudentiam lapsos, quòd aliud agerent, vbi hæc scribebant. Ecquis ferat hæc effutientes in re tanti momenti? Quid quod Athanasium, qui scriptum reliquit in Symbolo, *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens,* quidam è vestris sunt ausi (pudet referre, referam tamen) dicere, ebrium tum fuisse, vt scribit Gennadius Patriarcha vester?

At cùm per ducentos annos nobiscum sentiebatis; totidem namque intercedunt à Photij ætate vsq; ad Michaelem; quomodo asserebatis esse Ecclesiam vnam, & sanctam? Audiebatis enim nos in Symbolo id canentes velut Euangelio consonum, verboque diuino; vos autem siti lebatis in re tanta. perierat igitur Euangelij præconium, verbumq; diuinum in rebus omnium diuinissimis, è quibus postea futurum erat, vt tot ac tantæ turbæ nascerentur. inaudita sunt priscis sæculis, quæ vos postea protulistis, duce Photio, & Michaele, hominibus improbis, ac iudicio vestro sæpè damnatis. An imitati estis hac in re Paulum, vt ad antecessores vestros accederetis Episcopos Romanos, ad quos etiam more antiquo vestrum erat mittere epistolas synodicas, ac sequi, quam præscripsissent illi, fidem? In ore Ecclesiæ posita sunt à Deo Dei verba: igitur si nostra verba scriptis vestris aut opinionibus non conueniebant, quomodo oraculum illud stabit, posita fuisse verba Dei in ore seminis, ac seminis Ecclesiæ in æternum, & populos confiteri Deum in generatione ac generatione? Lingua namque vestra obmutuerat, & nobiscum diuina communicabatis. An nòn agebatur de Filio, quod est ipsum Dei verbum, à quo cetera verba pendent, num spiraret Spiritum sanctum vnà cum Patre? Actum tunc igitur est de toto Dei verbo. Sed quid ego plura congeram? Symbolum huiusmodi, Recharedo regnante, in Hispanijs, & in Occidente toto canebatur à nobis quingentos annos ante hæc vestra dissidia; & estis adeò excordes, vt vobis in mentem veniat credere maiores vestros sanctimonia &

doctri-

doctrina illustrissimos, id si hereticum fuisset, laturos fuisse: aut nostros, quibus Ecclesia Occidentalis tum florebat, id permissuros? scilicet habuistis postea, qui præstarent illis vlla in re: præstarent inquam? qui pares essent non dicam, sed qui vmbram tenuem possent assequi eorum. Infelicissimi quicumq; maximo nobilissimæ nationis dedecore adhuc pertinaces estis, & dicetis vnà cum Gregora per imprudentiam lapsos cunctos Patres, aut cum nescio quibus Athanasium vini plenum? O tempora, ô mores.

Duobus obiectis hæreticorum respondetur. Asserunt namq; auditis non standum, quia sit aliter in diuinis libris: & immutatam ab Ecclesia antiquorum doctrinam contendunt.

CAP. IIII.

INspiciamus, quid ad hęc in vniuersum dicant hæretici. Duo sunt, quæ respondere solent accepta ab hæreticis antiquis, vel quòd nos credimus non esse consonum diuinis Bibliorum voluminibus, vel nos recessisse ab auditis, & antiquitate reiecta, ad noua conuolasse. Quantum ad primum respondemus, nihil reuera credi ab Ecclesia catholica, quod non sit implicitè saltem in scripturis sacris, quæ iubent, vt traditiones etiam teneamus: sed hoc interest, quod hæretici diuina monumenta pro libito interpretari volunt; nos autem constanter affirmamus explicationes locorum, quæ possunt in dubium vocari, desumendas ab ipsa Ecclesia, vt à nobis suprà est diffinitum. Respondemus etiam, Ecclesiæ Catholicę explanationes non alias admitti ad Biblia declaranda, quàm desumptas vel ab omnibus sanctis, vel à plerisque, vel à probatissimis tamquam diuinæ voluntatis, & arcanorum cælestium veris internuncijs, & fidissimis testibus annunciatæ antiquitus doctrinæ, & à Christianis auditæ. Asserimusq; fieri non posse, vt hæreticus intelligat diuinos libros: quia necesse est cuilibet credere, non sibi, sed Ecclesiæ, in omnibus redigere intellectum in captiuitatem, paruulumque fieri. Alioquin Hebræi scripturis aduersus veritatem pugnant. Diabolus ipse ausus est aggredi Christum non

I. Respon. II. III.

alijs armis; & hæretici omnes ijs vtuntur non modò aduersus Ecclesiam Catholicam, sed vbi inter se digladiantur, ac loco hæreticorum alteri alteros ducunt. Verùm hæc est antiqua hæreticorum exceptio, quam reputauerũt infirmam nullamq; prisci Doctores, ac Patres. Audiamus ipsos loquentes. Petrus itaque Apostolorum princeps sic

IIII.

scriptum reliquit aduersus istos opiniosos interpretes: *Carißimus frater noster Paulus secundum datam nobis sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quib. sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauãt, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* hæc Petrus; in quibus illud aduertendum, quod Latinè redditum fuit, indocti; & instabiles, in Græco esse ἀμαθεῖς, καὶ ἀστήρικτοι, id est; qui neque didicerunt, neque firmi perstiterunt; quorum alterum pertinet ad Ecclesiæ magisterium, cui quilibet subesse debet, & ab illa discere quid prauum, quid rectum: alterum spectat ad eiusdem firmitatem, qua ceteros omnes corroborat: de illa namque Paulus dicit: *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.* de qua re suo loco. Quod porrò ait, *Deprauant,* hoc refertur ad id, quod de regula suprà disputabamus. Scimus enim per regulam deduci lineas rectas in longitudinem, sicuti per normam metimur angulos, per perpendiculum altitudinem; ideo in Græco est στρεβλοῦσιν, id est; in obliquum trahunt. Explicationem namque scripturæ certam ac rectam ab ipsa Ecclesia sumere debemus. & hoc signum pertinet ad omnia quæ fide contineri possunt: alioquin fides facillimè labefactaretur, & concideret, & frustra hoc signum ab Apostolis commendatum nobis fuisset.

Hinc ad rem nostram Tertullianus vbi dixit ab hæreticis per summam nequitiam vel nonnullos diuinæ scripturæ libros reijci vt profanos, vel mutilari, (dicas digito Lutherum & Caluinum cum suis indicare) vel suo arbitrio declarari, adijcit: *Ergo non ad scripturas prouocandũ est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. nam etiam si non ita euaderet collatio scripturarum, & vtramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa cuius sint scripturæ, per quos, & quando, & quibus sit tradi-*

ta disciplina, qua fiunt Christiani: vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & traditionum Christianarum. Audin' Tertullianum dicentem fide opus esse ad scripturas & disciplinam? Audi eumdem, qui statim subijcit, ne quid ambiguum relinquatur: *Hanc igitur dirigimus præscriptionem si Dominus noster Iesus Christus Apostolus misit ad prædicandum, alios non eße recipiendos, quàm quos Christus instituit: quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, & nec alijs videtur filius reuelasse, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum; vtique quod illis reuelauit, quid autem prædicauerint, id est quid illis reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.* hucusque Tertullianus apertè contendens ab Ecclesia accipiendum scripturarum sensum. Nũc attendamus quid dicat Athanasius ille magnus: *Cùm vnaquæque, ait, hæresis sui commenti parentem habeat eum, qui ab initio peruersus, & homicida, & mendax fuit, diabolum, ac pudore tam exosi nominis teneatur, pulcherrimum & quod super omnia est, nomen Saluatoris profitetur, scripturarumque dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram tamen inde sententiam suffuratur; ac deinde intellectu, quem ipse confinxerit, dolis inumbrato errorum, homicida efficitur.* Et alibi: *Sin autem ex ignorantia ita æstuant, discant è scripturis excogitatorem, inuentoremq; hæresum diabolum, metu sui fœtoris scripturarum voces vsurpare, vt illis obtectus asperso veneno suo simplices decipiat.* Athanasium sequitur Hilarius, qui sic contra Constantium; *Quod accepi, teneo, nec demuto quod Dei est; sed memento tamen neminem hæreticorum esse, qui se non secundum scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* & enumeratis hæreticis, addit: *Omnes scripturæ sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt: scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo.* Accedat his Gregorius Nazianzenus aduersus Appollinarium, cuius hæc sunt verba: *Ad huius dogmatis confirmationem adhibent Apostolicam quamdam vocem, neque apostolicè intellectam, neq; pronunciatam.* atque hæc satis ad primum.

Oratione prima in Arianos.

Oratione secunda.

Quantum ad secundum ineptissimè, sicuti etiam superius, est ab istis dictum nos ab auditis recessisse: alioquin Ecclesia errasset, quod fieri non posse ostendimus suprà. Peruersè præterea egissent nobiscum Patres nostri, atque Apostoli, qui nobis pro regula firmissima esse voluerunt, quod poterat peruerti, ac deprauandum sciebant. Atqui

I.

II.

neque fingi hoc datur, Ecclesiam non sequi audita: necesse namque esset Ecclesiam contraria eodem tempore pronunciare ac sancire, esse ac non esse Ecclesiam. Nam qua Ecclesia Dei dicet, quæ Ecclesia Dei non dicat, quando vna est Ecclesia Dei? Sed hæretici hoc, vt omnia alia, stolidissimè effutiunt, & aliàs effutierunt. Audi antiquissimum scriptorem, cuius quædam fragmenta ponit Eusebius, nomen tacet, qui sic aduersus Theodoti asseclas: *Aiunt isti omnes maiores nostros, & ipsos Apostolos, ea quæ ipsi iam affirmant, non modò à Domino accepisse, verum etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis doctrinam vsque ad Victoris tempora, qui decimustertius à Petro Romæ Episcopus fuit, integrè seruatam illam quidem, sed à Zephyrino illius successore penitus corruptam, & deprauatam fuisse.* & mox: *Sacras audacter scripturas deprauarunt, veteris fidei regulam abrogarunt.* hæc ille scriptor. Exstant litteræ Concilij Antiocheni in causa Pauli Samosatheni, è quibus apparet, & Paulum hæreticum similia dixisse, dum quærit effugere quod illi ab Ecclesia obijciebatur: sic igitur in ijs litteris: *Porrò quid vobis in memoriam reuocemus quemadmodum psalmos, & cantus, qui ad Domini nostri honorem decantari solent tamquam recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos exploserit? Sic itaque Paulus aiebat Ecclesiam noua finxisse, antiquis reiectis.* eadem dicebant Ariani, aduersus quos ita Gregorius Nazianzenus: *Si enim triginta his annis fides originem habuit, cùm quadringenti ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est; inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra, & martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustraque etiam tales tantique Antistites populo præfuerunt.* hæc Theologus ille magnus. Nunc finem faciamus: ac satis sit conclusisse eo, quod Tertullianus scriptum reliquit de hoc signo regulæ, siue auditus fidei: *Hæc regula*, inquit ille, *vt probabitur, à Christo instituta nullas habet apud nos quæstiones* & alibi: *Regula omnino fidei vna est, sola immobilis, & irreformabilis*: Quòd si non habet quæstiones, nihil amplius inquiramus, quidquid garriant hæretici: & si omninò vna est, & sola, nulla ex parte datur alij locus: si immobilis, & irreformabilis, ecquando mutari potuit, aut reformari?

III.

Lib. 5. c. 27 hist eccle.

De præscrip.

SIGNVM SECVNDVM, Vna fides.

Illa est Ecclesia Dei, cuius est vna fides. At recentiorum, & Orientalium quorundam non est vna fides, sicuti aliorum omnium hæreticorum, idcirco concluditur non esse inter eos Ecclesiam Dei, nobis autem non vnam semper fuisse fidem dici non potest.

CAP. V.

VNiusmodi est ac semper simplex veritatis natura, multiplex mendacium veteratorium. Nam veluti à signo multis modis possumus aberrare, at illud ferire non datur, nisi eodem modo; sic verum consequi prorsus non contingit, nisi vna ratione; ab illo discedere innumeris possumus vijs. Et fides igitur Christi, quæ veritati innititur, ac penitus inhæret, nihil sibi dissidens est aut dissona. Nam quod semel in diuinis ab Ecclesia Catholica indubitanter, certoque est creditum, vel decretum per Concilia vniuersalia à Pontifice Romano comprobata, vel ab ipso Pontifice è sede Petri credendum lege lata sancitur, id ratum, firmum, fixumque semper fuit. Quæ pertinent ad mores, pro temporum varietate variantur; sed quæ fidei sunt, immobilia persistunt, veritatis sunt æternæ. Quòd si quid vel non indubitanter creditum, vel communi decreto non sit determinatum, vel Papæ sanctionibus, necdum id nobis cælitus diuulgatum, tunc in potestate est cuiuslibet, nisi decretis id dissentiat, quamlibet partem sequi. Alioquin fides vna adhuc in ijs, quæ pro certis non traduntur, cum paratus sit quiuis inhærere ijs quæ diffinientur, & à semetipso desciscere, si secus arbitraretur. Igitur in cunctis fides vna: magis enim credo, quod cunctis præponerem, si scirem, quàm quod errore ductus opinor. Hoc paratus sum deponere, illud nequaquam. En vt maximè sit nobis vna & eadem fides. Ob id Paulus: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnib. nobis.* Hoc aũt maximè cõuenit Ecclesiæ verę Dei, quãdo Christ⁹ ita Patrẽ rogauit: *Nõ pro eis rogo tantũ, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum*

Ephes. 4.

Ioan.17.

bum eorum in me, vt omnes vnum sint: sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint; vt credat mundus, quia tu me misisti. Quocirca necesse est in primis vna sit omnium Christianorum fides: alioquin quomodo in vnum coibunt; neque verò in alium finem dati fuêre à Christo Apostoli, Prophetæ, pastores, doctores, nisi *vt occurramus*, ait Paulus, *omnes in vnitatem fidei, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* hinc idem exclamat: *Numquid diuisus est Christus;* Vide autem quàm conuenienter, ac necessariò veræ Ecclesiæ sit eadem fides. ex hoc fidei fonte omnia humana cogitata, consilia, dicta, actiones, opera emanant, quòd nobis est aliquid persuasum; nisi ita sit, numquam me mouebo, nihil vmquam moliar. At vbi cunctis eadem persuasio, conabuntur omnes idem, tendent eodem. à principio cùm sint vni perpetuum seruantes tenorem, eodem confluunt in vnum, quod Patrem precabatur Christus. Hoc porrò efficit, vt nemo sibi fidat, sed alter alteri deferat; cùm statuere non possit, sit necne aliquid verum necessariò, falsúmve; affirmandum: vel negandum; sed necesse habeat exspectare, & audire, ac reuereri communia scita: quod quidem mutui amoris atque honoris vinculo nos arctissimè connectit, quod ab initio dicebam⁹ hanc esse regulam fidei, vt idipsum inuicem sapiamus. Est autem fides vna quinque modis. Primo propter vnum reuelantem, qui est Deus. Secundo propter vnum, per quem Deus reuelat. Tertio propter vnã vniuersitatẽ, cui Deus per vnũ reuelat. Quarto propter vna, quæ reuelata sunt. Quinto propter vna, quæ reuelabuntur. Plures his esse non possunt, nisi si qui ad istos redigantur. Omnibus hisce modis est vna fides nostra, seu Christi, & Dei; nullo horum est vna perfidia hæreticorum, & alienorum.

Ephes.4.
1. Cor.1.

Primò est vna propter vnum Deum, qui per Ecclesiam reuelat. Dicent hæretici, & ipsis esse vnum Deum, qui per eos reuelat. Verùm non possunt ostendere vlla certa miracula, quibus eorum fides sit à Deo consignata, & quæ potuerunt à solo Deo procedere, vt nos ostendimus signo de miraculis in fidei propagatione factis, ac toto opere secundæ coniunctionis, præterea verò plurimis alijs horum librorum signis. Quocirca qui reuelat inter nos, est Deus; cũ per nostros fiant, quæ solus Deus facere potest: ea vocantur miracula. quin signo de vnanimi doctorũ consensu aperim⁹, diabolũ esse, qui inter alienos à nobis reuelauit.

Secun-

Secundò est vna respectu eorum, per quos Deus diffinitè reuelat. Nam si interrogemus hæreticos, per quos Deus inter eos definitè reuelat interpretationes diuinæ scripturæ, aut quāuis rerū diuinarū veritatē; nullos possunt afferre, qui sint vni, neque vlla è diuinis scripturis sumpta ratione possunt probare, per illos diffinitè Deum reuelare. Nos verò dicimus inter nos Deum reuelare per Pontifices Romanos Petri successores, & vniuersalia Concilia per ipsos confirmata, qui sunt vni propter vnam Cathedram quam legitimo successionis iure ac nomine semper tenuerunt, quibus est per ipsum Christum Deumq; in ipsis scripturis reuelatio certissimo promissa, vt signo de Petri cathedra, & vniuersalibus Concilijs liquet. Per hos Ecclesia repræsentatur, tamquā per caput, & membra Ecclesiæ præcipua. Quòd si nos interrogemus Caluinistas, per quosnā Deus reuelauerit ipsis suas interpretationes ad scripturā: dicent, per Caluinū. Quomodo id probent ex ipsa scriptura, si ab eis petamus; nihil producent; neq; enim possunt. Rursus si interrogemus eos, Per quos post Caluinum definitè inter vos fit reuelatio? nam post obitū Caluini multæ quæstiones possunt emergere, vt si quæratur quæ mens ipsius fuerit, aut sit in eius scriptis, aut si quid queratur pertinens ad sacram scripturam. Nullos ciere definite possunt, quibus è diuinis libris appareat à Deo promissam reuelationem rerum fide credendarum. Quod de Caluinistis dicimus, de reliquis dici potest.

Tertiò est vna propter eos, quibus à Deo per alios reuelatur. Ecclesia namq; nostra vna, numquam diuisa ab illa ipsa, quā primi ex Gentibus, Deo præcipiente, ac Petro exsequente, constituerunt: hi verò fuerunt Romani. Cornelius Centurio Romanus omnium primus è Gentibus ad Ecclesiā Christi vocatus, vt in Actis Apostolicis habetur, & nos signo de antiqua Ecclesia aperuimus. Ab hac numquam nos discessimus, ab Ecclesia inquam Romana, quam Cyprianus Ecclesiarū matricem vocat, ad quā conuenire omnes oportere, ait Ireneus, vetustissimamq; vocāt Origenes & Eusebius, vt eodem signo docuimus: neque verò hic me redigo ad Ecclesiam Romanam, quæ Romanū solum incolat, sed quæ formam vniuersitatis præscriptam ab Ecclesię Romanæ moderatoribus tenet. Ab hac vna in alias abierunt hæretici, & reliqui omnes diuisionem coniun-

ctionis facientes, vt signo de antiqua fide ostendimus latè: eò eijcimus lectorem, ne actum agamus.

Quartò est vna respectu reuelatorum. Nam quæ semel inter nos tamquam diuinitus reuelata determinauerunt Pontifices Romani, vel vniuersalia per ipsos approbata Concilia, numquam mutauimus, neq; volumus immutari. Sic antiquorum, & nostrorum fides prorsus vna, & omnino inconcussa.

Quintò est vna respectu reuelandorum. Parati namq; sumus, ac volumus certò credere, quęcumq; in futurum vsq; ad iudicij diem, vt diximus, reuelabuntur. Hanc igitur ita nos explicantes egregiam proponimus notam, qua internoscatur Ecclesia Dei à factionibus hæreticorum, esse hāc fidei vnius coniunctionem, & qua credimus eadem quæcumq; speciatim proposita sunt nobis vt credamus, aut in futurum certò statuentur. Hoc namq; adglutinat nos & ijs qui sunt, & iis qui posthac alijs in annis erunt, propensionem dans ad intimam, mutuamq; mentium alterius in alteram connexionem.

Audiamus antiquissimos Patres, hanc notam hæreticis obijcientes, non esse ijs vnam fidem, idcirco neque esse ex Ecclesia Dei. sic igitur Iustinus ad orthodoxos, *Cum damnent hæretici alij alios ob opinionum dissensiones, perspicuum est omnes eorum hæreses occasionem habuisse ex ambitione, & mutua inuidia hæresiarcharum, propter quam causam lupi graues ab Apostolo nominati sunt: immò fidem nostram, dum sibi aduersantur, affirmant*, Rursus idem aduersus Græcos, *Quomodo enim salutis cupidi possent tuta religione vera illis credere, inter quos parum conuenit disidentes in suis opinionibus.* Hæc Iustinus obseruauit; *sed cur hos luporum loco duxit, nisi quòd ij discerpant Ecclesiæ membra, quæ connectuntur eiusdem fidei compage animos vincientis mutui consensus nexu?* eadem Irenæus Polycarpi discipulus exprobrat Valentini sectatoribus. *Videamus nunc*, ait, *eorum inconstantem sententiam, cùm sint duo, vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed & nominibus, & rebus contraria respondent.* & iterum: *Cùm autem discrepant ad inuicem, & doctrina, & traditione; & quia recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies nouum aliquod adinuenire, & fructificare, quod nusquam quisquam excogitauit; durum est omnium describere sententias.* & alibi aduersus Cherinthum, Ebionem, Nicolaum, Cerdonem, Marcionem: *Ab his autem, qui prædicti*

quæst.4.

Lib.1.c.5.

Lib.2.c.30.

sunt iam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eò quòd multi ex ipsis, immò omnes volunt doctores esse, & abscedere quidem ab hæresi, in qua fuerunt; aliud autem dogma ab alia sententia, & deinceps alteram ab altera componentes, noua docere insistunt, semetipsos ad inuentores sententiæ, quamcunque compegerint, enarrantes. Hæc igitur Irenæus, cui subscribens inquit Tertullianus: *Vnde autem extranei, & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit.* & alibi: *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quod accepit, quemadmodum suo arbitrio ea composuit; ille qui tradidit, agnoscit naturam suam, & originis suæ profectus rei. idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni de arbitrio suo fidem innouare, denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur:* Cyprianus eadem cum superioribus sentiens ita scriptum reliquit libro de vnitate Ecclesiæ: *Conuenticula sibi diuersa constituunt; veritatis caput, atque originem reliquerunt.* & post: *Quando ergo in præceptis suis ponit, & dicit; Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo, ego cum eis sum; non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit & fecit Ecclesiam: sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dißidentibus plurimis; plusque impetrari posse paucorum concordi pace, quàm discordiosa oratione multorum.* Athanasius autem sic aduersus Arianos inuehitur; *Cuncta igitur mouent & turbant, neque vel ita suis ipsi decretis acquiescunt: quotannis enim in vnum coëunt, veluti qui tabulas pactaq; scribant, simulantq; se pro fide scripta conficere; mirè interim, & fœdè, ridiculè, cùm scripta eorum non modò ab alijs, sed etiam ab ipsißimet explodiantur.* & mox: *Ergo dum perpetuò scribunt, suamet ipsi immutantes, incertam suam fidem, vel potiùs certam infidelitatem, dementiamque ostendunt.* Omnium verò elegantissimè Hilarius totam hanc rem describit, & adducta similitudine ante oculos proponit: *Facta est fides temporum potiùs, quàm Euangeliorum, dum & secundum annos scribitur, & secundùm confeßionem baptismi non tenetur. periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur, vt volumus, aut*

Lib. de præs.

Orat. prima.

Contra Cōst

Aduer. Arian.

intel-

intelliguntur. & cùm secundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum baptisma, etiam fides vna sit; excidimus ab ea fide, quæ vna est: & dum plures fiunt, ad id ceperunt esse, ne vlla sit. Deniq; concludit: *Quod hyeme vndoso, mari à nauigantibus maximè obseruari tutum est, vt naufragio desæuiente, in portum, ex quo soluerant, reuertantur, vel incautis adolescentibus conuenit, vt cùm in tuenda domo sua, mores paternæ obseruantiæ transgreßi, profusa libertate sua vsi sunt, iam sub ipso amittendi patrimonij metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius & tutus recursus sit, ita inter hæc fidei naufragia, cœlestis patrimonij iam pene profligata hæreditate tutißimum nobis est primam, & solam euangelicam fidem confessam in baptismate, intellectamque retinere, nec demutare, quod solum acceptum, auditumq; habeo.* Hæc igitur, vt finem faciamus, antiqui Patres.

Hæreticis non est vna fides.

Nunc ad propositum reuertamur. Hoc est peculiare hæreticorum factionibus, vt in varias contrariasq; sectas diuidantur nec fides eorum certa sit ac firma, sed varia, & multiplex: id ostendit eos non esse Ecclesia Dei, cuius fides est vna, ac simplex. Simon fuit primus ac princeps hæreticorum: ab eo profecti Menander, Samarites, Saturninus Antiochenus, Basilides Alexandrinus, contraria inter se sentientes; inde Carpocrates, à quo Gnostici. A Cherinto, Ebione, Marcione, Nicolao, Cerdone exstitisse multas hæresum propagines in diuersas partes tendentium, testis est, vt ostendimus, Irenæus. Arianorum multiplicem diuisionem Ambrosius, Epiphanius, & Nicephorus latè describunt, & exagitant: Ab Arianis enim reliquis secessit Aëtius, & eius assecla Eudoxius: ab Eudoxio Eunomius: ab Eunomio Theophronius, & Eutychius; quorum discipuli Eunomiotheophroniani, & Eunomieutychiani dicti sunt. Priorum verò Arianorum duo fuêre antesignani præcipui, quorum quilibet suos habuit separatim mali dæmonis commilitones. hi fuêre Dorotheus, quem veteres sunt secuti; & Marinus, cuius sectatores Gothiani, seu Psathyriani vocabantur. sic nostra patrumq; nostrorũ memoria à Luthero desciuit Zuinglius, & Oecolãpadius; vt ab Ario Aëtius, à Luthero, & Zuinglio, secessit Osiander, quasi alter Eunomius. sic sectatorũ Osiander nũc alij Antiosiãdrini alij nũcupantur Semiosiandini; sicut olim Eunomieutychiani, & Eunomiotheophroniani. Veteres Lutherani gloriãtur hodie Flacco Illyrico duce, vt veteres olim Ariani, Dorotheo; recẽtiores Melãchtonis vestigijs insistũt, vt illi

Amb. de fid. lib. 1. c. 4. Epiph. Hære. 73. Niceph. lib. 1. c. 29.

illi alij quondam Marinum sunt sectati. Hæresis Macedonianæ duo principes fuêre, Macedonius, & Eutropius: Donatistarum alij erant Rogatistæ, alij Maximinianistæ, alij Circumcelliones: è Nestorianis hæ sectæ prodierunt Tritheitæ duce Ioanne Philopono, Agnoëtæ Themistio, Theopaschitæ, Armenij, Seueritæ, Aptartodocitæ, Phantasiastæ; ab Eutychianis Monophysitæ, Acephali, auctore Seuero, Iacobitæ Iacobo, Theodosiani, Iulianistæ à suis magistris nominati. Sed nũquam videtur plures inter se discrepantes hæreses fuisse, quàm nostra ætate. Lindanus enumerat centum. Lauaterius hæreticus scriptum reliquit in epistola quadam sua, se in paucis vrbibus, quas officij causa bonus homo inuiserat, centum octuaginta, ac plures etiam se inuenisse sectas Claudius Sainctes in doctissimo illo de re Eucharistiæ libro octuaginta, nisi me fallit, opiniones recitat in quæstione sacramenti Corporis Christi: adeò sementis à Martino facta creuit, & in variam latissimè segetem sese profudit. Multò plures enumerat proprio libro vir magnæ eruditiõis, & ingenij Stanislaus Rescius Polonus. Mirum verò quantum inter se hæretici nostræ tempestatis digladiẽtur, sæuiant, quantum sese maledictis proscindãt, diris deuoueant, inferis addicant. Ob id Lutherus, cùm quidã contenderet inter ipsum & Zuingliũ cum suis amicitiam conciliare, & animos ad concordiam adducere prætextu caritatis, in illa erupit plenissima indignationis & odij verba: Ego Lutheranam hîc adijciam exhortationem, & ex animo dico. Maledicta sit in omnem æternitatem ista caritas, & concordia; & excõmunicatis Zuinglianis, obtestatur Deum, & totum mundum, quòd cum Sacramentarijs non sentiat: neque vmquam senserit, neque in æternum sensurus sit. Longissimũ hîc esset recensere sigillatim, q̃ colloquia, & disputationes singulis annis habuerint, quæ scripta alteri aduersus alteros acerbissimis referta conuicijs diuulgauerint. Refert hæc Surius in historia sua, & summatim colligit doctissimus vir Stapletonus; mihi sanè non vacat, nec ad rem facere videtur, ea referre, nostroque ac lectoris otio abuti. satis sit nobis attulisse in medium trium hæreticorum clarissimam hac in re confessionem: sic igitur Chytræus: *Euangelici doctores* (sic iste homo bellus vocat hæreticos) *immaniùs ferè, ac truculentiùs quàm Barbari milites, inter se digladiãtur.* At Heshusius in epist. de exorcismo

Aug. ad quod uult deum ser. 69.

Luth. in defens. verb. cænæ Domini tom. 7.

Lib. 4 ca. 13. princ. fidei.

Chyt. thema deprauat. August conf.

mo.: *Quoquò vertimus oculos intuendo Christi cœtum* (apud Euangelicos videlicet) *nihil propemodum occurrit, quàm noua docentium dissidia, incrementa errorum, insignium doctorum defectiones à veritate.* Denique Nicolaus Gallus hæc scripsit: *Perit iusto Dei iudicio, non armis hostium, non inuictis hæreticorum armis, vera à nobis religio, & Ecclesia, sed nostrorum inter nos perfidia, infidelitate, incuria.* hæc isti.

In præfatione Apol. de maiest. hominis Christi.

Aptissimè ad hanc rem scriptum reliquit Epiphanius in Panario, morem fuisse Aegyptijs captas varij generis viperas in aliquem locum concludere, nulla re, ex qua possent ali, apposita. Illæ verò nimiæ famis rabie crudelissima percitæ in mutuas cædes exardescebant, & dentibus sese inuicem dilaniabant, donec cæteris absumptis, quæ superfuerat vltima, cum nihil haberet, in quo dentes figeret, & rabiem exsaturaret, fame enecta computrescebat. *Sic,* inquit ille, *vsuuenire solet hæreticis: mutuis se confodiunt, & absumunt laniatibus: quæ superest alijs hæresis suæ diritatis impietate corroditur, & interit.* Nunc vnde deflexit, eò reuertatur oratio. Non potest esse hæreticorum factio Ecclesia Dei, quando eorum fides non est vna, sed multiplex. verùm pressiùs agamus. non modò hæretici inter se dissident, sed & eorum principes à semetipsis desciscunt in suis decretis. Idcirco aliàs aliter sensit Lutherus, aliàs aliter Caluinus. In Germania quidem sutor nescio quis cùm percurreret scripta Lutheri, & à semetipso plurimis in locis dissidere obseruasset, stomachatus hominis discrepantiam, animum adiecit ad colligendas leuissimi nebulonis inter se discordes sententias, easque in ordinem redactas in tabella pinxit, & cunctis spectandam typis excudi curauit: egit hoc idem in cunctis nostræ ætatis hæreticis Lindanus, & bellissimam designationem volaticarum opinionum descripsit, & attexuit operibus suis.

Libet hîc referre, quod egit nobilissimus quidam Polonorum princeps cum perditis istis. Habebat ille domi multos eorum opiniosissimos concionatores, neminem ex illis, vel cum alijs conuenire, vel sibi constare videbat; diu tulit eorum leuitatem: tandem pertæsus omnium effrenem inconstantiam, edixit vt consentirent inter se: alioquin se rei consulturum. conuenêre illi ex composito: iterum atq; iterum, & sæpius habitæ multæ disputationes; adfuit omnibus princeps ille; dicta, tractata multa, ten-

ta, tentata omnia, transactum nihil. Tandem indignatus ad istorum volubilitatem & pertinaciam, pugnis & fuste cõtusos domo expulit, & omni ditione exterminatos continuò abire procul, & inde commigrare iussit. Ipse autem Catholicæ se reddens veritati, paulò pòst Romam, in qua tunc vrbe ego degebam, concessit. Quod autem diximus de leuitate hęreticorum nostri temporis, quibus exemplo suo Lutherus inferorum fores aperuit, idem de antiquis liquere potest cuilibet historias legenti.

Nos, vt absoluamus quod præ manibus est, neq; ineptias singulas hæreticorum recenseamus, ad positos Orientẽ versus veniamus. Anno, vt diximus, millesimo quinquagesimo tertio, Michaël Patriarcha Constantinopolitanus eò confidentiæ, atq; impudẽtiæ est progressus, vt ausus fuerit Ecclesiam Occidentalem communione sanctorum priuare, quamuis in octauo cõcilio, quod habitum est in causa Photij, ne locus esset huiusmodi temeritati, cuius aliqua signa nonnulli dederant, cautum fuisset non oportere sententiã dici, vel in Synodo vniuersali contra summos seniores Romæ Pontifices. Resipuêre tamen qui dissentiebant, legatione Petri Archiepiscopi Amalphitani, & Friderici Archidiaconi, quos eò destinauit ac misit Leo Nonus. Relapsi postea sunt in eamdem dementiam, vt appareret è scriptis Anselmi, quæ de Spiritus sancti processione aduersus Gręcos edidit: & nihilominus anno millesimo cẽtesimo trigesimo nono interfuêre Lateranensi Synodo primæ Innocẽtio II. sedente, vt patet ex epistolis D. Bernardi, Pontifici se Romano in omnib. subijciẽtes. Rursus anno millesimo centesimo octuagesimo, cũ magnis honoribus Latinos prosequeretur Alexius Imperator, & aliqui id pati nõ possent, vetera ob sacrorũ differentiam contracta odia renouarũt. Alexius de medio sublatus; Ioanni Subdiacono Pontificio Legato caput abscissum, atq; ad contumeliã caudæ canis appensum: mortuorum cadauera, sepulchris impiè violatis, per vias crudelissimè raptata: ægris, qui in Sancti Ioannis decumbebant, vita ferro ablata: cæteri, quibus ignouêre, in seruitutem nostræ religionis hostibus venditi. testis est harum rerum Coniata, & Gulielmus Tyrius. Nihilominus imperante Michaele Paleologo ad mentem redière in Concilio Lugdunensi, quod est coactum Gregorio Decimo sedente; quo tempore Ioannes,

Epi. 126.

Sigon. 14.

Greg. lib. 5. c. 1.

nes Becus Patriarcha Constantinopolitanus nobiscum sensit, vt scriptum reliquit Gregoras, & Gulielmus Durandus illorum temporum æqualis, sub annum millesimum ducentesimum septuagesimum quartum. Reuersi paulò pòst ad scelera pristina. resipuêre in Concilio Florentino anno millesimo quatringentesimo trigesimo octauo: in quo Iosephus Patriarcha Constantinopolis illustre testimonium reliquit fidei sub extremum vitæ finem. Nam cùm de improuiso mortem sibi imminere præsensisset, vt constaret se ex animo agnoscere supremam Romani Pontificis potestatem, scripta hæc reliquit. *Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni. idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam sententiam his litteris palam facio. Nam quæ Domini Iesu Christi. Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor; atque ipsis plurimum acquiesco*, & quæ sequuntur. Extant nonnulla Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani opuscula aduersus impietatem eorum, qui post hoc Concilium rursùs ad insaniam pristinam redierunt, Calchocõdyla teste. Inde à Turcis Constantinopolis capta. Ostendant modò hæretici nostræ ætatis, qui toties Augustanam confessionem immutarunt, alijque eorum sectatores; ostendant alij si possunt, ecquando Pontifices Romani huiusmodi leuitate superiorum Pontificum decreta in Concilijs vniuersalibus, aut publicis edictis, quantum spectat ad fidei normam, mutarint? Non poterunt reuera. leuia quædam suo loco, vbi agemus de Concilijs vniuersalibus, diluemus. Nimirum fides Ecclesiæ nostræ, fides vna, & vera; hæreticorum varia, mendax, nulla. Dei namque solius est vniusmodi esse; & Ecclesia igitur nostra maximè hac parte diuina; Sed præstat, quando inter Protestantes Caluinus principem locũ nunc tenet, aliquot eius discrepantias in medium proferre; non omnes quidem, quod esset operis infiniti; eas tantum; quæ pertinent ad Deum; neq; adhuc istas omnes, verùm quæ argumenti huiusmodi cõtinent blasphemias omninò exsecrandas.

Greg. lib. 5. cap. 1.

Discrepantiæ, & horrendæ blasphemiæ Caluini, in ijs quæ pertinent ad ipsum Deum.

Si

SI Deus statuatur auctor peccati, nihil inter Deum & Satanam discriminis esse futurum: homines posthac tamquam bruta præcipites, nullius nempè conscientiæ freno in pessima quæq; ruituros: quantacumq; facinora approbatũ iri, tãquam res honore laudeq; dignissimas stupra nimirum, homicidia, sacrilegia, aliaq; adhuc abominabiliora Caluinus ait, aduersus Libertinos. c. 13.

Contrà idem Caluinus aduersus Deum.

Deus vult efficienter & efficaciter nõ modò omnia peccata diaboli, sed & hominum. Inst. lib. 1. c 17. sect. 6. 7. 8. — I.

Nõ modò vult efficaciter, & efficienter, sed ipse illa efficit per diabolum, & homines. Inst. lib. 1. c. 16. sect. 4. & 8. & lib. 2. c. 4. sect. 7. lib. 1. c. 18. sect. 2. lib 3. c. 23. sect. 1. 4. 6. — II.

Immò concitat, & commouet diabolum, & homines ad peccata. Inst. lib. 1. c. 18. sect. 2. — III.

Amplius improbos ad peccandum destinat, & cogit. Inst. lib. 1. c. 16. sect. 48. lib. 2. sect. 7. c. 4. lib. 1 c. 18. sect. 2. lib. 3. c. 23. sect. 1. 3. 6. — IIII.

Vana est distinctio vulgaris inter agere, & permittere: absurdũ verò, volente, & iubente Deo, excæcari hominem. tergiuersando itaq; effugiunt, Dei tantùm permissu, non etiam voluntate hoc fieri. hæc sunt verba Caluini lib. 1. c. 18. sect. 1.

Iam satis ostendi, inquit Caluinus lib. 1. c. 18. sect. 3. Deum vocari eorum omnium (scilicet peccatorum) auctorẽ, quæ isti censores volunt otiosè tantùm eius permissu contingere. — V.

Contrà idem lib. 2. cap. 4. sect. 2.

Excusationes deinde nescio quas Caluinus ineptissimas, vbi hæc exsecranda protulit, afferre conatur, quas reiicit Stapletonus lib. 11. de iustificatione.

Ad summam si Caluino credatur, Deus (horret animus referre) est Diabolo peior: auctor est enim omnium scelerum, non modò quæ Diabolus, sed & quæ homines admittunt. Quin plus mali inter nos à Deo, quàm boni. innumeris namq; partibus plures mali, quàm boni: cum stultorũ numerus sit infinitus. Non itaq; bonus Deus Caluino, sed pessimus, qui plurima mala per alios agat, & eis sint pauciora bona. Sed alia videamus pertinentia ad singulas Trinitatis personas.

Idem Caluinus aduersus Deum Patrem.

Filius, inquit Caluinus, est αὐτόθεος, id est à semetipso

Deus, non à Patre scilicet, vt Catholici dicunt, Deus de Deo. Caluinus in epistolis ad Polonos; & contra Gentilē. Inst.lib.1.c.13.§.19. Aufert itaque Deo Patri, vt communicet Filio essentiam diuinam. Contrà idem sibi dissidens. Inst. lib.1.c.13.§.23

Idem Caluinus aduersus Deum Filium.

VI. *Filius est æqualis Patri.* hæc est Catholica sententia, quam Caluinus etiam videri vult defendere, libro aduersus Gentilem, & in epistolis ad Polonos.

Contrà idem Caluinus.

VII. Filij natura, tam diuina, quàm humana, Patri subijcitur. Inst.lib.2.c.14.

VIII. *Filius respectu personæ non nisi impropriè creator est cæli, & terræ: Pater propriè.* idem libro aduersus Gentilem in refutatione decimæ protheseos.

IX. *Deus Pater habuit vim generandi Filium, ac propagandi Spiritū sanctum quia voluit.* ibidem idem cum Arianis, vt ex Athanasio & Hilario constat.

X. *Impropria ac dura locutio, Deum de Deo, lumen de lumine.* & hoc Arianorum, testibus Hilario & Athanasio.

XI. *Nomen Dei per excellentiam κατὰ ὑπεροχὴν, Patri attribuitur.* idem libro aduersus Gentilem. hæc Caluinus. Interrogo igitur te Caluine, quomodo asseris Filium Patri æqualem? Non respectu naturæ diuinę; nam subijcis illam Patri: Non personæ, quando illa impropriè creat, Patris autem propriè; non volūtatis paternæ; ais enim genitum, quia Pater voluit. poterat itaq; nolle, atq; ita Filius genitus nō esset; neq; igitur hoc respectu æqualis. Non generationis: improprium namq; & durum dicis Deum de Deo. Et quid æqualius Deo, quàm Deus? Denique non nominis. Quid igitur æqualitatis Filio relinquis, à quo aufers æqualitatem respectu naturæ, personæ, voluntatis paternæ, generationis, & ad extremum, quod leuissimum videri posset, nominis?

Reliquum est videre, quid de humana Filij natura dicat iste Caluinus. Audite infanda, de eo, quem plenum gratiæ, & veritatis esse, & de eius plenitudine nos omnes accepisse, ait Ioannes, cui non datum est ad mensuram, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, inquit Paulus, & Caluinus haud negat.

Ioan.1. & 3.

Sed contrà idem Caluinus aduersus Filium Dei hominem factum.

Ignorantiæ propter nos se subiecit. Idem in c.24. Matth. Attribuit itaq; Christo in primis ignorantiam. XII.

Similiter obliuionem: nam in ca.26. Matthæi asserit vehemētiam doloris in horto abstulisse Christo cælestis decreti memoriam. XIII.

Præterea erratum; quod reuocaret, & castigaret. inquit enim ibidem. *Christus metu perculsus, & anxietate constrictus fuit, vt necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis quasi vacillare. hæc ratio est cur mortem deprecatus mox sibi frenum iniiciat, Patrisq; imperio subijciens votum illud subitò elapsum castiget, ac reuocet.* hæc Caluinus. XIV.

Amplius verba desperationis, cùm dixit, Deus Deus meus quare me dereliquisti. Inst. lib.2. c.16. §.10.11.12. & clarius c.27. XV.

Insuper timorem suæ salutis. Instit. lib.2. c.16. §.12. quod alibi ait esse contra virtutem fidei. Inst. lib.3. c.2. §.16. & imperfectæ fidei. §.16. XVI.

Ad extremum vult Christum sustinuisse pœnas ipsorū damnatorum. Inst. lib.2. c.16. §.8.9.10. 11. 12. & in Catechismo paruo. At pœnæ damnatorum necessariò continent scientiam damnationis æternæ, odijq; diuini; quod idem Caluinus haud diffetetur. lib.3, Inst. c. vlt. XVII.

Quid, quòd asserit Christum nullam corpori suo gloriā meruisse. Instit. lib.2. c.17. §.6. cùm tamen idem fateatur vera verba illa Pauli, c.2. ad Philippenses, & Hebræos; ideo Christum exaltatum, quia factus est obediens vsq; ad mortem. XVIII.

Ad summam, Deus haud dedit, inquit Ioannes, Christo spiritum ad mēsuram. Caluinus autem sic dat, sibi dissidens, vt illi ignorantiam affigat, obliuionem, errata, desperationemq;, timorem suæ salutis, pœnas damnatorum, postremo merita nulla, propter quæ tantam sibi maiestatem diuinitus compararit. *Ioan 3.*

Eiusdem Caluini maledicta in tertiam Trinitatis personam Spiritum sanctum.

Neque porrò mirum si Christo Caluinus datum velit spiritum ad mensuram. Nam cùm dictum sit ab eodem Christo ad Apostolos: *Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ nō potestis ferre modò: cùm aūt venerit ille spiritus veritatis* (post ascēsionē scilicet) *docebit vos oēm veritatē*; & hęc Christi verba XIX.

verissima asseueret Caluinus;tamen.Instit.lib.4.c.8.§.8.decernit partes spiritui sancto assignatas à Christo, vt suggerat illa tantùm; quæ ipse ore docuit: quæ nullo modo possunt coherere cum superioribus, quæ ille neq; inficiatur,neq; inficiari potest.

Non satis habet itaq; Caluinus spiritum Christi ad mẽsuram à se excogitatã coarctare:sed & ipsummet Spiritum sanctum cancellis à se præfixis contra mentem verbaque Christi includit.

XX. Iam verò cùm duo potissimùm Spiritui sancto attribuantur, mentem veritatis lumine illustrare, & voluntatem ad studium virtutis inflammare:ex quo Caluinus sibi nullo modo constans Spiritum sanctum primo munere mulctauit arbitrio suo:videamus quid sentiat de secundo, vtrũ secum discordet. Affirmat, Inst.lib. 3.c.1.sect.3. *Spiritum sanctum à purgandi energia aquam dici; ignem quoque vocari, quia concupiscentiæ nostræ vitia aßiduè excoquit, & exurit corda nostra incendens amore Dei, & studio pietatis.* hucusque verba Caluini. Idem verò lib.3.c.11.sect.15 nos grauiter hoc nomine reprehendit, quòd gratiam Dei (sunt eius verba hæc) non gratuitæ iustitiæ imputationem, sed spiritum ad sanctitatis studium adiuuantem interpretemur; damnatque Augustinum, quòd gratiam Dei ad iustificationem refert, qua in vitæ nouitatem per spiritum regeneramur. Concludit denique ita: *Nemo bene in Christo fundatus est, nisi qui solidam habet in ipso iustitiam; quando non dicit Apostolus missum esse Christum qui ad iustitiam consequendam nos iuuet; sed vt ipse sit nostra iustitia: & huc veniendum, vt fidelium conscientiæ, dum coram Deo volunt iustificari, totam legis iustitiam obliuiscantur: sic enim nos esse ab illa solutos, vt nulla prorsus operum ratio habeatur.* hæc ille; quæ dissentiunt omnino cum superioribus, & grauissima sunt in Spiritum sanctum maledicta;quib.eripit illi, quod ante adscripsit;vt nos incenderet ad studium pietatis, & amorem Dei,& deinde nos vult obliuisci operum iustitię: legisq;,cuius est pars pietas, & amor Dei, nullam prorsus haberi rationem.

Viginti has Caluini discrepantes inter se sententias in ijs dumtaxat,quæ spectant ad Trinitatem,satis sit attulisse. Neq; verò huius adhuc argumenti singulas produximus, sed quæ blasphemias infandas continent. Nam reliquas recensere,aut persequi(vt apparet)operis esset infiniti. Ex ijs autem constat,an vna sit eius fides,sibique consentiens:

simu-

simulque quàm sit impurus & exsecrandus homo iste, qui tanta euomat in Deum, quem facit omnium flagitiorum auctorem; singulasque Trinitatis personas contumeliosis opinionibus discerpit, ac proscindit: vt iam non miremur, si sanctos cæli vocat alibi mortuos, laruas, vmbras, colluuiem; & alibi quatuor versiculis, quos scripsit in caput secundum epistolæ secundę ad Thessalonicenses, octo insignia mendacia aduersus Pontificem Romanum, Catholicosq; omnes, sit complexus. An non igitur Caluinus maximè affinis bestiæ illi, vel illa ipsa bestia, quæ aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant, vt legitur in Apocalypsi?

Inst. lib. 3. c. 20. §. 21.

Cap. 13.

SIGNVM TERTIVM,

Indubitata Fides.

Indubitata fides necessariò est eorum, quibus nulla potest ac debet esse dubitatio quasi rerum certißimarum: quam fidem neque esse, neque posse vllo modo esse hæreticis, apertè demonstratur.

CAP. VI.

IAm verò quoniam fieri potest vt aliquis credat verisimilia Ecclesiæ decreta, neque ab huiusmodi sententia vsque ad obitum recedat; sit hac in re constantissimus, cuius hac parte sit fides vna, nihil sibi dissideat: nihilominus propterea fides necesse est sit omnino indubitata, ita vt nobis sit prorsus certissimum, ac persuasissimum, res, quas credere iubemur, esse huiusmodi, vt aliter esse haud possint: quod quidem multis modis clarissimè apparet. Inprimis enim Paulus iubet nos in fide esse fundatos, ac stabiles. Atqui ambigit, & modò huc, modò illuc fertur atque, vt ait Paulus, circumfertur omni vento doctrinæ, nulla ratione stabilis est aut fundatus. Hoc enim pertinet ad fundamentum, vt omnium maximè sit firmum. Deinde attestatur idem, verbum fidei esse verè verbum Dei, cui si quis mendacia adscribit, is mendacem proculdubio Deum facit, in quem neque cadit, neque cadere falsitas

Col. 1.
I. Arg. à trib. Pauli locis.
1. Thes. 2.
2. Thes. 2.

potest; atque ideò neque in fidem: erit igitur illa indubitatissima. Hinc idem vocat fidem veritatis, at nulla societas mendacio,& veritati. Rursus definitio, quam tradit fidei, quod asserimus, ostendit: est enim substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Nam quî falsitas erit substantia rerum sperandarum, quî argumentum non apparentium? Illud verò obseruandum; quòd Latinè est argumentum, Græcè est ἔλεγχος. quo vocabulo signatur illud argumenti genus, quod omnino conuincit, & indicat ipsammet rem. Iam si licet mihi de fidei decretis dubitare, ad nihilum redigetur fides, atque ideò nulla erit hæresis: & Mahometani, qui Christum maximum vatē prædicant, contendent sibi esse fidē Christianā; idē clamabunt Ariani, Nestoriani, & huiusmodi genus hæretici. Ineptum namque illud, quod Caluinus affert. indubitatam oportere esse fidem in ijs, quæ diuina scriptura continet. Itáne homo acutè? Age igitur: in scriptura non est, vt Euangelio Ioannis credā, aut epistolis Pauli (& quod de his dico, idem dicendum aut de omnibus, aut, nisi hoc vis, de aliquibus:) non igitur illis credam scripturis aut credam quibus volo, sed demus homini ingenioso, quod velit. Variæ & discordes sunt inter vos ad sacram scripturam interpretationes. Nam quæ contentiones inter vos? Quibus igitur vestrum credam in diuinis eloquijs explicandis? Caluino, an Luthero, an Zuinglio, an Melanchtoni, an mille alijs nebulonibus? Quid? nónne tibi, vt suprà vidimus, discrepas Caluine, & quidem in omnium maximis decretis? quid igitur tibi vis, quid tuarum rerum sequar? Sed nihil hæc sint. in suos laqueos incidat Caluinus. Ais fide credenda dumtaxat, quæ in scripturis continētur sacris; & Paulus ait in scripturis, vt stemus, & teneamus traditiones, quas didicimus, siue per sermonem, siue per epistolam: sic ille Thessalonicenses monet. Christus ait, vt Ecclesiæ audiamus, ni esse velimus tamquam Ethnici, & publicani. Ergo modò sit aliqua traditio, non per epistolas Pauli, sed per sermonem eius ad nos deriuata; modò Ecclesia iubeat: id omnino credendum. Sed omittamus istorum deliria: ridiculum namque est, potiùs credere Caluino, quàm innumeris Catholicis, quorum quilibet omni genere litterarum, innocentia vitæ, & ingenij acumine, & Caluino, & omnibus hæreticis præstat: Ecclesiaque habet

II. à definitione fidei.

III. Ab absurdis.

Resp. ad arg. Cal.

I. Resp.

II.

III.

IIII.

2. Thes. 2.

innu-

innumerabiles in idem conspirantes, & totius æui à Christo ad nostra tempora deducti consensum. Necesse est itaque fides sit indubitata cunctis in rebus, quas Ecclesia iubet credendas: alioquin nihil intererit inter hæreticum & Catholicum, quorum quilibet innititur scripturis: nihil intererit inter quoduis dogma alteri dissentiens.

IIII. Ab obligatione vitæ ponendæ.

Adeò porrò necesse est indubitata sit fides, vt pro illa vitæ ipsius detrimentum sit faciendum, si salui esse velimus. Hinc dictum: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Atqui pro mendacio vitam nemo vmquam ponere debet. Idem verò est ponere pro mendacio, aut pro eo quod potest esse mendacium. Nam quemuis interrogo: Numquid eueniet, vt aliquis occumbat pro eo, quod potest esse mendacium, sed tamen non erit? Si quidem dices, Numquam fiet, vt sit mendacium, pro quo aliquis peribit; res proculdubio est expedita, fides erit indubitata; quia dicis, numquam fiet, vt sit mendacium. Quòd si dices, Obtinget aliquando, vt sit mendacium; malè agit nobiscum Deus, & iniquissimè, qui pro falsis nos morti addicit, atq; vt iniusta teneamus & confiteamur.

V. à maxima Dei iustitia.

Hinc sequitur, fieri haud posse, vt fidei falsitas admisceatur: esto enim (quod nullo modo dicendum, vt nec etiam subeamus pro mēdacio: illud longè iniustissimum) vt Deo nō placeā, nisi pro illius defensione adire mortē velim, ac superare tormēta omnia. Quocirca, qui dicitur omniū iustissimus Deus, omniū lōgè iniquissimus erit, qui tria hæc à me exigat, quibus nihil maius; vt falsis adhæreā, vitā ponam; ni ponam, nullo modo illi placeam: nam sine fide impossibile est placere Deo: atq; ob id æternis maximisq; inferorū tormentis crucier. Itaq; quod dicitur. Deus verax, omnis homo mendax, in contraria erit mutandum: quod dicitur, Solus Deus iustus, nihil minus erit verū. Quę cùm nullo modo sint dicenda; necesse est decernamus, aut nullam esse fidem propter varias, quæ ad eloquia diuina interpretationes adhiberi possent, & mentis humanæ inconstantē naturā, quæ nihil non potest in dubium reuocare: aut fidem indubitatam ponendam, ne sit nulla atq; ad nihilum redigatur. Deniq; in captiuitatem redigendus intellectus in obsequium fidei: neque credam mihi, aut meis, meiq; similium adhibitis ad sacra scripta interpretationibus; sed ei, cuius est fides ex auditu, & vna, credendū: aliter

VI. Quia redigendus in captiuitatem intellectus.

enim haud continget vmquam vt redigatur intellectus in captiuitatem, quod fit indubitatæ fidei constantia, & firmitate.

Hæreticorum fides non est indubitata, ac proinde nulla.

Euidentissimè porrò apparet cuilibet, modò superiora attentè legerit, hæreticis non esse indubitatam fidem, & propterea nullã. In maximis enim rebus quilibet à semetipso desciscit, in maximis rebus inter se discordat; at fides est vna. Præterea statuunt, Concilia vniuersalia corruere posse. Id si est, multo magis hæreticus quiuis errare potest. Nã quis hoc negabit esse facilius multo, ac verisimilius, ac propterea crebriùs euenire, si quidem Concilia labentur legitimè congregata? Præstat igitur adhærere Concilijs vniuersalibus, quæ impugnant isti, siue Florentinũ, siue Tridentinũ, ac superiora omnia, quæ omnium sapientissimi homines, quæ modestia est ipsorum, ac suarum rerum opinio, derident. Vide rursus, q̃ bene res oẽs isti statuant. Clamant Ecclesiam Dei posse labi. Id si est; cùm vel sint omnino, & contendant se esse ex Ecclesia Dei, & ipsi labi possunt. Non igitur ipsis fides esse potest indubitata, de sententia ipsorum, qui haud negare possunt se posse labi, & hallucinari; quando Ecclesia è qua ipsi esse volũt, errori est obnoxia. Propterea plurimi hæreticorum faciunt suis potestatem negandi ea, in quibus à nobis dissentiunt. Nulla igitur illis fides. Nam corde creditur ad iustitiã, ore aũt confessio fit ad salutem. & hoc fidei primum, vt diceba mus; decretũ, vt mortem pro illius tuitione occumbamus. Si qui sunt è Græcis hæretici sanè hoc habent, vt cùm sunt inter nos, catholicos se esse assimulent: idem factitant hodierni heretici; ambo autem quasi homines prudentissimi triumphum ducant, quòd nos fefellerint, ac veluti simplicioribus imposuerint credentibus illos vnà nobiscum sentire, & sacra communicare.

I. A suijpsius dissensu.
II. A mutuo dissensu.
III. A minori de concilijs
IIII. Ab eo quod Ecclesiæ attribuunt.
V. A confessione hæreticorum.

Concedamus tamen istos à semetipsis haud dissentire, inter se interuenire, Concilia rata habere, Ecclesiam sequi, pro suis decretis asserendis mortem nõ timere, sed illa palam tueri: neq; tamen sic erit ipsorum fides indubitata. Nam qui vult indubitatam suis placitis adhiberi fidem, quæ exigitur à Christiano, non modò est necesse, id quod asseritur, esse proculdubiò verum; se præterea necesse est obligent, quibus est vis obligandi. Exiguntur itaque duo ad indubitatam fidem, de qua nobis est sermo; & veritas rei, & potestas obligandi alios ad illam sequendam, quod

VI. non posse hæreticorum fidem esse indubita-

quod est clauium summum ius, quibus cælum clauditur, atq; aperitur. Exemplo id fiet manifestissimum. Proponitur mihi credendum à peritissimo medico, choleram purgari à reubarbero; adde id à me sæpiùs experimentis certissimis fuisse perspectum: nolo tamen credere: pernego. Numquid hoc infidelitatis peccatum, an peruicaciæ? Numquid hæreticus reputabor? Ais hanc chartam albam: nego. Numquid hoc contra fidem Christi? Democritus ait Solem bipedalem; clamant Astrologi centum sexaginta sex partibus terra maiorem: illud certissimum, bipedali maiorem. Placet sequi Democritum. Numquid ego hæreticus? Ais Caluinum, Lutherum, Melanchtonem fuisse homines: nego: contendo fuisse flagitiosissimos dæmonas, qui ex inferis humana specie obtecti eruperint: nego illos vmquam fuisse; quòd fieri haud possit, vt è nobilissimis prouincijs monstra talia sint exorta: neq; id habetur in scripturis, ipsi verò solis scripturis habendam fidem dicunt. Numquid ob id hæreticus? Ac ne dicas exempla adducta non esse rerum diuinarum: quot sunt decretis sancita à posterioris ætatis Christianis, quæ priùs non erant? ita vt si quis secus olim credidisset, hæreticus non fuisset habitus, modò paratus esset assentiri ijs quæ Ecclesia sanciret; qui si postea dissensisset, loco hæretici à cunctis existimaretur. Ac ne hæretici possint effugere, rem proponam, quæ negari haud possit. Ioannes ab exsilio reuocatus est primo Neruæ anno, ac tum conscripsit Euangelium, vt ex Athanasio, Hyppolito Martyre, Eusebio, & Epiphanio liquet. quot autem sunt in illo Euangelio ab alijs omissa, quæ nondum consignata Apostoli, Ecclesiæq; auctoritate poterant non credi per tantum temporis spatium; primus namq; Neruæ annus incidit in nonagesimum nonum Christi: Quot libri præterea à sanctissimis viris Apostolorum temporibus scripti exemplo Marci, & Lucæ, reiecti sunt ab Ecclesia, neq; eodem loco habiti, quo Euangelium Marci, Lucæ, quo acta Apostolorum, & multæ eorundem epistolæ? Cyprianus non est habitus hæreticus, quamuis sensisset oportere iterum baptizari illos, qui ab hæreticis essent baptizati; quòd nondum res illa decreta esset, & quamuis plurimi ita existimarent, erant tamen qui secùs arbitrarētur. Ob id Cyprianus cum suis illud semper dixit, se totam rem committere Ecclesiæ sanctioni, protestatus se ab illa haud recessurum. Res diffinita: pro hære-

tā, quod nulla sit eis potestas decernēdi aliquid ad fidem pertinens.

I. Rerum naturalium exemplis probatur requiri potestatem

II. exemplis Euangelij.

Atha. in Sin. Hyppo. apud Ced. in Neru. Euse l 5 c. 8. Epi. hær. 52.

III. exēplis canonicorum librorum.

IIII. exēplo Cypriani.

ticis habiti, qui sec⁹ sensissent atq; id quod est diffinitum. Quamobrem licet aliquid sit verissimum, ac verbi gratia sentiant ita docti aliqui, non tamen facit vt illi sit habenda fides, nisi ex quo fuerit ab ijs, quibus est potestas, ita sancitum, aut cum sancitis necessariò cohæreat; aut pro sancito habeatur quod ꝓponitur fide credẽdum. At in tota scriptura nullibi inueñies alicui ius esse obligandi omnes Christianos ad aliquid credendum, nisi toti vniuersitati Ecclesię vnà cum Episcopis, quippe qui Apostolis successerint, & Pontifici Romano, vt Petri successori. His datę claues cęlorũ; his dictum, vt oues pascant; his vt obediamus, veluti præpositis nostris, admonemur. Hos Paulus ait positos à Spiritu sancto, vt Ecclesiã Dei regãt. Non vni Caluino, Melanchtoni, Luthero, vni nationi: omnes obligare est eius, qui in omnes habet potestatem. Audi Christum id clarissimè dicentem: *Data*, inquit, *est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. euntes ergo docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes seruare eos, quæcũq; mandaui vobis* &, *Ecce ego vobiscũ sum omnib. dieb. vsq; ad consummationẽ seculi*. hęc Christus ad Apostolos ipsos, ostendens propter habitam à Patre potestatem, datam Apostolis potestatem docendi, qua fit, vt Marcus adijcit, vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, sit saluus; qui nõ crediderit, condẽnabitur. Quid plura? Christus ipse, quæ dicebat esse vera, miraculis consignabat, inquiens, *Si mihi nõ vultis credere, operib. credite, vt cognoscatis, & credatis quia Pater in me, & ego in Patre*, & paulò ante: *Pater quod dedit mihi maius omnib. est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. ego, & Pater vnũ sumus*. Hęc Christus asseuerans credẽda quę dicebat, quia miraculis confirmata, & quia filius Dei erat vnus cũ Patre Deo, cui potestas est in omnia. hinc rursus. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum*. Hactenus verba Christi, è quibus liquet, quod diximus, ad obligandam fidem cuiusq; requiri, non modò veritatem rei credendæ, sed obligandi potestatem. Quamobrem Catholici Doctores concludunt, exteras gentes, quales Indi, aut quicumq; huiusmodi haud obligari ad ea credenda quæ nostri prædicant, nisi aut apertissimis argumentis credibilia, quæ dicũtur, fiant, aut (nisi adsint hęc argumenta) miraculis, aut vitæ illustrissima puritate doctrinam cõmendent quod argumentum latè prosequitur ꝓprio libro vir magnæ doctrinę Francisc⁹ Victoria.

V. Ratione à scripturis ducta.

VI. A dictis Christi ad Apostolos. Matth. vlt.

Marc. c. vlt.

Ioan. 10.

Ioan. 15.

VII. à vera conclusione Doctorum.

Videa-

Videamus autem quàm sapienter id Deus instituerit, vt non omnis obligare possit ad credēdum, sed solummodo vel totius Ecclesię vniuersitas aliquid pro certissimo iudicantis, hæresimq; contrariam sententiam reputantis, vel Episcopi vniuersi vnà cum summo Pontifice, vel ipse summus Pontifex Petri successor. Et quidem posuit Deus, inquit Paulus, Episcopos, vt Ecclesiam Dei regant, cui primo loco (ait idem) dedit Apostolos, quorum locum tenent Episcopi. Idcirco par est, hi possint obligare, non alij; hi non possint errare, non alij: ne inuersio fiat ordinis, & De⁹ ipse præposterè agat in Ecclesia sua, ac magis largiatur alijs veritatis cognitionem, quàm quibus est necessaria. Idcirco his Deus (ne Ecclesia labatur) obligatus ex sua promissione ac benignitate est inspirare quid facto opus sit. Hinc ad eos dictum: *Ecce ego vobiscum sum omnib. diebus vsque ad consummationē sæculi.* Idem de Petri successore dicimus, q⁹ is constitutus fuerit à Deo, qui cunctis præsideat: Petro namq; dictum, *Pasce oues meas* &, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quæ omnia signo de Concilijs & cathedra Petri latius prosecuti sumus. At nulla hæreticorum factio habet vel omnes Episcopos, vel maiorem Episcoporum partem, Petríue successorem, quibuscum se futurum semper Christus dixit, & quibus suas oues pascendas commisit. atq; ita Christus non est ijs, ab vniuersitate Christiana, & eius Antistite Petri successore, dissentientibus, obligatus inspirare veritatis diuinæ lucem, vt alijs Episcopis: neque tamen Episcopi Catholici omnes, etiam si verum sciant, possunt omnino obligare ad credendū, nisi eos, qui in Ecclesia Catholica sunt, aut fuerunt, & qui dederunt fidem se illi obsecuturos, vt Caluinus, Lutherus, Melanchthon, & alij præstitæ fidei violatores, & iam baptismo sunt initiati. Nā cùm per baptismū vis inspiretur intima, qua mens nostra verū cognoscere, illiq; assentiri possit; meritò ille, cui⁹ animus diuino cognitionis lumine ad cælestia percipienda illustratur, Ecclesiæ fidem sequi tenetur, & eorum qui Ecclesiæ præsunt: quam fidem si deinde frangat, meritò puniri potest: alioquin eo loco esset, quoad obligationem, quo Indi. At hæreticorum factionibus nemo, vel in baptismo, vel alibi iure obstrinxit se; vt Lutherus, Caluinus, & alij hęreticorum principes, qui antequam discederent à nobis, nobiscum sentiebant, vera omnia nostra fatebantur, nobiscum sacra cōmunicantes, in Ecclesię eiusdem

VIII. Ratione diuinæ cōstitutionis.

Cur Deus nolit omnibus esse ius obligandi ad fidem.

coniunctione consistentes, professi in baptismo se credere vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, cui posteà nuncium remiserunt, quiq; illius fidei adstricti sunt, & adstrinxerunt semetipsos, ita vt contra Ecclesiæ fidem, cui se alligarunt illi, aliquando nemo possit illis esse deuinctus.

Ad summam concludamus: alienorum à nobis non potest esse fides indubitata; quòd eorũ qui hęreses istas decreuêre, quilibet à se dissenserit, ipse inter se pugnẽt, Concilia vniuersalia ritę conuocata ac confirmata dicant posse labi; ex quo fit, vt multo magis ipsi errare possint; Ecclesiam statuant, & eam posse falli; atque ideò possunt & ipsi: præterea verò fidem suam negent; & si quid statuunt, id nullo iure, nulla potestate, etiam si verum foret, statuunt. nam quòd scripturas sacras producunt, & ipsi eas producimus; interpretatio autem quæ vera sit, quæ falsa, is tantùm decernit, cui potestas decernendi de fide. nisi fortè proferant miracula ad suæ doctrinæ stabilimentum, qualia nemo fecit, vt nos peccati reos faciant. Quocirca de se Christus aiebat, quamuis vitæ esset omnino cælestis, & oracula clarissima aduentum suum, diuinitusq; datam potestatem testificantia pro se haberet: Quis ex vobis arguet me de peccato?

SIGNVM QVARTVM,
Perpetua Fides.

Illa est Ecclesia Dei inter Christiani nominis professores, cuius est perpetua fides, quam scilicet aliqui semper palam sunt secuti. Idcirco neque Orientalium quorundam, neque recentiorum factiones per inent ad Ecclesiam Dei.

CAP. VII.

PErpetuitas fidei nostræ, quam nullo non tempore, ex quo cœpit, sunt homines secuti, manifestum facit quæ sit Ecclesia Dei: prædictum namq; est fore, vt numquam intercidat, & intermoriatur. Ob id vates regius ad Deum conuersus ait de hominibus, qui diuinam veritatem fouebunt: *Memores erunt nominis tui Domine in omni genera*

Psalm. 45.

generatione, & generationem: propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi. Ipsius autem diuinæ veritatis amatores sic apud eumdem Dauidem: *Hic est Deus Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi; ipse reget nos in sæcula.* & paulò antè Dauid de ciuitate Dei, quæ non è cæmentis & tignis, sed hominibus & mentibus constituitur, *vt audiuimus*, ait, *sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.* Rursus ijdem ipsius Dei studiosi ad Deum: *Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum; in generatione, & generationem annunciabimus laudem tuam.* & Deus contestatur de Christi semine: *Et ponam in sæculum sæculi semen eius: & semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* & alibi idem Deus ad Dauidem; *Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filij eorum vsque in sæculum sedebunt super sedem tuam.* eadem oracula fudit, & elegantissimè explicauit more suo Isaias, à quo nihil est omissum, quod posset ad Christum, sponsamq́; eius Ecclesiam pertinere; ob id inquit de Christo: *Multiplicabitur eius imperium; & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia à modo & vsque in sempiternum.* hæc Isaias. Scimus autem solium Dauidis ad regnum in terris, nō in cælo fuisse. Nosque Dauidis sumus nepotes, è Christo, vt ostendimus, renati, diuinæ consortes facti naturæ: ideoq; regno eius solioq; subiecti. Rursus idem Isaias admirationis plenus inuitans quemlibet ad contemplandam Ecclesiæ magnificentissimam amplitudinem, *Respice*, ait, *Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: neq; auferentur claui eius in sempiternum; & omnes funiculi eius non rumpentur.* & alibi inducit Deum loquentem, & verba solatii plena facientem ad sponsam suam; *Abscondi*, inquit, *faciem meam parumper ante, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit Redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë, istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas Noë vltrà supra terram: sic iuraui vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Audistin' fore, vt tentoria cælestis doctrinæ, quæ in terris Ecclesia figit, nūquam dimoueantur? claui decretorum numq̄ de loco suo aufe-

Psal. 47.

Psal. 74.

Psal. 88.

Cap. 9.

Cap. 33.

Cap. 54.

auferantur, nemoq; valeat acie ingenij sui funiculos, quibus principiorum & causarum veritas colligata extremis conclusionibus, & effectis explicatur, ab ipsa discindere? Montes commouebuntur; colles contremiscent; diuinæ autem misericordiæ stabilitas, pacisq; sempiternum fœdus, neq; labefactabitur. Similia Dauidi & Isaię cecinit Daniel, cùm dixit: *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.* & Michæas de Christianis: *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & vsque in æternum.* sed & Angelus Gabriel. *Regnabit*, inquit de Christo, *in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* ac ne putes regnum ipsius, de quo Gabriel est locutus, ad cælestia & supera dumtaxat pertinere, & nō ad cetera; quamuis id ex alijs colligi posset, collige ex ipsomet Christo, qui dixit rediuiuus; *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Intellexisti datam Christo potestatem in terris. ac ne quam forsan exciperes, dixit, omnem. Concinit ijs, quæ attulimus, & Paulus in epistola ad Hebræos interpretans illa Aggæi verba: *Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed & cælum.* *Quod autem*, subijcit Paulus, *adhuc semel dicit; declarat mobiliū translationem, tamquam factorū, vt maneant ea, quæ sunt immobilia. itaq; regnū immobile suscipientes habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia.*

Daniel 6.
Mich. 4.
Matth. vlt.
Heb. 12.

Ex his igitur, quæ sunt allata à nobis, habemus Ecclesię non modò vnam & indubitatam fidem, sed perpetuā, nullo scilicet vmquam tempore interruptam: fieri namq; potest vna sit, numquam fuerit immutata; tamen defecerint qui eam sequantur, non fuerit à maioribus ad posteros vllos transmissa. sed neque id contingere potest; semper viuat, vigeat, florescat, regnet est necesse. in hac enim regnum Christi & Ecclesiæ situm: semper futuri sunt, qui fidem ipsius sequantur, parati obedire ei, in eius se conferant fidem. *Nam arma*, inquit Paulus, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit obedientia vestra.* Adeò verò futurum est, vt Christi veritas perpetuetur in Ecclesia, vt ipsa perpetuitas sit caput pactionis factæ inter ipsam & Deum, ipsa perpetuitas sit fœdus, Audi Isaiam; apud quem sic Deus ad populum suum; *Cùm venerit Sion redemptor & is, qui auertet impietatem*

2. Cor. 10.

Perpetuitas primū caput fœderis diuini cum Ecclesia.

pietatem à Iacob; hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus; spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui dicit Dominus à modo, & vsque in sempiternum. hæc Isaias ostendens totum fœdus initum inter Ecclesiam & Deum in hoc esse positum, vt numquam doctrina cælestis auferatur à potestate ipsius, in quo obseruandum, huiusmodi fœdus non esse antea à Deo sancitum, quàm post Christi aduentum. Itaq; priuilegium est hoc Ecclesiæ tributum. Consentit cum Isaia Hieremias, apud quem sic Deus de Christianis: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum* deinde subdit, *Si defecerint leges istæ coram me dicit Dominus, sic & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus.* His itaq; verbis pollicetur Deus prius fore vt vniuersum genus humanũ intercidat, quàm lex Christi, fides Christi. Atque hoc est, quod Christus alibi dixit, *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* & ad Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*

Nunc ad rem nostram. Nullam hæreticorum doctrinam constat vmquam fuisse, aut esse perpetuam, dumtaxat Ecclesiæ nostræ munus huiusmodi concessum fuit: igitur illa solummodò Ecclesia Dei. Et quidem si de hæreticis hodiernis agitur, adeò illorum doctrina perpetua esse non potest, vt principes earum iactent temporibus ipsis Apostolorum defecisse doctrinam, in qua se venditant. id ostẽdimus suprà in primo signo ex ipsorum confessione, & in secundo apparuit sæpiùs ab ipsismet auctoribus immutatam, quam sanciebant; & ideò interruptam, intermortuamque in hominum mentibus fidem. Et qui sunt hæretici inter Græcos, illi quidem plurimos annos nobiscum palàm sensere; deinde quater publicè scienterque nobis se adiunxerunt, eidem doctrinæ adhærentes, & quater palàm discesserunt à nobis. quomodo igitur perpetua eorum fides?

Sed operæpretium est videre, ecquando dicant Nouantes hanc Ecclesiæ nostræ perpetuitatem defecisse: vt quiuis non modò agnoscat ipsorum effrenẽ inconstantiam, sed simul videat ab ipsismet hostib. nostris Ecclesiæ nostrę perpetuitatem confirmari, & doceri. Afferamus itaque in

Admirabilis incõstãtia hæreticorum in Ecclesię catholicæ casu asserẽdo

medium

medium septem hæreticorum opiniones, ac prima sit Lutheri, qui in comitijs VVormatiensibus anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo publicè asseruit Ecclesiam nostram defecisse tempore Concilij Constantiensis, quod eius ætatem præcesserat annis ferè centum.

Secunda est opinio Lutheri sectatorum, qua discedentes à prima tradiderunt anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo in repetitione confessionis Augustanæ, Ecclesiam nostram corruisse ante annos trecentos. Videbant enim nobiscum sentire non modò doctissimos, ac sanctissimos viros, qui sæculo Constantiensis Concilij floruerunt, sed etiam qui ante annos trecentos.

Tom 7.

Tertia est opinio eiusdem Lutheri libro contra Papatũ, concidisse Ecclesiam nostram ante annos ferè sexcentos, post mille scilicet ab ortu Christi. placuit hæc opinio nebulonibus, quòd esset in Apocalypsi scriptum, Satanam per annos mille ligandum, ne seduceret amplius Gentes; inde soluendum.

Quarta est opinio huic contraria; qua asseritur Ecclesiam Catholicam sexcentos annos tantùm perstitisse; mox concidisse circa ætatem Gregorij Magni. hanc amplexati sunt Lutherus libro de captiuitate Babylonica, & supputatione annorum mundi; Caluinus in Prophetas minores, & epistola ad Sadoletum; Melanchthon in locis communibus primùm editis; Smidelinus in responsione ad Apologiam Staphyli: idque ob eam causam, quòd impeditissimè ac stolidissimè putarint Gregorij Magni ętate cœptum esse sanctos precibus inuocari, pro defunctis supplicari, Missas celebrari, vt asserit Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, Chemnitius in Examine, vt vocat ille stultus, Concilij Tridentini. Hinc impij, qui Papam dicunt Antichristum, volunt Bonifacium tertium esse primum Papam: is post sesqui annum ab obitu Gregorij sedit, & egit cum Phoca Imperatore, vt declararet Episcopum Romanum cunctis præesse; primasque illi, non Constantinopolitano deferendas. Crediderunt enim dementes isti, tum primùm Pontifici Romano summum ius datum, cùm semper illi contigerit; vt è constitutione Iustiniani in Codicem iuris relata ad Ioannem Papam liquet, & Valentiniani Imperatoris ad Episcopos Galliarũ, quæ est in Theodosiano; vt omittamus cetera testimonia,

C. de sum. Trin. Tit. de ord. Episcopis.

quæ alibi suo loco adducentur. Nunc enim tantùm est res de Imperatoribus.

Quinta est opinio asserentium Ecclesiam interijsse post annos à nato Christo trecentos. Nam cùm viderent nobiscum sentire Basilium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, ceterosq; innumeros; hæretici agnita ignorantia sua ausi sunt dicere impudentissimo ore, ab istis impuram doctrinam traditam, eam scilicet, quam nos tenemus aduersus illorum stoliditatem. Ita Melanchthon in locis communibus posteriùs editis. Ob id nonnulli ex istis scripsere Antichristum primum fuisse Zozimũ Papam; quòd is Ecclesiæ Romanę principatum in causa appellationum contra Africanos tueri memoretur.

Sexta est opinio asserentium sub ipsa tempora Apostolorum Ecclesiam cecidisse. videbant enim proximos Apostolorum sæculo Patres nobiscum sentire, Cyprianum, Tertullianum, Origenem, Clementem, Irenæum, Iustinum, Ignatium, Dionysium Areopagitam. Idcirco Lutherus audacissimè in causa liberi arbitrij aduersus Erasmum dixit, Patres tot sæculorũ cæcutisse, imperitissimos fuisse, tota vita errantes, nisi ante mortem reducti fuerint, neque sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere: & Melanchthon in epistola ad Corinthios capite primo, tradit scriptores veteres initio Ecclesię obscurasse doctrinam de iustitia fidei, auxisse cęremonias, finxisse peculiares cultus, fuisse duriores in præcipiendo cælibatu. Et Caluinus institutionibus suis ait vetustos Patres deformatam nobis Theologiam tradidisse, modum excessisse, abreptos in errorem, imitatos Iudaicum sacrificandi morem; Ecclesiæque veteris vsum contemnendum. Ob id Magdeburgenses in cuiuslibet sæculi centuria speciatim suo loco notant, cuiusuis ętatis Patres viros sanctissimos in libris, quos posteritati commendarunt, & quibus Ecclesiæ Catholicę doctrina consignatur, errasse: multæ enim (inquiunt homines isti sapientissimi omnium qui fuerint ab ortu Christi) monstrosæ & incommodæ opiniones passim à doctoribus sparsæ reperiuntur.

Lib. de seruo arbit. circa med.

Instit. lib. 2. c. 2. par. 9. li. 3. c. 3 par. 16. li. 3. c. 4. par. 38 & c. 5. 10 li. 4 c. 15 pa. 11. & cap. 12. par. 39.

Septima est opinio, viuentibus Apostolis labem fecisse Ecclesiam. Clarissimè namque hæretici isti omnes docent, Paulum errasse, cùm Titum circumcidit, cùm voluit ingredi templum certis adhibitis cæremonijs; Petrum similiter errasse, cùm ritus Iudaicos Antiochiæ obseruauit:

Incredibilis impudẽtia hæreticorum.

hęcq;, & alia multa in Apostolorũ principes euomunt, in prima centuria Magdeburgenses. Deniq; Beza Caluini asseclа tradit Antichristum, de quo Paulus ad Thessalonicenses scribit, ipso Paulo viuente aduenisse, & in templi diuini, quæ est Ecclesia Dei, sedem irrepsisse. Id verò dicit homo iste à præceptore Caluino in eumdem locum scribente. Quocirca necesse est concludere ex argumentationibus istorum, Petrum & Paulum fuisse Antichristos: Volunt namq; omnes heretici hodierni fore, vt Antichristus sedeat in episcopatũ Romano Romæ. At viuẽtib. Paulo & Petro, nemo sedit, nisi ipse Petrus, vt omnes scriptores antiqui tradunt, Irenæus, Clemens, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, & alij: quin Irenæus scribit, à Petro & Paulo Linum Romæ Episcopum creatum. Quòd si Paulo viuẽte Antichristus Romæ sedit, Petrus fuit Antichristus, idemq; cum Paulo Antichristum Romæ constituit: & ex illo tempore Ecclesia nostra perpetuitatem suã nacta persistit. Igitur numquam concidit, ex quo fundata est, & ipsius fundamenta Romę à Petro & Paulo iacta, & à Christo super Petrum ædificata. Atq; hæc satis esse nobis videntur, vt palam fiat, & nostro, & Aduersariorum consensu, esse Ecclesiam nostram, quæ Catholica est, Deiq; ipsius, esse ac mansisse perpetuò stabilem; quod necessariò ex oraculis diuinis Ecclesiæ Dei & Christi contingere oportet.

Lib. 3. cap. 3.

Hæretici quatuor obijciunt aduersus hanc perpetuitatis notam, quæ multis modis clarißimè & efficacißimè confutantur.

CAP. VIII.

I. QVis igitur ferat istorum summam impudentiam? Sed audite prætereà quę comminiscantur aduersus hanc perpetuitatem: volunt enim præclaras illas Dei promissiones non id continere, vt in omnibus sit cum Ecclesia perpetuò veritas; sed in ijs quę sunt instar fundamenti: cuiusmodi sunt Euangelij puritas, & vsus legitimus sacramentorum. dictum namque est ab Apostolo Paulo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, qui est Christus Iesus. Si quis autem superædificat*

super

super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Hęc illi. Sed apertè loquitur ibi Apostolus de operibus, non de fidei decretis; quod & sequentia declarant, & Græci cum ceteris interpretantur. Deinde isti non aperiunt (Ponamus enim loqui Apostolum de fidei decretis) quæ teneant fundamenti locum in fidei doctrina: nam rectam doctrinam, rectumque vsum sacramentorum fatemur esse loco fundamenti in ædificio fidei. Sed quænam est ista fidei recta doctrina? Quinam sacramentorum est vsus rectus? De hoc inter nos primùm conueniat, id inquiramus; alioquin nihil dicimus. Prætereà volunt isti veritatem pertinentem ad Eucharistiam & iustitiam, quibus in rebus à nobis dissentiunt, & vetustissimis Patribus, post Apostolorum tempora, quin eodem sæculo perijsse. At veritas harum rerum non ad parua, sed ad omnium maxima spectat. An non hoc etiam Lutherus ipse dixit, Antiquos Patres, nisi resipuerint, neque sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinere? Quid plura? Nónne hoc nomine nos hodie hæretici exsecrantur, quòd ea sequamur, quæ placuerunt antiquis? Numquid illis est leue, cuius causa quis est detestabilis, à sacris amouendus, & ab Ecclesia eijciendus? Ipsis ita sit sanè, nobis profectò non erit.

1. Resp.

2. Resp.

II.

Quocirca cùm nonnulli viderent infirmum esse huiusmodi argumentum, aliò confugerunt dicentes, exstitisse semper, qui eadē cum ipsis dicerent ac sentirent. Sed cùm petimus ab ipsis, vt nominent aliquos; aiunt fuisse occultos. Sed si, ó stolidi, occulti fuerūt, quî peruenêre ad vestrā notitiam? Rursus hoc est contra promissa diuina; quibus asseritur fore, vt hæc perpetuitas sit instar Solis illustrissima. sic enim de Ecclesiā Dauid: *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Præterea & hoc maximè est menti tenendum: perpetuitas hæc non simpliciter dicitur illustrissima, sed in ijs potissimùm dicitur Illustrissima, in quibus perpetuitas ponitur, ac stabilitur: hinc dicitur perpetuò exstare, dignosci, elucescere, in omnes partes effulgere: hoc enim facit præ cunctis, vt veritas alicuius rei corroboretur. Ob id Dauid ait fore, vt populi Deum verum fateantur semper, & agnoscant: quanam de causa? Quia principes constituti

Ecclesia non est occulta, sed illustrissima

I. Respon.

II.

ab Ecclesia super vniuersam terram memores erunt nominis diuini. At si principes isti delitescerent, quî fieri posset vt populi Dei cultum profiteantur? Rursus idem Dauid ait semen Christi sessurum in sede diuina, at sedes non ponitur in abditis, neque vnde ruina imminere possit; sed in loco eminenti, ac tutè firmo. Hinc Isaias vaticinatur, confirmandam hanc sedem, corroborandam in ęternitate suę eminentiæ: & alibi ait Ecclesiam similem Sioni, & Hierusalem; quæ quidem loca in altissimis erant montibus sita, præ cunctis nota. comparat eamdem tabernaculo illi, in quo Deus habitare olim dicebatur, cui columna nubis insidebat per diem, columna verò ignis per noctem; vt scias maximè illustrem fore Ecclesiam, per quam nobis iter esset tenendum: columna namque illa antiquitus, quam viam inirent Hebræi, ostendebat. Ac ne putes fore, vt hoc tabernaculum, hæc Ecclesia ex oculis euanescat; ait, numquam loco mouendam, omniaq; illa, vnde eius æternitas pendet, funiculos scilicet, & clauos, non auferenda, non rumpenda. Ideoq; neque eius conspicuam celsitudinem. ac subdit, nullo motu concutiendam Ecclesiam, quamuis montes, & colles moueantur, & contremiscant. Attulit montium similitudinem, quòd ij valde conspicui. Ecclesiæ namq; splendor omnium maximè æternus; corruptio quælibet res obscurat, & ad interitum perducit. Daniel ait Ecclesię regnum neq; corrumpendum, neq; auferendum. Sed quid nobis esset magis apertum, quàm si rursus aquis humus tota inundaretur, quod accidit temporibus Noe? aut si cunctæ gentes ita abolerentur, vt nullū semen earum superesset? At priùs erit, vt hæc eueniant, quàm dignitas Ecclesiæ concidat, vt Isaias & Hieremias tradiderunt. Omnia igitur, quæ pertinent ad Ecclesiam, sunt illustria; sed omnium illustrissima, quibus illa perpetuatur: & in his cunctis præcedit eius splendor; vt ad finem tertiæ coniunctionis dicetur.

III. Hæreticorum argumentum. Hæretici hodierni manifeste adnumerāt se antiquis hæreticis.

His cùm se premi videant nonnulli, aiunt nòn omnino occultos fuisse qui senserunt eadē cum ipsis; sed aliquando exstitisse, ac se alijs conspiciendos prodidisse. Vbi perdo cunctamur, qui fuerint; afferunt hæreticos nescio quos, quorum memoria ferè deleta. Ac ne possint ipsi inficiari esse hæreticos eos, quibuscum sentire se in aliquibus asserunt; ipsimet in alijs dissentiunt, & damnant. & illorum quidem hæresis aliquò tempore durauit, mox intercidit.

Exempli

Exempli gratia, hæretici hodierni (eorum namq; est hoc argumentum, vt apparet è Magdeburgensium libris) cum Pelagianis æternam vitam pollicentur infantibus Christianorum sine baptismo decedentibus; cum Manichæis liberum arbitrium tollunt, Deumq; auctorem malorum decernunt; cum Eunomio, & Marcione, fidem satis esse ad beatitudinem volunt; cum Vadianis ecclesiastica prædia regnum satanæ vocant; cum Peputianis ordines sacros in Ecclesia permiscent; cum Donatistis, Ecclesiam constare contendunt è solis electis & bonis; cum Nouatianis Chrisma tollunt, & potestatem remittendi peccata; cum Berengario bellum mouent aduersus Eucharistiam; cum VViclefo, & Hussitis, preces pro defunctis, & intercessiones sanctorum apud Deum contemnunt. Sed, vt diximus, hi magno temporum interuallo inter se disiunguntur; ita vt per eos Ecclesia perpetuari non possit; & singuli dissentiunt à singulis. Pelagiani namque reliquos omnes, qui recitati sunt à nobis, detestantur, & contrà reliqui omnes detestantur Pelagianos: atque ita Pelagianis non conuenict cum nostræ tempestatis hæreticis, nisi vna in re: in alijs Pelagiani nihil habere vellent commune cum perditis istis. non igitur ex eodem cœtu sunt. & quod exempli causa dictum est de Pelagianis, idem contingit in alijs. Quid igitur garriunt isti?

Audi quæ latibula quærant: Aiunt illa verba, quibus Ecclesiæ suæ Deus perpetuitatem pollicetur, dicta fuisse per exuperantiam quamdam: & vt videantur aliquid afferre, sic inquiunt isti: Deus edixit æternam fore legem circumcisionis, sabbati, & sacrificiorum; & tamen hæc sublata: quocirca inquiunt, Fuêre aliquando, qui nobiscum sentirent Apostolicis temporibus: interrupta est continuatio doctrinæ, nunc resurgit: satis est. Hæc isti. Sed demus nunc aures Augustino, ceterisq;, qui rectissimè expendunt quæ dicuntur ab istis; ne mendacia Deo affingamus. *Potißima pars circumcisionis, ac ratio ipsius, sabbati, & sacrificiorũ, nequaquam sublata. Quæ verò hæc pars? Ratio intima diuinæ gratiæ conciliandæ diuinitus instituta. Hoc à circumcisione, sabbato, sacrificijs nullo modo remotum: hoc in ijs maximum, cetera extranea, & in melius perducta. Sic infans adolescit, neq; tamen, vbi iam peruenit ad extremam senectam, dices alium ab eo, qui prius erat. Videas tenellum germen, aut virgultum crescere; inde arborem conspicies. non aliam, quàm fuerit antea. sic igitur est in antiqua, & no-*

4 *Argum.*

De Ciui Dei lib. 17. cap. 6 & in Ps. 104

Prisca quo modo reiecta, & quo modo perpetua & æterna.

stra lege. An forsan hoc Augustini inuentum? Pauli ipsius, qui dixit, *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* &: *Aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* & alibi ait Iudæos ac Gentes effectas instar vnius parietis è duobus coagmentati. *Non reiecti Iudæi, quorum melior pars, & in his Apostoli Christum sunt secuti. Eadem oliua, cuius trunco insertus oleaster circumcisis prioribus ramis. Idem paries cùm fuit alter adiectus interuentu ingeniosi glutinatoris. Neque hoc inuentum Pauli, Chrysti est ipsius dicentis, Non veni legem soluere, sed adimplere.* Non itaque vel illa verba, quibus antiqua continebantur promissa, neque ea, quibus nostra, superant modum. Sed vt plenius adhuc satisfieri possit vel ineptis hominibus, sciendum, discrimen esse inter æternitatem, & perpetuitatem: quamuis soleant hæc vocabula sæpè confundi. Perpetuum dicitur quod statis temporibus ordine certo continuatur, neque intermittitur vsque ad certum tempus: Æternum quod nullo tempore coarctatur. Et lex antiqua quoad cæremonias, & alia quædam peculiaria, dicitur perpetua, & erat: æterna non item. Quoties itaque in lege veteri de circumcisione, & alijs huiusmodi cæremonijs habetur mentio, quamuis interpres, vt se accommodaret vulgato loquendi mori, reddiderit ex Hebræo, æterno tempore illas esse obseruandas; tamen in Hebræo est secus, vbi agitur de lege noua, & promissis eius. Obseruat hoc, & omnibus locis in medium adductis probat Petrus Galatinus libro de Arcanis Christianæ religionis. Olan namque vox Hebraica semper adijcitur antiquæ legis cæremonijs constituendis, & obseruandis, quæ perpetuitatem, non æternitatem designat. Non est opus hic singula recensere, satis erit indicasse. Adhuc ea, quibus nouum fœdus explicat Deus, ostendunt verba veritatis fines non transilire. Inquit enim, prius omnes gentes abolendas, quàm fiat irritum pactum, eodem modo illud non violandum, sicut neque frangetur id, quod est cum Noe sancitum. sicut igitur hæc veritatem, sic illa continebunt. Sed ponamus id quod dicunt. Videte hominum stoliditatem: Pollicetur apertissimè Deus longiorem perpetuitatem Christianis, quàm Iudæis. his fuit annorum saltem mille quingentorum, vt alibi ostendemus. At Christianis quanta per istos hæreticos? Quanta scilicet fuit ætas Apostolorum: neque annorum quinquaginta.

Marginal notes: 1. Resp. — Rom. 11. — Ephes. 2. — 2. Resp. — Lib. 11. c. 5. — 3. Resp. — 4. Resp.

ta. Quis hæc ferat? Quinimmo Magdeburgenses, homines Apostolis maiores, aiunt ipsos Apostolos, ipsum Paulum defecisse à veritate. Hæc est impia vox Pomerani: *Nostri Patres, siue sancti, siue non sancti, nihil moror; excæcati sunt Montanico spiritu per traditiones humanas, & doctrinas dæmoniorum in hypocrisi loquentium.* Græci omnes nobiscum senserunt scientes ac prudentes vsque ad annum millesimum quinquagesimum tertium: ex ijs aliqui sanctiores quippe, ac doctiores suis maioribus, ac patribus, quos per imprudentiam lapsos dicunt, à nostra se communione seiunxerunt, duce Michaele homine, vt ipsi scriptum reliquerunt, superbissimo. Ephesinum Concilium, in quo Cyrilli litteræ asserentes Spiritum sanctum à Filio procedere, sunt approbatæ, est habitū anno quadringentesimo trigesimo. At Chalcedonense, in quo epistolę Leonis Magni idem continentes sancitæ, anno quadringentesimo quinquagesimo primo; idem contigit alias scriptis Hormisdæ Papæ. Igitur per eos fides eorum non perpetua: neque itaq; Ecclesia eorum dicenda vllo modo Ecclesia Dei. Quid? quòd toties errorem suum confessi ad nos concesserunt, nostris decretis habuerunt fidem? Quid ad hæc dicent? Num quidpiam simile aduersus nostra proferri ab inimicis omnia nostra seruantibus & aucupantibus, vllo modo potest?

Cent. 1 lib. 2. cap. 10.

SIGNVM QVINTVM,

Antiquitas fidei.

Cum veritas sit mendacio prior, multis de causis necesse est, ea quæ creduntur ab Ecclesia Dei, esse antiquitus certo credita, vel ab ijs necessario deduci, quantum pertinet ad ea quæ sunt æternæ veritatis, ideoq; esse ex hac parte antiquissimam. decet porrò è parte docentium, denique omnium monumentorum, quæ priscis fuerunt, huius Ecclesiæ antiquitatem stabiliri.

CAP. IX.

FIeri potest vt sit vna aliquando fides alicuius cœtus, & perpetua, nō tamen antiqua; vt si qua ante annos ducē-

tos (ponamus id accidere) emerserit, neq; variarit, ac perstiterit semper in ijsdem decretis. At constat ex ijs, quæ disputata sunt, nullam inter eos, qui Christi numen venerantur, eumq; Dei Filium agnoscunt, fatentur, & colunt, esse antiquiorem doctrinam, quàm sit nostra. Vnam perpetuamque ex auditu esse ostendimus. Inde colligitur esse antiquissimam inter Christi Dei cultores, ac propterea veram. Nam cùm veritas vniusmodi sit, quæ fuit à principio, nunc est eadem: immutabilis namq; sit oportet. Apparet autem nihil ab Ecclesia nostra credi eorum, quę sunt æternæ veritatis, neque pro temporum, locorum, atq; hominum varietate variari possunt, quod non sit ex ipsis sacris Biblijs haustum iuxta antiquorum Patrum declarationes. Id, si res nobis sit cum Græcis aliquibus, constat ex ijs, quæ aduersus eos eorum Patriarcha Gennadius emisit, vt omittamus plurimos è nostris; si cum recentioribus, liquet è scriptis, quæ innumeri aduersus illos ætate nostra in lucem protulerunt: & à Lindano viro doctissimo confecta est tabella, in qua positæ ex vna parte fuerunt omnes controuersiæ, quæ sunt hodie inter nos & hæreticos, ex altera antiquissimi quiq; doctores, qui nostram doctrinam scriptis consignarunt, ex altera nouitij isti. egerunt hoc idem viri doctissimi, Robertus Bellarminus, Gilbertus Genebrardus tum in chronico suo, tum in notis chronologicis, & alijs; neq; hoc hæretici diffitentur. Magdeburgenses enim in suis Centurijs tradunt, ipso Apostolorum sæculo antiquissimos omnium Patres nobiscum sensisse in ijs, de quibus inter nos atque illos certatur, adduntque hos esse in illis næuos, quos in nobis hæreses atrocissimas vociferantur.

Hæretici hodierni fatētur nostrā fidem antiquam.

Sed nos cœptum prosequamur, ac primo loco ostendamus antiquitatem signum esse certissimum Ecclesiæ Dei. Deinde quonam argumento, quòd in cunctos hæreticos sit commune, id signum pertineat ad Ecclesiam nostram. Postremò singula antiquitatis ornamenta, singulas partes spectare ad Ecclesiam nostram. Quantum ad primum, necesse est Ecclesia Dei sit omnium vetustissima, quando vt suprà dicebamus, veritas sit mendacio prior. Hinc Paulus monet Romanos, vt obseruarent eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam ipsi didicerunt, facerent; & Colossenses, vt permaneant in fide tradita fundati, & stabiles; Timotheum, vt deuitet profanas vocum

Rom. 16.

nouitates. & Ioãnes ait: *Quod audistis ab initio* (nõ qđ postea vnus aliquis à reliquis se abiungens inuenit) *in vobis permaneat*. At Ioannis discipulus Ignatius sic alloquitur Philippenses: *Relinquentes vanitates multorum, & falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis à principio verbum reuertamur.* Irenæus autem Polycarpi discipulus sic exclamat apud Eusebium in Florinum: *Ista dogmata presbyteris, qui ante nos fuerant quique erant ipsorum Apostolorum discipuli minimè tibi tradiderunt.* Et alibi idem, *Hanc*, ait, *prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, & similiter credit ijs, videlicet quasi vnam habens animam, & vnum cor ei consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os.* sed ante Irenæum Iustinus respondens quærenti, quid sit quòd hæretici veritatem non assequantur, quam se maximè scequi iactant, *Tantùm abest*, inquit ille, *vt hæretici viribus omnibus veritatem inquisierint; vt etiam per illos, qui eam inuenerunt, ipsis demonstratam suscipere neque potuerint, neque voluerint.* Et Egesippus, Apostolorum temporibus propinquus, ait: *Hæretici separatim variam illam quidem, suam tamen & propriam inuexêre opinionem: ab illis item nascebantur pseudochristi, & pseudoprophetæ: quia adulterina & corrupta peruersæ doctrinæ contagione, contra Deum, & contra Christum eius inducta, concordiam & coniunctionem Ecclesiæ membratim discerpserunt.* & Concilium Antiochenum in causa Pauli Samosateni, coactum Dionysij Papæ temporibus, sic inter alia scripsit: *Firmilianus bis huc accessit, & ea; quæ à Paulo innouata erant, & excogitata perperse, vt nos, qui aderamus & scimus, & testificamur, tum alij complures, qui eiusdem rei nobiscum conscij sunt, coram eruditè certè refutauit.* ita Concilium illud colligit doctrinam Pauli hæreticam, quia noua, ab ipso excogitata. Athanasius autem sic aduersus Arianos: *Ne sustinueritis eos, qui contra eam* (loquitur de fide Nicæna) *nouis rebus student, etiam si dictiones è sacris libris exscribant.* & oratione in Arianos secunda: *Quis igitur vmquam talia audiuit? aut vnde, aut quonam isti adulatores, redemptitijque, ac nummarij hæreseos fautores quidquam huiusmodi didicerunt, vt eius nomine, tamquam ab eo acceptum sit, sese venditare possit? quis auctor fuit, vt iamdudum obliterato creaturarum cultu, rursus operibus & creaturis inseruiretis? quòd si fatentur nunc se audisse, ne inficias eant, alienam, & non ex patribus oriundam esse hanc hæresim. quod autem non à patribus acceptum sit, sed semper inuentum, quid aliud de eo dici debet, quàm illud ipsum, cuius Paulus men-*

Lib. 5. c. 39. Hist. eccl.

Iren. lib. 3. c. 3.

Apud Euse. lib. 4. 21. histo. eccl.

tionem facit: In nouißimis temporibus deficient quidem à fide adhærentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmonum? Eadem cum Athanasio Hilarius scribit de cœtu hæreticorum loquens: *Postquam noua potiùs cœpit ostendere quàm accepta retinere, nec inueterata defendit, nec innouata firmauit, & facta est fides temporum potiùs quàm Euangeliorum, dum & secundùm annos scribitur, & secundùm confeßionem baptismi non tenetur, periculosum admodum tot nunc fides existere, quot voluntates.* Et Nazianzenus: *Scire,* inquit, *cupimus, quænam sit tanta circa Ecclesiam nouandi libido, vt cuiuis volenti, ac transeunti, vt scripturæ verbo vtar, gregem præclarè ductum atq; institutum discerpere, ac furtiuis & clandestinis incursionibus, vel potiùs prædatorijs & absurdis doctrinis populari ac deripere liceat.* Nazianzeno concinit Basilius in Ecclesiã Antiochenam scribens in hæc verba: *Nos verò fidem neq; ab alijs scriptam recentem nobis admittimus, neque ipsi mentis nostræ germina siue cogitationes tradere audemus, ne verba religionis humana commenta existimentur, verùm quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus.* Nunc audiamus Augustinum, qui sic libro de baptismo aduersus Donatistas: *Nolite ergo nobis auctoritatem obijcere Cypriani ad vnitatis conseruationem: nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod prauum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, & non curare quod sanum est: quam consuetudinem credo, ex Apostolica traditione venientem sicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posteriorum; & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata credũtur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum, dicit sanctus Cyprianus, quasi cœpisse corrigi; sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarij Concilij confirmationem perducta est, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi. Irruente itaque tam magna quæstione cùm de remißione peccatorum, & de spiritali hominis generatione, vtrum posset apud hæreticos fieri difficilis ratio redderetur, & præcederet auctoritas Agrippini, & nonnullorum, qui ei consenserunt hominum in hac quæstione deficientium, qui maluerunt aliquid nouum moliri, quàm tenere consuetudinem, cuius definitionem non intelligebant, irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserunt iter peruestigandæ veritatis.* hucusque Augustinus. Concludamus cum Cyrillo, qui sic aduersus Appol-

linarium: *Et quid illis nos respondemus? primum quidem, quòd fidei antiquißimam rationem, quæ ab ipsis sanctis Apostolis ad nos peruenit, indignum immodica inquirere ratiocinatione.* Ad summam Paulus, Ioannes, Ignatius, Irenæus, Iustinus, Hegesippus, Concilium Antiochenum, Athanasius, Hilarius, Nazianzenus, Basilius, Augustinus, & Cyrillus, tradunt illam Ecclesiam hæreticam, cuius doctrina non ab Ecclesia vigente sit tradita, sed noua sit, ac nuper euulgata, quamuis antiquitatem iactent, ac falso vendicent eius auctores noui.

Quomodo probetur antiquitas Catholicæ religionis.

CAP. X.

QVocirca videndum nobis est secundo loco, quomodo dilucidè palam fieri possit, hæreticorum doctrinam non esse antiquam, communi aliquo argumento, quod in omnes hæreticos quadret. Infiniti namque operis esset singulas hæreses, quæ innumeræ sunt, arguere nouitatis. Et quantum sanè ex antiquis colligi potest, duo sunt, quæ ad hanc rem maximè faciunt. Ac primum sit illud, quòd heretici nouo aliquo nomine plerumque noua inuenisse, & ab antiquis recessisse deprehenduntur. Vocantur enim Lutherani, Caluinistæ, Zuingliani, Osiandrini, Anabaptistæ, Theopaschitæ à Dei perpessione, Quartadecimani à Luna quartadecima, Cataphrygæ à Phrygia. Catholicæ verò Ecclesiæ cultores Christiani semper ab omnibus passim nuncupantur: cognomentum verò est illis additum Catholicorum, quod quidem non est ab homine vllo deductum, non ab ipsa hæresi, non à natione, sed à totius vniuersitatis complexu. Catholicus namque est idem, qui vniuersalis. idque datum fuit Ecclesiæ à Deo Christo, Prophetis, Apostolis, ac priscis Patribus, vt ostendemus suo loco. Hæretici itaque, à nouo quo passim vocantur nomine, ad antiquitatem non pertinere dignoscuntur. Nam si interroges Turcas, Persas, Arabas, Afros, Indos, qui nos simus, Christianos dicent. quod si illi discrimen agnoscant inter nos, & aliquos, qui Christiani haberi volunt; & iidem interrogentur, qui sint illi; Lutheranos dicent, Caluinistas, aut huiusmodi nouos homines. Quin ipsimet hæretici nouo se nomine iactant, vel quę

Nouum nomen hęreticorum insigne est nouitatis.

dixi-

diximus, vel alio: ac multi dicunt se Euangelicos, vel Pro-
testantes, qui sunt hæretici nostræ ætatis. Atque hoc argu-
mento est vsus Origenes dialogo de recta in Deum fide,
in quo sic inducit Megentium, Adamumque colloquen-
tes. *Megentius: An non Christianus sum? Adam: Cuiusmodinam
Christianus, qui ne sustines quidem appellari nomine Christianus, sed
Marcionianus? Megentius: Et vos à Catholica Ecclesia sortiti estis no-
men. non estis igitur & vos Christiani. Adam: Rectè quidem est abs
te dictum, si hominis cognominationem haberemus: sin propter vni-
uersitatem, quæ per mundum dispersa est, sic appellamur, quid hic sub
est mali?* hæc Origenes. Lactantius autem libro de vera reli-
gione, hæc in eamdem sententiam: *Christiani,* inquit, *esse de-
sierunt, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula in-
duerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum reti-
net: hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei.* Consentit iis-
dem Pacianus: *Cùm post Apostolus,* inquit ille, *hæreses exstitis-
sent; diuersisque nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare,
& per partes scindere niterentur: cognomen suum plebs Apostolica
postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem.* & mox. *Ne
æstues frater; Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cogno-
men: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.* Rur-
sus idem: *Nónne appellatione propria deducit caput principale sig-
nari? ergo fortè ingressus populosam vrbem hodie, quum Marcioni-
tas, quum Apollinariacos, Cathaphrygas, Nouatianos, & cæteros hu-
iusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine con-
gregationem meam plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* hæc
antiqui Patres ad hæreticorum factiones arguendas è no-
mine ipsarum nouo: atque ea diuinæ scripturæ certissi-
mis oraculis innituntur. Vaticinatus namque est Isaias o-
lim, fore, vt qui veritatem sectarentur Christi temporibus
nomine illi cælitus indito insignirentur. Audi eum lo-
quentem, & Iudæo increpantem: *Interficiet te Dominus
Deus, & seruos suos vocabit nomine alio; in quo, qui benedictus est
super terram, benedicetur in Deo, Amen.* Et alibi alloquens i-
dem Isaias Ecclesiam. *Vocabitur,* ait, *tibi nomen nouum, quod
os Domini nominauit.* Ac sicut in more positum fuit apud
Romanos, vt quicumque serui manumittebantur, ij no-
men à patronis huiusmodi sortirentur, ac si herus vocaba-
tur Tullius, libertus dicebatur Tullianus; & Christi culto-
ribus eodem modo contigit, vt quando à tyrannide cru-
delissima peccati vindicati sunt in libertatem, nominen-
tur à Christo Christiani: quod quidem nomen est Dei

Lib. 4. c. vlt.

Cap. 65.

Cap. 62.

Chri-

Christus namque Deus; & illud os Domini, vt ait Isaias, nominauit. Hęretici verò hoc sibi nomen eripiunt, nouum que adsumunt, vel Euangelicorum, vel Lutheranorum, & Caluinistarum, vel Protestantium, & aliorum, quo similiter ab alijs plerisque omnibus vocantur.

Quocirca cùm se premi hoc argumento videant, eripere Catholicis datum diuinitus nomen adnituntur, & aliud eis affingere. Testis est Victor, ac Gregorius Turonensis, Catholicos olim vocatos ab Arianis Romanos: manifestumq; ab ijsdem dictos aliàs Homusianos; & multo antè à Nouatianis Romanenses. sed nihil efficiunt. Non enim nos huiusmodi nomina nobis vsurpamus: neque alij præter ipsos ijs nos designant, aut vmquam designarunt. Ac ridendi ob id omnes hæretici recentes, qui nos vocant Papistas. Ineptissimum verò, quod obijciunt quidam, in Ecclesia Catholica esse qui nomen sortiantur à certis viris, vt Franciscani à Francisco, Dominicani à Dominico: neque vident isti nomina hæc non esse totius vniuersitatis Catholicæ. de his nunc agimus, quæ communia sunt toti cœtui, non quibus distinguantur inter se familiæ: alioquin neque Italorum, neque Hispanorum, neque Francorum, neq; Germanorum vox nobis esset accipienda: atq; insulsè Paulus dedisset litteras ad Romanos, Corinthios, Ephesios, Galatas, Thessalonicenses. Igitur hæretici nomina sibi adsumunt noua, quibus totus eorum cœtus denotatur; mutuantur illa ab auctoribus hæresum suarum, vel proprijs commentis, vel regionibus quibusdam; & Christianorum nomine haud continentur: atque hac via conuincuntur fidei antiquæ nuncium remisisse. Hoc itaque sit argumentum primum, quo palam nobis fiat vanitas nouantum.

Vict. lib. 1. de perse. Vand. Greg de glo. Mar. c. 30. & 79.

Veniamus ad secundum, quod magis mihi videtur expeditum; cùm necessariò, ac protinus consequatur & comitetur hæreticos omnes. Apostoli, & Patres ipsi, illorum doctrinam nouam dixêre, quorum auctores primi à complexu reliquorum, in quo antiquitus erant, abscedentes, nouum cœtum constituere sunt aggressi; cùm priùs cum priori consisterent. Sic namque Ioannes de hæreticis: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* & Iudas: *Hi sunt qui segregant semetipsos.* Necesse est igitur, de sententia Apostolorum Ioannis & Iudæ, eos, qui aliquando fuerunt in Ecclesia nostra, deinde illi nuncium remittentes aliquam factionẽ no

Cum hæretici prius fuerint è nostris, ostendunt nos esse antiquiores.

1. Ioan. 2.

uis

uis opinionibus inductis excitauerunt, hæreticos esse. Ob id Cyprianus ait: *Apostolus Paulus explanat dicens, & præcipiens hæreticum vitandum esse, vt peruersum, & peccatorem, & à semetipso damnatum (improbat enim, damnatque ea, quæ priùs probarat:) sic enim reus sibi erit, qui non ab Episcopo eiectus, sed spōte ab Ecclesia profugus, & hæretica præsumptione à semetipso dānatus est.* & alibi: *Pœnas, quas meruerūt, pependerūt; vt à nobis nō eiecti, vltro se eijcerēt ipsi, in se pro sua conscientia sententiam darent secundum vestra diuina suffragia coniurati, & scelerati de Ecclesia sponte se pellerent.* & Ambro. *Fuerunt nobiscum, sed non erant ex nobis. neque enim pudet dicere, quod dicit Euangelista Ioannes. Sed hic positi primò ieiunabant, intra monasterium continebantur; nullus erat luxuriæ locus; interdicta ludibriosæ disputationis licentia hoc delicati non potuerunt ferre; abierunt.* Hæc profectò aptissimè quadrant in hæreticos hodiernos, qui nulla ieiunia volunt, nullum continentiæ genus, nullam denique legem. Nunc Athanasio demus aures, qui sic oratione secunda contra Arianos: *Cæteras quidem hæreses transfugas veritatis, & insana dogmata sibi comminiscentes facilè agnouerint omnes, vt tanta impietas iampridem à nemine non comperta habeatur. Non enim in obscuro esse potest, istos istius hæresis machinatores (vt beatus Ioannes locutus est) à nobis recessisse.* Athanasio subscribit Augustinus: *Qui ergo,* inquit, *in Ecclesia Christi morbidum aliquod prauumque sentiunt, si correpti vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes.* Ex his clarissimè constat hæreticos esse hoc signo illos, quorū principes ab Ecclesia priori discesserunt, cum qua consentiebant antea. At est certissimum, Lutherum hæresiarcham nobiscum diu sensisse: certissimum similiter, quicumque è Græcis à nobis dissentiunt, eos priùs sacra nobiscum communicasse, & eiusdem fuisse sententiæ per multas ætates, vt suprà ostendimus signo primo. Igitur nostra est antiquorum doctrina, à qua illi, inuenta recentiori, desciuerunt.

Lib. 1. ep. 3. vel 9.

Epist. 8.

Lib. 3. ep. 25.

De Ciuit. Dei lib. 18. c. 51.

Superiori porrò consimile est illud argumentum, Negare namque haud possunt hæresum cunctarum duces se habuisse semper indubitatam fidem Symbolo Apostolico. At in illo est: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Igitur isti semper crediderunt esse reuera Ecclesiam, & esse sanctam, cùm nobiscum sapiebant. sed neq; Ecclesia esse Dei potest, neque sancta, quæ in diuinis errauit. numquid enim

diuinam dicemus hac parte, numquid sanctam? ergo mendacium diuinum, mandacium sanctum? Præterea si eo tempore, quo principes hæreticorum nostris adnumerabantur illo dicent Ecclesiam lapsam; proculdubio Apostoli diuinitus inspirati falsum nobis credendum præscripsissent. Nam cùm decreuerint semper à nobis id sentiendũ, prædicandumque, esse Ecclesiam, quæ, vt inquit Apostolus, est columna & firmamentum veritatis, sine macula ac ruga; ea verò conciderat ob falsam doctrinam, vt isti volunt; profectò falsa nobis, quæ omni tempore crederemus, sunt proposita ab illis. Quòd si quæ in Symbolo sunt, & credenda proponuntur illa sunt effata, & oracula, denique principia eorum omnium, quibus habenda fides: principia verò semper, & ex omni parte vera: alioquin principia haud forent, quorũ veritas esset dubia, & aliunde pendens: fieri omnino non potest, vt hæretici non sint, si qui è Græcis aut alijs ab Ecclesia nostra, in qua priùs erant, & de qua dicebant, Credo sanctam Ecclesiam, se abalienarunt. Quocirca vt omnes hæretici proprio, quod aiebat Paulus, iudicio condemnarentur, optimè est à dictis Patribus institutum vt quicumque baptizandus esset, interrogaretur an crederet Ecclesiam sanctam Catholicam: testibus Dionysio, Irenæo, Cypriano, & Firmiliano vetustissimis scriptoribus. Ex his, quæ diximus hucusq;, apparet Ecclesiam nostram, si doctrinam spectes, necessariò antiquiorẽ Protestantium, Græcorumq; quorumdam factionibus. Ostendimus namq; primo, secundo etiam, & tertio signo, istos olim nobiscum sensisse nostra secutos, & cùm forent è nostris, à nobis recessisse professos Ecclesiam nostram esse Ecclesiam Dei, cui crederent.

1. Tim. 3.

Dion. c. 4. eccle. hie. Iren. lib. 1. ca. 5. Cypr. lib. 1. ep. 6. vel 76. Firmil epi. 75. inter epi. Cypr.

Huic porrò antiquitati, vt ad tertium veniamus, quæ necessariò Ecclesiam comitatur, bene est respondeant (quamuis dicimus nõ esse necessarium) antiquissima quęque. Atque ideò nunc aliud molimur: non enim solummodo ex parte rerum, quæ traduntur, est omnium antiquissima religio nostra, sed & ex parte mysterij omniũ primi ac vetustissimi: similiter ex parte Dei docentis quantum potest esse: ex parte præterea eius, qui primus omnium Gentes ad Christum perduxit, & ad id vocatus est: adhuc ex parte Gentium, quæ Christo nomen dedêre: postremò aliarum rerum, quæ ad hæc spectare possunt aliquo modo. Atque vt ad secundum veniamus; maximum

Sex antiquitatis testimonia, & monumenta nobiscum.

omnium

II. Antiquitatis monumentum.

... mysterium, & quo nullum prius, est illud Christum esse filium Dei viuentis. At hoc primo ex omnibus Apostolis Petro est diuinitus patefactum, quem nos gloriamur Ecclesiæ nostræ à Christo principem constitutũ, atque adeò ipsius Ecclesiæ Catholicæ per suos adhuc successores fundamentum. Hæretici negant Petrum Apostolorum principem, & Ecclesiæ Catholicæ caput. Nos sicuti hoc affirmamus, conuenienter etiam dicimus, (quod hæretici haud inficiari possunt) antiquissimę Ecclesiæ nostrę principi ante omnes alios Apostolos hoc apertum diuinitus mysterium; ab illo prius esse prædicatum illũ Christum, qui tum degebat in terris, esse filium Dei. Atque id per Angelos potuit edoceri Petrus. Non ita sanè factum est. Per Deum fuit edoctus. Iam verò cùm sint tres personæ diuinitatis, atque harum non sit alia prior alia; & quæcumque ab ipsis creantur, earum sint opera communia: quamuis Pater Trinitatis principium dici possit, vt Augustinus scripsit: nihilominus, vt palam fieret à Petri disciplina omnes orituras, veluti credimus à Patre non modò creata omnia, sed ipsum Filium nasci, per quem facta sunt omnia, dictum est à Christo: *Beatus es Simon Bariona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus cælestis; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Audistin' explicantem Christum qua de causa dictum sit, *Pater meus cælestis reuelauit*: & quid hoc iure consequatur? Adnotauit hoc Epiphanius, cùm dixit initio Anchoratus: *Ioannes cùm didicisset à Filio, oracula sua scripsit. Petrus autem à Patre instructus stabilitatem fidei fundaturus.* hæc ille admodũ conuenienter. Nam quemadmodum filij Dei generatio est omnium generationum antiquissima origo; ita eiusdẽ generationis agnitio & prædicatio est omnium prædicationum, quæ pertinent ad veritatem, vetustissima origo. & quemadmodum Filius à Patre æterno proximè gignitur, ita à Patre Deoq; proximè hanc veritatem Petrus accepit, vt scias eius ministerio cæteros homines instituendos, ipsum verò nullius.

III. Antiquitatis monumentum.

Matt. 16.

IV. Antiquitatis monumentum.

Act. 15.

Hinc fit aliud, Ecclesiam nostram, cui Petrum præsidere per suos successores dicimus, esse antiquissimam ex parte eius, qui electus est diuinitus ante omnes, qui Euangelium Gentibus adnunciaret. Atqui est hic Petrus, qui omnium primus Gentes Ecclesiæ adiunxit. Audi ipsum loquentem: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in*

in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. En vt omnia elegantissimè consonant. En electus ab antiquis diebus, ab antiquo, vt ait Daniel, dierum. Iure itaque Augustinus Petrum vocat ipsum fidei fundamentum. & Ambrosius, *Petrus, inquit, petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat.* Aduerte: non ait Ambrosius, continuerit, sed contineat. Nam si, vt Christus ait, Omnis plantatio, quam non plantauit Pater cælestis, eradicabitur; erit necessario aliqua planta Patris cælestis, quæ non exstirpabitur. talis est Petri, cui Pater cælestis, non caro & sanguis aperuêre mysteria diuina: ideoque non iure carnis & sanguinis planta ipsius efficiet propagines successorum, sed iure electionis. quo fit vt Episcopi Romani Petro iure electionis substituantur, & nostrorum temporum sint Petri, neq; conuelli possint.

Ser. 47.

Sed ad aliam veniamus antiquitatem, quæ est Gentium vocatarum ad Christi cultum. Decet enim nostras omnium primas Christo nomen dedisse, & omnium sint hac parte antiquissimæ, & Ecclesia nostra omnium vetustissima. Nam veluti Deus lumen veritatis ingenuit primò Angelorum mentibus, à quibus accipiunt alij qui eam sequuntur; ab illa verò desciuêre mali dæmones mendacijs adhærentes: sic cœtus veritatem sectantium vetustior amatoribus falsitatis. & Ecclesia nostra necessariò antiquior hæreticorum factionibus, ex parte eorum, qui à principio sunt illam ante omnes alios secuti è Gentibus. Nam si spectes, qui primi Christum sunt secuti, reperies eos Romanos. Cornelius namque Centurio Romanus erat: liquet hoc tum ex nomine, quod est Romanum, tum ex eo quòd erat Italicæ cohortis Centurio: soli namque olim Romani militiæ Romanorum adscribebantur, & Italicis poterant præesse. Quocirca hîc placet expendere, quæ sunt in epistola ad Romanos à Paulo scripta, Scimus à Christo fuisse Petro dictum: *Simon ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Paulus autem in ipso statim initio epistolę suæ ad Romanos, post salutationem, inquit: *Primum quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* hæc prima illius epistolæ verba; vltima verò: *Deus autem conterat*

V. Antiquitatis monumentũ.

Luc. 22.

Satanam sub pedibus vestris velociter. & adiectis eorum salutationibus concludit: *Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei, in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* hæc Paulus, quæ vt intelligamus, sciendum à Luca solo scribi dictum fuisse Petro: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Scribitque Hieronymus in vita Lucæ illi dictatum à Paulo Euangelium; credidique, cùm Paulus ait, vt in hac epistolæ parte quam tractamus, *secundùm Euangelium meum,* intelligi de Euangelio Lucæ. Paulus igitur diuino afflatus lumine, simulque sciens iam Romanis præsidere Petrum, Romæq; ab eo positam sedem, cui quidem Petro dictum fuerat, *expetiuit Satanas vt cribraret vos*: ait ad Romanos, quod nullibi in alijs epistolis dicit: *Conterat Deus Satanam sub pedibus vestris.* respiciens simul antiquissimum omnium oraculũ, in quo Deus est serpenti comminatus: *Tu insidiaberis calcaneo illius, & ipsa cõteret caput tuũ.* vt enim præfati sumus, Ecclesia est Eua noua, Christus nouus Adamus, & Ecclesia Romana omnium vetustissima inter Gentes ob Cornelium Romanum, qui priùs è Gentibus Christo se deuouit, Ecclesiæ Catholicæ potissima pars propter Petri successionem, quæ hucusque in Vrbe permansit. Sciens item dictum Petro à Iesu, fore vt eius fides non deficeret, sed per eam confirmarentur cæteri Christiani, addidit: *Ei autem, qui potens est, vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti.* Quodnam Euangelium? Lucæ proculdubio, vt aperuimus. Quamnam prædicationem Iesu Christi? non aliam, quàm qua dictum est in Euangelio Lucæ, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quamnam reuelationem? cuiusnam mysterij? eam proculdubio reuelationem mysterij illius, de qua Christus asseruit: *Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus cælestis?* Quid est autem quod ait Paulus, Potens est Deus vos confirmare? An dubitabant Romani posse ipsos à

Deo confirmari, vt necesse habeat Paulus hæc dicere? Extraordinarium hic aliquid necesse est indicari. Id verò est confirmatio non quælibet; sed quæ nulli fuerit alij concessa. Nam cùm sit Ecclesia (vt in epistola ad Iubaianũ tradidit Cyprianus) posita in Episcopo; quin Ecclesia sine Episcopo esse non possit, vt vult Ignatius; datum est Ecclesiæ Romanæ, vbi adhæret, vti semper adhæsit successoribus Petri, ne cadat à fide. Adducamus adhuc verba quædam ipsius Pauli in principio epistolæ eiusdem: *Desidero enim*, inquit, *videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: id est simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.* hæc Paulus; è quibus colligitur tanti factam fidem Romanorum à Paulo, vt cùm dixisset, *Ad confirmandos vos*, corrigat id, quasi ipsius confirmatione ij non egeant, & ait: *Id est simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atq; meam.*

Vltimum antiquitatis monumentum multa continens.

Cùm sit igitur cœtus noster omnium vetustissimus, diuino prorsus consilio factum videmus, vt omnes antiquitatis, totius exuuiæ sint in eo. Nam veluti cùm Deus ab Hebræis abscessit, exuit illos omnibus ornamentis, regno, iudicio, ciuitate, templo, omnibusque antiquorum vatum & sanctorum monumentis, ita vt [derelicta] fuerit Synagoga, quod cecinit Isaias, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur; & facta sit quasi torris ab incendio raptus, ait Amos, sine Rege, vt prædixit Osias, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine ephod, sine theraphin. Omnia verò Hebræorum pretiosa spolia ad Ecclesiam Christi peruenerunt. sacræ etiam ipsius scripturæ vera sententia iuxta antiquorum patrum Iudæorum declarationes, quas latè addit Petrus Galatinus libro de arcanis Christianæ religionis, & Chaldaica vetustissima translatio & septuaginta duorum interpretum confirmat: quæ cuncta Hebræi nouis post Christum natum magistris addicti reijciunt, ad Ecclesiam Christi est deuoluta. sic omnes exuuiæ antiquitatis ad Ecclesiam nostram, quasi vento quodam diuinæ prouidentiæ ad nos delatæ, concessérunt, Oriente, & hæreticis relictis. Omnes scientiæ diuinæ atque humanæ, omnes artes nobilissimæ, quas isti à maioribus suis vel inuentas, vel excultas acceperant, ad nos paulatim commigrarunt: ipsa corpora Prophetarum, Apostolorum, Sanctorumq; omnium, vt alibi

Isa.1.
Amos 9.
Os.3.

ostẽdemus, ad nostras regiones mirabiliter translata fuerunt.

Admirabile euẽtum locorum antiquorũ.

Ipsa quodammodo antiqua loca ab hæreticis auolarunt. Præsepe, in quo Christus est natus, scimus Romæ esse: domus, in qua fuit educatus, ad Lauretum in agro Piceno se contulit: vt possimus nos ex animo dicere, Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Quid multa? cùm fieri non posset, vt tota ad nos eorum loca concederent, ablata tamen ab illis fuerunt per eos, qui diuinitus immissa vltione grauissimaque ipsos seruitute premunt, ac vexant: & quæ speciali cultu digna præ cunctis videbantur ex oraculis antiquis, tradita sunt nobis in custodiam, iustamque possessionem. sepulchrum namque Christi, quod Isaias prædixerat fore gloriosum, à nostris est semper possessum magis quàm ab Orientalibus vllis. constat id ex eo, quòd Aaron Persarum Rex, cui totus Oriens, India excepta, parebat, Imperatoris Constantinopolitani inimicissimus (vt Paulus diaconus, qui vixit ijs temporibus, tradit) concessit, vt sacra Hierosolymorum loca Caroli Magni potestati adscriberentur, id scriptum reliquit Eghinarthus Caroli ipsius scriba. Testis est Gulielmus Tyrius, Amalfitanos mercatores impetrasse ab Aegyptiorum Rege locum satis amplum ante aditum sanctissimi sepulchri, in quo domus hospitales construxerũt aduenis quibuslibet excipiendis, & ægrotis curandis; alias præterea ædificarunt, in quibus commodè possent degere tam fœminæ, quàm viri religiosi; & ad hæc reditus idoneos procurarunt. Accidit hoc multo tempore ante bellum sacrũ, quo suscepto plurimis annis ea loca in nostrorum potestate fuerunt, donec anno millesimo tricentesimo trigesimo sexto custodia diuini monumenti commissa religiosis ex ordine sancti Francisci, vt post alios, qui continuationem belli sacri contexuit, memoriæ prodidit; atque illi ita præfuerunt vsque hanc diem, vt nemo sacra faciat in ipso sepulchro, nisi qui sit è numero nostrorum; quamuis ad illud inuisendũ soleant admitti à principib. Mahometanis ob quæstũ, quẽ faciũt hac de causa, quælibet nationes, vt à viris spectatæ fidei, q̃ religionis causa eò se contulerũt audiui. Igitur Ecclesia nostra antiquissima, ꝙ antiquissimorum Patrum in causa fidei diuinæ sententias bibliorum sacrorum interpretationi accommodatas sequatur: antiquissima, quòd pendeat ab illius successione, cui my-

Lib. 18. c. 4. & 5.

Lib. 5. ca. 15.

sterium omnium antiquissimum cælitus est patefactum; quòd omnium rerum fons est & origo, à cuius prædicatione nihil non manat, & ob id ab antiquissimo dierũ delectus est antiquis diebus, cui Gentes crederent, & audirent. Hinc factum, vt totius antiquitatis monumenta ad eam conuolarint, scientiæ, artes, corpora ferè omnium Sanctorum, loca, reliquiæ denique omnes. Atque hic audi aliud. Græci olim tam Petri amantes fuerunt, vt quamuis Latini nonnulli ingenuè faterentur, illum meritò à Paulo reprehensum fuisse Antiochiæ, quasi nimis indulgere videretur Iudæis, Antiochiæ ipsorum cæremonijs sese ad tempus accommodans: illi tamen dicant, vt apparet è Chrysostomo, & alijs, Petrum finxisse cæremonijs ijs aliquid se dare, & conuenisse inter ipsum & Paulum, vt palàm reprehenderetur, quò cæteri videntes acquiescere Petrum Paulo monenti, acquiescerent & ipsi. Hæc itaque prisci Græcorum. At vbi secedendi à nobis nonnulli occasionem omnem quæsiuerunt, vt minuerent & eleuarent Petri auctoritatem, fidemque, qua cunctis Apostolis præcellebat (& ob id eius etiam successores, vt palàm fiet suo loco, cunctis præstant;) Nilus quidam monachus proprio libro collegit omnia, in quibus Petrum vellicare posset, ac cunctis legenda proponere. Hinc aditu impietatis aperto, in quæstionibus fidei sunt ausi dicere, Patres per imprudentiam lapsos, Athanasium vini plenum. Nimirum labefactato Ecclesiæ fundamento vicario (hic autem Petrus à Christo constitutus) necesse erat superimposita ædificij reliqui moles & ipsa ab istis labefactaretur. idem nunc hæreticis hodiernis contigit, qui licet in vnius Pauli doctrina & exemplo se iactent, & reliquos Apostolos, in primis verò Petrum Apostolorum principem carpant; attamen & ipsum Paulum non potuerunt efferati homines non mordere. Hinc Magdeburgenses grauiter incusant Paulum, quòd in Asia supra modum grauatus de vita desperarit, quòd ob dissensionem Marci causa incidentẽ sese à Barnaba seiunxerit; quodq; vt Iacobo, & alijs gratificaretur, Iudæorum cæremonias in templo Hierosolymis obseruarit. Et quî fieri potest, vt fides ijs habeatur, in quorum vitia inquiratur tam diligenter, & cùm nulla adsint per summum scelus plurima confingantur? An non igitur iusto Dei iudicio vniuersa à perditis istis bona aufe-

Cent. 1. lib. 2. c. 10.

rentur.? Cham fratribus suis nunciauit pudenda patris esse nudata. Id profectò non aberat à veritate. Omnibus tamen bonis ob id diuinitus cum sua progenie ita spoliatus est, vt siqua nepotes eius sint habituri, à seruis liberorum Sem & Iaphet necesse habeant mutuari. At hæc isti flagitia per impudentiam summam coaceruant, & comminiscuntur in antiquis Patribus, per quos cuncta quæ habemus ad nos bona cælitus à Christo sunt demissa. Et miramur ita iacere populos à nobis alienos in Oriente? Caueant sibi Germani, quibus imminet eadem clades. Hoc porrò argumento antiquitatis vsi sunt omnes illi, quos adduximus suprà, vbi egimus de antiquitate doctrinæ; speciatim verò quo ad cætera, Irenæus satis aptè ad hunc locum, scribens aduersus hæreticos ait, sat sibi esse, si enumeret successionem Episcoporum Romanæ Ecclesiæ maximæ, & antiquissimæ. Origenes item tot & tanta de veritate scripturus, non alia de causa Zephyrino sedente Romam se contulit, nisi vt Ecclesiam, inquit Eusebius Cæsariensis, planè antiquissimam inuiseret. & Concilium Nicænum sancit, vt antiqui mores seruentur, quoniam Romano sic est Pontifici consuetum.

Ire. lib. 3. c. 3. Euse. lib. 6. c. 12. Hist. eccl.

Conc. Nicæn. ca. 6.

LIBRI TERTII FINIS.

DE

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER IV.

SIGNVM SEXTVM, Propagatio fidei.

Cum sit Ecclesia Dei sponsa, necesse est illi filios pariat, atque omnes nationes ad ipsius Christique cultum perducat: id verò non nisi ab Ecclesia nostra factum esse, enumeratis singillatim cunctarum Gentium conuersionibus ad Christum, clarißimè demonstratur.

CAP. I.

Ostendimus suprà Ecclesiam Christi Deique sponsam, quæ semen ab ipso excipiat verbi diuini, fideiq; cælestis vnius, perpetuæ, antiquę, indubitatæ, filiosq; illi gignat. Quocirca haud potuit contingere absq; Dei consilio & beneficio singulari, vt sola Ecclesia nostra cunctos populos à veritate alienos Christo conciliarit post annos iam mille quingentos & quinquaginta. Mirumq; omnino ab hæreticis nullam vmquam Gentem per tot sæculorum spatia ad Christi religionem fuisse perductam, vt aperiemus; eorumq; solummodò fuisse Gentes Christiana imbutas doctrina peruertere, & ad extremum prorsus ab alienare. id verò est in oraculis antiquis, futurum vt Ecclesia Dei ad agnitionem diuinæ veritatis perducat omnes Gentes. Audi Isaiam Michæamque loquentes: *Erit in nouißimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Ex his Isaiæ, & Michææ verbis colligitur illum futurum Domini montem, illam domum Dei Iacob, ad quam con-

Isa.2. Mich.4.

fluerent omnes Gentes, ex quo non amplius in Sion aut Hierusalem manebit lex, & verbum Domini, sed inde exibit. Illa erit domus Domini, ad quam confluentes populi dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob. Idcirco inducit alibi Isaias idem Deum sic loquentem Ecclesiæ suæ: *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis: & semen tuum Gentes hæreditabit.* hæc per Isaiam Deus. Illa igitur Ecclesia Dei, quæ dilatauit locum tentorij, in quo est arca Domini, gloria, & maiestas eius: illaque pelles tabernaculorum suorum extendit, cuius semen hæreditabit Gentes, quæ ad dexteram & læuam penetrauit, longos fecit funiculos tabernaculi sancti; vt omnes sub eodem tentorio, eadem fide, eadem religione, sub iisdem pellibus habitarent, funiculis longissimè extensis, clauis altissimè defixis. Similiter Deus ipse per Isaiam prædixit fore vt mittat in Africam, Lydiam, Italiam, Græciam, denique ad insulas maximè longinquas, ad eos, qui nihil de Deo audierint, nec gloriam Domini viderint; & annuncient illis eam, & adducant ad eum. Sic etiam Dauid prędixit futurum, vt Ecclesia Christi sponsa *constitueret filios suos principes super vniuersam terram, ac memores essent nominis diuini, in omni generatione*: & propterea populi Dei cultum profiterentur in æternitates sæculorum. id verò nulli alij Ecclesiæ contigisse, nisi ei, quæ Pontifici Romano adhæret; per hæreticorum verò factiones deinde contrarium factum, latissimè ostendemus suo loco: nunc quod est præ manibus aggrediamur.

Cap. 54.

Cap. vlt.

Primariæ totius orbis ecclesię constitutæ à Petro, & ab his aliæ minores.

Petrus itaque, petra Ecclesiæ à primaria petra Iesu constitutus, delectusque ab antiquis diebus, cuius dicto gentes audirent, totius Orbis Ecclesias principes, quibus aliæ minores obedirent, fidemque edocerentur (vt ait Tertullianus libro de præscriptionibus) fundauit. idcirco ad Ortum Antiochiæ Euodium Episcopum creauit, cui totius Orientis Episcopi parebant olim. Ad Meridiem Martium discipulum suum transmisit Alexandriam, cuius ciuitatis Episcopus Aegypto, Arabiæ, Aethiopiæ, & Africæ Cyrenensi præerat. Ad Occasum præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italiæ, & adiacentium Insularũ Ecclesias constituit, vt post alios Innocentius I. testatur. Ad

Septentrionem primarias in Pontio Cappadocia, Bithynia, Græcia, Illyrio, Dalmatia, Germania (vt docebimus) Ecclesias constituit. *Romanã verò voluit esse in medio positam, veluti cunctarum principem, ac matrem; vt lux veritatis,* ait Leo Magnus, *quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Nam populos* (ad ijs ait idem) *qui ex circumcisione crediderant, erudierat. Antiochenam Ecclesiam. vbi primum Christianis nominis dignitas est orta, fundauerat. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atq Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat: nec vt dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ*(alloquitur ipsum Petrũ) *ignarus ætatis tropheum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, qua te diuinis præordinationibus anteibat, & honor potestatis, & gloria passionis.* hæc Magnus ille Leo, Attilæ terror. Sed vt ordine, & via nostra procedat oratio, recenseamus omnium Gentium singillatim conuersiones ad Christum factas, & incipiamus ab extremis Europæ partibus, cuncta tempora propagatæ Christianæ religionis percurrentes.

Hispaniæ conuersio

Constans est fama, Iacobum fratrem Ioannis in Hispania primum Christi cultum docuisse: anno trigesimo septimo. Ioannes Vasæus diligentissimus antiquitatis indagator tradit anno quadragesimo quarto Romæ à Petro & Paulo fuisse creatos Episcopos, & in Hispaniam missos Cæcilium ad Elibertinos, Euphrasium ad Illiturgitanos, Secundum ad Abilenses, Indalensium ad Vrcitanos, Cresiphonem ad Abderitanos, Hesichium ad Cartesanos. Similiter sunt qui velint anno quinquagesimo ab eodẽ Petro missum in Hispaniam Saturninum, postea Tholosæ Episcopum, qui Pompelonam, siue Pompeiopolim veniens septem dierum spatio quadraginta hominum millia ad Christum perduxit, in his Firminum Pompelonę Episcopum, qui anno centesimo quinquagesimo sexto cùm plurimos Christo conciliasset in Hispanijs, & Gallijs, denique ob eundem Christum capite est truncatus. Anno prçterea nonagesimo septimo Eugenius primus Toleti Episcopus, Dionysij Areopagitæ discipulus, cùm plurimos in Hispania fidei lumine illustrasset, prope Lutetiam capite est cæsus. Mancius item ciuis Romanus Eborę ob eandem causam fuit interfectus anno centesimo. Multi & graues sunt auctores, qui Paulum tradant in Hispania fuisse anno sexagesimo septimo in his Hieronymus, Athanasius, Chrysostomus, Epihanius, Gregorius Magnus. eo certè se

Hier. c. 11 Isa & c. 5. Amos Atha. ad Draconteũ. Chrys. ho. 7. d laud. Paul Greg. moral lib. 31. c. 37

tè ſe animo fuiſſe tradit in epiſtola ad Romanos, vt vt res ſit, à cunctis Apoſtolis, & Chriſtianis Petro fuiſſe primas delatas, clariſſimè oſtendemus loco ſuo. A Petro autem & Paulo primos Hiſpanijs Epiſcopos datos apparet: quantum verò datum ſit Epiſcopis Romanis Petri ſucceſſorib9, conſtat ex ijs, quæ geſſit Oſius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi: qui volet, eius acta legat. Sed cùm ſub annum quadringenteſimum octauum Alani, Sueui, Gotthiq; in Hiſpanijs conſediſſent ad Chriſtum colēdum traductos fuiſſe opera eorum, qui Pontifici Romano parebant, teſtis eſt Oroſius illorum temporum ſcriptor. Rurſus cùm Gotthi Hiſpanias occupaſſent, ac multos annos tenuiſſent, Chriſto, Catholicæque veritati ſe reſtituerunt opera Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, quem Romanæ ſedi fuiſſe obſequentiſſimum conſtat ex eius geſtis, Epiſtolisq; & dialogis Gregorij Magni. acciderunt hæc circiter annum 586.

Or.l.7.c.41.

Galliarum conuerſ.

Conterminæ ſunt Hiſpanijs Galliæ, quarum Epiſcopi ſcribentes ad Leonem fatentur à Romana ſede manaſſe fontem religionis in Gallijs. Saturninum Tholoſæ Epiſcopum ſupra oſtendimus à Petro in Hiſpanias miſſum. & Euſebius Ceſarienſis tradit ab eodem Petro Epiſcopum Galliarum cōſtitutum fuiſſe Creſcentem, atq; illuc ea de cauſa miſſum: eius meminit Paulus in epiſtola ad Timotheum, & abijſſe in Galatiam dicit. Galatiam verò Galliam intelligit, quòd Galatæ à Gallis haberent originem; & ita intelligit Hieronymus, & Epiphanius. tradunt alij Eutropium Petri diſcipulum paſſim per Gallias Chriſti doctrinam diſſeminaſſe, miſſoſq; ab eodem Petro ad Carnutenſes Aduentinum, Sauinianum, & Potentianū. à Clemente autem Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium. Gregorius Turonenſis ſcriptum reliquit de iuſſu Xiſti Pontificis Saturninum Tholoſę, Trophimum Arelate, Paulum Narbonæ, Gratianum Turonis, Dionyſium Pariſijs, Stremonium Aruernis, Martialem Lemouicis Chriſti cultum tradidiſſe, quamuis hæc Turonenſis narratio multas patiatur difficultates, ita vt neceſſe ſit dicere in hac illum re tradenda aberraſſe à vero. Amplius Baiocenſibus Exuperius, Ebroicenſibus Taurinus Epiſcopi à Clemente Papa dati, à quo & Nicaſius miſſus ad Rhotomagenſes, & maris Oceani tractus. Sozomenus ſcribit Celtas Galliarum populos vltimos maximè Imperatore Conſtantino Romanorum

Hiero. in cat.
Epi. hær. c. 5.
Lib. 1. cap. 3.
Ioan. Schol.
Soz. li. 1. c. 5.

Ponti

Pontificis studiosissimo, vt ostendemus, Christum secutos: Euortius Episcopus Aurelianensis, imperante eodē, plurimos ad Christum perduxit.

At Belgarum, Heluetiorum, Allobrogumq; oras à Clemente veritatis lumine illustratas quidam scriptis prodiderunt; eumque dicunt patruum Clementis Papæ fuisse. Iam Treuirenses, Colonienses, Aquisgranenses, Tungros, Hasbanos, Traiectenses ad Mosam, Euboronenses, siue Leodienses, Namurcumque Christo adiūxêre Maternus, Eucharius, Valerius, Menniusq; à Petro eò missi. Veluti Metenses Clemens Romanus, qui Romam rediens, Cæle stinum Felicem, Patientem ministros ibi reliquit diuinæ prædicationis, ac magistros. Hi totum illum tractum, qui modò Lotharingia dicitur, Christo conciliarunt. Quintius autem Romanus Zenonis Senatoris filius à Marcellino Papa baptizatus, vnà cum Piatone, Dionysio, Ruffino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello, Regulo, Fusiano, Victorico, religionem Christianam propagauit in Ambianis, & Veromanduis. Tullenses autem Mansuetus S. Petri discipulus, Virdunenses Sanctinus Dionysij ad Christi cultum perduxerunt, scriptisque nonnulli mandarunt Chrysolium Armenum, vnà cū Piatone ciue Beneuentano Roma profectum, Tornaci ad fluuium Lysam prædicasse Christi doctrinam: Demochares hæc tradit. Addit idem posterioribus temporib. Eleutherium creatum Episcopum Tornacensium à Felice Tertio.

Placēt. in catal. Ep. Tun. An. Leo. Demochares. In prouinciali.

Iacob. Meyerus.

Cùm verò consedissent in Gallijs Franci, facta è superioribus locis irruptione, Clodoueus eorum Rex vnà cum tota gente Christo nomen dedit, opera Remigij Episcopi Rhemensis, à quo constituti dicuntur Episcopi, Attrebatensibus Vedastus, Morinis Autimundus. constat è gestis ipsius Remigij quantum detulerit Pontificibus Romanis: & alibi ostendemus quantum Clodouei, & omnium Francorum studium fuerit in eosdem. Post hæc Amandus Episcopus è nostris cultū Christi maximè amplificauit Gandaui, & in Mempisco, Eligiusq; Episcopus Nouiomensis per omnem regionem Viromandensem, Tornacensem, Flandrēsem, Gandauensem, & Carturiacensem, & Vlfranus Episcopus Senonum, Vuillibrordus Traiectensiū per omnem illum tractum Phrysiorum, Batauorum, & Flandrensium; Lupusq; Episcopus Senonensiū, Clotario rege, Neustrios Christo conciliauit; Medardus Episcopus No-

uiomensis Tornacenses; Lambertus Tungrensis, Toxandriam, Hubertus Leodiensis Episcopus Arduennæ indigenas; Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis cultū Christi maximè propagauit in Phrysia, Saxonia, VVestphalia Carolo imperante; cui rei & dedit operam in ijs regionibus Guitbertus, VVillheadusque primus Episcopus Bremensis, & Odulphus presbyter, Lothario primo imperante, & sub annum septingentesimum VVilfridus Episcopus Eboracensis. Ante Francos Burgundi transito Rheno circa Rodanum sedes fixerunt, & opera nostrorum Christo se dediderunt, vt Orosius, & Socrates scribunt: post hos Northmanni in Gallias irruerunt, Lugdunensem que secundam ceperunt, Christum verò amplexati opera Heruei Episcopi Rhemensis.

Britanniæ & Angliæ. *Papir. Masso. lib. 2 in vita Caroli simpl. Poly. Vir li. 2. hist. Angli.*

Gallijs adiacet angusto mari diuisa Britania: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianæq; religionis in ea semina sparsisse, sed anno centesimo octuagesimo secundo Lucius Britannorum rex petijt ab Eleutherio Papa, vt mitteret, qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, missiq; Fugatius, & Damianus, institutiq; tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus: ita vt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britannos Christianos fuisse. Cælestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret; sed cùm succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent; eamq; occupassent; ideòq; nomen Christianum in ijs locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinū, qui cunctos ad Christum traduxit, & Columbanus speciatim Pictos, Finanus Anglo saxonas Mediterraneos, Felix Orientales, Iustus Aquilonares vnà cum Paulino Italo, Birinus Occidentales. At Vilfridus Saxonas Orientales. Hybernos, & Scotos Christo se adiunxisse opera Constantini Magni, testis est Ruffinus, & Nicephorus. Sed in Hybernia Insula ad Christi nomen traducenda multum studij posuit Patricius. Orchades verò Christum sunt secutæ industria Seruani, cui Patricius magister fuit. Veniamus in Germaniam. in Noricis primus dicitur Christi doctrinam docuisse Valentius, auctoritate Pontificis Romani: Augustæ autem Vindelicorum Narcissus Episcopus, vnà cum Felice diacono. Conon Papa, siue Cuno, sedit anno sexcentesimo octuagesimo

Rufi. l. 1. c. 11. Nic. l. 8. c. 34

Scotiæ & Hiberniæ conuers. *Surius in vita sanctorum Tom. 2. Aug. Bic. 4. & 5.*

gesimo sexto. Is Chilianum misit in Germaniam, qui Herbipoli, dum Christi nomen prædicaret, est obtruncatus. Odoacre rege legitur Seuerinus inter Germanos Christianæ religioni propagandæ operam dedisse: sed Gregorio Secundo sedēte, sub annum septingentesimum decimum sextum, certas ac firmas in interiori tota Germania sedes fixit religio Christiana. Is enim Moguntiæ episcopum creauit Bonifacium, totiusq; Germaniæ illi ad veritatis agnitionem perducendæ prouinciam commisit. Bonifacius socios adsciuit Burchardum, Lullum, VVillibaldum, VVinibaldum, VVittam, Gregoriumque, qui Thuriginis Cattisq; Christi cultum tradiderunt. Egbertus similiter, Archiepiscopus Eboracensis, misit ea de causa in Germaniam duodecim monachos, VVillebrordum, Svvibertū, Accam, VVigbertum, VVillibaldum, VVinibaldum, Lebuinum, duos Evvaldos, VVerenfridum, Marcellinum; atque ex his aliqui diuersis Germaniæ locis Episcopi constituti à Pontifice Romano, vt è vita Svviberti constat. Eodem Gregorio Secundo sedente, Corbinianus Noricis Christi doctrinam prædicauit. Is fuit Episcopus Frisingensis. à Ruperto item Episcopo Vangionensi, deinde Salisburgensi Theodo Bauariæ dux, & plurimi Noricorum Christo conciliati. Heimerannus similiter Episcopus Ratisponensis innumeros à Baioarijs, & alijs Germanis ad Christi cultum perduxit. Saxonia quidem plurimis attrita prælijs à Carolo Magno tandem Christo est adiuncta, institutiq; octo Episcopatus, & magni reditus attributi: multum verò operæ posuerunt in amplificanda Christi doctrina VVillehadus Episcopus Bremensis, & Ludgerus. Regio Brandeburgensis ab Henrico primo domita, Christi religione est imbuta. Morauia Christi cultum est complexa, missis eò legatis Cyrillo, & Methodio à Nicolao primo. Hi & sacris aquis abluerūt Boriuorium Bohemorum ducem, primusq; Bohemiæ datus præsul de consensu Ioannis Noni Dethmarus, cui succedens Adalbertus latè Christi cultum disseminauit; & ad Prussos siue Prutenos se conferens pro Christi doctrina est occisus. Cyrillus Christo adiunxit Triballos, Morauos, atq; vniuersam gentem, quæ Vistula, Danubio, & Vago flumine circundatur. Pomeraniam ad veritatis agnitionem perduxit Ottho Episcopus Bambergensis, Sorabos & Vandalos ad Elictram Misniæ fluuium habitantes VVillibrotus Episcopus Mersburgen-

Germaniæ con.

Surius in vita Bonif.

Suri. in eius vita tom. 2. April. 27.

Saxoniæ con.

Crantius in Metropoli.

Dubrauius, & Aeneas Syluius in hist. Bohem.

Morauiæ con.

Bohemiæ con.

Hel l. 1. c. 41.

Pomeraniæ con.

Sur. tom. 4. 2 Iul.

Lib. 1. c. 5.

burgensis. Imperante Constantino plurimæ ad Istrum Gentes Christi doctrinam secutæ sunt, Sozomeno teste, opera Catholicorum. Non prætermittamus Illyrium, & Dalmatiam: & sunt qui opinentur à Tito Euangelium in Dalmatia annunciatum; nam eò concessisse narrat Paul⁹. Sed quando Dalmatia antiquitus parebat episcopo Aquileiensi; primumq; tradunt fuisse Hermagoram à Marco Petri discipulo creatum; inde Christiana religio necesse est fuerit disseminata. habemus è Simeone Metaphraste Eleutherium virum sanctissimum Illyrij Episcopum ordinatum ab Aniceto Papa, & in eas oras missum: sed cùm in Dalmatiam & Illyrium se effudissent Slaui, ij Christi nomen venerari cœperunt vnà cùm Rascijs, Bosnensibus, Seruijs, & Croatis, industria Cyrilli, & Methodij, quos à Nicolao primo illuc missos ostendimus: expulerant autẽ Slaui è sedibus illis Auares, quorum Rex Teudo adijt Carolum Magnum, vt sacris Christianis initiaretur, quod factum est. sed posteà eiecti à Slauis Auares, & Rex eorũ Cacanus sedes posuit inter Sabariam, & Carantanum. Apolinaris S. Petri dicipulus in Mysia Christi cultum propagauit. Legimus Concilio Nicæno interfuisse Episcopos Mysiæ, Daciæ, & Gotthiæ. Sardica est in Dacia: in ea vrbe celebratum est Concilium nobilissimũ Iulio sedente, in quo maximè Pontificis Romani auctoritas sancita, sicut & in Nicæno, cui subscripsit inter alios Theophilus Episcopus Gotthiæ, quem Metaphrastes scribit plurimum inter Gotthos rem Christianam promouisse, sicut, & Nicetam posteà ob hanc causam occisum Theophili discipulum. Ab hoc Niceta, scribunt Paulinus, & Hieronymus, Bessas Hæmi montis accolas Christiana religione imbutos, eũq; sæpiùs ad Apostolorum limina visenda solitum fuisse Romam proficisci. Accidit deinde vt Gotthi sedibus suis expulsi ab Hunnis cuncta per Illyrium & Dalmatiam vastauerint; Hunnique Pannonias, ac Mysiam cœperint; oblitterataq; in ijs locis ferè religio Christiana sub Regibus Optaro, Bleda, & Attila: quo postea defuncto, occisoque in acie filio eius natu maximo Ellace ab Ardarico Gepidarum Rege fratres eius ad littus maris Pontici se retulerunt: populi verò, qui paruerunt illis, impetrarunt sedes à Marciano & Valentiniano Imperatoribus, Gepidæ Daciam, Ostrogotthi Pannonias à Sirmio ad Vindebonã; Sarmatæ, & aliqui ex Hunnis Castrum Cartenam in Illyrico,

Pannoniæ illyrij con.
Dalmatiæ con.
2. Timot. 3.
Blon. Dec. 11. lib. 11.
Slauię, Rascię, Bosnę Seruiæ, Croatiæ con.
Chron. lib. 3. c. 1. Rheg. in vita Carol. Magni.
Mysiæ, Daciæ con.
Sur. Tom. 5. Septemb. 15.
Hier. epi. 3.

rico, Scyri; Satagarij, Alaniq; Scythiam minorē, & Mysiam inferiorem; Rugi, alijq; Scandiopolim, vt latè refert Iornandes. Sed quantum ad Pannonias, Paulus Diaconus, genere Longobardus, tradit commigrasse in eas Longobardos; à quibus prælio deleti Gepidæ, donec à Narsete euocati relictis in ea regione Hunnis, & Auaribus Italiam petierunt: Carolus deinde Magnus Pannonias, Dalmatiam, Istriam, Liburniam, Daças, Metanastas, Iazigasq; subegit, & ad Christum perduxit, teste Rheginone. Stanislaus Orichouius scribit à Ioanne Decimotertio missos, qui docerent Vandalos, & Lechitas sacra Christiana. Rursus postea Boleslaus, Pudicus Poloniæ Rex inter Iazigas cultum Christi reparauit. At post Caroli Magni tempora Hungari è Scythia oriundi Pannonias, Hunnis expulsis, occuparunt, ac post multas vastitates Germaniæ, Gallijs, Italiæq; illatas, tandem Gislas Christo se addixit, ac Stephanus eius filius decem constituit Episcopos de Romani Pontificis auctoritate, à quo & confirmarentur, & ab eodem regiū nomen coronamq; impetrauit, vt post alios Bonfinius tradit. Adalbertus Episcopus Pragensis operæ multum posuit in cultu Christi inter Hungaros disseminando: Gerhardus autem Maurusq; monachi ob eam causam cum pluri-mis alijs occisi. Irruperunt deinde in Mysiam Bulgari, & Gazari, qui Christo se dediderunt, opera Cyrilli, & Methodij, quos miserat Nicolaus Magnus, cuius adhuc exstant nonnulla responsa ad consulta Bulgarorum. sed cùm continenter bella cum Constantinopolitanis Imperatoribus gererent: factum est vt ab eis deuicti ritus Græcos sequerentur. Rhussi, & Moscouitæ colere Christum cœperunt, Basilio imperante, quē bene cum Pontifice Romano sensisse tunc vnà cum Græcis constat è Concilio octauo. Hunni, qui & Chunni, ad mare Ponticum sedes habuerunt; hi Christi doctrinam sunt amplexi, imperāte Iustiniano, qui tum Papæ parebat, teste Paulo Diacono. Cumani Tartari ijdem videntur cùm Chunnis: ad eos missi anno millesimo ducentesimo vigesimo primo nonnulli è familia sancti Dominici, è quib. ob eā rem duo cæsi, ceteri ad Christū perduxerunt Bathum, & aliquos Tartarorum duces: Ludouicus Hungariæ, & Poloniæ Rex, eos similiter ad fidem reuocauit. Poloni agnouēre Christum, Micislao principe: missusque à Ioanne Decimotertio AEgidius Cardinalis Tusculanus, qui religionem in ijs locis stabiliret, cui dum

propa-

Hungariæ con.

Bonf. lib. 1. Dec 2.

Crom. lib. 3.

Io. Dubr. l. 2. hist. Bohem.

Rhussiæ con.

Ioan. tom. 3. Lib. 16.

Poloniæ con.

propagandæ operam darent, Benedictus, Ioannes, Isacius, & Mattheus occisi fuerunt anno millesimo centesimo trigesimo, teste Theodorico. Lithuania, Samogetiaq; Christo est adiuncta procurantibus Polonis: Iagelloq; Princeps cum fratribus octo baptizatus misit ad Vrbanum Papam, qui nomine omnium illi obedientiam pollicerentur, & in Christi cultu per eas oras propagando multum studij posuit Hieronymus Bohemus monachus anno millesimo quadringentesimo decimo quinto, Aenea Syluio teste. Liuonia cum suo Principe complexa est Christi cultum, opera Meinardi, quem prouinciæ illius Episcopum creauit Alexander Tertius; ab Innocentio deinde Tertio magis est confirmata. Post Meinardum duo Alberti, quorum alter alteri successit, Episcopi maximè laborarunt in Christi cultu per eas oras propagando. Prussia Christo est acquisita per fratres Theutonicos, ac Poloniæ Reges; diuisaque in tres Episcopatus auctoritate Gulielmi Episcopi Mutinensis Apostolici Legati, qui magnis de causis eò missus fuerat, in Varmiensem, Sambiensem, Pomeraniensem: quamuis per Crucigeros eæ regiones prorsus subactę fuissent. Adalbertus quidem Episcopus Pragensis vnà cum Gaudentio, dum religioni Christianæ propagandæ in ijs oris operam daret, est occisus: idemq; contigit Benedicto, Ioanni, Ianeo, Christino, Albario, ac Bruno Episcopo Rhuteniæ ad littus Euxini maris. Dania, Suedia, Rugia, Gotthia, populiq; his admixti, Christi nomen colere cœperunt industria Anscarij, Reimberti, Aldegarij, Hoggerij, Reinvvardi, Vnniq; Episcoporum Hammenburgensium, & Bremensium, vt Helmoldus testatur. Ob id Arioldus, siue Sebaldus, Rex Moguntiæ à Rabano baptizatur, & Froto Rex Daniæ ab Agapeto Papa doctores petijt, vt Saxo Grammaticus scriptum reliquit. Stephanus quidem Monachus Corbeiensis, dum prædicat in Suetia Christi doctrinam, ab indigenis est occisus. Bothnia, & Philandia valde Aquilonares, Erio Regi Suetiæ, & Henrico Episcopo Vpsalensi adnitentibus, Christi nomen agnouerunt, teste Olao: id verò maximè perfectum laboribus Nicolai Angli, qui creatus Papa dictus est Hadrianus quartus, à quo Noruegia tota Christo est addicta. Constat etiam è Saxone Grammatico, Daniam, Noruegiam penitus Christum secutas opera Bernardi Angli, Popponis, Hariconis, Leuisci, Lefdagi, Ripæ, Gerbardi, Roschildiæ, Sialandia, &

Marginal notes: Lithuaniæ & Samogitiæ con. *Crom. libr. 3.* — Liuoniæ con. *Crãt. l. 7 c 13* *Arnol. lib. c. 8 hist. Slau.* — Prussiæ con. *Crom libr. 8* — Daniæ, Suediæ, Rugiæ, Gotthiæ conuer. *Hel. li. 6. c. 8.* — *Sax. grã. l. 9.* *Ola. l. 4. c 18.* — Noruegiæ con. & Borealium regionum.

Scania Christum colere cæperunt industria & laboribus Othincari sanctissimi viri. Nunc pedem referamus ab extremis Boreæ regionibus ad Græciam. Hæc maximè exculta per Paulum & Andream Apostolos, vt constat ex eorum gestis. An verò hi senserint eadem cum Petro, quid attinet dubitare? An deinde cum Pontificibus Romanis, liquet è Concilio Nicæno, & Sardicensi, quo tempore iam passim Christi nomen in Grecia ab omnibus colebatur. Ex actis Petri, quæ Metaphrastes recitat euidenter apparet in singulis Græciæ primarijs vrbibus à Petro Episcopos primarios, quibus ceteri obedirent, & à quibus, vt ait Tertullianus, fidem mutuarentur, esse constitutos. Id ita esse sit illud argumento: Paulus diu multumq; ac sæpiùs Corinthi fuit, neque ad vllum populum duas ita longas epistolas scripsit. vt ad Corinthios: & tamen Dionysius Episcopus Corinthiorum scriptor vetustissimus ait apud Eusebium scribens ad Romanos, Petrus & Paulus ambo, cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt. testis est Irenæus, & Eusebius, nutantes in fide Corinthios litteris Clementis Papę confirmatos. Quòd si Petrus Ecclesiam Corinthi fundauit vnà cũ Paulo, multo verisimilius erit ceteras, vt Metaphrastes tradit, ab eodem esse fundatas. Denique vt quod ad Europam spectat finem faciamus, quid in Occidente Petrus egerit, non alijs verbis explicabo quàm Eusebij Cæsariensis: sic igitur ille: *E vestigio sub ipso Claudij imperio benigna & propitia Dei totius huius vniuersitatis rectoris erga humanum genus prouidentia fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem* (nota hæc hæretice) *facilè principem Petrum Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit, qui quidem, vtpote strenuus & generosus dux diuinis armis obtectus munitusque, eximiam, & pretiosam tamquam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi ab Oriente ad Occasum vsque deportauit, ipsamque regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam palàm diuulgauit.* hæc Eusebius, vt sciamus à Petro Occidentem Europamque Christo primùm fuisse conciliatam. contigisse id volunt nonnulli anno quadragesimo quarto, qui fuit tertius Claudij, & vndecimus à Christo crucifixo, quintus à Pauli conuersione. Atq; hæc quidem

Græciæ con.

Euſ. l. 2. c. 24 hiſt. Eccleſ.

Iren. lib. 2.

Lib. 2. ca. 23.

generatim, speciatim verò liquet ex ijs, quæ supra ostendimus, nullas Europæ partes splendore Christianæ religionis illustratas, nisi studio illorum, qui studiosissimi essent Pontificum Romanorum, vel ab ijs ad hanc rem nominatim missi fuissent. Nunc ad Asiam sermonem conuertamus, & inspiciamus an sit verum quod Petrus ipse de se asseruit, se ab antiquis diebus electum, cui gentes crederent, & audirent, & ab Ecclesia nostra cunctos populos (vt cecinit Isaias, & Michæas) ad montem Domini, domumq; Iacob inuitatos, & perductos, tentoriaq; diuinæ religionis in omnibus orbis regionibus explicata.

Oriens vniuersus ad Christianam religionem perductus est per eos, qui semper eadem nobiscum senserunt, & Petri successoribus primas detulerunt.

Cap. II.

Non grauabor sæpiùs repetere, quod ait Tertullianus lib. de præscriptionibus, singulas Ecclesias solitas fuisse mutuari fidem à primarijs Ecclesijs, quæ in primarijs vrbibus fuerant ab Apostolis constitutę. Hinc habemus in Concilio Nicæno, non esse Episcopum, qui de sententia Metropolitani non fuerit factus, & è Concilio Antiocheno scimus hunc canonem fuisse ab initio Christianæ religionis sancitum. Diximus porrò à Petro fuisse Antiochię Episcopum constitutum Euodium, teste Eusebio, qui id anno quadragesimo quarto contigisse in Annalibus tradit. Idcirco Ignatius Ecclesiæ Antiochenæ primordia refert ad Petrum, & Paulum: iam verò Episcopus Antiochenus Orienti toti præerat, vt scribit Hieronymus aduersus Ioannem Hierosolymitanum, & Theodoretus in historia sua. quod adeò est verum, vt ipsa Hierosolyma, & Episcopus eius subesset Episcopo Cæsariensi, vt idē Hieronymus eodem loco scribit, & apparet è Concilio Nicæno, cui primas deberi ante Hierosolymitanum manifestè habetur in eodem Concilio. Cęsareæ autē fuit Episcopus à Petro constitutus Cornelius Centurio, vt omnes norunt. Igitur opera Petri, & Episcoporum, qui ab ipso originem ducunt, religio Christiana in Oriente propagata. In Asia verò minore ab ipso Christi cultum propagatum

Cap. 5.

Lib. 4. cap. 1.

Antiochia Metropolis Oriētis.

Lib. 5. cap. 11.

Asiæ conuersio per Episcopos à Petro in primis cōstitutos.

crea-

creatosq; suis locis Episcopos, Metaphrastes latè descri-
bit: quod esse verissimum colligimus ex epistola ipsius pri
ma data ad aduenas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bi-
thyniæ, cùm Romæ esset vnà cum Marco discipulo suo,
per Syluanum, vt apparet ex epistolæ fine. neq; suspicetur
aliquis illam ad Iudæos dumtaxat scriptam, quod opinati
sunt nonnulli: manifestè namq; dicit in illa, eos aliquan-
do fuisse non populum Dei, & multis in locis è gentibus
fuisse illos dicit & idolis addictos. quo verò sensu aduenas
vocauerit, explicat idem, cùm dicit: *Obsecro vos tanquam ad-
uenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs*, ideò episto-
la secunda, quam se ad eosdem mittere capite tertio profi-
tetur, ad omnes generatim datur. In prima autem Episco-
pos in primis alloqui palàm fit ex vltimo capite, in quo
longius quàm ceteros nominatim monet, & obtestatur tã-
quam Episcopus, & compresbyter, siue consenior per prin
cipem pastorum, vt ait, Christum. Quocirca siue spectes
Asiam, quæ magis ad Meridiem, siue quæ magis ad Sep-
tentrionem, siue quæ magis ad Occasum vergit, à Petro o-
mnes Episcopi Primarij Primarijs vrbibus olim dati, Pon
tus, & Asia minor, maximè ad Boream; Antiochia magis
ad Austrum, Cæsarea verò ad occasum spectat. Nunc sin-
gillatim referamus consecutas gentium conuersiones, &
quando Asia magis patet nobis ad Orientem, & Austrum,
quàm ad Septentrionem, idcirco breui hæc percurrentes.
quæ spectant ad oras Boreales, deueniemus postea ad reli-
quas Asiæ totius partes. Scythia Asiatica continet multos
populos: in his à nonnullis numerantur Hunni, Alanæ,
Abasgi, Zechi, & alij ad Tanaim, Meotidemq; paludem
siti, qui nomen Christo dederunt imperante Iustiniano,
contigit hoc anno eius primo, vt Paulus Diaconus tradit,
quo tempore optimè cum Pontificibus Romanis sentie-
bat vt apparet ex eius legibus in codicem relatis. Eodem
similiter anno, qui fuit quingentesimus vigesimus prim⁹,
Rex Herulorum Gethes Christo se adiunxit. Iberes, Con-
stantino Magno imperante, nostram doctrinam sunt secu-
ti sub annum 338. vt scriptum reliquit Rufinus; & ab illo
Episcopos ac doctores petierunt. Tartari Scythæ sunt in
varias turmas ac regiones diuisi; ex his multi Christum
colere cœperunt, cùm tertius Imperator ipsorum, suasu
Regis Armeniæ, factus est cum suis Christianus, & Chri-
stianis in prelio maximum attulit auxilium, litterasque ad

Cap. 2.

Hunnorũ Alanorum Abasgorũ Zechorum con.

Lib. 16.

Herulorũ, Iberum con.

Ruf. l. 1 c. 10.

Tartarorũ con.

Aith. Arme. Gaguin. li. 7.

Ludouicum Galliarum Regem sanctimonia præstantem dedit,& vltro citroq; munera missa. Cobila deinde sextus Imperator, missis ad Clementem Quartum legatis, petijt vt mitterentur qui sacra eum mysteria docerent;quod petijt,impetrauit. Accidit autem vt filia Haytonis Armeniæ Regis,& vxor Mangu Quinti Tartarorum Imperatoris,virum suum perduxerit ad cultum Christi, occasione insignis cuiusdam miraculi, de quo posteà agemus suo loco. Adfuêre Tartarorum legati concilio Lugdunensi, quod Gregorio Decimo sedente celebratum fuit.Horum latissimum fuit aliquando in Asia Imperium, quod est posteà deletum, vt ostendemus: sed & ante Lugdunense concilium venêre ijdem Tartari ad Lateranense, quod ab Innocentio Tertio fuit edictum. Quod autem diximus ad Clementem Quartum missos ab Imperatore Tartarorum legatos, sciendum à Clemente Quinto fuisse ordinatum Ioannem à Monte Coruino, è familia Minorum, Archiepiscopum Cambulensem in Oriẽti,nouemq; ex eadem familia fratres Episcopos,vt vocant,suffraganeos consecratos; palliumq; datum, cautumq;, qui succederet illi morienti propter distantiam loci. Rursus Ioannes Vigesimus secũdus quemdam ex ordine Prædicatorum Archiepiscopum Sultanensem creauit, adiecitq; ex ordine eodem septem suffraganeos Episcopos. imperante similiter Constantino Magno, Armenij Christo se adiunxerunt vnà cum Teridate eorum Rege: id est perfectum studio,& innocentia Gregorij, qui posteà Episcopus est illis datus. Ottho Frisingensis refert suo tempore missos legatos ab Episcopis Armenis, & eorum Metropolitano (qui se vniuersalem nominat,ea de causa quòd pareant illi Episcopi mille)ad Eugenium Pontificem, qui tum Viterbij morabatur, vt nomine ipsorum venerarentur Papam veluti pastorem Christianorum omnium,obedientiamq; illi pollicerentur. Nostra etiam memoria illinc aduenêre legati Romam,vt ostẽdemus suo loco.

Guil. Nanni. Ant. an. 1291. in chron. Mart. Polon. in vita Greg. 10. Paul. Venet. in suo itinor. Blon dec. 11. lib. 8.

In libr. Can. Apostolicæ.

Armenorum con. *Sim. Metap. in vita Greg. Nicep. lib. 8. cap. 35.*

Persiæ con.

In Persia post Apostolos Cyriacus Diaconus Romanus Christum prædicans Saporem regem cum plurimis alijs principib. ad Christi cultum ꝑduxit;missus autem fuit ad illum regẽ Roma à Marcello Papa. Theodosio deinde iuniore imperante, Christiana religio maximè amplificata inter Persas est per Marutham Mesopotamiæ Episcopum, & Abdam occasione ipsiꝰ Imperatoris, cui Rex Persarum

tutor fuerat ab Arcadio patre relictus, vt testãtur Sozomenus, & Theodoretus, qui & scribit populos Libani & Carrarum concionib. Abrahami Eremitæ veritatem complexos. Iustiniano imperante, antequam laberetur in deterio ra, Cabades Persarum Rex nobis se adiunxit vnà cũ Duce Lazorum, quin & Cosroem suæ vitæ extremis temporibus egisse idem tradit Euagrius. Vt id ageret Cosroes, adductus est miraculis quibusdam, de quibus Nicephorus latè. Rursus imperante Constantino Pogonato, Cæsarea Persarum Regina vnà cum viro, & quadraginta millibus Persarum Constantinopolim veniens est baptizata.

Panthenus Philosophus vir sanctissimus Indos ad Christum deduxit eò missus à Demetrio Episcopo Alexandrię: posteà verò Athanasius misit ad Indos ordinatum illis à se Episcopum Frumentium, qui latè in illis regionib. Euangelium Christi disseminauit, vt Rufinus, qui vixit ijs tẽporibus, narrat. Arabia adnumeratur Asiæ: in ea Origenes Christi doctrinam maximè stabiliuit, missus illuc à Demetrio Episcopo Alexandrino; principemq́;, ac subiectos illi populos ab hæresibus quibusdam reuocauit.

Indorum conu.

In Arabia populi sunt Sarraceni, quorũ plurimos Christo adiunxit Episcopus Nonnus, vt in vita Pelagię refertur: posteà cùm religio Christiana maximè ab illis coli cœpisset, & Episcopum sibi dari vellent, Moses Monachus est illis datus à catholicis, reiectis ijs, quos hæretici Ariani ordinare voluerunt, vt Sozomenus tradit. Agarenorum gens Arabiæ Christo se deuouit industria Euthymij Abbatis, Petriq́; Episcopi ipsorum, vt in vita Euthymij scribit Metaphrastes. Quod si ad nostra tempora accedamus, in Ormutio insula Persici sinus & Arabici Gaspar Belga sacerdos Societatis Iesu Christi cultum maximè promouit.

Sarraceno rum con.

Soz. l. 6. c. 38.

Agarenorum con.

Quis verò ignorat in Indijs Orientalibus quanti fiant in dies singulos rei Christianæ progressus per nostros? infiniti laboris esset, & à pręsenti instituto alienissimum, cunctas vrbes, regiones, ac populos, in quib. quotidie amplissima capit incrementa Christi pietas, enumerare. Indias namq́; Orientales latissimas esse nemo ignorat: aliquid tamen adferamus. Emanueli Christianissimo Lusitanię Regi, Ioanniq́; eius filio, ac toti Lusitanicæ genti debetur hęc laus, vt nobis ad remotissimas oras, & antiquis inuias, facillimus, ac tutus fuerit aditus apertus ita vt Christiana in amplissimis regionib⁹ religio longè lateq́; potuerit disse-

Indiarum orientaliũ con.

minari. Et quamuis plurimi operæ plurimum posuerint, vt Christi nomen ab omnibus per ea loca agnosceretur & coleretur, in quibus Henricus, posteà Septensis Episcopus, magnæ sanctimoniæ vir, cum socijs quinq; ex ordine sancti Francisci; præcipua tamen laus omnium consensu Francisco Xauerio Societatis Iesu debetur. Is enim solués Vlyssiponæ anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, cunctas oras, quas Oceanus ab Indico mari vsque ad extremos Sinas (id est totius orbis ambitus dimidium) circumfluit, Euangelij prædicatione illustrauit, ac repleuit, obijtq; anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Indicæ peregrinationis vndecimo, in insula Santiano Sinis adiacente.

Goa cis Gangem sita nunc habet Archiepiscopũ suum, cui plurimi obediunt Episcopi varijs vrbibus latissimi illius, quem diximus, tractus præpositi à Pontifice Romano. Abest insula ab æquinoctiali sexdecim circiter gradus. In ea sunt multæ familię ex ordine sanctorum Augustini, Dominici, Francisci, qui huic vni rei dant operam, vt ex ea Metropoli Christi cultus per Indiæ totius oras maximè amplificetur. Iesu Societas habet ibi frequentissimum collegium, in quo morari solent socij amplius centum, ibi instituuntur pueri innumeri, è diuersis regionibus oriundi, Brachmanes, Persæ, Arabes, Aethiopes, Cafres, Canarii, Cazarates, Bacanij, Malauares, Bengalæ, Canaræ, Peguæ, Patanes, Chingolæ, Iai, Malai, Manacambi, Macazari, Malucij, Sionij, Mauri, Sinæ, & alij, qui in terras suas dimissi optimis instructi moribus, ac disciplinis, Euangelium longè lateque disseminare solent. Verùm ne cuncta prætereamus, quibus maximè prouehitur Christi cultus per eas oras, satis erit dixisse pauca quædam. Cochinum est vrbs trecentis millibus à Goa distans; ibi collegium Societatis Iesu satis amplum: suusq; est illi Episcopus. Hieronymus Ruitius in ea vrbe magnos pro re Christiana labores tulit, AEgidius similiter, Gaspar Villella, Melchior Carnerus, Franciscus Lopez. E regione Cochini est ingẽs Insularum numerus, qui Cycladas multis partib. superet. earum Rex, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Christo se dedit. Coulanum triginta dierum nauigatione abest ab vrbe Goa, ibi domicilium Societatis Iesu, è qua Aloysius Goucanus maximè Christi doctrinã prouexit. indè cùm multa sint oppida, & vrbes in ora illa

pro-

promontorij tractusq; Comorinensis, & Indię, quæ ab Indi fluminis ortu vsque ad ipsum Comorini extremum littus protenditur, & etiam ad insulas vsque Malauaris, donec ferè attingas Aequinoctialis circulum, omnia Christianæ religionis lumine per nostros sunt illustrata. Idem perfectum in insula Zeilani, cuius longitudo est milliariorum trecentorum, & caput eius extremum distat ad æquinoctiali gradibus quinque.

In regno Bengalæ, quod subest tropico Cancri, est Malacha, quæ fuit olim aurea Chersonessus, quæ distat ab vrbe Goa mensium ferè quatuor nauigatione, vbi Christophorus Acosta maximè cultum Christi prouexit. in latissimis regnis Sionis, Gamboiæ, & Gauchinchinæ vltra mare Gangeticum Chersonessumque auream sitis, nonnulli ex ordine sancti Dominici, & Francisci, latè veram doctrinam propagarunt, & adhuc propagare non desistunt. in vrbe Macone, quæ est in regione Sinarum, Melchior Carnerus Episcopus innumeros è Sinis ad nostram legem perduxit. & nuper est allatum ad anteriora Sinarum peruentum per nostros, & latissimè amplificari Catholicam doctrinam, vt mihi Romæ narrauit Ioannes Baptista sancti Gregorij Pisaurensis ex ordine sancti Francisci, & familia discalciatorum, qui in ijs locis Christianam rem promouit.

In eo mari, quod excurrit ab aurea Chersonesso ad Sinas, sunt insulæ Maluchæ ad Austrum pertinentes, quarū partim sub Aequinoctiali, partim citra vltraq; hunc circulum iacent innumeræ multitudinis. In his Rex Zibut cum plurimis suorum Christo se dedit opera Fernandi Megalianis Lusitani, qui primus insulas illas inuenit. Alfonsus Castrius annos vndecim consumpsit in Christi doctrina per illas insulas longè lateq; disseminanda. Similiter Didacus Magalianes operæ multum posuit in ea re conficiēda. Rex Bazoni cum tota sui regni nobilitate inter alios se ad nos contulit. Incolæ Ternatis idem fecère: vbi Nicolaus Nugnez diu ob hāc causam fuit. Indigenæ similiter, Baccioni, Mori, Selebi, Toti, Moratai; vbi Nicola⁹ Sequita huic rei studebat, sicuti in Bacciono Antonius Gonzalez, Petr⁹ Marcaregnas tres reges ex ijs, quib. insulæ multę parent, inter alios Christo conciliauit. Rex item Sionis & Manadi ad nos concessit, & Rex Sanguin, & incolæ Cauripæ, Amboini, Soloris, Macazaris cum rege Supanorum, Vla-

Indicarum regionum in orientę con.

tenſes etiam. Homani Recaniuenſes idem fecerunt induſtria Sacerdotum Societatis Ieſu.

Quod de Moluchis dicimus, accidit & Philippinis nuper inuentis Philippo ſecundo in Hiſpanijs regnante, in quibus religioſi viri, è familia præſertim ſancti Auguſtini, Dominici, & Franciſci, innumeros ad Chriſti cultum perduxerunt.

Inſula Iaponis eſt nobiliſſima, & maxima: diſtat eius extremum littus ad Auſtrum ſpectans ab æquinoctiali gradibus triginta quinque, & initio longitudinis recta ducto ab inſulis Canarijs abeſt gradibus centum & octuaginta, ſoluentibus verò ab Vlyſſiponis portu Leucis omnino ſex mille. In hac Inſula Franciſcus ille Xauerius altiſſima religionis Catholicæ fundamenta iecit anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono. Secuti ſunt eum poſtea Coſmus Turrianus, Ioannes Ferdinandus, Petrus Alcaceua, Melchior Nunnes, Duartes Sylua, Balthſar Gagus, Gaſpar Villela, Guglielmus Conſaluus, Ferdinandus, Aloyſius Almeida, Arias Sanctius, Aloyſius Froes, Ioannes Baptiſta Montius, Franciſcus Cabralius, Ioannes Franciſcus Stephano, Organtinus Brixienſis, Franciſcus Larion, Gregorius Ceſpedes, Laurentius Meſſias, Gaſpar Coegli-us, omnes è Societate Ieſu, Paulus, & Laurentius genere Iaponenſes.

Vidimus nos ipſi anno ſuperiore magna noſtra lætitia legatos illinc miſſos Romam à Franciſco Bungi Rege potentiſſimo, & à Rege Fiunghe Manciũ, à Protaſio rege Arimæ, & Bartholomæo rege Omuræ Michaelem, qui nomine illorum Regum Pontifici Romano obedientiam præſtarent, maxima verò in illis locis quotidie Chriſtiana religio per catholicos incrementa capit, plurimiq; Principes, & innumera hominum multitudo Eccleſiæ Chriſtianæ in dies ſingulos aggregatur. ob eam rem Pontifex Romanus tria Seminaria inſtituit in diuerſis Inſulæ locis, & annuos ſex mille aureos ad iuuenes Criſtiana diſciplina informãdos attribui iuſſit. Atq; hoc anno, qui eſt milleſimus quingenteſimus octuageſimus octauus Sixtus Quintus primum Bungo Epiſcopum dedit. Atque hactenus de Aſiæ totius oris. Videant nunc infelices, quicumque hæreticorum ſequuntur inſaniam, num quis è ſuis inuitat ad montem Domini, & domum Dei Iacob populos, & omnes Gentes, & ambulent in vijs Dei, & in lumine eius videant; num

Iſa. 2.

factio

factio ipsorum tabernacula Christianæ religionis, ac tentoria diuina in remotis regionibus figat. videant num cælestis doctrina per suos in insulis maximè longinquis annuncietur, & an illi super vniuersam terram principes constituantur, & populi omnes Deum fateantur, & colant. Ipsis ne hoc, an nobis contigit? Nobis proculdubio, vt apparet. Nos igitur ex Ecclesia Dei, non illi.

Mich. 4. Isa. 54. Isa. vlt. Psal. 44.

Indiæ Occidentales, quarum latißima sunt confinia per omnes mundi partes pertinentia, ad Christi cultum per nostros perductæ fuerunt.

CAP. III.

ANno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Christophorus Columbus natione Genuensis, diuino, vt exitus ostendit, impulsu afflatus, acceptis à Regibus Hispaniæ Ferdinando & Isabella nauibus tribus, Hispali soluens, post longam multorum mensium nauigationem tandem peruenit ad insulam quamdam; quam, quòd sancti Dominici die festo inuenissent, eiusdem nomine nobilitarunt. Inde aditus patefactus ad amplissimas regiones, quæ proculdubio conficiunt tertiā totius orbis partem, in quibus longè lateq; varijs temporibus per nostros Christi cultus est disseminatus, & hodie maximè viget, floret, & vberrimos fructus reddit.

Primus Euangelij præco fuit Bucil Catalanus ex ordine sancti Benedicti, quem Papa Alexander sacerdotibus duodecim præfecit, suasq; in ijs regionibus illi partes mādauit. Anno deinde millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Americus Vesputius Florentinus Occidentem versus maxima regna patefecit, quæ de nomine suo communi Americæ nomine appellauit. Post hos Ferdinandus Cortesius latissimas oras Mexici reperit: alij deinde alias regiones, neque adhuc finis. in Mexicanis partibus Martinus Valentinus, adiunctis sibi socijs multis è familia sancti Francisci, innumeros Christo populos acquisiuit. Hinc ventum ad insulas Philippinas, quibus anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono datus est Episcopus primus Dominicus Salazarius ex ordine sancti Dominici; & in eis sunt collegia sanctorum Augustini,

Fumus in hist. Gallica Indiarum occid. lib. 1. ca. 2.

Indicarum regionum in occidente conuer.

Dominici, Francisci, & Societatis Iesu, quorum peruigili studio innumera hominum multitudo Christianæ religioni quotidie adiungitur: Martinus Herrada Augustinianus, Hieronymus Marinus cum multis alijs primi semina Christianæ veritatis latè per ea loca sparserunt.

Insula S. Francisci haud longè abest à tropico Cancri; longitudo eius est leucarum, vt aiunt, centum quadraginta & octo, latitudo quinquaginta: habet Archiepiscopum, cui multi parent Episcopi minores; familias cuiuslibet ordinis religiosorum: nemo in illa & insulis proximis, vt Cuba, cuius longitudo est graduum vndecim, Iamaica, & multis alijs, qui Christi nomen non agnoscat, & colat.

In Perù, quod est amplissimum regionis Americæ regnum, primus est creatus Episcopus Vincentius è Valle viridi ex ordine sancti Dominici, qui posteà in insula Puna, dum Christi doctrinam prædicaret, ob id ab Indis est occisus. Cuzco similiter, quæ est vrbs metropolis Peruanæ prouinciæ, attributus Episcopus, cui ciuitates innumeræ & oppida obediunt primus Ioannes Solanus instituti Dominicani. in ea vrbe Ioannes Olias collegium familiæ Dominicanæ, Sebastianusq; Franciscanæ primi ex omnibus constituerunt. Ex illis plurimi prodierunt, & Catholicam pietatem latè propagarunt. In ciuitate quam vocant Pacis, quæ Episcopo Cuzci est hodie subiecta, Franciscus ex Angelis monasterium sancti Francisci primus fundauit. In Cinquito primus monasterium Dominicanorum excitauit Thomas è sancto Martino. in Villa argenti ante alios collegium sancti Francisci erexit Hieronymus, in Chiquana aliud Dominicanorum Martinus Squinellus; aliud etiam religiosorum, quos Mercedis Hispani vocant, Sebastianus: è quibus plurimi in varia loca dispersi, plurimos Ecclesiæ Catholicæ ab impijs & omnino efferis moribus auocatos adiunxerunt. Vrbi Regum primus Episcopus est assignatus Hieronymus Aysa ex ordine sancti Dominici. is est Archiepiscopus, cuius lata est in multos Episcopos iurisdictio. in hac vrbe primus familiam Franciscanorum constituit Franciscus è sancta Anna, Dominicanorum Ioannes Osias, aliamque Michaël Orensis. Petrus Vlloas duas religiosorum domus fundauit; alteram in Arequiqua, quæ Episcopo Cuzci paret, alteram in ciuitate Leonis Guanuci, ambas ordinis Dominicani. Vrbibus etiā sancti Francisci in Quito, & sancti Michaelis portus veteris delectus

fuit primus Episcopus Garzias Diaz Arias. In hac autem prouincia Quiti Alonsus è Monte nigro excitauit monasterium ordinis sancti Dominici; Martinus è Victoria excitauit aliud ex ordine Mercedis; Ludouicus similiter Belga erexit aliud Franciscanorum: & ex his, quasi quibusdam doctrinæ, & sanctimoniæ castris, procedunt variæ ad profligandas impietates & belluinos hominum mores, Christiani exercitus acies inuictæ, Trusillum paret hodie Episcopò Cuzci, ibi monasterium Franciscanorum fundauit Franciscus è Cruce, & aliud instituti quod vocant Mercedis, Ioannes Vlloa. Regioni Popaian amplissimæ præpositus est Episcopus Ioannes à Valle. Per hoc igitur in latissimis Imperij Peruani regionibus longè amplificatum est, & in dies magis ac magis amplificatur nomen Christi: per hos ipse colitur, & vnus Deus, per hos procul expulsæ barbaricæ feritatis impiæ consuetudines; Numquid per aliquem Photij, aut Michaëlis, hominum superbissimorum sectatorem, per quos Græcia in extremas calamitates ac miserias deuenit? Numquid per aliquem Lutheri, vel Caluini satellitem, qui Germanicæ, ac Gallicæ nobilitati impias hæresum notas inurere sunt conati.

A Peruani Imperij confinibus haud longè abest Brasilia, quæ patet in longitudinem ab Aequinoctiali vsq; ad circulum Capricorni: adiecta est illa Imperio Lusitanico, regnante Emanuele, & in octo quasi præfecturas est diuisa. Emanuel Nobrega scripsit illinc ad Martinum Alzpilcuetam anno millesimo quingētesimo quadragesimo nono, ex vrbe Saluatoris, in ijs locis adhuc apud indigenas conseruari memoriam à maioribus acceptam S. Thomæ Apostoli, quem dicunt ad illas oras appulisse. Quinimmo indigenæ sancti Vincentij, qui est locus Brasiliæ ad eius initium situs, aiebant maiores suos ab Apostolo Thoma accepisse, quib. vesci cibis sine morbi suspicione vel mortis possent: addebantq; in comitem quendam Apostoli ab incolis emissas fuisse aliquando sagittas, quæ in ipsos continuò retorquebantur. Inuenta est Brasilia à classe Lusitanica anno millesimo quingentesimo primo duce Capraii, octauo Kal. Maij. in Christiano cultu in ijs partibus disseminando plurimum studij posuerunt Emanuel Nobrega, Leonardus Nunnez, Petrus Correa, Maximianus, Didacus, Iacobus, Ambrosius Peretius, Antonius Blasquez, Ioannes Alzpilqueta, Frācisc⁹ Perezius, A[illegible]oni⁹ Rodriguez,

Indicarum regionum in occidente conuer.

Ruitius Pererius, cuncti e Societate Iesu. Nicaragua est etiam regio maxima Indiarum Occidentalium, cui suus præest Episcopus.

Soluentibus ex insula sancti Dominici, antequàm perueniatur ad littora Imperij Mexicani, occurrit insula Campechæ, in qua nonnulli religiosorum cœtus, & Episcopus etiam suus. Mexici ciuitas habet Archiepiscopum suum, cui multi parent Episcopi: passim constructa visuntur monasteria religiosa sanctorum Augustini, Dominici, Francisci, & Societatis Iesu. in ea floret gymnasium omnium scientiarum, atque artium. Denique tot per Indias Occidentales nunc templa constructa sunt, in quibus Deus colitur, explosa impietate dæmonum crudelibusq; hominum sacrificijs, & pia sanctorum memoria honorificè renouatur, vt Romæ mihi narrarint duo sacerdotes, quorum alter erat Mexico oriundus, alter Hispali, illorum sub annũ millesimum quingentesimum septuagesimum sextum numerari millia circiter septuaginta. Hæc scilicet tentoria à nostris fixa; hæc domus Dei Iacob, ad quam confluunt omnes populi, per nostros inuitantur, ac perducuntur in insulis longinquis: constitutique principes super vniuersam terram sunt Ecclesiæ filij ab Ecclesia nostra, Archiepiscopus sancti Dominici, cui subijciuntur Episcopi sex, Cabanus, Boriquensis, Nondurensis, Panamensis, Carthaginensis, sancti Martini; Post hunc Archiepiscopus Mexicanus, cuius leges sequuntur Episcopi septem, Xalicanus, Mothoacanus, Guaxacanus, Tlasculanus, Guatimalanus, Chiaxensis, Nicaraguanus; Postremus sit vsque ad hanc ætatem Archiepiscopus Vrbis Regum, cui parent Cusconiensis; Quitonensis, & Charcasensis. Sanctus vero Franciscus hoc est meritus, vt primus huiusmodi Indiarũ fuerit Episcopus ex ordine ipsius: hic fuit Ioannes Cabedus. Atqui hi principes ab Ecclesia constituti, per quos populi Deum verum nunc agnoscũt, & colunt. Vbi vestri, ô schismatici, & hæretici? Vbi vestri, inquam, principes super vniuersam terram constituti ab Ecclesia Christi spõsa, quæ adstitit veluti Regina à dextris eius in vestitu deaurato, circumdata tot gentium varietate, tot populorum dissimilitudine in vnius religionis cultum mirabiliter coëuntiũ? Agè verò contentum nostri itineris ac nauigationis cursum ne cohibeamus.

Peruagati sumus orbem ferè totum, reliqua est Africa

sola, percurramus & ipsam, & videamus per quosnam fuerit Euangelij lumine illustrata. Diximus Marcum Petri discipulum fixisse Alexandriæ sedem, quæ secunda erat antiquitus à Romana, vt nemo qui legerit historias sacras ignorat. Illi parebat Aegyptus, Arabia, Aethiopia, Libya Cyrenensis. Igitur hoc Marcus Petri filius: ita namque ab ipso Petro appellatur. Africæ reliquum obediebat Episcopo Carthaginensi. Hîc Simeon Metaphrastes narrat à Petro Episcopum fuisse constitutum Crescentem. Ob id Cyprianus Ecclesiam Romanam vocat non modò Africanæ, sed Catholicæ radicem, ac matricem. & vt omittamus prima illa tempora, quibus per Africam totam Christi religio per successores istorum, quos diximus, Alexandrinorum Patriarcharum, aut per Episcopos varijs locis ab eis datos est propagata; veniamus ad illa tempora, quibus Ecclesia Catholica ab hæreticis vexari cœpit, Imperatoribus iam Christi cultum sequentibus. Anno trecentesimo septuagesimo nono, cùm pulso Athanasio Alexandrinam Ecclesiam Lucius Arianus occupasset, missi sunt in exsilium Isidorus, Pambus, Heraclides, & Macarij duo in insulas quasdam desertas, quas circumfluit Nilus, ad quas cùm peruenissent, continuò Deus eos miraculis nobilitauit, quibus adducti indigenæ Christo se adixerunt. Narrat hæc Rufinus, qui cum prædictis est versatus.

Alexādria Metropolis à Petro constituta.

1. Pet. 5.

Epi. 45. vel 8 lib. 4.

Lib. 2. c. 4.

Paulus Diaconus scribit, anno decimo sexto imperij Iustiniani, Adad Azumitensium Regem Christianæ religioni in Aethiopia adhæsisse ob victoriam, quam voto nuncupato retulerat è Damiano Hebræo Rege Homeritarum; hi sunt Arabiæ populi: datusque illi Episcopus Ioannes sancti Ioannis Alexandriæ mansionarius, qui Azumitenzes doctrinam Christianam doceret. Simeon Metaphrastes retulit in suos commentarios, quos de vitis sanctorũ scripsit, anno quinto Iustini, Elesbaan Aethiopum Regē exercitu collecto perrexisse aduersus Dunaam Homeritarum Arabum Regem, deuictoque illo Homeritarum regiones adiecisse imperio suo, præposito ijs à se delecto Rege Abrahamio, & Episcopo populis illis instituẽdis ad Christianam pietatem dato. Addit Paulus Diaconus, anno Iustini septimo, qui fuit Christi nati quingentesimus sexagesimus quartus missos ab Imperatore legatos ad Aretham Aethiopum Regem, vt bellum in Persas moueret: quod is per suos præstitit, præmissis in illos Sarracenis sibi subie-

Africanarum nationum con.

Paul. Dia. li. 16. Tom. 5.

Sur. 24. Octo. in vita Arethæ.

Vel vt alij volunt 572.

ctis

ctis. An hic sit Arethas ille, à quo Procopius memoriæ prodidit imperante Iustiniano deuictos Sarracenos, eorumq; Regem Alamandarum, non bene nobis est exploratū, atq; hæc de AEthiopibus, & eorum Rege.

Lib. de bello Vand.

AEtate auorum nostrorum Dauid AEtiopum Rex misit ad Clementem Septimum legatos, qui eum suo nomine supremum Christianorum præsulem venerarentur, muneraq; & litteras dedit. scribit id, & exemplum litterarum ponit, qui AEthiopum mores ac terras describit, Damianus Goës, & Petrus Aluaresius.

Regnum Manicogni attingit AEthiopias, quos vocant Abyssinos, & eorum confinia; annoq; millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, nostris est patefactū, mox ad Christianam religionem perductum studio Ioānis Lusitaniæ Regis, vt ex historijs Osorij & Petri Maffeij docemur. Regio Manopotamæ, & Inhabanis est amplissima, & attingit Abyssinorum regna ab Occidente & Meridie veluti terra Manincongi ab Occasu duntaxat. Consaluus Silueria anno millesimo quingētesimo sexagesimo latè propagauit in ijs locis Christi doctrinam; Regemq; Inhabanis cui Constantino, ac Reginam, cui nomen Catharinæ est impositum, Christo conciliauit vnà cum multis proceribus, ac populo ferè toto. Similiter actum cum Rege Manopotamæ, Sebastiano, matreq; eius Maria, ac principib. maximi regni ferè trecentis.

Regna Melindæ, Quiloæ, Cefalæ, & Mozambiquæ respiciunt AEthiopas ab Austro. in ijs latè Christiana religio, vt oēs norunt disseminata per Lusitanos. Insula sancti Laurentij est maxima: sita est sub tropico Capricorni intra zonam torridam; & AEthiopas spectat ad Austrum, & Orientem. in ea cultus Christi latè amplificatus per eosdē Lusitanos. Insula patet in longitudinem gradus decem, & septem. Zachotora est insula in ostijs ferè maris Erythrei; & hîc Christi doctrina per nostros confirmata. Denique oræ omnes Africæ totius, & adiacentes illis insulæ innumeræ ab exitu maris Arabici vsque Herculeum fretum, quas alluit Oceanus, per nostros illustratæ sunt Christianæ religionis splendore, & vt aliquid attingamus speciatim.

Distant insulæ Canariæ ab Aequinoctiali gradibus viginti octo, & spectant occiduum latus Africę, & ab ijs sumi solet longitudinis quarumlibet regionum mensura. Pe-

rar-

trarcha refert ante multos annos armatam Genuensium classem ad illas penetrasse: sunt autem numero septem, Inagua, Canaria, Tenerissa, Palma, Ferrea, Lancerota, Fortunata: ijs anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto datus est à Clemente Quarto Rex Ludouicus Hispanus. Habet Inagua Archiepiscopum suum, plurimique in cunctis religiosorum conuentus. Antonius Nebrissensis tradit à Bentacore quodam Gallo duas ex illis ad Christianam pietatem traductas, cùm prius eas armis cepisset. Hispalenses deinde quidam nobiles duas alias ceperunt, & Christiana religione illustrarunt. Postremò Ferdinandus & Isabella Hispaniarum Reges tres reliquas. Atq; ita in omnes Christi cultus inductus.

Lib. 2. de vi. sol.

Africanarum nationum con.

Papir. Masso. lib. 4. in vita Phil. 6.

Neb. Dec. 2. l. 2. Hispan. rerum.

Ioannes primus Lusitanorum Rex anno millesimo trecentesimo octuagesimo tertio regnare cœpit, Septamque vrbem Mauris ademptam Christianæ religioni reddidit, quæ postea Episcopo ornata fuit. Huius filius Henricus, littora Africæ occidua perlustrans, plurimas insulas ac nationes subegit, Christianoque cultui adiecit, qui latè est amplificatus regnantibus in Lusitania Eduardo, Alfonso quinto (qui multis magnisque in Africa victorijs potitus, Africani nomen meruit) Ioanne secundo, Emanuele, & Ioanne tertio. In his sunt insulæ quas Tertieras vocant, regnum Bentonini, quod abest ab AEquinoctiali gradibus decem; Guineæ regio cum maximo littoris tractu, quæ ab eodem AEquinoctiali totidem gradibus distat, & in longitudinem pertinet gradus viginti; insula sancti Thomæ sub ipso AEquinoctiali sita, & quæ non longè ab eo iacent insulæ Ferdinandi Principis, & Anniboni cum nonnullis alijs, quarum longitudo est à gradu trigesimo vsq; ad quadragesimum. In Oceano autem medio, qui inter Africam & Indias Occidentales excurrit, posita est insula sanctæ Helenæ, insula Asscensionis, quæ à Christianis inhabitantur per Lusitanos Christo acquisitæ.

Atq; hæc satis sit nobis, vt palam fiat, oracula illa Isaiæ, Michææ, Dauidisque suprà à nobis adducta, quibus canebant fore vt ab Ecclesia Dei populi oẽs ad Christi numen agnoscendum colendumque adducerentur, tentoria Dei latè per omnes terras explicarentur, Principes constituerentur super vniuersam terrã, per quos cuncti populi Deum faterentur, ad Ecclesiam nostram certissimò pertinere.

quod

quod quidem nullo vmquam tempore ab hæreticorum vlla factione, quamuis innumeræ exstiterint, ac potentes, est præstitum. Hoc verò hæreticorum solummodò fuit, à Christi cultu vero peruertere homines ad commentitias suasq; superstitiones; quod egit Imperator Valẽs, qui Gothos peste infecit, & occidit Ariana, qui prius erant Catholici, sequutus Eudoxij consilium: quod Theodoretus ijs temporibus proximus scriptum reliquit. fieri tamẽ potest, vt pauci aliqui interdum sint è Gentibus à Christi numine alienis ad id pellecti: sed parua nihili facienda. Græci quidem quascumque olim Gentes Christo adiecerunt, ideo tempore perfecêre, quo nondum fecerant à nobis discessionem; ex eo prorsus infœcundi & steriles non modò nullos filios Deo genuerunt, sed contrà, quos habebant plurimos, amiserunt; nec dum finis maximæ & infelicissimæ orbitatis. Quid ad hæc igitur hæretici, quod possitis afferre in medium, dicetis? Quomodo stabit illud, quod ad Christum Pater ait, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Nam si nos Christo (vt vos impudẽtissimè asseritis) infensi sumus, tantum abest vt Deus promissis steterit, vt nihil illi magis curæ fuisse videatur, quàm violare quod pollicitus fuerat filio suo summa se fide præstiturum, Gentes scilicet illi hæreditatis instar, quam possideret, futuras: per nos (ita vos stultissimè iactatis) neque possidet; neq; potitur, sed amittit. Videte, quò necesse est vos impudentia & mendacium ferat. sed ad reliqua pergamus.

Lib. 4. c. 32.

Psalm. 1.

SIGNVM SEPTIMVM,
Maxima temporibus iniquissimis propagatio.

Quò maiores aduersus Ecclesiam nostram sunt per hostes eius concitatæ tempestates eò fœcundior illa fuit, & vberiores fructus dedit; quod est signum diuinitatis consonum prædictionibus sacris.

CAP. IV.

ILlud maximè obseruandum in conuersione Gentium, eas potissimùm illo tempore nomen Christo dedisse, cùm desciuerunt aliqui à fide Pontificis Romani Petri successoris; amplexantibus ex aduerso ipsius iussa, qui tũ Christo se dabant. id verò est argumento Ecclesiam Dei esse cum Pontifice Romano. Christus enim dictus est lapis angularis ea de causa, quòd Iudæos ac Gentes in vnum connectat, quasi duos parietes coniungens, è quibus Dei templum, non è lapidibus, sed hominibus & Angelis constans, construitur; sic Paulus ad Ephesios scribens egregiè disputat, & interpretatur. Quocirca Deus vt amplissimè ostendat ab hæreticis non constitui Ecclesiam suam, eodem met tempore, quo dissiliunt ab huius parietis templique compage, prouidit vt Gentes templum è Gentibus confluentibus ædificandum magis ac magis in dies constituerent, ac stabilirent. Hæ verò Gentes non hæreticis adiunguntur, vt ex vtrisq; fiat paries ac templum, sed ijs qui adhærent Pontifici Romano Petri successori. Petrus namque vicaria petra primariæ petræ, qui est Christus: cæteriq;, inquit Paulus, superædificantur supra fundamẽta Apostolorum, ac Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Rursus, per quos fit hæc adnexio? Num per hæreticos? nihil minus; per eos præcipuè, vt ostendimus, qui sunt addicti Pontifici Romano. Atq; hoc est qđ Christus alibi ait fore vt vinea ipsius, sacrarum scilicet rerum administratio & cultus, alijs locetur, vbi per eos, quibus est id commissum, non bene ac fideliter colitur. sic etiã quilibet volit vineã Domini ex parte sua, vbi vera fidei doctrina, obedientia maioribus debita, iussisq; diuinis seruandis excolit animum suum: discedunt à vero animi cultu, à vera vineæ suæ cultura hæretici. Ideò protinus Deus alias Gentes aduocat, ac vineam suam, rerum sacrarum administrationẽ perceptionemq; locat alijs agricolis. Quod in vniuersum prospiciens Isaias, rem totam exaggerans & amplificans, ait alloquens Ecclesiam Dei, Deiq; sustinens personam: *Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponã te in superbiam sæculorum, gaudium in Generatione & generationem, & suges lac gentium: & mamilla Regum lactaberis: & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* & ibidem pro-

Cap. 60.

uidens eorum, qui domestici erant, hæreticorum inquam, discessionem, *Et ædificabunt*, ait, *filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. in indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui.* Audin' vt quo tempore hæretici diruũt Ecclesiæ, de quo supra dicebamus, parietem, eodem tempore filij peregrinorum construant illũ? Notandum namque, quòd inquit, *Ædificabunt muros tuos.* sæpè enim, quin semper, qui Christo è Gentibus se dederunt eo tẽpore, quo hæretici fidẽ violarunt, & Ecclesiæ parietẽ quempiã ruperunt, fuére pro muro ipsi Ecclesiæ, vel ope illã externa defendẽdo & adiuuãdo, vel sanctimonia vitæ, vel miraculis editis in ipsorũ conuersione. Similiter argumentũ fuit efficax apud Hebræos, qui dubitabant de legitima electione Aaronis, ipsum fuisse à Deo summum sacerdotem constitutum, quòd virga eius, quæ per se non poterat florere, & floruit, ac fructus edidit, ideoque in arca reposita fuit. Ob hanc causam est apertissimo argumento Ecclesiam nostram esse Ecclesiam Dei, quando floret maximè, & dat fructus, vbi ambigitur de ipsius electione, auctoritate, ac diuinitate. Hinc Deus pollicetur se tum Christo daturum Gentes pro hæreditate, & pro fundo, & possessione terminos terræ, cùm fremunt aduersus ipsum Gentes, & populi (hæretici scilicet, vt à Gentibus alijs aliquo modo distinguantur) meditantur inania, comminiscentes noua, excogitantes falsa, & adulterina.

Psalm. 2.

Nunc id, quod est à principio assumptum, aperiamus, eo scilicet tempore potissimùm, quo hæretici ab Ecclesia se disiungunt, adiungi illi frequentissimam Gentium multitudinem. & quidem plurimæ ortæ sunt hæreses primis illis temporibus, quæ numerantur à Christi resurrectione, aut sancti Spiritus illapsu in Apostolos, vsque ad tempora Constantini. Sed quoniam est certissimum ex aduerso plurimos se Ecclesiæ Christi addixisse, adducemus in medium hæreses illas, quæ maximè Ecclesiam perturbarunt, plurimumque ab illa detraxisse, & insignes præ cæteris videntur, temporaque illarum sunt clarissima, & exempla illustrissima. Hæresis Ariana ante omnes alias maximos in Ecclesia tumultus & dissidia excitauit. Arius cœpit pestilentissimæ suæ opinionis virus euomere Petro, deinde Achilla Episcopis Alexandrinis circiter annum tercentesimum; & paulò pòst Imperator Constantinus Christ-

se deuouit: exstincta verò est ferè anno sexcentesimo, cùm Gregorius sederet, ex quo Recharedus Hispaniarum Rex est illam detestatus, & Ecclesiæ Catholicæ se subiecit. igitur quo tempore Arius furere cœpit, eodem Constantinus Christi fidem secutus, exemplo suo plurimos Ecclesiæ Catholicæ adiecit, in his Celtas Galliarũ populos vltimos, & quæ ad Istrum habitabant gentes, teste Sozomeno. Indi interiores acceperunt ab Athanasio Episcopum Frumentium, à quo sacra Christiana edocerentur. Iberes similiter & Armeni, vt retulimus è Rufino, Theodoreto, Sozomeno, Socrate, iisdem temporibus Christo se dederunt: post hos Burgundi. Inde Sarraceni, Valentiniano Imperatore, per Mosem Monachum Episcopum ab ipsis expetitum ad Christi cultum perducti: sed ante Burgundos, ac Sarracenos, Bessæ populi; deinde Scoti per Palladium Episcopum à Cælestino Papa missum. post quæ Clodoueus Rex Francorum Christo se adiunxit. Mox Iustinianus Episcopos dari curauit Auximitis, & Homeritis vltra AEgyptum. Cabadesq; Persarum Rex, & alius Lazorum Princeps Christi nomen agnouit. Rupertus, Boios, & Bauaros cum Regulis eorum Christianos effecit. Inde secuta Anglorum conuersio, cùm misisset ad eos Gregorius Augustinum, Melitum, Ioannem. Atque hæc quantum ad hæresim Arianam, quam secuti sunt Constantius & Valens Imperatores, plurimique Ostrogotthorum Reges in Italia, Visigotthorum in Hispaniis, Vandalorumque in Africa, & nihil non pro illa stabilienda aduersus Catholicos, vel per insidias, vel per apertam vim tentarunt.

Tempus ab anno trecentesimo vsque ad sexcentesimum & conuersæ hoc tempore nationes.

Soz. lib.1.c.5.
Soc. li.1.c.15.
Ruf. lib.1.c.9.

Illa adhuc gliscente, Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus cœpit asserere duas in Christo personas, diuinam, & humanam: aduersus illum synodus Ephesi habita anno quadringentesimo trigesimo secundo, damnataque eius opinio & anno quadringentesimo quartodecimo Pelagius peruersè docebat in nostra naturaliter sitam potestate iustitiam diuinam. Euthyces item Constantinopolitanus Abbas cœpit decernere vnam in Christo naturam, diuinam scilicet, in quam transisset humana. secutus est eum Dioscorus Episcopus Alexandrinus, Anastasius Imperator, Theodora Augusta. visique sunt Theodosius iunior & Iustinianus Imperatores aliquando huic hæresi adhæsisse. eam synodus habita Chalcedone

Secundum tempus.

anno quadringentesimo quinquagesimo quarto diris addixit. Similiter Cyrus Alexandriæ, Sergiusq́; Pyrrhus, & Paulus Constantinopolis Episcopi aiebant vnam in Christo tum actionem tum voluntatem. hanc hæresim tutati sunt omnibus modis Heraclius, Constans, & Philippus Imperatores: explosa est à concilio Constantinopolitano secundo, anno sexcentesimo septuagesimo sexto: per hæc tempora Scotia cœpit religionem Christi latè amplexari, vt ostendimus; posteà Hibernia, & Orcades; mox Franci, & Angli. Inde aditus aperiri cœpit ad Alemannos per Columbanum Gallumque eius discipulum ad Christi doctrinam perducendos. Mox Flandri Christianæ se pietati deuouere cœperunt opera Eligij. deinceps Cæsarea Persarum Regina vnà cum viro, & quadraginta hominum millibus, Cōstantinopolim veniens imperante Constantino Pogonato est baptizata. deinde Chilianus à Cunone Papa missus Cutbertum Principem Germaniæ Christo conciliauit. Atq; hęc secunda aduersus Ecclesiam commota tempestas per Nestorianos, Euthycianos, Monothelitas.

Reg lib.1.
Sigib. in chro.

Tertiũ tempus.

Sequitur tertia, quæ Philippico imperante est exorta aduersus imagines sacras: eam maximè concitauerunt Philippicus, Leo Isaurus, Constantinus Copronynus, Leo Armenius, Michaël Balbus, Theohilusque Imperatores. interim verò nomen Christo dedêre Germani ferè omnes opera Bonifacij, quem Gregorius Secundus Episcopum Moguntinum creauit. Posteà Daci, Metanastæ, Iaziges per Carolum Magnum Christo acquisiti, & magna ex parte Slaui, Dani, Hunni, Sueuones, Gotthi, Sueti, inde aliqui è Bohemis, Bulgarisq́;, imperante Ludouico.

Bonif Dec. 6.l.9.
Helmo.l 1 c. 34.
Mut. in chro. lib.1 Gost. lib. 12.c.1,
Ioan. Mag. li. 5 de gent.

Quartum tempus.

Post has hæreses secutum est illud dissidium quod nostra adhuc ætate perdurat inter aliquos Græcos & nos, quod à Photio cœpit initium, paulatimque serpens adeò se extulit, & effudit, vt ob eam causam Michaël Patriarcha primus omnium sit ausus à nostra communione se abiungere. & quamuis ad mentem sæpè redierint Græci, nihilominus in eadem semper crimina sunt relapsi, in quibus obdurati miserrimè persistunt. Per hæc igitur tempora Hunni, & Bulgari prorsus Christo se adiunxerunt, Moraui, Bohemi, Dalmatæ, Illyres, Rascij, Bosnenses, Seruij, Croatæ, Triballi, Slaui, Pomerani, missis ad eos legatis Cyrillo & Methodio à Nicolao Magno. post hos Northman

Crom lib.3.
Ioan Rub. hist. Bohe.

manni fidem Christi sunt in Gallijs amplexati; inde Noruegiæ Reges, populique Zelandiæ, & Scandiæ; deinde Gislas, & Hungari vniuersi. Hos secuti sunt Froto Rex Daniæ, & Poloni cum Rege Micislao, Slauini omnes (Helmodo teste) Sorabi, Vandali, ad Elictram Misniæ flumen habitantes, Rhussi à Polonorum Regibus domiti, Cobila Tartarorum sextus Imperator, Mangu Rex eorumdem, Cumani Ludouici Hungarorum Regis opera, Iagello Lithuaniæ Princeps cum fratribus octo, tota Lithuania, & Samoghetia, & multo ante Noruegia omnis, Bothnia, Finmarchia, Liuonia cum suo Principe, tertius Imperator Tartarorum Prussi, siue Prutheni, Iaziges à Boleslao Pudico Polonorũ Rege subacti. Postremò magna Africæ pars cum Canarijs insulis, regno Bentonini, Guineæ, & Angolæ, atq; hoc Ecclesiæ Catholicæ iniquissimum tempus, quarto loco numeratur, quo ferè omnes Imperatores Græci, paucis exceptis, se à nobis abalienauerunt.

Blon. li. 2. Dec. 2.
Crãt. in Met.
Gram lib 10.
Bonfi. Crom.
Ayto.
Io. Rel. Ola9. Mag. l. 4. c. 18

Sequitur vltimo loco factio colluuiesque hæreticorum confusissima, qua se inquinarunt nonnulli Principes, ac Reges, vt Daniæ, Gotthiæ, Angliæ, Nauarræ. At hoc tempore in Africa, Asia, Indijs Orientalibus, & Occidentalibus, innumeri populi, nationes, Principes, ac Reges Ecclesiæ Catholicæ se adiunxerunt, vt ostendimus suprà, per quos refecti parietes, & in nobiliorem formam restituti, quos hæretici disiecerant, repositumque diuinitus nobis pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, pro lapidibus ferrum: vt si Deus nos indignatione sua abalienatis istis percussit, per hos nobis reconciliatus nostri misereatur, lac Gentium sugamus, Regum mammilla lactemur, & floreat virga Ecclesiæ, potestas eius, ac regnum, aduersus quam gentes hæreticæ fremuerunt, populi nouis opinionibus ebrij meditati sunt inania, & adstiterunt Reges terræ, & Principes in vnum conuenerunt. Nobis autem, quibus est præstò & intimus Christus, datæ sunt hæreditatis loco Gentes, ac possessionis termini terræ. An non hoc verum Græci? Numquid inficiari hæc potestis? Numquid simile vobis contigit? Ostendam vobis quid contigerit, quod vltimo Psalmi illius loco Dauid futurum prædicit conuersus ad Reges ac terræ Iudices, hortans vt intelligant, erudiantur, apprehendant disciplinam; alioquin perituros, vbi eius ira momento temporis exardescat. An non hoc euenit vobis? Inspicite, & contemplamini hæc oracu-

Quintum tempus & conuer.

Isa. 60.

Psal. 2.

racula, Protestantes, & videte quàm cōcinnè ex omni parte in nos ac vos quadrent, è quibus vos sitis, quàm re vera nos ex Ecclesia Catholica Deique simus. Derelinquatis nos licet, vt Deus per Isaiam vaticinatur, odio habeatis, per nostra ne transeatis: quid ad nos tandem? Pollicitus est nobis Deus, eodem tempore, quæ ipsius est benignitas summa, ponendos nos in superbiam sæculorum gaudium in generatione, & generationem, vt lac Gentium sugamus, ac Regum mammilla lactemur: pollicitus est, ac præstitit. Virga Ecclesiæ nostræ floret, filij peregrinorum parietes à vobis perfractos ædificant nobis, Reges eorum ministrant nobis. Videte ne vestris regibus contingat, quod Dauid comminatur futurum, & Græci infelices factum deplorant. Atque hæc de hæresibus, quæ præcipuos in Ecclesia maximosque tumultus excitarunt: quia sectati sunt eas Imperatores, ac Reges, & aduersus Christum aduenientes, cum frementibus, Gentibus, ac populis inania meditantibus adstiterunt, vt pereant, ac veluti vasa figuli, virga ferrea per Ecclesiam confringantur. Hæreses aliæ, quòd Imperatores ijs non fauerint, aut Reges, non tanti fuerunt momenti.

SIGNVM OCTAVVM,

Perpetua fides propagatio in Gentibus.

Necesse est ab Ecclesia Dei perpetuò inter Gentes fidem propagari, ita vt non modò eadem natio eam nepotibus suis tradat, quomodo diximus suprà esse perpetuam fidem, sed ex alijs in alias Gentes semper transmittatur, atque ita perpetuetur.

CAP. V.

Colligere possumus ex ijs, quæ sunt à nobis hucusque dicta nullis non temporibus, sæculis, ac generationibus (vt loqui diuina oracula solent) ab Ecclesia nostra ex alijs in alias nationes fidem Christi propagatam, semper editos ex illa fuisse Deo filios, nunquam sterilem fuisse. id verò prædictum fuerat longè antè à sa-

cris vatibus de illa: sic enim Dauid ait, fore, vt Ecclesiæ filij constituantur principes vniuersæ terræ, & memores sint diuini nominis in omni generatione, & generatione, populi Deum confiteantur in æternum, & in sæculum sæculi. & Isaias vaticinatur, non vnis, sed in vniuersum nouissimis diebus fore, vt Gentes confluant ad montem Domini, & inuitent alios populos: neque vllum tempus excepit, quo id non contingeret. sic alibi: *Multiplicabitur*, inquit, *eius imperium, & pacis non erit finis*. & de Ecclesia rursus, quæ prius erat quasi tellus deserta & inuia, ad quam nemini patebat accessus ante aduentum Christi, nullus eius erat cultus; *Lætabitur*, ait, *deserta, & inuia & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans, germinabit, & exsultabit lætabunda & laudans*. explicat alibi eadem elegantissimè Isaias, coniungens, quæ infrà diximus, cum ijs, quæ sunt præ manibus nunc nostris: *Deserta*, scribit, *tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spacium mihi vt habitem. Et dices in corde tuo quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua: & istos quis enutriuit? ego destituta & sola: & isti vbi hic erant? Hæc dicit Dominus Deus: ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meũ & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt*. Audin' Isaiam prædicentẽ fore, vt quoties deseritur Ecclesia, sola relinquitur, destituitur, absorbetur, ad sterilitatẽ adducitur, in angustias redigitur, adhuc semper adducẽtis ad eã Gẽtibus & populis sit florentissima, celeberrima, frequentissima, plurimorum genitrix; ita vt spatia illi necessaria sint locorum latissima, quæ tamen non desint, quin admirabile sit adesse maxima cum sobolis improuisæ vbertate. Audiamus eumdem, qui sic inducit Deum loquentem, & verba facientem ad Ecclesiam, quasi virum ad vxorem: *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ nõ pariebas; quoniam multi filij desertæ magis quam eius, quæ habet virum, dicit Dominus: dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida*. Intellextin' fore, vt quoties Ecclesia ad sterilitatem adducitur, non parit, & deseritur, tum magis pariat, amplificetur, dilatetur? Non discedamus ab eodem Isaia, qui sic alibi refert Deum loquentẽ ad Ecclesiã:

Psal. 44.
Cap. 2.
Cap. 9.
Cap. 35.
Cap. 49.
Cap. 45.
Cap. 60.

In indignatione mea percußi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui, & aperientur portæ tuæ iugiter die, ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Viden' vt quo tempore Deus Ecclesiam percutit alienatione filiorum eius in hæresim labentium, eodem tempore eius misereatur; neque sit monumentum diei vel noctis, quo claudantur eius portæ; sed sint semper è Gentibus qui ingrediantur ad ipsam, ita vt non possint, vel maximè eo tempore, quo necesse videtur, qualis est nox, claudi. *Aperientur*, ait, *iugiter, die, ac nocte non claudentur: vt afferatur ad te fortitudo Gentium.* Fixũ sit igitur ab Ecclesia nostra perpetuò propagatum Christi cultum, sicuti perpetuò ex alijs in alias Gentes propagabitur; & idcirco esse Ecclesiam Christi, & Dei. ob id Christus idem scriptum voluit esse in Euangelio, à patrefamilias vineæ domino vocari ad illius culturam quibuslibet horis, vespere etiam, suos operarios. Vineam verò esse instar Ecclesiæ, & Ecclesiam esse instar vineæ illius, est clarissimum. Sic etiam vaticinatur Abdias ijs verbis personam Dei sustinens: *Quomodo enim*, ait, *bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes Gentes iugiter.* quibus ostenditur fore vt in Ecclesia (quæ montis nomine significatur; quòd antiquitus Iudæi conuenirent in templo posito in monte Sionis ad Deum colendum) bibant omnes Gentes, simul eodem tempore in Ecclesia ad Dei cultum coëant, sed omnes diuersis temporibus confluant in vnum: iugis verò est aduentus earum, quòd alijs aliæ venientibus venientes succedant. Similiter Zacharias prædicit fore vt singulæ familiæ separatim Christum crucifixum lamententur, ac defleãt; *Et omnes Gentes ab anno*, inquit, *in annum ascendant ad vrbem Hierusalem ad Ecclesiam, vt adorent Deum, & celebrent eius festa.* Porrò constat è supradictis non modò ab Ecclesia propagatum Dei cultum, propagatumq; ijs temporibus præsertim, quibus ab hæreticis est maximè oppugnata, sed singulis ętatibus ac sæculis plurimos è Gentibus ad Christi religionem per ipsam fuisse perductos, vti nunc etiam perducuntur, quod est signum manifestissimum nos esse ex Ecclesia Dei.

Cap. 12.

Nam post illa tempora, quibus Imperatorum nemo secutus est Christum (quamuis Philippus Arabs primus fuisse videatur) Constantinusq; Christo se adiunxit anno trecentesimo decimo, Celtæ, Istriq; fluminis accolæ Christo

se

se adiunxerunt, & paulò pòst Iberes, Indi, Armeni; Valente deinde imperante Sarraceni cum Mauia eorum Regina post annum trecentesimum sexagesimum octauum; mox Bessæ Hęmi montis incolę circiter annum trecentesimum nonagesimum. Quarto igitur sæculo, ex quo natus est Christus, labente, Celtæ accolæ Danubij, Iberes, Indi, Armeni, Sarraceni, Bessæ Gentes inter se diuersæ Christo nomen dedêre.

Quartum sæculum.

Secuti sunt deinde Burgundi anno ferè quadringentesimo trigesimo primo, & quadringentesimo trigesimo tertio Scoti, at quadringentesimo nonagesimo octauo Franci, vnà cum Rege Clodoueo. Igitur quintum sæculum Christo dedit Burgundos, Scotos, Francos.

Quintum sæculum.

Anno autem quingentesimo trigesimo sexto Auximitæ, & Homeritæ Ecclesiæ se Christianæ adiecerunt, deinde Cabades Persarum Rex, & Lazorum Dux, imperante Iustiniano; post hæc anno quingentesimo trigesimo septimo Boij, & Bauari, & Heruli; post quingentesimū septuagesimum sextum Cosroe Persarum Rex; mox quingentesimo nonagesimo Gotthi, siue Visigotthi, qui in Hispania consederant. atq; hoc sextum seculum, quo Auximitæ, Homeritæ, Lazi, Boij, Bauari, Heruli, & Visigotthi Ecclesiæ portas accessu quodam iugi sunt ingressi.

Sextum.

Sequitur septimū, quo ineunte latè in Anglia per nostros Christi cultus propagari cœpit. Annoq; sexcentesimo trigesimo, Alemanni frequentes nomen Christo dare cœperunt, & sexcentesimo quadragesimo, Flandri; sexcentesimo quadragesimo octauo, Cæsarea Persarum Regina sacris est aquis abluta cum multitudine innumera Persarum. Deniq; sexcentesimo octuagesimo nono, Cutbertus Germaniæ Rex ad nostra sacra concessit.

Septimum
Beda de li. de sex. ætat.

Octauum sęculum Christo genuit propè totam Germaniam diuersis annis; Frisonum Gentem, à qua sanctus Bonifacius post multos pro Christi doctrina inter Germanos dissemināda exantlatos labores est interfectus; anno septingentesimo quinquagesimo quarto, Saxoniam ferè vniuersam: Nam septingentesimo septuagesimo septimo Saxones nostræ se religioni passim deuouerunt, & septingentesimo octuagesimo Bardogauēses, & Nordouitę. Anno autem septingētesimo nonagesimo sexto Auares cum Rege Tudone. plurimos præterea ex Hunnis, Dacis, Iazigibus, Metanastis, Slauis, Suetisq; hoc sæculo Christianæ

Octauum.
Sigibertus.

Rhegino chro.

religioni adiunctos quidam tradunt, & est sanè verisimillimum. Carolus namque Magnus in Saxonia Episcopos octo instituit, & alijs in locis alios ad propagandum latè Christi cultum, vt in Hamemburg ciuitate Nordalbingorum, Heridagum quemdam sanctissimum virum præfici Episcopum curauit, vt Slauos, Danosque Christo conciliaret.

Bonfin.
Helmol l 1. c. 3. & sequen.

Nonum

Gramm. l. 10

Nonum sæculum Christo peperit Danos, & Suedos. Annoq; octingentesimo vigesimo quinto, Arioldus Danorum Rex cum coniuge, filijs, suaq; Danorum parte Moguntiæ baptizatus Christo nomen dedit: & Imperator Ludouicus Hamemburgensi Ecclesiæ Episcopum dari curauit, à quo latè per multos ministros inter Danos, & Suedos Christi cultus est propagatus. Scribunt aliqui similiter circiter annum octingẽtesimum sexagesimum quintum, Bulgaros ad nos concessisse: & per eadem tempora Boemi, Slaui, Triballi, Northmanni, Moraui, Gazari veritatem sunt amplexati, Nicolao Primo sedente, qui è vita migrauit anno octingentesimo sexagesimo octauo; & ex eo tempore disseminatus inter eos populos latè Christi cultus.

Helmol. l 16.
Crom li 3. in Miceslao.
Helmol li. 1. cap. 20.

Decimum.

At decimi sæculi anno noningentesimo quadragesimo Nouergiæ Reges, populi Zelandiæ, & Scandiæ nostris sacris initiati fuerunt; noningentesimo sexagesimo quarto Poloni; noningentesimo septuagesimo quarto Slauinorũ amplissimæ regiones Christi doctrinam receperunt.

Vndecimũ

Idem l 2 c 13
Crom. lib. 7.

Vndecimum sæculum Christo genuit anno millesimo decimo Hungaros cum Rege ipsorum; millesimo duodecimo Vindos Slauorum populos, & haud multò pòst innumeros è Prussis, Cycinos, vt nominat Helmoldus, Circipanos.

Duodecimum.

Duodecimum millesimo centesimo sexto anno Pomeranos; millesimo centesimo trigesimo Gotthos cum Magno eorum Rege; millesimo centesimo quinquagesimo quarto Nouergiæ totius gentes; millesimo centesimo quinquagesimo octauo Liuoniam; millesimo centesimo sexagesimo octauo Rugianos.

Decimum tertium.

Decimum tertium Tartaros cum tertio ipsorum Imperatore; anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto Prussos; millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto Iazigas; millesimo ducentesimo sexagesimo tertio Cobilam Regem sextum Tartarorũ, cum plurimis ex ea gen-

tes;

te; millesimo ducentesimo nonagesimo primo Mangu eorumdem Regem.

Decimum quartum millesimo trecentesimo quadragesimo secundo Cunnos ad littora Pontici maris positos Christo dedit, & millesimo trecẽtesimo octuagesimo sexto Iagellonem cum populis Lituaniæ, & Samogetiæ millesimo trecentesimo quadragesimo quarto insulas Canarias, plurimasq; Africani littoris oras.

Decimum quartum.

Decimum quintum regna Bentonini, Guineæ, Angolæ, & anno millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto Congense Regnum.

Decimum quintum.

Agitur nunc decimum sextum à Christo nato sęculum, quo tot populi ad omnes mundi totius partes positi perducti sunt ad Christum, & in dies perducuntur, vt nullo vnquam tempore plures. Quinimmo hoc sæculum longè plures Christo nationes dedit (videbitur hoc incredibile ijs, qui historias non legerint) quàm superiora ferè omnia simul. atq; vt liqueat à nobis veritatis fines nullo modo excedi; quod diximus, euidenter demonstramus. Religio olim Christiana numquam sedes fixit vltra Canarias insulas, & sinum Gangeticum; quod quidem terrarum spatium est graduum centum viginti. At ambitus orbis totius, qui nunc nobis est ita peruius, vt circumnauigantibus semper occurrant Christianorum portus, est graduum ter centum sexaginta, è quibus si demas centum viginti, residui erunt ducenti quadraginta, duplo scilicet plures. Igitur duplo nunc est amplior Christiani cultus amplitudo, quàm fuerit ante sæcula superiora. Quòd si quis obijciat in Indijs Orientalibus doctrinam Catholicam nõ ex omni parte in intimas regiones penetrasse; is reputet se cum, neq; omnem, quem diximus tractum centum viginti gradibus contineri, Christianæ pietati omnino olim patuisse, sed innumeris hæresibus conturbatum, & à multis Gentibus à Christi nomine prorsus alienis occupatũ; cùm tamen Indię Occidentales pareant omnino legibus Christianis, & in intima illarum peruaserit Christiana religio. Hunc accedit quòd antiquitus Euangelium non protendebatur, nisi à circulo Arctico ad summum, vsq; ad Æquinoctialem; at nunc vsque ad Antarcticum ferè, à quo fretum Magaliani, quo nostri peruenerunt, decem tantùm gradibus abest. hoc verò discrimen est graduum quinquaginta quinque, quod est propè tantumdem.

Decimum sextum.

Incredibilis fidei ꝓpagatio nostro sęculo.

Quocirca si vllo vmquam tempore oraculorum, quæ adduximus, veritas eluxit, nostra maximè ętate resplendet. Nunc enim multo magis, quàm sæculis præteritis, populi inuitant omnes Gentes ad montem Domini, & domum Dei Iacob: nunc potissimùm fluunt, id est, fluminis instar alijs Gentibus alię succedunt perenni quodam cursu; ita vt hæ, quæ modò properant quasi aquæ, paulò pòst, alijs superuenietib⁹, effugerint ad montē Domini, & alias Gentes post se adducant: nunc potissimùm constituti ab Ecclesia principes super omnem terram, memores Dei sunt in omni generatione, & generatione; ex quo fit vt è sæculo in sæculum populi agnoscant, & confiteantur Deum, & admiretur Ecclesia adesse sibi è longinquis regionibus filios, exclamans: Ego destituta & sola à Græcis, & Protestantibus; & isti vbi hic erant? extenditq; locum tentorij sui ex alijs in alia loca exercitum ducens militum cælestium in acie pro Christo prodeuntium; & castra ponit, tabernaculorum pelles dilatans. Nunc potissimùm portæ Ecclesiæ iugiter aperiuntur, neq; die, neq; nocte clauduntur, dum singulis horis ac momentis Gentes ingrediuntur. Vestræ autem portæ, ô Protestantes, nullis vmquam Gentib⁹ sunt apertæ; vestræ, ô Græci, ex quo à nobis discessistis, sunt clausæ; vestrarum Gentium flumen stetit, aqua effugit, amnis exaruit: tentoria vestra contraxistis, pelles vestrorum tabernaculorum ad terram prostratæ sunt flentibus nobis. Quomodo estis igitur ex Ecclesia Dei?

Isa. 47.

Isa. 54.

SIGNVM NONVM,

Ordo fidei propagatæ inter Gentes.

Prædictum est fore vt Christi cultus primò inter Gentes ad Aquilonem positas propagaretur, deinde inter eas quæ spectant ad Austrum: quod cùm nostræ Ecclesiæ per tot sæcula contigisse videamus, illam palàm fit esse Ecclesiam Dei.

CAP. VI.

Religio nobis est suspicari, temerè aliquid scriptum in oraculis diuinis. Igitur pensandum nobis est, quod Deus apud Isaiam verba faciens ad Ecclesiam

am prænunciat futurum: *Noli timere:* inquit, *quia ego tecum sum; ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni, Da; & Austro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo. & filias meas ab extremis terræ.* hæc Isaias, aperiẽs fore, vt ab Aquilone, deinde ab Austro Gentes adducantur ad veritatem. sic ait idem alibi: *Ponam omnes montes meos* (Deus loquitur) *in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi.* Audin' vt ab Aquilone primùm, deinde ab Austro Gentes adducantur ad Deum? Explicat alibi idem similitudine diuersa, & maximè accommodata ad rem nostram: *Dilata,* inquit, *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum Gentes hæreditabit.* Quid est autem, quod ait ad Ecclesiam, Ad dexteram, & ad læuam penetrabis? quid primò ad dexteram, deinde ad læuam? Venientibus ab ortu Solis ad occasum, Solisque cursum tenentibus, à dextera occurrit Aquilo, Auster à læua. penetrabit itaque Ecclesia priùs ad Aquilonem, mox ad Austrum: id verò Ecclesiæ nostræ accidisse manifestè videmus. Et quando Deus cuncta moderatur, ac disponit, neque fieri quidquam potest quod non pendeat ab ipsius nutu; an putamus absque cælesti consilio factum, vt celeberrimum illud Hierosolymorum templum tanto studio, diligentia, & arte diuinitus concessa ædificatum, quod Ecclesiam Dei, ad quam cunctæ Gentes erant perducendæ, significabat, ad Aquilonem construeretur? Mihi sanè persuadere non possum, quin prænunciaret id, quod præ manibus habetur. An non hoc manifestè scripsit, & cecinit Dauid? *Fundatur exsultatione vniuersæ terræ mons Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Nam quando quæso contigit Hierosolymis, vt exsultatione vniuersę terrę fundaretur ad latera Aquilonis? Ecquando, quod subijcit, *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum,* contigit illi ciuitati? Scimus numquam congregatos Hierosolymis Reges terræ, & in vnum conuenisse, vt mons Sion fundaretur ad latera Aquilonis, magnique Regis ciuitas. Ecclesiæ hoc Christianæ est diuinitus concessum (quod infrà latiùs explicabitur à nobis) vt ad eam fundandam Reges terræ coierint simul. Idcircò apposité concludit eodem loco Dauid: *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* quod nullo modo conuenit

Cap. 43.

Cap. 49.

Cap. 54.

Ab Oriẽte in occidentem, Aquilonem, & Austrum.

uenit Hierosolymitanæ ciuitati. Videamus autem, numquid Ecclesia nostra ab Aquilone primùm, deinde ab Austro à dextra, & à sinistra Gentes ad Christi cultum perduxerit. An non ita contigit? Galliarum maxima pars magis ad Boream pertinet. Britannia, Hybernia, Horcades, Germania, Frisia, Pannonia, Misia, Dacia, Saxonia, Bohemia, Pomerania, Polonia, siue Sarmatia, Prussia, Lithuania, Samogetia, Liuonia, Dania, Gotthia, Noruegia, Bothnia, Fimmarchia, Sclandia, nónne Aquilonem respiciunt? Ad ipsum ferè mundi verticem peruentum, cælique supremi polum. En Aquilo, en latera Aquilonis, en dextra. An non suprà ostendimus, latissimè per nostros in his regionibus Christi cultum fuisse disseminatum? An non igitur Ecclesia ad hanc dextram penetrauit?

Videamus an iactis hisce fundamentis, vbi tot nationes Aquilonis ad Christum perduxit, tot Reges vnius religionis vinculo coniunxit, in vnum coegit, latera Aquilonis fundauit, an penetrarit ad læuam, idem præstiterit ad Austrum. atqui amplissimæ illæ Africæ regiones, insulæ Canariæ, Tertieræ, sancti Thomæ, Principis Ferdinandi, Regna Betonini, Guineæ, Angolæ, Manicongi, Benopotamæ, Inhabanis, Cefalæ, Melindæ, Mozambiquæ, insula latissima sancti Laurentij, & Zochotoræ, quæ omnia Africam circumstant, & vndique cingunt, ad Austrum protenduntur. & quid est opus repetere innumeras oras Indiarum Orientalium, atque Occidentalium? Sumat qui volet in manus totius orbis descriptionem, & quod dico, suis ipse oculis cernet, ad læuam posteà penetratū, ad Austrum deinde peruentum. Viden' vt veritati respondeant cuncta? vt oracula diuina certissimis euentis comprobentur?

Cap. 40.

Audi adhuc alia mysteriorum plena. Canit Ezechiel, & ait; *Facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc, in visionibus Dei adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis; super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum.* hæc Ezechiel, qui deinde plurima recenset de noua Dei ciuitate construenda abditissimis inuoluta mysterijs, cuius ædificium supremis temporibus excitandum vergat ad Austrum. Id quid sibi velit, an non conspicimus si numerum spectemus, ac multitudinem nationum, quę confluxerunt ad Ecclesiam Catholicam & nobis ad Austrum sunt? proculdubio multis partibus plures ex

istis,

istis, qui nobiscum sentiunt, & Christum colunt, hanc ciuitatem Christianam, siue Ecclesiã Dei constituunt, quàm sint, qui respiciunt Aquilonem: quales cum nobis sunt omnes ij, qui ab AEquinoctiali longè positi Septentrionẽ spectant. Ac licet Dauid cecinerit futurum vt hæc ciuitas magni Regis fundaretur ad Aquilonis latus; inquit enim, *Fundatur exsultatione vniuersæ terræ mons Sion latera Aquilonis ciuitas Regis magni*: & reuera Ecclesia Catholica, in qua sum⁹, habeat ad Aquilonem fundamenta: cuncti namq; Catholici à Romani Pontificis legibus pendent, illisq́; innituntur quasi latis à Petri successore, cui dictum fuit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: nihilominus bene prædixit Ezechiel futurum, vt hæc ciuitas supremis temporibus renouanda vergeret ad Austrum; quòd eius longè maxima pars, vt apertissimè ostendimus, vltra nos Zonamq́; torridam sita sit Antarticum polum versùs, quamuis Roma sit ad Aquilonem.

Ab Oriente in Occidentem, Aquilonem, & Austrũ.

Atque hoc est, quod in Canticis sponsus Ecclesiæ sponsæ precabatur: *Surge Aquilo, & veni Auster, persla hortum meum, & fluent aromata illius*. Primo namque loco surrexit Aquilo, vt hortus Christi excoleretur: deinde Auster venit: ad huius verò flamen an non verè aromata instar fluminũ sese ex Orientis regionibus effuderunt in Europam? Notissimum puto esse omnibus, aduchi nauibus illinc vberrimam aromatum copiã in omnes nostras regiones. Hoc sanè sponsus potissimum non significabat. Quid enim Christo cum aromatibus? sed per hæc, quæ conspiciuntur, & sensibus patent, manuq; tenentur, conspici volebat ea quæ sensus atq; oculos corporis effugiunt; peruia verò sunt menti arcana eloquiorum cælestium peruestiganti. tam bonis namq; moribus, tam diuinis instituuntur ad exemplar Christi, quicumq; ex Indijs, siue Orientalibus, siue Occidentalibus, nostram doctrinam sequuntur, vt instar aromatum bene olentium, cunctos Christianos intima voluptatis suauitate, ceteros autem iucundissimo exempli optimi odore perfundant.

Cap. 4.

Accedite nunc hæretici, quicumque estis ad Orientem, venite ad iudicium. Num vos, ex quo à nobis discessistis, ad Aquilonem primò, deinde ad Austrũ, ad dexterã, mox ad leuam penetrastis? Num vestra ciuitas ad Septentriones fundata vergit ad Austrum? Numquid Aquilone excitato,

postea verò perflante Austro, aromata vobis fluunt? An potiùs, ex quo nuncium nobis remisistis, longè secus contigit infelicissimæ ac perditissimæ factioni vestræ? Hem quî vos Aquilo, quî vos Auster concussit, labefactauit, ad terram deiecit, ad nihilum redegit. Auster Sarracenorum vos prostrauit primò; Turcarum deinde Aquilo miserrimos, an non videtis, vt prorsus iam protriuerit ingemiscentibus nobis?

Nam quid est, quod de Protestantibus dicamus? in quos illud aptissimè cadit: Ab Aquilone pandetur omne malum. Vos namq; nobis ad Aquilonem, nos vobis ad Austrum sumus. Quomodo igitur estis ex Ecclesia Dei? & quis nos esse penitus ex illa negabit? Videte hæretici, ne vos Aquilonis turbo Turcarum Gens, quæ è Caspijs olim portis erupit ad Boreã sitis, inuoluat, & ad internecionẽ perdat; imminent iam ceruicibus vestris, nudatos gladios stringunt, & intentant Sarraceni, ab Austro ex Arabia profecti, cum Aquilonaribus Turcis iuncti. Hic scilicet vobis Aquilo surgit; hic vos Auster, nauibus aduectos AEgyptos, Afros, Syros, Arabasq; ad vastationem vestrarum regionum perducens, exercitibus quotidie immissis quod maximè dolemus, omnes perflat.

SIGNVM DECIMVM,

Tria tempora, tres modi ac tria hominum genera in fidei propagatione.

Prædictum est fore vt trinam legationem Deus ad homines destinaret, qua veritas per illos agnosceretur ac coleretur, ac prima vocarentur, secunda adducerentur, tertia compellerentur, prima diuites, secunda pauperes vrbium, tertia agrestes, primi in domibus, secundi in vijs & plateis, tertij in vijs extra vrbem, & sepibus habitarent, illi prope, isti non ita procul, hi longiùs positi: atq; è primis nulli ferè accederent, è secundis multi, è tertijs qui impleant domum: primi male haberent nuncios, secundi ac tertij non eodem modo. Idcirco omnia primorum immißis exercitibus vastarentur, quod alijs nõ sic vsu veniret. Hæc verò soli Ecclesiæ nostræ cõtigisse demonstatur.

CAP. VII.

His

HIs explicatis expendamus nonnulla, quæ nobis digna videntur, quæ obseruari debeant: atq; in primis, quod ait Lucas, Petrum, dum commoraretur in Ioppe, à sensibus abstractum vidisse vás quoddam instar magni lintei, è quatuor capitibus cælitus demitti, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & feræ (sic est in Græco θηρία) & serpentia, & volatilia terræ, dictumque Petro: Macta, & comede. qui respondit se id nequaquam facturum, quando illa essent immunda. Tum diuinitus illi dictū, immunda non esse, quæ Deus effecerit pura. Hoc verò ter accidit Petro; donec in cælum vas est receptum. Et quidem visu huiusmodi Gentes, quæ immundæ ab Hebræis habebantur, ad verum Dei cultum, & sacra Christiana vocatas esse, scribit idem Lucas. Futurum namque erat, vt omnes ad Ecclesiam è quatuor mundi partibus, ait Augustinus, venirent: nam Petrus Ecclesiam refert, cuius personam sustinebant, & adhuc sustinent eius successores. Quid verò est, quòd ter id totum scriptura factum dicit? Temerè autem id contigisse, quis quæso, nisi temerarius dicat? Præcipuè cùm Deus alloquens Ecclesiam per Isaiã: ter etiam dicat vt amplificet habitationis suæ locum, concludens ad extremum, vt postremò clauos, quibus funiculi tentorij extenduntur, consolidet: *Dilata*, inquit, *locum tentorij tui.* rursus: *Pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas.* deniq;: *Longos fac funiculos tuos.* his confectis non est amplius amplificationi locus, sed adijcitur, *Clauos tuos consolida.* Eodem modo Christus ter à Deo missos legatos dicit, qui homines ad cælestia inuitarent. Sic enim Lucas à Christo per similitudinem dictum refert, ab homine quodam cœnam magnam fuisse aliquando paratam, missumque seruum, vt diceret inuitatis vt venirent, quia iam sunt omnia parata. at alius inuitatorum respondit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excusatum.* & alius dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum.* & alius dixit: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* hęc Lucas de primis legatis, primaq; legatione à Christo narrata tradit. Addit Matthæus de inuitatis primo loco: *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam reliqui verò tenuerunt seruos suos* (Dei scilicet) *& contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audiuisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* prosequitur Lucas, & ait: *Deinde*

Serm. 26. de diuer. ho. 45. tom. 10.

Cap. 54.

Primum tempus vrbanorũ per miracula conuersorum.

Matth. 22.

dictum seruo, Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. & ait seruus: Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. En secunda legatio: Et ait Dominus seruo: *Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* atq; hæc tertia legatio. quibus omnibus tria tempora, tria hominum genera, ac tres modi, quibus homines Deus ad suam cœnam admittit, quam se suis in regno cælesti parare Christus alibi dixit, continentur. & quidem patet à Christo tres legationes describi; quarũ quælibet aliam vel sequatur, vel præcedat. Ad primam pertinent homines diuites, qui habitent in medijs ciuitatibus in suis ædibus, & contemptores, aut homicidæ nunciorum: atque hoc istorum genus: modus, quo admittuntur, est vt vocentur. Ad secundam spectant inopes, cæci, claudi, debiles, qui habitent in plateis & vicis ciuitatũ: atque hi non vocantur, sed adducuntur. en modus admissionis. Tertia continentur, qui extra vrbes in vijs ac sepibus degant, in agris scilicet, & syluis. modus, quo participes fiunt cœnæ, est, vt compellantur: atq; hæc similitudo posita à Christo.

Ad eius porrò explicationem clarissimam reuocandum nobis erit ad memoriam, ex potissima parte maioriq;, nõ minori, quamlibet rem dijudicari, & æstimari. His positis dicimus prima legatione designari tempus, quod intercessit à vita, & obitu Christi vsq; ad imperium Romanum in Occidente excisum, & in Orientis regiones omnino translatum; secunda, quod ab hoc vsq; ad Pipini & Caroli Magni tempora; tertia, quod ab illo vsq; ad terrarum conflagrationem, & iudicij magni diem. Quæ dicimus, euentu similitudini propositæ consono, & alijs apertissimis oraculis comprobantur. Licet enim cunctis temporibus aliqua ex parte saltem, qui mittuntur à Christo ad instituendas Gentes, fuerint occisi, & contumelijs affecti; quis tamen inficiabitur id potissimũ contigisse, stante adhuc Republica Iudæorũ, & imperio Romano florente? Quis tot martyrũ millia iussu Imperatorum Romanorum cæsa, & crudelissimè trucidata poterit vnquam recensere? Paucissimi respectu istorũ sunt deinde per tot annorũ curricula interfecti, collatio nulla fieri potest. Nam quid est, quod agam⁹ de indignissimis in Christi nuncios eo tẽpore per hostes veritatis iniurijs illatis? Legat qui volet Apologias Athena-

gora,

goræ, Iustini, Tertulliani, Cypriani, Arnobij, & aliorum, ac videbit quæ in nos maledicta olim Gentes congererent. Diximus quātum ad genus hominum, hac prima legatione vocatos diuites. nam quamuis Deus omnes omnibus temporibus ad agnitionem veritatis vocarit, siue illi forēt inopes, siue opulenti; cùm tamen imperio Romano vigente maximæ opes apparerent, ac tū præsertim villæ magnificentissimæ viserentur, hoc est illud: *Villam emi*: agri excultissimi, & amplissimi essent in pretio, atq; hoc illud est: *Iuga bouum emi quinq;*: nuptiarum lautissimi essent apparatus, in quibus deliciarum voluptatumq; vniuersa exponerentur incitamenta, quod significatur ijs verbis: *Vxorem duxi*. idcirco inuitati dicuntur ex his multi, è quibus tamē ad cœnam tam pauci venerunt, vt nemo venisse dici possit, donec Deus in Orientem, nouamq; à suis vrbem Constantinopolim conditam translato imperio, Romanis extrema minari cœpit: neq; ijs adhuc agnoscentib9 vltionis diuinæ signa, vrbi Romæ contigit, & imperio Occidentali, quod Iudææ. Id verò perfectum maximè eo tempore, quo Iustinianus extremis temporibus à semetipso desciscens in Pontifices Romanos maximè iniurius fuit, coniectis in vincula, & indignissimè habitis, Sylucrio, & Virgilio; qua de re fusiùs loco suo: tum Roma per Totilam magna ex parte excisa; tum multæ prouinciæ in Barbarorum potestatem venerant multo ante Iustinianum. Neq; verò solùm ad diuites hæc legatio spectare ea de causa dicetur, quòd imperio Romano florente maximæ in omnib. opes apparerent, deliciæq;, & voluptates; sed etiam quia nemo sapientiæ vel artis esset opibus vllis instructus, quibus vel iuuatur, vel ornatur humana vita, qui imperio Romano haud pareret: cæteræ nationes, neq; corporis, neq; animi bonis vllis, si compararentur illis, erant satis excultæ, vt ostendemus locis suis. Igitur hoc hominum genus huiusmodi legatione cōtinebatur, quod vocari dicebatur; quoniam sacerdotes Christiani à Gentibus olim non magno plerumque habiti in honore, vix erat vt imperio vllo vti, quo compellerent homines, aut auctoritate, qua adducerent ad cultum Christi, possent.

Primum tempus vrbanorū ad fidem vocatorum.

At inquies, Cùm concidit imperiū Romanū in Occidente, & à Barbaris est nationibus discerptum, tum Christi numen populi ferè cuncti agnoscebant, & venerabantur, nemo in eius legatos erat iniurius, nemo illos cædebat. Quo

circa legatio prima non videtur huic tempori conuenire. quamuis enim diuinitus emissi fuerint exercitus Barbarorum in prouincias imperij Occidentalis; Ostrogotthi, Heruli, Turcilingi in Italiam; Franci in Gallias; Picti, & Angli in Britanniam; Visigotthi, Sueui, & Alani in Hispanias; Vandali in Africam; ideoq; hac parte veritati responde at oraculum; non tamen, qua dicuntur è vocatis aliqui iniurij in nuncios fuisse, aut homicidæ eorum. Respondem⁹ alibi à nobis apertissimè ostendi, tum maximis affectos contumelijs eos, qui Christi personam sustinebant, sacerdotes ac religiosos viros ab Imperatoribus Romanis, & eorum sectatoribus, cùm subuersum fuit imperium in Occidente; & contumeliæ illæ longè erant grauissimæ; quòd esse huiusmodi nullo modo viderentur: & nunc quidem sit satis, quod dicimus ostendisse generatim.

Li.5. de prou. Saluianus presbyter Massiliensis vixit ijs temporibus, quibus Barbari irruperunt in prouincias Romanas, & illas occuparunt. is ergo sic post multa, quæ omittimus breuitati consulentes, de vocatis istis, qui Christum se colere profitebantur, inquit: *Quis ergo, vt dixi, locus est, vbi non à principalibus ciuitatum, viduarum, & pupillorum viscera deuorentur, & cum his ferme sanctorum omnium? nam & hos (en nuncij contumelijs affecti) quasi viduas & pupillos habeat, quia tueri se, aut pro studio professionis suæ nolunt, aut innocentia, atque humilitate non possunt. nemo itaque tutus horum est, nec vllus admodum præter summos à vastatione latrocinij populantis immunis, nisi qui ipsis latronibus par est in hac conditione: immo in hoc scelus est res deuoluta, vt nisi quis malus fuerit, saluus esse non poßit: sed videlicet cùm tot sint, qui bonos vastant, sunt fortasse aliqui, qui in hac vastatione succurrunt; qui, vt scriptum est, eripiat egenum & pauperem de manu peccatoris: non est, qui faciat bonum, non est penè vsque ad vnum. Ideo dixi penè vsque ad vnum, quia tanta est raritas bonorum, vt penè vnius esse videatur: quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat? cùm improborum hominum violentiæ etiam sacerdotes Domini non resistant? nam aut tacent plurimi, aut similes sunt tacentibus, etiam si loquantur; & hoc multi non inconstantia, sed consilio, vt putant, atque ratione: exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum sustinere non possunt, nec solùm refugiunt, sed etiam odiunt & exsecrantur: & non modò auditam non reuerentur, aut metuunt, sed maiore etiam superbientis peruicaciæ perduellione contemnunt, &*

T

ideo

ideo tacent etiam *qui loqui possunt, dum ipsis interdum malè parcunt.* hæc Saluianus, clarissimè contestans à principalibus viscera viduarum, pupillorum, religiosorumque deuorata suis temporibus. hinc idem: *Quæ enim sunt non modò vrbes, sed etiam municipia, & vici, vbi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint?* Addit postremò tam malè habitos singulos à principibus, vt transfugerent ad Barbaros ob nimias diuexationes, beneque actum sit cum ijs, quòd Barbari subuerterint imperium Romanum: *Interea,* inquit, *post contempta sacerdotum verba, vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur, in tantum, vt multi eorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ afflictione moriantur, quærentes scilicet apud Barbaros Romanam humanitatem; quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt: & quamuis ab ijs, ad quos confugiunt, discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, vt ita dicam, corporum, atque induuiarum barbaricarum nidore dissentiant; malunt tamen in Barbaris pati cultum dissimilem, quàm in Romanis iniustitiam sæuientem. Itaque passim vel ad Gotthos, vel ad Baogandas, vel ad alios vbique dominantes Barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet: malunt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quàm sub specie libertatis esse captiui. Itaque nomen ciuium Romanorum aliquando non solùm magno emptum, nunc vltro repudiatur, ac fugitur, nec vile tantùm, sed etiam abominabile penè habetur.* hucusque Saluianus, vt intelligas Christi nuncios ab ipsis Romanis contemptos, eorumque, vt ait idem, viscera ferme ab iisdem deuorata; quod ita contigisse, certissimis exemplis suo loco patefiet.

Primũ temp⁹ vrbanorum ad fidem vocatorum.

Sed bene est ex eodem cognoscere, quis Africæ hac in re status fuerit, quando illa fœdiùs & atrociùs à Vandalis est exagitata, & quæ fuerit Afrorum in viros religiosos reuerentia, & honor. Audi eum loquentem: *Si quando aliquis Dei seruus, aut de Aegyptiorum cœnobijs, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis, ad vrbem illã* (Chartaginẽ intelligit) *officio diuini operis accessit, simul vt in populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit, nec solùm hoc, sed improbissimis flagitiosissimorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi taureis cædebatur; verè vt si quis ea inscius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed nouum inauditumque monstrum abigi, atque exterminari arbitraretur. Ecce Afrorum, & præcipuè Carthaginensium fidem, totas quondam Apostolis paganas vrbes licuit intrare,*

& minus primum eorum aduentum atq; conspectum feri illi, ac barbari sacrilegiorum coitus detestabantur. Sanctum electionis vas Paulum Apostolum de vnius Dei cultu ac maiestate dicentem superstitiosissimus licet Atheniensium populus patienter audiuit. Licaonij autem in tantum admirati sunt, vt cùm Apostolis diuinas virtutes inesse cernerent, esse eos homines non putauerint Intra Carthaginem verò apparere in plateis & compitis Dei seruos sine contumelia atq; exsecratione vix licuit. persecutionem hoc quidam fuisse non putant, quia non & occisi sunt. latrones hoc quidem prouerbio vti solent, vt quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. sed in vrbe illa non tam hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum. interfici enim indemnatum quemcumque hominem etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt: ex quo agnoscitur quòd magna illic prærogatiua dominicæ religionis fuit, vbi ideo tantum Dei seruis licuit euadere, quia à Pagano iure defensi sunt, ne Christianorum manibus trucidarentur. Hæc ille.

Ex his apparet in Occidente & Africa Christi nuncios à Principibus viris, & alijs, quamuis Christiani viderentur, tot & tantis iniurijs affectos, vt, quod ait Saluianus, eorum viscera ferme deuorarentur. In Africa verò quasi monstra exterminarentur, ac ne trucidarentur, religio Christique cultus non fuit in causa, sed ipsæ Paganorum, vt ait, leges, quæ neminem indemnatum interfici permittebant. Hæc verò ita fuisse speciatim suo loco clarissimum fiet. Quòd si respicias, an Christi cultus ab omnibus receptus esset eo tempore, quo barbaræ nationes irruperunt in Occidentale imperium, constat à maiori parte nobilium, vel non omnino admissum, vel non ex animo à cunctis amplexatum. Est eorum testis Zozimus homo nobis infensissimus in historia sua, qui vixit temporibus illis, ac testatur Senatum Romanum maxima ex parte priscis superstitionibus addictum fuisse. Testes sunt epistolę Symmachi, in quibus Romanorum ciuiũ nomine obsecrat Theodosium, Arcadium, atque Honorium, vt antiqua stipendia sacerdotibus Gentium reddant, sacra fieri dijs ne vetent: testimonio sunt nobiliores magistratus in vrbe, qui plerũq; mandabantur alienis à nostra religione. Denique Orosius Romam non alia de causa direptam fuisse à Barbaris tradit, nisi quòd malè esset animata in Christum. Eius sunt hæc verba: *Igitur ingrata Roma, quæ sicut nunc sensit, non ad remittendam, sed ad reprimendam idololatriæ præsumptionem, iudicus Dei obliquam misericordiam, ita continuò propter viuorum*

Lib. 7. c. 37.

mortuo-

mortuorumq; sanctorum piam recordationem Dei iram passura non plenam, si forte confusa pœniteat, & per experientiam fidem discat ab incursu Ariani Regis, & hostis, sed Christiani aliquantulo ad tempus spatio differtur. & iterum de Roma capta agens. *Et ne*, inquit, *quisquam fortè dubitaret ad correptionem superbæ, lasciuæ, & blasphemæ ciuitatis hostibus fuisse id permissum; eodem tempore clarissima vrbis loca fulminibus diruta sunt.* Atq; hęc de Roma.

Primũ temp⁹ vrbanorum ad fidem vocatorum.

Audi nunc Saluianum de Africanis verba facientem: *Sed quia*, ait, *de impuritate Afrorum iam multa diximus, nunc de blasphemijs saltem pauca dicamus: professa enim illic iugiter plurimorum paganitas fuit. habebant igitur intra muros patrios intestinum scelus, cælestem illum scilicet Afrorum Dæmonem dico, cui ideò, vt reor, veteres Pagani tam speciosæ appellationis titulum dederunt; & quia in eo non erat numen, vel nomen aliquod esset: & quia non habebat aliquam ex potestate virtutem, haberet saltem ex vocabulo dignitatem quis ergo illo idolo non initiatus? quis non à stirpe ipsa, forsitan etiam à natiuitate deuotus? nec loquor de hominibus sicut vita, ita etiam professione ac vocabulo Paganis; & qui sunt, prophani erant errore sic nomine: tolerabilior quippe est, & minus nefaria gentilitas in hominibus professionis suæ: illud perniciosius, ac scelestius, quòd multi eorum, qui professione Christo se dicauerant, mente idolis seruiebant. Quis enim non eorum, qui Christiani appellantur, cælestem illum, aut post Christum adorauit, aut quod est peius multo antè quàm Christum? Quis non dæmoniacorum sacrificiorum nidore plenus, diuinæ domus limen intrauit, & cum factione ipsorum dæmonum Christi altare conscendit?* & mox: *Ecce quæ Afrorum, & maximè nobilissimorum fides, quæ religio, quæ Christianitas fuit: dicebantur Christiani ad contumeliam Christi.* & rursus: *At inquis, non omnes ista faciebant, sed potentissimi quique, ac sublimissimi. acquiescamus hoc ita esse; sed cùm ditissimæ quæque ac potentissimæ domus turbam faciant ciuitatis, vides perpaucorum potentium sacrilega superstitione vrbem cunctam fuisse pollutam. nemini autem dubium est omnes dominorum familias aut similes esse dominis, aut deteriores, quamuis hoc vsitatius, vt deteriores.* Hucusq; Saluianus de Afris addictis falso Deo, quem vocabant cælestem: qđ adeò est verum, vt Victor Vticensis non potuerit continere se, quin doluerit à Vandalis fuisse deletam viam cælestem, quæ scilicet ducebat ad eius ędem; & tamen Prosper Aquitanus vastatam gaudet libro de promissionib⁹: neq; debet, aut vllo modo credi potest, Victorem falso Deo aliquid dari voluisse, sed viæ illius pulchritudinē deformatā

Lib. 1. de pers.

credo dolebat, cùm magis esset gaudendum memoriam falsi Dei oblitteratam fuisse, viamq; præcisam victis Afris impietatis colendæ, quod egit Prosper. Ex his palàm fit à plerisq; nobilium non exceptum Christi cultum in Occidente, cùm Barbari occuparunt eius regiones. Adde, neq; ab infimæ sortis hominibus, siue vt veriùs loquamur, à rusticis Christi numen agnitum fuisse; argumento illud sit, quòd Arcadij & Honorij temporibus, vt colligitur è codice Theodosiano, Pagani vocabantur, qui à Christo erãt alieni; quòd scilicet, qui in pagis habitabant omnes à Christo essent auersi, vnà cum nobilibus ferè cunctis. Hinc in vita Benedicti refert Gregorius multos è rusticis ad Christianam pietatem à sancto viro, qui Totilæ temporib. floruit, traductos; igitur qui Christum sequebantur, maiori ex parte in vrbibus & oppidis habitabant, multi tamen ex illis nulla antiqua nobilitate erant insignes. Hic igitur primæ legationis modus, cùm sacerdotes Christi non tanta pollerent auctoritate, ac necesse erat se demissius vt plurimum gererent: Hoc hominum genus inuitatum: Hoc tempus huiusmodi legationis, cuius finis videtur fuisse circiter imperium Iustiniani, qui supremis vitæ temporibus à solita pietate desciscens, in vincula coniecit Syluerium & Vigilium Pontifices Romanos, primus è Christianis, seu Catholicis Imperatoribus tanti sceleris auctor, quo tempore diruta Roma, Italia miserrimè vastata: qua de re fusiùs loco suo. Nunc ad reliqua pergamus.

Tempus, modus, atq; hominum genus ad secundam legationem spectans explicatur, quo vocati in pagis habitantes, id est Pagani, & Gentes in confinibus imperij Romani considentes.

CAP. VIII.

TEstatur Appianus Alexandrinus diligentissimus scriptor, Imperatores Romanos haud curâsse imperij confinia propagare, quòd haberent in sua iam potestate quidquid in terris esset regionis excultæ, & opulentæ. Quocirca iure prima legatio maximè spectat ad subiectos imperio Romano, qui præ cunctis inuitati videntur post Iudæos; & idcirco dicuntur per illam vocati diuites, & qui in domibus habitabant; ceteri namque po-

puli tenues, aut etiam nullas vrbes habebant, vt alibi ostē-demus, si Romanis compararētur. neq; tamen illi neglecti omnino in prima legatione; præpositi verò Romani. Adde olim ius vrbis Romanæ communicatum, per Imperatores fuisse cunctis imperio subiectis. Hinc Numatianus antiquus vates:

Dumq; offers victis proprij consortia iuris
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.

Iure itaque prima legatio pertinere scribitur, & à Christo prædicitur, ad incolas vrbium, domorumque; secunda verò ad eos, qui in plateis ac vicis habitabant; quòd nimirũ quibus erant cum Romanis commercia in ijsdem plateis, quique Romanis non essent pares, neque eodem cum illis iure vterentur, sed in vicis instar egenorum, & villicorum, suas haberent sedes: ob id claudi, cæci, & inopes omnium, scilicet indigentes, quæ vel ad animi, vel ad corporis ornamenta spectarent, ad Christi cultum fuerint adducti. Hi fuêre quos diximus Paganos vocari cœpisse, quòd superstitio falsorum deorum maximè vigeret apud eos dumtaxat ferè (vbi regnare cœperunt ex omni parte Christiani in imperio Romano) qui morabantur in pagis, vicis, ac foris, quasi plateis quibusdam, vicisq; vrbis, siue orbis Romani. Hac similiter legatione continentur, quæ in confinibus imperij Romani nationes erant, quasi in suburbijs, plateisq;, & vicis apertis. Quocirca libet hîc admirari prouidentiam diuinam, qua factum est vt monachorũ, qui in syluis, agris, & solitudinibus degebant, collegia & instituta latissimè amplificata sint ab initio imperij Cõstantini, ad quod exordium secundæ huius legationis refertur, vt videlicet per eos rustici ad Christi fidem faciliùs perduci possent; quod sanè præstitum fuisse, colligi potest ex eorum vitis.

Videamus porrò quæ nationes nobis se adiunxerint imperio Romano haud subiectæ sub ipsa tempora Constantini, vsq; ad Carolum Magnum. igitur Sarmatæ imperio in Orientem iam translato per Constantinum Christiano se cultui dedicarunt, homines inopem vitam ducentes. id Socrates scriptis mandauit. Iberes similiter, & Armeni, vt Sozomenus tradit; denique omnes ferè trans Istrum Gentes in Europa Istrum verò scimus fuisse à Septentrione in Europa terminum Romanæ ditionis. Idem contigit populis, qui trans Rhenum, & alios imperij limites, sedes habe-

Lib. 1. c. 14.

Lib. 1 c. 5. & seq.

bant, vt idem testatur his verbis; *Cùm infinita ferè, & promiscua multitudo Gentium ex Thracia in Asiam traiecisset, eamq; incursioni bus factis occupasset, alijq; Barbari in alijs regionibus Romanis sibi finitimis idem præstitissent; multi sacerdotes Christi pariter captiui à Barbaris abducebantur. Qui quidem cùm homines in illis locis afflictatos morbis sanarent, & dæmonibus occupatos solo nomine Christi filij Dei inuocato liberarent; & sincerum præterea ac pium vitæ genus colere, & virtutum præstantia obtrectatorum ora penitus obturare viderentur; Barbari eos cùm vitæ, tum factorum admirabilium causa magnoperè admirati, & eos valde prudentes esse, & se si tam præstabiles hominum mores imitarentur, numenq; diuinum ad eorum exemplum colerent, Deum sibi propitium habituros. Itaque ab illis, quid sibi agendũ sit, doceri constituunt, discunt fidei nostræ præcepta, baptismum recipiunt, & conuentus more Christianorum celebrant.* hæc Sozomenus in vniuersum de cunctis nationibus barbaris vltra imperij Romani fines constitutis. Idem præterea scribit à Tiridate Armenorum Rege imperatum subiectis suis, vt Christiano se cultui addicerẽt; & per Armenos in Persia eodem tempore latè Christi doctrinã dissemi natam. Habetur ex eodem, sedente Athanasio, interiores Indos ad nostra sacra concessisse opera Frumentij, qui ab Athanasio Episcopus eorũ fuit ordinatus: vt aũt se Christo adiungerent, à principio fuit in causa fides in omnib. rebus, & prudentia Frumentij à Rege ac Regina Indorum perspecta, vsuq; multarum rerum comprobata.

Cap. 7. lib. 10.

Atq; hæc imperante Constantino, qui primus lege vetuit, ne dijs sacra fierent, & innumera Christianis priuilegia concessit: qua factum vt adducerentur homines potiùs quàm vocarentur ad cultum Christi, eam legem nonnulli ex eius successoribus vel omnino abrogarunt, vel ex parte imminuerunt, vt alibi aperietur. Hinc Tiridates Armenos suos edicto adduxit ad Christi cultum, cæteri, vel metu diuinæ vltionis, vt Barbari, quos ait Sozomenus nobis se adiunxisse, quòd Deum sibi propitium fore sperarent; vel ad mirationе prudentiæ, & integritatis in summis rebus exploratæ, quod accidit Indorum populis, Christo se adiun xêre. sed maximè Barbaros etiam, credo, mouebat ad amplexandam Christi doctrinam, quòd viderent ab Imperatoribus Romanis pluris fieri Christianos, quàm falsorum deorum cultores; licet hac via nihil profecerit Theodosius, qui multis conatus est persuadere Senatui Romano, vt Christi doctrinam sequeretur; quod Zosimus scribit ad finem

Secundum tempus paganorum ad fidem adductorũ.

nem

nem libri quinti. sic etiam Frumentius, dum regni Indici gubernacula moderaretur, fauore & beneficijs populos illos ad Christi colendum numen inuitauit, vt se ab Edesio ipsius Frumentij comite audiuisse narrat Rufinus: Sarraceni imperante Valente nomen Christo dederunt. ij sanè inopes, & artib⁹ liberalibus nullo modo valentes, metu non sunt adacti ad religionem Christianam, tãtùm Moysis Monachi sanctimonia, & miraculis; ita vt contrà acciderit ipsis, ac Sarmatis, qui bello fracti ab Imperatore Constantino, & terrore perculsi, quòd audissent illum victoriã retulisse ea de causa, quòd Christum veneraretur, cõstituerũt & ipsi Christo se deuouere, vt Socrates scriptum reliquit. Igitur Sarraceni pertinent potiùs ad secundam legationẽ: propterea quod pauperes essent, & à bonis animi ferè nudi, quàm quòd adducti sint beneficijs, aut spe beneficiorũ: pertinent etiam, quòd in vijs ac vicis habitarent: oppida namq; illis pauca, informia, & instar tuguriorum, cùm plerumq; in tentorijs degerent, & casis. Scythæ Nomades opera Ioannis Chrysostomi nobis se adiunxerunt, vt scribit Theodoretus. Hi quàm pauperes forent, optimè quidam versibus illis descripsit:

Lib. 1. c. 14.

Lib. 1. c. 31.
Hor. lib. 3. od. 24.

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ;
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua

Burgundinoum Gens barbara, inquit Socrates, vitam à Republica gerenda remotã ducebat, & arte lignaria mercedem, qua vitã tueretur, acquirebat: ea cùm trãsito Rheno prope Rhodanum consedisset & ab incursionib. Hunnorũ timeret, Christo se deuouit, si profligaret hostes: quod illi diuinitus est concessum, atque ita adducta metu quodam ad veritatem colendam, qui tamen non immitteretur ab vllis hominibus ea de causa, vt ad Christum transiret, quod est tertiæ legationis. Idem contigit multò pòst Francis, qui Gallias occuparant, & eorum Regi Clodoueo, cùm prælium commissurus esset aduersus Alemannos, & eorum robur & innumeram multitudinem maximè formidaret. Orosio viuente, Sueui, Alani, & Vandali in Hispanijs consederant; de quibus sic ille, vbi dixit à cædibus abstinuisse; ministrosque, & defensores fuisse Christiano. ũ

Post hoc quoque continuò Barbari exsecrati gladios suos ad aratra cõuersi sunt, residuosq; Romanos, vt socios modò, & amicos fouent. & mox de ijsdem, atq; alijs Barbaris. *Quamquam si ob hoc solum Barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgo per Orientem & Occidentē Ecclesiæ Christi Hunnis, Sueuis, Vandalis, Burgundionibus, diuersisq; & innumeris credentiū populis replentur, laudãda & attollēda Dei misericordia videretur: quãdoquidē, etsi cū labefactatione nostri, tantæ Gentes agnitionem veritatis acciperent, quam inuenire antea illæ, nisi hac occasione non possent.* hęc Orosius de nationibus istis, nulla re, nisi robore, & armorū vi præstãibus, alioquin pauperrimis, artiumq; cunctarum ignaris: quibus adijcere possumus Hibernos, ad quos per eadem tempora à Cęlestino missus est Palladius, homines in tugurijs agentes, & speluncis.

Secundum tempus paganorum ad fidem adductorū.

Imperante Iustiniano, nomen Christo dederunt Auximitæ, & Homeritæ populi vltra Aegyptum, quod Paulus Diaconus & Procopius scribunt: Heruli, & Hunni, Bosphorani, Abasgi, & populi qui ad Tanaim fluuium sedes habebant omnes, neq; diuitiarum, neq; artis, vel doctrinę vllius vsu præstantes: hac præterea legatione ad Christum perducti sunt Boij, & Bauari à Ruperto Episcopo Salisburgēsi, Alemanni à Gallo, & Columbano, plurimi è Germanis è Chiliano, Flandri ab Eligio: reliqui verò ferè Germaniæ populi à Bonifacio Mogũtino, qui temporibus Pipini vixit: atq; hæ nationes, nullis artibus, nulla doctrina valentes agrestem quamdam vitam ducebant sicut Angli, & Saxones, qui è Germania in Britanniam commigrarũt, & Christo postea nomen dederunt: qua de re latè Beda, qui inter alia scribit, Edilbertum Regem Cantauriorum, cui cõiux erat Christiana è genere Francorū, ab Augustino ad Christi cultum fuisse perductum; per quem deinde plurimi idem secuti sunt exemplum blanditijs ac beneficijs allecti: quo defuncto, & omnibus in deteriora labentibus, Eduinus Anglorum Rex potentissimus Christo se addixit, adductus promissis quibusdam regni, quod amiserat, recipiendi, & hostilis exercitus debellãdi, vt è Beda discere possumus. Atq; hæc sanè legatio secunda, qua perducti sunt ad Christum populi multi, nullis artibus, nullisq; humanarum rerum vsibus præstantes: perducti verò sunt plerumq; beneficijs rerum præsentium, non sola Euangelij voce permoti, quod ante Constantini tempora contingebat. Initium verò ducitur à Constantino, qui Christo se adiunxit

ob

ob victoriam, quam retulit è Maxentio per crucis signum, aliaq; diuinitus illi beneficia concessa, quibus & à multis malis est ereptus, ac bonis plurimis honestatus: quãuis pœnæ in contemptores primæ legationis allatæ maximè exstiterint vsq; ad tempora Iustiniani.

Tertia legatio, qua populi omnium maximè barbari & efferi ad cultum Christi sunt perducti.

CAP. IX.

NVnc quæ pertinent ad tertiam legationem videamus: qua non sola Euangelij voce populi multi ad Christum vocati, non beneficijs dumtaxat adducti, sed licitis etiam quibusdam modis compulsi. & quidẽ nemo cogi omnino potest, vt Christum sequatur: sed si dedit se illi, adigere licebit, ne ab illo se abiungat, fidemq; præstet, quam dedit. fas erit similiter optionẽ dare aliquibus, an velint pœnas luere, quarũ sunt rei, an absolui ab ijs Christũ colendo. Atq; his duob. modis cõpelli possunt, ac debẽt meritò nationes plurimę ad Christi cultum. Primus est, vt retineant, quando iã professæ sunt. Secundus est, vt à meritis pœnis absoluãtur, si velint ꝓfiteri. atq; hęc pertinẽt ad tertiam legationem, quæ præstita per nostros esse singillatim demonstremus, simulq; ostendamus, populos hò sce, qui compulsi sunt, in vijs habitasse, & in sepibus, sub dio scilicet, in locis incultis & horridis. Nam qui spectabãt ad secundam legationem, non sub dio sedes habebant, cũ possent se in porticus, & loca publica platearum viarumq; conferre, & ab imbribus, temporumq;, & aëris iniuria tueri, cùm dicantur fuisse in vicis & plateis.

Constat in Saxonia nihil olim fuisse exculti, cuncta horrentia, & senticetis obstructa: idemq; in reliqua Germania fuisse, quæ longiùs aberat à Romanorum confinibus, liquet ex eis, quæ Cornelius Tacitus scribit, & alij, quos infrà testes adducemus. Saxoniæ incolas Carolus Magnus vndecim prælijs diuerso tempore domitos, ac semper noua molientes, nullisq; fœderibus stantes deuicit, & Christianæ religioni, quam se vltro accipere professi fuerant anno septingentesimo sexagesimo septimo, vt Rhegino ęst auctor, & decies abiecerãt, integrè adiecit anno septingentesimo octuagesimo quinto, & adhuc plurimos ex eis-

dem nondum bene promissa seruantes transtulit in Gallias anno octingentesimo quarto.

Boriuorius Bohemorum Rex Christo nomen primus illius gentis, procurante, vt diximus, Cyrillo, & Methodio, vnà cum natione illa dedit: ob id paulò pòst à suis regno depulsus, armis deinde restitutus, & impij ferro necati, cæteris ad fidem seruandam compulsis. Sed cùm postea Boleslaus, interfecto Venceslao fratre sanctissimo, Drahomiræ matris impia consilia secutus, Christianos insectaretur; Ottho illum Magnus armis ad officium redegit, initumq; est pactũ, vt Christiana religio in Bohemia restitueretur: nihilominus plurimi è Bohemis sæpiùs à fide deficiẽtes, & in vnum coëuntes aduersus Christianos ferro domiti sunt, Adalberto præsertim Pragensi Episcopo sedente, cuius quinq; fratres ab impijs ob Christi cultum sunt occisi. Dubrauius hæc diligentissimè scripsit.

Dubra. li. 5.

Idem lib. 6.

Slauini populi Romanis ignoti, latissimas olim regiones diuersis modò nominibus distinctas obtinebant, vt liquet ex historijs Helmoldi. ij magnam partem victi ab Otthone Magno, vitam, patriamq;, quã multandi erant ob latrocinia, incursiones, cædesq; in Christianorum confinibus factas, Christi cultu complectendo redemerunt. Post annos deinde septuaginta à veritate religionis abscesserunt; ac tot Christianos occiderunt, vt eorum numerus libro comprehendi non possit, inquit Helmoldus. Henricus deinde Primus Imperator prælijs fractos ad fidem redire coëgit; quod præstitit etiam Conradus eius successor: nihilominus iterum discessionem fecêre, obtruncato Duce Bernardo, qui Christianæ religioni propagandæ in primis studebat, cum plurimis alijs, anno millesimo sexagesimo quarto. Henricus postea è Slauis ortus, ac Christianus iterum victos ad officium reuocauit; cuius ætate Vicelinus sacerdos latè Christianam religionem inter Slauos disseminauit.

Hel. l. 1. c. 9.

Tertium tẽpus barbarorum ad fidem compulsorum.

Lib. 1. c. 16.

Cap. 19.

Cap. 24.

Ludouico imperante, Rugiani Christo nomen dare cœperunt: mox ab eo defecerunt, donec VValdemarus Danorum Rex exercitu ducto illos deuicit; secumq; abductis obsidum loco nobilium filijs, reliquos ad Christi doctrinam reduxit anno millesimo cẽtesimo sexagesimo octauo. Ipse namq;, Princeps Rugianorum Christo se penitus addicẽs, Apostolumq; agens, gentem (scribit Helmoldus) rudem, & beluina rabie sæuientem, partim prædicatione assidua, par-

Cap. 43.

Lib. 2. c. 12. & 13.

partim minis ab innata sibi feritate ad nouæ conuersatio nis religionem cõuertebat (hęc Helmoldi verba) anno millesimo centesimo octuagesimo sexto.

Meinardus in Liuonia Episcopi sedem Rigæ constituit, ac per eą tempora Theutonicorum militum religio, vt ex Arnoldo constat, existere cœpit, per quos latè propagatus Christi cultus, subactis bello earum regionum barbaris nationibus, Alberto Meinardi successore egregiam in omnib. operam nauante. Anno millesimo centesimo sexagesimo tertio cùm Boleslaus Polonorum Rex in Prussorũ, qui ob plurimas Christianorum cædes erant pœnæ capitali obnoxij, confinia ingressus, ferro & incendijs omnia misceret, magnasq; prædas ageret; illiq; supplices pacem postularent; tum demum concessa illis, si Christum sequerentur: fecêre imperata, demolitiq; sunt fana, & simulachra falsæ superstitionis. Sed paulò pòst à veritate defecerunt, vt adnotauit Cromerius: post annum verò millesimum ducẽtesimum quinquagesimum rursus à Cruciferis deuicti, religioni se Christianæ reddiderunt.

Arnol. l. 7. c. 9.

Lib. 6.

Idem lib. 8.

Iaziges item sub annum millesimum ducẽtesimum sexagesimum tertium à Boleslao Pudico victi, ad religionẽ Christianam, vt sibi vitam propter scelera patrata morti addictam conseruarent, conuolarunt. Ostendimus suprà, ante annum millesimum trecentesimum quadragesimũ quartum, nonnullas ex insulis Canarijs bello à nostris captas fuisse; reliquas deinde eodem modo Christianæ religioni adiectas; similiter Ioanni primo Lusitanorum Regi Henricum fuisse fratrẽ, qui cùm littora Africæ circumnauigaret, multas oras & insulas armis subactas ad Christi cultum traduxit. Inde aditus factus ad amplissima Indiarũ Occidentalium atq; Orientalium regna, in quibus quanti progressus facti sint per nostros, & in dies fiant exercitib. classibusq; missis, vt impietatis cuncta simulachra, ritus, & templa ad terram prosternantur, nemo est qui ignoret: necdum tantarum rerum, ac tertiæ huius legationis finis; nondum scilicet impleta domus.

En igitur vt compulsæ sint, ac compellantur Gentes ad Christiana sacra, dum remittitur eis pœna merita propter scelera patrata, quibus iura naturalia neque cessarunt, neque cessant violare, in totius humani generis maximum detrimentum, Deique ignominiam; quod accidit maximè nostris temporibus inter Indicas nationes nefandis

iagitijs inuolutas, quæ Christo adhærētes meritis ipsius expiantur, & ab omni noxa liberantur; vel dum populi coguntur illam retinere religionem, quam publicè sunt professi, & cui suam fidem dantes obstrinxerunt. Atq; hoc est, quod tertio loco Isaias Ecclesiam monebat vt longos faceret funiculos, clauos cōsolidaret. & lōgissimè namq; Ecclesiæ tentoria nunc, [quod priùs nō erat extēsa, videmus. claui verò hac tertia legatione consolidantur, ita vt nō mediocri vi sit opus, arma & mallei adhibeantur: sepesq; interpositas antiquitus inter nos & remotissimas Gentes, quibus erat auis nostris iter ad illas obstructum, à Caroli Magni ætate nostri transilire, ac disiicere cœperunt, loca spinis obsita peruadentes; ad quas neq; Romanis, neq; alijs erat aditus vllus: ex iis sepibus iussu diuino legati nostri educunt innumeros, vt est prædictum, quos ad cæleste cœnam compellant.

Vos igitur Protestantes, & Græci, quomodo estis ex Ecclesia Dei? quomodo nos esse negatis? Prima quidem legatio, & secunda., Protestantes à vobis confici haud potuit, qui ex inferis heri erupistis: at neque tertia: nam nisi primum detur, ac secundum, qui tertium potest esse, ac nominari? & quomodo procul ab vrbe Christi, è sepibus vos ad eam compulistis homines vt accumbant epulis diuinis qui limites vnius aut alterius prouinciæ non egredimini? Quas autem Gentes compellitis, qui nullas vocastis, nullas adduxistis? Palàm verò fit ipsa re à nobis hæc omnia præstari: Græcis certè quidem longè secus contigit: ex quo nāque à nobis discesserūt, tantū abest vt vllas Gentes ad Christi cultum cogant, vt potiùs innumeri ex ipsis à Christi cultu ad Mahometis impiam superstitionem sic adigātur, vt ad paucos iam res eorum redigatur. Cùm sentiebant nobiscum, multos ad Christum solo Euangelii præconio vocarunt, multos beneficiis adduxerunt, in quibus, quod me præterierat, Regem Persarum Chosroëm, Mauritio imperante, à quo fuit in regnum restitutus, & multa deinde beneficia diuinitus per martyrem Sergium cōsecutus est: sicut & Isdigerdem Theodosij iunioris imperio; quamuis hic morte præuentus non totum planè se Christo dederit. Nunc verò prorsus in contrarium cūcta Græcis cōuersa.

Tertium tēpus barbarorum ad fidem compulsorum.

Euag. li. 6. c. 18. & 20. Nicep lib. 14. c. 19. Soc. lib. 7. c. 8

Arnobius antiquus scriptor abditum mysterium vt intelligerem valde ad hanc rem pertinens, occasionem mihi dedit: *Ex quo Iudæi è seruitute Pharaonis, qua grauissimè premebātur.*

tur, educti sunt, bis Moyses petram percußit, è qua manauit aqua abundè ad exstinguendam populi Hebræi sitim. Similiter ex quo Deus Christianos post Constantinum Magnum liberauit è durißimo Imperatorum impiorum iugo, bis è petra, de qua Christus dixit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. è sede inquam Petri, eduxit aquam, qua per baptismum Gentes abluerentur in secunda & tertia legatione, & sacris doctrinæ fluentis saturarentur. Audi Arnobium loquentem: *Audi dicentem Dominum: Petre, ait, petit Satanas, vt ventilet vos sicut triticum in area: ego autem intercessi pro te: quasi dicat, statui procellam in auram, & feci vt sileant à te fluctus eius. Lætatus est Petrus, quia siluerunt, & deduxit eum in portum voluntatis suæ, in Ecclesia sine dubio, vbi exaltant eum in Ecclesia populi, & in cathedra seniorum laudent eum: quia posuit flumina in deserto. id est in deserto huius sæculi perambulans, quousq; perueniret Romam, prædicauit baptismum Iesu Christi, in quo vniuersa flumina benedicuntur vsq; hodie à Petro: ipse posuit exitum aquarum in sitim; ita vt qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat. posuit terram fructiferam in salsuginem sicut salsugo terram à fructu reuocat, ita litera mundi à fructu spirituali reuocat mentes: sed per Petrum, in salsugine litterarum positam Romam, fecit eam fructũ adferre.* Vnde autem ipsa terra salsuginem haberet, expressit: *A malitia*, inquit *hominum habitantium in ea*. & adiecit, *Posuit*, inquit, *desertum ab aquis, quæ peccata lauant; posuit in stagna aquarum, abundãt aquæ baptismatis, martyrum, pœnitentiæ, eleemosynarum abundant in deserto isto: quod ante Petri aduentum siccum fuit & aridum, hoc nunc excultum est: cùm constitueretur in eo ciuitas Ecclesiæ, in qua quotidie seminãtur agri, plantãtur vineæ, vt fiant fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit vt multiplicarẽtur.* hæc Arnobius. An verò Orientales siti pereant, cuncti vident: hodierni hæretici, nisi resipiscant, experientur nostro cum dolore.

Arnob. in Psal. 106.

FINIS LIBRI QVARTI.

T DE

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER V.

SIGNVM VNDECIMVM.

Miracula in fidei propagatione facta.

Miracula ad fidem confirmandam facta in ipsius propagatione clarißimè ostendunt nos esse ex Ecclesia Dei, cæteros autem nullo modo.

Cap. I.

QVamuis Deus alios Euangelij sola annunciatione vocarit, quod est primæ legationis; multos autem beneficijs etiam perduxerit ad veritatis agnitionem; plurimos denique suaui quadam vi compulerit ad officium vero Deo côueniens præstandum: nihilominus per suos plerumque nuncios annunciatam veritatē miraculis confirmari voluit; & nonnulla sanè ex eis huiusmodi fuêre, vt quos attigerint propiùs, beneficij quodam vinculo obligarint, vt si quis ab aliquo morbo fuerit curatus. sed hoc non ad singulos peruenit. Idcircò iure suprà monuimus, rem quamlibet ex potissima sui parte dijudicandã, ex qua singulę etiam legationes, de quibus est actum, possint inter se distingui. Commune verò est omnibus, vt miracula adhibuerint ad sui testificationem, quod est euidēs signum diuinitatis. Ob id Christus illa sæpiùs obstinatis Iudæis obijciebat: *Si mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite.* & iterùm: *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Hinc cùm Ioannes in vincula coniectus nonnullos è suis ad Iesum misisset, qui percunctarentur ab eo; *Tu es; qui venturus es an alium exspectamus?* Ipse plurimis editis mirabilibus, ad eos conuersus respondit inter alia; *Renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis* Quocirca Marcus sic Euangelium concludit de Apostolis à Christo missis

Illi

Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; vt ostendat illi doctrinæ firmitatem fore cælestem, quam signa subsequerentur. & Paulus, *Signa*, ait, *Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*, & alibi: *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* & rursus, *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis.* hæc Paulus, clarissimè contestans eos Christi Apostolos, quos signa declarent, & illustrent. Ex quo fit Ecclesiam nostram proculdubio esse Ecclesiam Dei, quando qui missi sunt ab ea, doctrinam, quam disseminarunt, miraculis etiam consignauêre; neque fieri potest vt à Dæmone proficiscantur. Nam quæ sunt huiusmodi, à principio dumtaxat vera & bona videntur, sed paulò pòst falsa & mala deprehenduntur. Præterea, Deus haud permittit vmquam fieri miracula ad falsitatis comprobationem; maximè si veritas veniat in contentionem cum mendacio, quod breui detegitur cum suis præstigijs, luce veritatis ac vi tenebras, & inania simulachra, futilesque vmbras procul discutiente; vt in certamine Moysis cum Magis Pharaonis. Ac necesse est sanè veritatem rerum diuinarum diuinis etiam signis confirmari: hoc enim Christus dixit, cùm mitteret Apostolos suos. Vbi sunt igitur vestra hæretici miracula? nulla potestis proferre. At nos cōtrà proferemus à vobis tentatum signa huiusmodi exhibere, sed longè secus euenisse, quàm conati estis. Quî igitur fieri potest, vt tot ac tanta effecta miracula sint à nobis per tot annorum spatia, nulla verò prorsus à vobis, quin potiùs in contrariam partem ceciderint, quæ contendistis? Agè verò ad rem veniamus: & quando infiniti esset atque inepti laboris cuncta recensere, paucula afferamus in medium maximè ad rem facientia, & ætati nostræ conuenientia, antiquioribus omissis. Quocirca non tangemus magna illa miracula, quæ ediderunt Augustinus, Mellitus, Iustus, Laurentius, Paulinus, ac Berinus, cæterique missi à Pontificibus Romanis in Britanniam ad Anglos instituendos; hæc enim persequitur inter alios Beda: neque referemus etiam quæ effecerunt diuinitus Bonifacius Moguntinus, VVilliboldus Eistetensis, Burchardus VVirciburgicus, siue Herbipolensis, & Gregorius Traiectensis Episcopi ordinati, & missi à Pontificibus

2.Cor.12.
1.Thes.1.
1.Cor.2.
Obiectio.
1.Resp.
II.
III.
IIII.
V.

Romanis post alios, per quos in Germania Christi cultus fixas habuit postea sedes. Tantùm percurremus aliqua miracula edita à nostris in propaganda religione, ex quo plurimi è Græcis ab Ecclesia Catholica fecêre discessionē, vel potiùs ex quo illam Photio principe sunt meditati post annum octingentesimum sexagesimum tertium.

Igitur sub annum octingentesimum trigesimum tertium, procurante Ludouico Pio, Gregorius Quartus disseminandæ Christianæ religionis per omnia Aquilonis Regna Episcopis Hamburgensibus munus dedit, eique dedit initium Anscharius in Dania, Suetiaq; adiunctis sibi nonnullis monachis è noua Corbeia: post Anscharium Rhembertus est ordinatus Hamburgi Episcopus à Nicolao Papa qui Hamburgensem Ecclesiam Bremensi coniunxit, & qui Photium sede indignum iudicauit. Igitur Rhembertus latissimè in Dania, Suetia, & regionibus vicinis cultū Christi amplificauit. De ipso inter alia produnt, cùm vidisset in Daniæ quadam regione innumeram Christianorum multitudinem catenis vinctam duci in seruitutē à piratis quibusdam, precibus se dedit, & continuò fracta sunt vincula, barbaris Danis stupore perculsis. Sæpiùs cùm mare traijceret, Suetiam, vel alia loca petens, tempestates supplici ad Deum voto sedauit, cæco lumen reddidit: chrismatis sacramento, dæmonas è corporibus fugauit: hæc & alia multa cùm perficeret, multos ad Christi cultum traduxit è Danis. Atq; hæc Rhembertus.

Miracula Rhemberti in Dania, Suetia. *Vide Ioan. Magnū li. 17. Crant. Metr. lib. 2. c. 10. & 11. Sur. in vit. to. 2.*

Post hæc accidit vt Dani maiorem partem nihilominus impijs essent superstitionibus addicti, donec in quodam conuiuio præsente Haraldo Rege oriretur cōtentio de religionis veritate. Aderat clericus quidam Poppa nomine (ait VVedekindus illorum temporum scriptor) qui pro veritate stetit aduersus alios. Tum Rex percunctatur, an velit periculum facere suæ religionis. Non renuit Poppa. Iussit eum Rex in crastinum diem custodiri, conuentuq; aduocato produci mandat magni ponderis ferrum candens & ignitum, Poppæque imperat vt illud manu nuda prehēsum gestet. Intrepidus ille arripuit, diuq; cunctis adspicientibus circumgestauit, deinde illæsas omninò manus ostendit. Ea re obstupefactus Haraldus simulacra falsorū Deorum conteri iubet; cunctisq; vt Christum colerent, edicto imperauit. Secuta sunt deinde miracula edita ab Humone Episcopo Bremensi, & Canuto Daniæ ipsius Rege, alia

Lib. 3.

Miraculæ Poppæ, Humonis, Canuti, Vicelini, Otthonis in septentrione.

post hæc aliorum, vt Vicelini in locis illis, quibus Vandaliam contineri Crantius scribit, Otthonis Bambergensis in Pomerania, quæ sicuti & plurimorum prosequitur idem scriptor in Metropoli sua Saxonia, quibus Christi cultus firmiter per eas regiones est stabilitus. Atque hæc satis de Dania, Suetia, Noruegia, & regionibus propinquis.

Bohemi, Cyrilli & Methodij fratrum multis miraculis illi quidem potuerunt agnoscere Christianæ religionis veritatem; mox Ludmillæ, & Venceslai Regis: Ludmilla namque vxor Boriuorij Ducis, qui primus è Bohemis nomen Christo dedit, à duobus impijs est occisa; neque vmquam potuit locus ille, in qua cædes est patrata, à sanguineis maculis abstergi; neque similiter area, in quo est sepulta, quemquam recipere defunctum. Quòd si cadauer aliquod conderetur in ea, protinus altera die repetiebatur foras eiectum. Testatur Dubrauius adhuc exstare in Bohemia nepotes homicidarum, familiamque ipsorum; cunctis insignia quædam transmissa in ipsos inesse; cumq; alter esset barba nimis rufa, alter malè pedib. affectus, quicumque ab ijs prognati sunt, eodem modo videntur. Prædixit multo ante Ludmilla necem suam, & ad illam se ex composito ferendam parauit. Venceslaus eius filius plurimis est nobilitatus miraculis. Nam cùm prouocatus aliquando fuisset ad certamen à Radislao Principe Gurimensi, qui exercitũ aduersus ipsum eduxerat, vbi ventum ad pugnã, perterritus Radislaus Angeli cuiusdam visu, quẽ pro Venceslao aduersus se stare & pugnare conspexit, protinus ad eius pedes accidit supplex, & dicto se audientem fore promisit. Accidit præterea, vt Boleslaus frater ipsius Venceslai, odio Christianæ religionis, & regni cupiditate, iusserit occidi fratrem Venceslaum. Cuncti homicidæ vel in furorem versi ex alto se in præceps dederunt, vel proprijs ensibus se trucidarunt. Drahomira mater, cuius consilio fuit interfecta Ludmilla, terræ hiatu miserrimè est absorpta: paries, qui sanguine Venceslai fuit adspersus, numquam potuit abstergi: cadauer innumeris cœpit miraculis illustrari, quod ægrè ferens Boleslaus clàm noctu iussit Pragam deuehi, & occultè in æde quapiam recondi. Sed equi vbi ad medium Pragæ peruenerunt, substitêre, neq; potuit loco vmquam moueri currus; q. in vinculis erant, omnes in carcere mirabiliter soluti; deniq; res patefacta, aperta capsa in qua cada

Miracula Ludmillæ, & Venceslai inter Bohemos.

uer asseruabatur, inuentum est ab omnibus vulneribus diuinitus curatum, vna tantùm deerat auricula abscissa, quã Primislaua soror secum detulerat in nece fratris, & summa cum reuerentia seruarat; sed vbi corpori est admota, continuò mirabiliter suo loco adhæsit. Cadauer post tres annos loco iusserat amoueri Boleslaus, & tamen nihil mali odoris emisit, equi in itinere super vndas alti & profundi fluminis siccis vngulis transierunt. His rebus permotus Boleslaus Christo se reddidit, ita vt cum Polonorum Princeps Miesca filiã ipsius Drahomirã sibi peteret vxorẽ dari, non anteà acquieuerit, quàm fieret ille Christianus. Tot verò ac tantis miraculis sunt nobilitata corpora Ludmilæ & Vencessai, vt innumeri Christiano cultui sese adijcerent è Bohemis. Boleslai istius, qui sæuus est dictus, filius fuit alter Boleslaus, qui fratri in regno succedens Adalbertum Pragæ Episcopum dari curauit. Huius tanta sanctitas fuit, vt cùm Romæ sacra faceret more Christiano, Papa præsente, & ad eam missæ partem venisset, in qua pro defunctis fit supplicatio, duas ferè horas quasi à sensibus abstractus substiterit. Ob eam rem obiurgatus à Papa respondit se funeri suorum fratrum, quos Bohemi occiderant, interfuisse, & ad huius rei testificationem chirothecam alteram Pragæ reliquisse. Mandauit Pontifex inquiri an id ita esset: inuentum vt sanctus edixerat, qui innumeris ante & post obitum miraculis floruit. Atq; hæc satis sint, vt alia omittamus, de Bohemis.

Miracula Adalberti.

Veniamus ad Sclauos, quibus olim regiones plurimæ attribuebantur, atque illæ ferè omnes sunt, quæ lingua vtuntur Sclauonica, in quibus Bohemia, Prussia, Polonia, Rhussia, & aliæ his confines oræ Boreales. Quod referam, scribit in vita Romualdi Petrus Damiani, qui proximus fuit his temporibus. Erat inter alios monachos Romualdi. Bonifacius Busclauini Sclauonicæ gentis Regis consanguineus, qui diuino inflammatus desiderio, cùm consecratus fuisset Archiepiscopus illius nationis à Pontifice Romano, in Rhussiam peruenit ad Regẽ, qui audita Christiani cultus prædicatione, ita se crediturum dixit, si Bonifacius per medias flammas rogi ardentis illæsus transiret. accepit conditionem Bonifacius, & cùm thure prius & aqua sacra ignem lustrasset, per medias flammas nullo accepto vllius detrimenti vel tenui signo incolumis incessit.

Miracula Bonifacij inter Sclauos.

Ad

Ad tantum miraculum Rex cum tota ferè natione Christo se dedit. Ea re commotus Regis frater, absente Rege, Bonifacium securi percuti iussit, mox ipse cum suis omnibus vsu oculorum priuatus, lapidis instar obriguit, & immobilis stetit. Aduenit intereà indignabūdus Rex audito scelere, sed cùm fratrem satellitesq; ipsius obriguisse vidisset, miseratus eius vicem, precibus se dedit cum cęteris pro fratre intercedens apud Bonifacium, & haud multò pòst pristino statui omnes restituti ad Christi cultum concessere. Hæc de Rege Rhussiæ Petrus Damiani. Vidēdum porrò esset num loco Rhussiæ sit reponendum, Rhasciæ. Inco læ namq; Rhasciæ nobis adhæserunt, Rhussiæ verò factioni Græcorum.

Accedamus ad Polonos. Eorum Princeps Miesca (sic eū nominat VVitichindus, qui temporibus illis vixit) ea de causa ad Christum se contulit, quòd cùm septem more barbarico vxores haberet, neq; ex ijs vllam posset prolem suscipere, persuasus est quibusdā Christianis, fore, si Christo nomen daret, vt filios gigneret, & magna felicitate posteri ipsius florerent. Neq; spes illum fefellit. Drahomiram namq;, de qua suprà egimus, vxorem duxit Regis Bohemici filiam Christo se adiungens, & nobilissima cælitus progenie est honestatus. Regnum verò Polonorum nulla in re postremas inter alia, quæ in terris videmus, tenet. Miesca, siue Miecislaus Christo se deuouit anno noningentesimo sexagesimo quinto.

Nunc quod Petrus Damiani in vita Romualdi proximus huic ætati, & Hagecus tradunt, Duglossus verò & Cromerius aiūnt accidisse anno millesimo octauo, referamus. Boleslaus Miescæ filius duos è Romualdi monachis, qui Christianam in ijs locis doctrinam propagarent, impetrauit. Alteri horum Ioanni, alteri Benedicto nomen erat: ij locum in solitudine optarunt; in qua cùm degerent, nonnulli suspicati sunt magnam apud eos vim pecuniæ se nacturos. Quocirca irrumpentes in eorum casas cùm nihil inuenissent, mali dæmonis impulsu, & ipsos, & qui cum illis erant, occiderunt, igneque subiecto, & cadauera, & locum conati sunt incendere: frustra: nam flamma nihil egit; & ipsi cùm fuga elabi diu contendissent, in eodem semper loco hæserunt. Cumque procul ingens splendor supra cadauera sancta adspiceretur, & suauissimi concentus audirentur, detecta res est,

Miracula Ioannis, & Benedicti inter Polonos.

&innumeris eò confluentibus Rex aduenit, qui catenis impios vinciri in ipso perpetrati sceleris loco iussit, atq; ita vsq; ad obitum manere. At illi pœnitentia flagitij adinissi ingemiscentes à sanctis veniam suppliciter petierūt, & continuò effractis diuinitus vinculis sunt absoluti. Dubrauius scribit à Gaudentio Episcopo Gnesnensi locum in solitudine datum monachis sex, in quibus numerat Ioannem, & Benedictum, cæsosq; illos ob eam, quam diximus, causam, multis miraculis floruisse. Id euenisse tradit Cromerius in solitudine Poloniæ maioris, vbi nunc oppidum Cazimiria. Adalbertus ante hos in Prussia & Polonia plurimis editis miraculis insignis habebatur, ita vt Ottho Imperator eius nominis tertius ad inuisendum martyris sepulchrum voti reus ob depulsum morbum sit profectus circiter annum millesimum, Atq; hæc de Prussia, & Polonia satis.

Miracula quæ Geysæ & Stephano euenerunt inter Hungaros.

Veniamus ad Hungariam Polonis vicinam. ante annum millesimum Geysa Hungarorum Princeps iam diu Christiana sacra cogitabat, & erat in ea cura totus, quomodo id perfici posset. Nocte igitur dormienti adstitit illi iuuenis formosissimus prænuncians fore vt illi filius nasceretur, qui Christi cultum latè propagaret in Hungaricis regnis; ipse modò experrectus occurreret Præsuli sanctissimo, eiq; in omnibus rebus audiret. Euigilans Geysa, accersitis Christianis nonnullis, & intimis suis somnium narrat, & mox illi nunciatur aduenire Adalbertum Pragensium Antistitem, qui ipsum inuiseret. Obuiam processit Geysa, & quid sibi somnium vellet, agnouit, nomen Christo cum suis dedit; & vxori eius iam grauidæ apparuit in somnis Stephanus protomartyr prædicens fore vt pareret filium, cui primo dignitas regia inter Hungaros deberetur, eique nomen imponeretur Stephano: & ita contigit, vt præsignificauit. Is autem Stephanus, qui sanctis adscriptus est, viuēs & vita functus innumeris est illustratus miraculis, quæ si quis vult cognoscere, legat eius vitam: nam & mortui per eum reuixêre. Sequentibus deinde temporibus cùm iam religio Christiana in his regionibus egisset radices, & vberrimos ederet fructus, sanctissimis ex omni parte viris abundans, euenit vt in Lithuaniam, & alia loca Lithuaniæ propinqua sese effunderet. Exempli gratia, in Polonia supremis temporibus vitæ sanctimonia præstitit Stanislaus Episcopus Cracouiensis, Hiduigis Ducissa, vt vocant,

cant, Rex ipse Cazimirus, & nobis multo his vicinior Iacinthus ex ordine sancti Dominici, qui peragrata Polonia, & Rhussia, multis miraculis homines in diuinarum rerum admirationem traxit: nam mortuos ad vitam reuocauit, cæcis nonnullis visum restituit, ægrotis innumeris sanitatem; vita migrauit anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, cùm paulò antè Mindacus Lithuaniẹ Rex nomen Christo dedisset, anno scilicet millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, à quo tamen posteà desciuit, donec anno millesimo trecentesimo octuagesimo sexto Iagello vnà cum Lithuanis omnibus Christianẹ religioni se iterum reddidit, cuius è filio Cazimiro nepos Cazimirus obijt Vilnæ vitæ cælestis sanctimonia illustrissimus, cui rei miracula verè admiranda fidem maximam conciliarunt apud omnes, & in primis apud Lithuanos. Obijt ille anno millesimo quatercentesimo octuagesimo quarto.

Miracula inter Tartaros edita.

Tartari sunt in confinibus Polonici regni, & plurimas superioribus sæculis prouincias in suam potestatem redegerunt in Asia, domitis Medis, Persis, Parthis, & alijs finitimis nationibus, è patrijs sedibus egressi. Horum nonnulli Reges cum plurimis suorum nomen Christo varijs temporibus dederunt. Inter alios Cassanus, quem vocant alio nomine Mangu cum ducentis equitum millib. anno millesimo ducentesimo nonogesimo octauo Syriam cœpit, Ioanne Villaneo illorum temporum scriptore, & Haitone Armeno testibus. Is Christo se adiunxit huiusmodi occasione. imperabat hic Tartaris vniuersis Rex eorum supremus; cumq; audisset Armeniæ Regi esse filiam pulcherrimam, petijt illam sibi vxorem dari. Haud potuit pater potentissimo omnium Regi postulata negare. Adducta ad illum puella breuî concepit, ac peperit filium, cui facies erat adeò deformis, vt omnino monstrum videretur. Habito suorum consilio Rex iudicauit nõ ex se, sed ex adulterio prolem natam; ideoq; matrem cum sobole flammis adiudicauit. Inops consilij, & innocens vxor ad Deum confugit; spatiumq; sibi dari rogauit, quò confessione sacra, & Eucharistiẹ sacramento se adornaret, partumq; baptismo abluere posset. Annuit Princeps: ipsoq; præsente, & populo vniuerso, sacris aquis est immersus puer; dictuq; mirum, protinus illius effigies immutata, cunctisq; cernentibus, & demirantibus apparuit omnium venustissimus par-

tus. Ea re obstupefactus Cassanus cum populo ferè vniuerso nomen Christo dedit. Hæc post alios Villaneus.

De miraculis quæ parentum nostrorum nostraq; ætate sunt edita in Gentibus ad Christi cultum perducendis.

CAP. II.

SEd accedamus ad ea, quæ nostræ sunt ætati maximè propinqua. Auorum nostrorum memoria Christophorus Columbus Indias occidentales aperuit nobis anteà ignotas. Aggressus est autem tantam rem nonnisi Diuinitatis æternæ benignissimo impulsu, quamuis à multis vsu rerum prudentiaq; valentibus irrideretur, cùm principes viros potentissimosque Reges alloqueretur, petens vt auxilio sibi essent cogitanti Orbem nouum, nouasque terras priscis sæculis ignotas in lucem quodammodo proferre, aggredi iter insuetum, emetiri maria vastissima, èx obuijs quibusque periculis enauigare. Vbi verò mari se cum socijs commisit, altumque tenuit, & Oceani fluctibus remotissimi ab omni terræ conspectu vndique iam, nautæ cuncti circumdarentur, parum sæpè abfuit, quin à vectoribus corriperetur, & in vndas proijceretur; sed mirabili visu in somnis confirmatus sic & ipse socios confirmauit, vt tandem voti compos amplissimas terras inuenerit. In omnibus earum locis hoc miraculum commune erat. Nam cùm passim dęmones ederent responsa, vbi Eucharistiæ sacramentum per nostros in aliquo loco reponebatur, continuò dæmones obmutescebant: & cùm crebris terræmotibus terræ conquassarentur, & frequentibus etiam tempestatibus miserè deformarentur; nunc nostra religione recepta non ita contingit. Hoc vniuersis his regionibus commune. speciatim verò accidit, vt Christophorus Columbus in insula, quam vocant Hispaniolam, siue Sancti Dominici, altissimam è ligno crucem defigeret. Indigenæ sæpius eam prosternere ad terram, & conuellere conati, nihil profecère; contactu illius ac fragmētis morbi passim curabantur. Non tamen illud silentio prætereundem, quod ante aduentum nostrorum in illas oras accidisse ab indigenis est narratum. Erat in more positum, vt hominū in pluribus anni temporibus multa mil-

Pet. Mart. in hist. Ind.

lia dijs impijs sacrificarentur; ex his quidam cùm duceretur ad aram, vicem suam deplorans, oculis in cælum sæpiùs conuersis, opem diuinam tacitus implorabat. Tum iuuenis pulcherrimus illi adstitit in alba veste, nunciauitque breuî fore vt finis propediē sacrificijs impijs imponeretur, venturosq; eò barbatos homines (ijs namq; in locis nulla viris barba) qui ea de medio tollerent, veritatē diuini cult⁹ adducentes. Retulit hoc ille, neq; multò pòst ad ea loca Hispani peruenêre. Ausus est quidā è Regulis illarum regionum cum sua coniuge nequidquam repugnante habere rem in tēplo Christianorum; & ꝓtinus vsu linguæ ac mēbrorū spoliat⁹ est. Ad mentē reuersus, inde numq̄ voluit egredi, neq; siuit à quoq̄ templum verri, omnia à semetipso perficere volebat, vt omnib. palàm fieret quid accidisset.

Miracula in Indijs occid. Edita.

Martinus Valentia oriundus, è familia Franciscanorū, studij multū posuit in propagando per eas regiones Christi cultu, multaq; mirabilia effecit. Nouissimè verò Aloysius Bertrandus è Dominicanis maximè nostram religionem in ijs locis amplicauit: datumq; est illi diuinitus vt mortuos ad vitam reuocaret, & innumeros ægrotos restitueret sanitati. Accidit aliquando, vt cuiusdam vici incolæ ad eum confluerent, nomen Christo dare parati. Interrogati quid eos ad hoc adduceret, responderunt, in publico quodam vniuersaliq; eorum conuentu adstitisse dæmona, quem cuncti specie horribili viderent, ac dixisse: Quid me adstantibus duobus Christianis inuocatis? (aderant fortè duo ab Aloysio ad Christum perducti:) abripite eos hinc. Vbi hæc dixit, homo quidam, qui se diceret ab Aloysio missum, processit repentè in medium conuentum, & in conspectu omnium disputatione inita, dæmona conuicit. quibus actis, euanuêre ex oculis adstantium. Venit fortè in manus Principis cuiusdam, qui non longè aberat à finibus Regni Peruani, effigies Christi crucifixi. Ille acceptam conspuere, ac multis modis irridere cœpit in conspectu plurimorum. Ibi mirabiliter imago, quasi verè spiraret, cœpit ex oculis lumen emittere, caput motare, & adspectu minaci Regem, cunctosq; terrere. Quocirca pauore perculsi omnes, & tremore correpti, partim cecidêre ad terram, partim cùm se viderent obrigescere, neq; posse loco recedere, exclamare cœperunt, factiq; pœnitentes misericordiam suppliciter implorare. Ob id pristino statui protinus restituti magnum Christianorum Deum palàm

Laur. Sur in hist. annales Francisc.

Miracula Martini Valentini, Aloysij Bertrandi.

confi-

confiteri altissima voce, rem cunctis enarrare. At Princeps vnà cum multis è numero suorum se Cuzcum contulit, & factum diuulgans Christo se deuouit. Innumera verò sunt, quæ in singulos dies miracula in ijs regionibus contingũt, & contigére. Satis autem nobis sit hæc retulisse de Indijs Occidentalibus.

Osor. lib. 3.

Miracula in Africa.

Inuisamus Orientales nonnulla tamen de Congensi regno & alijs Africæ regionibus priùs dicamus. illud anno millesimo quatercentesimo octuagesimo quarto Lusitanorum classibus est exploratum: cumque nomen Christo Rex dedisset vnà cum multis suorum, victoriam mirabiliter è quibusdã rebellibus vexillo Crucis educto in prælium reportauit. Ioanni nomen huic Regi fuit. Eo defuncto, filius natu maior Alphonsus Christum sequebatur, minor erat omnino alienus: quocirca in certamen acquirendi regni venerunt. Innumeri, qui nondum Christum colebant, natu minorem sequebantur, & maximas copias aduersus alterum paucis stipatum militibus conficiebãt. Ventum tamen ad pugnam. Vix initum prælium, Christi hostes in fugam se protinus subito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hostilis captus palàm confessus est se magnam militum copiam in equis insidentem, & crucib. insignitam, tantaq; luce splendentem, vt oculos omnium perstringeret, in prælio conspexisse, eius metu perterritũ cum suis se fugæ commisisse. Multa prætereà cuiusuis generis miracula in ijs locis euenêre: sed hæc publica, & pertinentia ad statum totius religionis. Inhambanis, & Manopotamæ regna amplissima sita sunt inter Zofalam, & Mosambiqum in extimis Africæ oris ad Bonæ spei promontorium. In illis ita Christi cultus disseminatus est: Accessit ad eas regiones Consaluus Silueria cum duobus alijs è Societate Iesu, cùm summis precibus diu iam totam rem Deo commendasset orans, vt veritatis lumine perfundere illas oras dignaretur. Detulerat secum tabellam, in qua Virginis sanctissimæ imago erat depicta; eamq; dono dederat Regi. Post hæc noctibus circiter quinque, Virgo eadem specie, quam tabula referebat, diuino circumfusa splendore, maiestatisq; augustissimæ & iucundissimæ adspectu, dormitanti Regi adstitit eum compellans. Ille respetitis visibus attonitus, & quid illa sibi vellet ignarus, vbi matri euentum narrauit, detulit ad Consaluum. Hic non priùs futurum dicit, vt vim sermonis percipiat, quàm sa-

cris aquis initietur, verba esse cælestia, arcana recondita. Quamobrem paulò pòst Rex cum matre & trecentis proceribus ad sacra nostra concessit.

Iam verò innumera sunt, quæ in Indicis terris supra humanas vires admirabiliter atq; omninò diuinitus per nostros effecta sunt, & in dies efficiuntur. Pauca attingamus: Xauerius in ora Comorinensi duos iam vita functos ad lucem multis præsentibus, quorum precibus ad id est coactus, reuocauit: in insula Iaponis muto cuidam, & pedibus capto vsum linguæ, & ingressum, surdo auditum, alteri item surdo mutoq; sanitatem diuinitus reddidit. Non est numerus ægrotorum, qui precibus eius, quamuis essent à medicis desperati, continuò mirandum in modum sunt liberati. & nunc etiam cadauer ipsius Goæ miracula innumera edit. Plurima, dum viueret, in publicis etiam concionibus longissimè posita vti erant præsignificauit. Gaspar Belga in insula Hormutij, quæ est in Persico sinu, Missæ sacrificio adolescentem, quem iam defunctum cuncti reputabant, protinus ad vitam reuocauit; alienata mente mulierem, & à dæmone obsessam sancti Ioannis Euangelio ad eius corpus admoto liberauit. Erat in insula fanũ Mahometi dicatum, quod aiebant omnium esse celeberrimum: illud impijs abstulit Gaspar, solùm defixis in eo crucibus sex, quæ tantum cunctis iniecerunt mirabiliter pauorem, vt profugientes, quasi ferro peterentur ad mortem, & nemo tamen ijs hominibus alioquin ferocissimis quidquam dixit, numquam posteà ad illas redierint. Erat in eadem regione Eremita quidam tanta apud omnes fama sanctitatis, vt qua aquam, pedes lauisset, Rex ipse religiose venerabundus biberet: is cùm se precibus Gasparis commendasset, insolitis quibusdam visis ad Christi cultũ compulsus, fuit in causa vt plurimi eius exemplum sequerentur. Malacha est vrbs primaria aureæ Chersonesi: in eius mari cùm Franciscus Xauerius esset, subitò coorta tempestas scapham longissimè cum duobus, qui illa vehebantur, abripuit, ita vt nusquam è summo carchesio adspici posset. At Franciscus cunctis stupentibus, cùm rogasset vt nauis paulum demissis velis à contento cursu conquiesceret, precibus se dedit, & haud multò pòst scapha rectà ad onerariam nauim velocissimo cursu contendit; qui ea vehebantur, Mahometani erant, qui Christo se cõtinuò dederunt, remq; cunctis admirandam passim prædicare

Miracula Gasparis Belgæ in Hormutio.

care non destiterunt. Malachæ similiter accidit, vt classis quædam Lusitanica diutiùs quàm credi posset, moram faceret, neq; rediret, cùm vela fecisset aduersus hostes quosdam profecta. Quocirca passim rumor à Mahometanis dissipatus ferebatur, fuisse ab hostibus victam atque deletam. tum Xauerius in publico cõuentu verba faciens, *Fuêre*, inquit, *è cœtu nostro quidam, & in his mulieres, quæ sortibus iactis, ariolisq; consultis, sibi persuaserunt nostros ab hostibus fusos. At ego vobis asseueranter affirmo, incolumes esse; & hodierna die insigni parta ex inimicis victoria opimis spolijs onustos redire. quin certo die* (ipsum diem notauit) *hîc aderunt, non plus tribus aut quatuor è nostrorum numero desideratis.* Obstupuêre omnes, & rem se habere vt dixerat Xauerius compererunt; cùm fieri nullo modo posset, vt è remotissimis oris nuncius tam breui momento adueniret. Idem quasdam clades prænunciauit, bellaque, & pestes; è quibus contigit vt Christi cultus maximo in honore apud externos esset, & amplexaretur.

Miracula edita in Maluchis.

Malaca soluentibus Meridiem versus occurrunt insulæ in Orientem protensæ innumeræ, quæ communi nomine Maluchæ, vel etiam nonnullæ ex ijs Philippinæ vocantur. Quod accidit in Malucho, nullo modo prætereundum. Nonnulli à Christo desciuerãt, & in reliquos Christianos arma sumpserant. Lusitani opem laturi aduenerunt, sed præ multitudine inimicorum paucissimi. Vbi in conspectum se dederunt, hostes Christi continuò tremere, loco haud posse consistere, arma vix manibus tenere; terra insolitis magnisque motibus concuti, Sol in ipso meridie obscurari, vt alter alterum non intueretur; tanta lapidum ignitorum vis cælitus decidere, vt domus omnes prosterneret, idola cuncta comminueret; arbores radicitus conuelli; viæ, quas illi vepribus obstruxerant, vt intercluderent aditum Lusitanis, cinere & lapidibus ad summum repleri; lacus sic quidam excrescere propè positus, vt cuncta deijceret; domus tantùm quædam constitit, quæ propè templum, quod illi diruerant, visebatur. Hęc Cocino scripsit Ioannes Breira anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. Alphõsus Castrius trucidatus est à nõnullis Mahometanis non longè ab insula Ternate; corpus eius in mare proiectum tertio pòst die repertum ibidem vnde proiecerant, insolito quodam radians fulgore, vulneribusq; ita recentibus, vt si tunc ea accepisset, cùm tamẽ æstus maris eo loco esset omnium longè rapidissimus. parricidæ

ricidæ partim cum suis etiam propinquis fœdissimis toto corpore pustulis enascentibus paulatim excoriati horribiliter vlulantes igne sacro consumpti sunt, partim mēbris miserabiliter intumescentibus excruciati, vel in bello tormentis discerpti perierunt. Quæ omnia fuerunt in causa, vt qui defecissent, ad mentem redierint, alij Christum fuerint secuti. Primus ad eas oras è nostris Magalianes nauigauit, qui cùm in ijs nonnihil consedisset, plurimos morti proximos baptismi aquis tinctos cōtinuò sanauit; in his nepotem Regis insulæ Zubut, qui posteà retulit cœlestia multa à se in somnis maxima animi iucunditate visa. Quocirca Rex innumeriq; alij nomen Christo tum dederunt. Commune est hoc omnibus insularum illarum indigenis, vt cùm febri vexantur, vel aliter aduersa valetudine, statim confugiant ad templum, aquam piacularem bibant, & protinus conualescant. Cuiusdam filij duo cùm baptismo lustrati essent, confestim grauissima febri conflictari cœperunt. eorum pater, quasi id accidisset ob baptismum, querelarum plenus accedit ad sacerdotem, qui vt ostenderet non à baptismo morbū profectum, iussit ęgrotis aquam piacularem, siue vt vocant benedictam, bibendam dari; qua epota, eodem momento sanitati sunt illi restituti. Diuarenses eadem contra venenatos ictus serpentium, remedio præsenti, & efficaci vtuntur. Atiuensium pueri vulgò letalibus vessiculis erumpentibus emoriebantur: vbi sacra ad eos nostra peruenerūt, lues omninò sublata. In Amboino insula siccitas diu maxima fuerat. Mulieres itaq; de consilio vetustioris Christianę ad crucē quamdam, quā Franciscus in littore defixerat conueniūt; ibi solo scopis purgato, cruce ramis exornata, nixæ genib. à Deo simplicibus verbis pluuiam poscunt: mirum dictu, serenò tunc cælo, coactæ momento nubes tantam repentè vim imbrium profuderunt, vt maxima inde accessio fieret ad Christianam religionem: nam protinus manu facta, simulachrum nescio quod, à quo pluuiam prius efflagitare solebant, laceratum conscissumq; proiecerunt in profluentem. In insulis Philippinis cùm quidam migrasset è vita, haud multò pòst multis apparuit illustrissima luce circūfulgens, testificans se iucundissima beatitudine frui inter superos, Deumq; contemplari; proinde Christi cultū sequerentur, & quod viri religiosi Hispanorum docerent, id obseruarent, si æternam vellent assequi felicitatem.

Maxi. Transylua. in ep.

E regio-

E regione Molucharum, lato maris tractu intercurrente, situm est amplissimum Conchinchinæ regnum, cuius Imperator, cui Reges alij sunt subiecti, sæpiùs per legatos egit, vt ad eum mitterentur, qui sacris mysterijs imbuerent tum ipsum, tum populos ipsius. Huic rei dedit occasionem, quòd Christianus quidam defixerat ante ædes suas crucem ligneam, quam semper, vbi illac transibat, venerabatur capite supplex demisso. Vicini diu rem conspicati, factique tædio quodam perducti, manu facta illam deiecerunt, & conculcarunt, igne verò admoto cùm conarentur incendere, protinus omnes cum suis propinquis mortui conciderũt. Præterea nobilis quidam diuturna paralysi decumbens in lecto, nulli idoneus operæ iacebat omnibus frustra remedijs tentatis. Christianus inuisit illũ, narrauitq; fore, si spem poneret in Christo, & eius nomen supplex imploraret, vt sanitatem reciperet; & ob id ipsi reliquit effigiem pictam Christi ascendentis. Ægrotus, hortante Christiano, spe confirmatus, oculos in imaginẽ defigens intimo maximoq; animi studio Dei nomen implorauit. Mirum dictu, multis adspicientibus repentè sanatus è lecto surrexit, & Christo nomen dedit. Hæc cùm certò cognouisset Imperator Conchinchinæ iam voto Christianus, Maconem, siue Macaum, quæ est vrbs Lusitanorum in littoribus Sinarum, legatos misit, qui nomine ipsius orarent, vt ad sua regna mitterentur, qui Christi doctrinam disseminarent. Hęc Martinus Ignatius ex ordine Franciscanorum, qui fuit in ijs regionibus.

Miracula edita in cochinchinæ Regno.

Non omittamus Iaponem, vbi passim curantur ægroti, vbi biberint aquam lustralem, passim per Christianos fugantur dæmones è corporibus obsessis. quarum rerũ non curabimus exempla referre, ne simus iusto longiores. In vrbe Nochu cæci quinque, vbi baptizati fuerunt, lumen recepêre. Leprosus ter inuisens religionis causa crucẽ quãdam, statim mirabiliter est sanatus. Onauræ Cosmus Turrianus in littore Crucem defixit, ad eam è longinquis locis accedentes plurimi curantur. Accidit in insula Firando quod dicam: Rustico cuidam fuit nescio quid subreptum, cumq; essent septem, quorum necesse erat aliquis furti reus foret, conuenêre vt è cruce Omuræ fragmentũ sublatum mitterent in aquam, è qua biberent cuncti: quod cùm fecissent, vnus ex eis protinus horrendum in modum cæpit intumescere, hydropici instar: quocirca crimen fassus,

Miracula edita in Iapone.

sus, veniamq; precatus, ad sacerdotes delatus fuit. Accidit hoc anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo. Ibidem contigit vt quidam Christianus adoraret crucem quamdam, quam sibi in charta atramento depinxerat. quod cùm sæpiùs egisset, apparuit ibi stella tanti splẽdoris, crucis imaginem circumiens, vt totam domum illustraret. Obstupefactus ille vicinos aduocauit, & plurimi ad miraculum confluentes, rem deinde tantam cunctis enarrabant. In Cusu contigit vt quidam puer annorum circiter duodecim è templi culmine deiectus ab alio, sex dies absque vllo sensu permanserit: sacerdos è Societate Iesu eò concedens, reliquias quasdam sanctorum ad collum pueri appendit, & continuò reuixit. Id euenit anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio. Erant in domo quadam Funai circiter ægroti triginta: Missam celebrari in loco, vbi morabantur, supplices petierunt. Concessum est illis. Sacrificio peracto, repentè omnes è lecto sani surrexerunt. Quod suprà diximus curari ægrotos in Iapone passim lustrali aqua, id sit clarissimo argumento, quòd anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo in vrbe Sola sanati fuerunt ægroti centum. quod item dicebamus de obsessis, apparet ex eo, quòd anno eodem ibidẽ duodecim liberati fuerunt, & quidem mirabilibus modis, & plerumq; à Christianis nouis, vt constat è litteris sacerdotum Societatis Iesu.

Ac ne prolixiores simus, miraculum maximum totiq; Indiæ cognitissimum satis sit nunc in medium protulisse. In India cis Gangem ad littora Orientalia Regni Bisnagæ est vrbs Malipur, quam nos Sancti Thomæ vocamus; in qua corpus eius ex parte asseruatur, simulq; lapis vetustissimus, in quo crux incisa, ad quam cum genibus flexis supplex Apostolus preces ad Deum faceret, occisus olim fuit. Lapis ille antiquitus, & crux, in qua eminent notæ sanguinis insignes, quibus interfecto Apostolo fuit adspersa, solebat quotannis die festo sancti viri, verti in colorem nigrum, liquorq; ex illa emanare incredibili copia, deinde color ceruleus pro nigro subibat. Sed facta est eius rei, quę admirabilis omninò erat, aliquo tempore intermissio, donec anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, vt Osorius testatur, cùm iam nostrorum plurimi habitarent in illa vrbe, in qua & duo sunt & monasteria alterũ Franciscanorum, alterum Iesuitarum, factum est vt mira-

Miraculũ perpetuũ in Indiæ Orientalibus.

Lib.4. de rebus gestis Emanueli.

culum renouaretur multo magnificentiori ac diuiniori modo, quàm priùs. Nam cùm stato die sacerdos Missam celebraret, Euangeliumque inchoaret (neq; enim priùs, quàm legi incipiat Euangelium, res contingit) crux repentè nigris maculis, splendidis tamen, infici cœpit, & postquàm copioso liquore fluxit, clarissimè splendere sanguineo colore, quo tincta remanebant etiam lintea quibus humor abstergebatur, ac colligebatur. Hæc Osorius post alios. Testes verò sunt omnes Indi, non modò Christiani, sed & qui Christo primas post Deum nō dant è Gentibus, qui tamen ad Apostoli templum confluere solent, virumque sanctum venerari, hoc quotannis, ex quo nostri in illa vrbe consederunt, & nostram per illas oras doctrinam restaurarunt, euenire, vt post alios testatur auctor itinerarij Martini Ignatij ex ordine Franciscanorum, qui in illis locis fuit.

Mentio incidit de Apostolo Thoma, cuius ego nomen indignus refero; idcirco reuertamur ad remotissimas quasdam regiones, quas insciens & imprudens omiseram. Brasilia est in Indijs occidentalibus: in ea Thomam fuisse, & Euangelij doctrinam prædicasse narrant adhuc indigenæ sibi traditum per manus à maioribus suis: adijciunt se ab illo edoctos, quibus vti cibis salubriter possent: quinimmo adhuc ostendunt vestigia pedum Apostoli scopulo impressa, cùm discessit ab ijs nationibus: ea se vidisse testatur Emanuel Nobrega sacerdos Societatis Iesu, vt apparet ex eius litteris datis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo. sed cùm prorsus Christi cultus in illis terris esset oblitteratus, & rursus per nostros disseminaretur post tot annorum curricula, non paruo illis adiumento fuit Thomæ memoria, miraculaq; vestigiorum durantium, ad veritatis propagationem: nec defuêre innumera, quæ quotidie eduntur adhuc à nostris. Plurimi namque iam iam morti proximi repentè perfectæ restituuntur sanitati, vbi baptismo fuerint abluti. Quinimmo multis ęgrotis manus dumtaxat imponitur à nostris, & ꝑtinus recipiunt sanitatem. Quædam puella imprudenter die festo nescio quid operabatur in agro, & statim dolore ventris maximo afflictari cœpit: domum reuersa cognouit esse diem festum; factum detestata ad templum se cōtulit, misericordiam Dei implorans, & subitò est sanata. Accidit hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo

ſimo in Baia. Contigit deinde 1559. in ſancto Paulo, vt in domibus quibuſdam moreretur quidam à Chriſti cultu alienus, & ex eo quicumque in illis locis habitabant, terrificis quibuſdam ſpectris exagitabantur, à quibus vt ſe liberarent, crucibus ligneis circa illas ædes defixis locum circumdederunt, & nihil poſtea horrifici ſenſerunt. Perſuaſum eſt cunctis, & re compertum, non modò baptizatis reſtitui ſanitatem mirabiliter vt plurimum, ſed & vitam longiorem conciliari. Atque hic ſit finis huic ſigno. Oſtēdant modò Græci illi, qui à nobis diſſentiunt, ex quo diſceſſionem fecêre Michaele auctore ſub annum milleſimū quinquageſimum tertium, quænam miracula in propaganda Chriſti religione inter Gentes effecerint? nulla poſſunt. nullas namque Gentes ad Chriſtum ex illo tempore perduxerunt. Nam quid de hæreticis Proteſtantibus dicemus, quibus neq; venit in mentem perducere, aut eniti?

Sed tamen quando agimus de miraculis ad veritatem doctrinamq; Chriſtianam confirmandam faciendis, demonſtrabo quibus Græci à nobis alieni (multi namq; nationis omnium nobiliſſimæ clariſſima germina haud vmquam diſſenſerunt à nobis, aut diſſentiunt) miracula ediderunt, & quæ hæretici Proteſtantes. Photius vt oſtendimus, omnium primus ad incendium huiuſmodi excitandum ligna comparauit, ac congeſſit. Michael ignem ſubiecit; ſed flammæ Græcos, & eorum ſectatores combuſſerunt. Videamus quib. miraculis delectaretur Photius. Hoc Zonoras apertè tradit homo Græc⁹, & occidentalib. non ſatis ęquus; & is tamen ſcribit Photium fuiſſe intimum ac ſtudioſiſſimū Santabareni cuiuſdam Epiſcopi Euchaitarū venefici, & præſtigiatoris, qui ſpectris ipſos Imperatores fallere ſoleret, & ſibi conciliare. Atque hic adeò amabatur à Photio, vt ob ipſum Photius aduerſari Imperatorib⁹ nō vereretur vel in reb. iuſtis. Veniamus ad hęreticos Proteſtantes. De Caluino ſcribūt, quod referam: Habebat hic domi famulum quēdam cum coniuge; perſuadet illi Euangelij diſſeminandi cauſa (ſic ille ſua mendacia nomine ſpecioſo vocat) licere vti dolis quibuſdā: idcirco ſibi videri, vt famulus epoto quodā medicamēto, quo faciei color mortui adſpergeretur, & halitus nullus deprehēdi poſſet, defunctū ſe ſimularet; coniux verò, quaſi verè vita migraſſet, ex animo flere, eiulare ſe fingeret, donec ſun⁹ proſceu-

Miracula ridicula, quæ tentarunt edere hæretici.

Tom. 3. in vita Baſilij & Leonis Phil.

ta, ad locum in quo Caluinus ex composito manebat, veniret. Ibi hortatur, vt magnis clamoribus se compellet, & quamuis renitentem cogere videatur ad excitandū à morte virum suum. mulier cum suo coniuge rem, vti dicit impostor, transigit. vbi ventum ad rem, Caluinus diu obluctatus, tandem quasi cogeretur, exclamat: Adolescens tibi dico, surge. Illo autem non audiente sæpiùs repetitas vociferationes, quamuis mulier latus eius foderet, vt surgeret aliquando, tandem verè mortuum constitit. Ibi vxor, quæ amaret maritum, dolore perculsa, conuicijs exagitans Caluinum quasi homicidam, rem totam diuulgat. Ille vt famam tueretur, illam fatuam, prorsus amentem; viuique plenam dicit; nihil ei credendum. Atq; hæc Caluinus, vt è vita ipsius Gallicè scripta & commentarijs Surij apparet. Quid porrò Lutherus, qui parum abfuit, quin strangularetur à dæmone quodam, quem fuerat ausus aggredi quasi fugaturus è corpore obsesso, vt suo loco dicemus? Quod narrabo, contigit in quibusdam Polonicorū regnorum terris: Anabaptistarum nescio quis Princeps vndique omnes suos inuitauit ad suum baptismum, affirmans fore vt actio tota miraculis diuinitus illustraretur, & Spiritus sanctus adesset. Aduenêre inuitati die dicta. Primus in lauacro pedem ponit Antesignanus ille: continuò apparuit videntibus cunctis dæmon, hic est enim Spiritus sanctus hæreticorum; qui capillis apprehensum impostorem sæpiùs in aëra sustollens, & aquis immergens, & allidens, tandem perterritis vniuersis, atque exanimatis, suffocauit. Hæc igitur miracula istorum. Quòd si ab ipsis esset veritas, proculdubio vbi ventum esset in contentionē; nostra miracula euanescerent, & irrita fierent. Nam tempore etiam Antichristi liquebit eius prodigia nihili esse; & idcirco is furore percitus ad arma conuolabit, donec è cælo Christus accurrat, & opem suis ferat.

Hier. Bolsec. cap. 13.

SIGNVM DVODECIMVM,

Confirmatio omnibus humanis modis diuinitus acta.

Necesse est vt vera religio, non modò miraculis, quæ humanas vires superarent, confirmetur sed & omnibus modis, quos caritas diuinitus inspirata, cælestisq; sapientia nostris animis in dies explicaret: quod à nostra Ecclesia factum, non ab hæreticorum factionibus, fit manifestum.

Osten-

CAP. III.

Ostendimus, ea, quæ à nobis annunciantur quasi cælestia, cælestibus operibus etiam, quæ non possint homines efficere, consignata fuisse. Nec; verò par est, vt si quid caritas diuinitus animis nostris infusa solitis edere modis queat, id omittatur. Parentum namq; sunt partes, non modò filios gignere, sed genitos alere, & ad omnia bona, quantum fieri potest, etiam atque etiam promouere ac confirmare. Hinc illa Isaię verba ad Ecclesiam generatim dicta: *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida.* Audin' ad Ecclesiam dictum. non solùm vt extendat tentoria, sed & vt clauos consolidet? quod sanè non vno modo, sed multis fieri potest. Hinc ad Petrum Christus: *Ego*, inquit, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et quidem Petrus testatur se id præstitisse dum vixit, pollicitusque est se post mortem præstaturum. Audi eum loquentem in vltima epistola, quæ, quòd ad vniuersos Christianos data sit, à Græcis Catholica vocatur. *Incipiam vos semper commonere de his, & quidem scientes, & confirmatos vos in præsenti veritate.* En vt munus à Christo impositum peragat, en vt confirmet fratres suos commonens semper, non semel, quamuis scientes & confirmatos. Hinc subijcit: *Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei. secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum omnium memoriam faciatis.* Viden' vt polliceatur etiam post obitum suum se daturum operam, vt quæ viuens docuit, à posteris memoria retineantur, atque ita semper confirmentur? Ostendamus Petrum stetisse promissis. Ostendamus haud irritas Christi fuisse preces, & à Petro fuisse fratres eius cõfirmatos. & quando pluribus id modis fieri potuit, recenseamus ordine nonnullos ex antiquis monumentis petitos, & ad ætatem nostram perductos.

Cap. 54.

2. Pet. 1.

Ac primus sit, quem Cyprianus ad Cornelium Papam scribens testatur esse à diuina traditione, & ex Apostolica institutione. Is erat huiusmodi: simulatq; aliquis Metropolita Episcopus eligebatur, vel etiam Pontifex Romanus defuncto sufficiebatur, ad hunc veluti Petri successorem,

Prim' modus fidei confirmatæ.

& vt ait Tertullianus, Episcopum Episcoporum, transmittebant omnes Metropolitæ, si is recens ad illam dignitatem fuerat electus, vel quicũq; Metropolita mortuo substituebatur, litteras, in quibus erat fidei formula, quã profitebatur. Episcopus autem Romanus, vbi rescribebat, illam comprobans dicebatur confirmare. Audi Cyprianũ, qui sic alloquitur Cornelium Papam recens electum: *Secundum quod diuinæ traditionis, & Ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter, ac veritas, litteras nostras ad te direximus. Sed & per prouinciam nostram hæc eadem collegis singulis in notitiam perferentes, ab his quoq; fratres nostros cum litteris dirigendos esse mandauimus.* Intellexistin' esse diuinæ traditionis, & Ecclesiasticæ institutionis, vt litteræ à Metropolitis dirigantur ad Episcopum Romanum, & vt idem mandetur prouincialibus Episcopis? Videamus an huius diuinæ traditionis, & Ecclesiasticę institutionis sit aliquod exemplum in sacrosanctis scripturis. Est proculdubio, & quidem maximè præclarum. Paulus namq; Apostolus non alia de causa Hierosolymam venit, vt Petrum videret, mansitque apud eum quindecim diebus, nisi vt huic traditioni diuinæ, & Ecclesiasticę institutioni morem gereret. Numquid est hoc meum commentum? Nequaquam. Audi Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum, qui sic ad Honorium Papam scribit: *Apostolica & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur, ad eos, qui in Hierarchijs capessendis & administrandis maiores sunt, omninò sincerè referant quid sentiant, & qua fide sint: vt Paulus illis tradidit valde cautè, ne in vacuum curreret, si qua in parte fides manca esset. Paulus enim cùm alioquin arcana Dei, quæ non licet homini loqui, vt ipse ait, cognouißet; metuebat tamen, ne, cùm alijs prædicaret Euangelium salutis, ipse reprobus fieret. Vnde & Hierosolymam ascendit, quamquam Christi discipulus cælestis, & antecessoribus suis discipulus se submisit, & Euangelicam doctrinam, quam prædicabat, ijs, qui conspiciebantur alijs antecellere manifestauit, ac dogma cum ijs communicauit* & pòst: *Communicauit poscens interrogando, vt firmum sibi fieret, quod tradebat, & exemplum firmum posteris relinquens, vt sic ipsi quoque facerent.* & mox: *Huic quoque nos consuetudini seruientes, ad vos diuina scientes, qualis sit fides nostra, scribimus, vt probemus. Scribimus inquã ad vos, qui non solùm nostis discernere legitima dogmata ab adulterinis; sed etiam supplere quæ desunt, potestis.* postremò rogat, vt quàm primùm rescribat, quo ipse possit annunciare vestram, sic ait, à Deo datam sanitatem. Hæc Hierosolymitanus

Lib. 2. ep. 10.

tanus antiquissimus scriptor. Atq; hoc est, quod Theodoretus ait, hunc locum tractans, à Paulo principe Apostolorum, quem par erat, honorem tributum: & Chrysostomus: *Quia Petrus erat os Apostolorum, princeps, & vertex ipsius cœtus*: Hieronymus autem honoris deferendi causa factum dicit: *quia*, addit Ambrosius, *Petro delegauerat Saluator Ecclesiarum curam, ob id ex officio*, inquit Tertullianus, *apud eum Paulus mansit multis diebus*. En igitur primus modus ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis diuinitus institutus, quo Petrus, ac Petri successores confirmarunt, & confirmant adhuc rectam fidem.

Sed videamus, an quod è Cypriano docuimus, discere ex alijs antiquis possimus. Exstant litteræ Concilij Antiocheni antiquissimi, quod coactum fuit, imperante Aureliano, aduersus Paulum Samosatenum ab Episcopis totius Orientis, qui cùm deiecissent Paulum Domnumq; substituissent, litteras dederunt ad Dionysium in primis Episcopum Romanum, deinde ad Maximum paulò antè ordinatum Episcopum Alexandrinum, qui secundus erat antiquitus à Romano, postremò ad alios generatim, in quibus post multa petunt & illud, vt ad Domnum scribant, & litteras ab eo communionis accipiant. Exstant adhuc Athanasij synodicæ litteræ (sic enim vocari solent hæ ab antiquis, veluti etiam communicatoriæ, siue, vt Conciliũ Antiochenum suprà dicebat, communionis) ad Liberium Papam, quibus illi suam fidem significat. Exstant Damasi, qui Liberio successit ad Orientales respondentis. Exstant Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Aphricę ad Damasum eundem, in quib. sic inter alia: *Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid horum, quamuis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate iuxta quod fuißet prouinciatum firmaretur*. Est epistola Augustini centesima sexagesima secunda, quę maximè illustrat hanc, quam dicimus, synodicarũ litterarum consuetudinem. Sed afferamus hic nonnulla verba ex epistola Gelasij ad Laurentium: *Quia nos*, inquit, *admones dilectione fraterna, vt veluti medicinam quamdam fidei Episcopis per Illyrium, vel alijs ministrare debeamus, quamquam hoc copiosißimè factum sit à beatæ recordationis prædecessore nostro, & quia mos est Romanæ Ecclesiæ sacerdoti nouiter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prorogare, hæc eadem compendiosa nimis studui*

Euſ. l. 7. c. 24

Niceph. li 2. ca. 17. & 18. Tom 1. concil.

breuitate renouare; vt qua fide viuendum sit secunda statuta Patrũ in hac nostra epistola per breuitatem sine studio lector agnoscat. Scriptum est apud Liberatum in Breuiario missam à Ioanne Talaia Episcopo Alexandrino synodicam ad Simplicium Papam, similiter à Flauita Episcopo item Alexandrino, qui *non consensit*, ait ille, *sine Romano Episcopo inthronizari, sed synodicam transmisit Felici Papæ.* Narrat idem fecisse Acacium Patriarcham Constantinopolitanum. Idem de Euphemio Patriarcha Constantinopolitano scribit Nicephorus: & eiusdem sedis Episcopus Ioannes, imperante Iustino, idem seruauit, Eutychius, & horum successores, Pyrrhus, Zonara teste, Paulus ad Theodorum Papam scribens, Petrus ad Vitalianum, Thomas ad eumdem, vt est in Synodo sexta, Tharasius ad Adrianum, vt habetur in Concilio Nicæno secundo. Tharasio Patriarchæ Constantinopolitano successit Nicephorus; de quo tradit Landulphus Sagax, qui vixit ijs temporibus, hæc. *Nicephorus quoque sanctissimus Patriarcha transmisit synodicas litteras ad Leonem sanctum Papam Romanum. Anteà quippè faciendi hoc à Nicephoro prohibebatur.* hæc Landulphus intelligens de Nicephoro, qui prohibebat, hæretico Imperatore, quem nonnulli volunt occisum anno octingentesimo vndecimo. leguntur huius Nicephori Patriarchæ ad Leonem Tertium litteræ, in quibus post expositam fidem petit, vt mittat sermones firmantes, & dantes intellectum; & pòst, *Vt vestris*, ait, *doctrinis & exhortationibus firmati stemus in hac fide integri & solidi: omnia, quæ in ea sunt, mysteria ab initio tradita, inuiolata conseruantes.* hęc Nicephorus, qui non longè absuit à Photio. Diximus Leone Nono sedente à Michaële Patriarcha fuisse excommunicatos Occidentales. Ad hunc igitur Leonem litteras huiusmodi misit Petrus Antiochenus Patriarcha, orans vt fidem ipsius, simulq; electionem confirmaret, cui Leo inter cetera respondit: *Sicut calamitosum est, si vnitas deest bonis; ita perniciosum est, si adsit malis. quod ipse è specula illius Ecclesiæ, cui videris diuinitus designatus speculator prudenti oculo considerans, promotionem tuam ad episcopale fastigium promotione cleri & populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam secundum antiquæ consuetudinis religiosum & valde necessarium studium Apostolicæ, ac primæ sedi, cui, Deo auctore, quamuis indigni præsidemus, annunciare & exponere curasti.* & paulo pòst: *Mea verò humilitas in culmine Apostolici throni ideò exaltata, vt approbanda approbet, improbanda improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis*

Lib. 16. c. 19. tom. concil. 2.

Zon. tom. 3. in vita Constantis.

piscopalem promotionem libens approbat, collaudat, & confirmat. & mox: *Sanè fidem tuam, quam proprio scripto summæ & Apostolicæ sedi exposuisti, sanam, atque Catholicam, & orthodoxam per omnia protestamur, & sicut verè vnicam & salutarem præcordialiter amplectimur.* hæc Leo. Exstant prætcrea, ne simus longiores, exempla huiusmodi litterarum, quas nostra ætate miserunt Orientales Metropolitæ, vt Patriarcha Maronitarum, qui Leone Decimo sedente venit ad Concilium Lateranense, Moses Mardenus Antiocheni Patriarchæ legatus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, Patriarcha Nestorianorum, qui vocantur, & anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Abdisu Assyriorum: quæ legi possunt inter scripta Bibliothecæ sanctæ. Igitur sit hic primus modus, quo Pontifex Romanus ex instituto Apostolico, & diuina, vt ait Cyprianus, traditione, tamquam Petri successor fidem fratrum suorum solitus est confirmare, ac semper confirmauit, vt Christus illi præcepit. Hinc Concilium Tridentinum postremò sanxit, vt omnes Episcopi, simulatque electi sunt, fidem suam publicè protestentur, & in verba iurent Ecclesiæ Catholicæ, quæ in suam formam Pontifex Romanus redegit.

Secundus modus fidei confirmatæ.

Veniamus ad alios modos. Ac secundus sit, quo Pontifices Romani confirmare & approbare solent, ac soliti sunt semper, non modò fidem Metropolitarum, & Episcoporum, sed quorumuis, vbi illa veniebat in quæstionem, ac veluti non consona veritati non admittebatur. Nam Papæ erat, atque est, vel eam reijcere, vel sancire litteris suis, & subscriptione. Quòd si accipiebat, ab omnibus accipiebatur; sin minus, cuncti explodebant. Afferamus aliqua è priscis monumentis exempla. Montanus, Prisca, & Maximilla nouas in Asia sparserunt opiniones: pro suspectis habitæ sunt: ventum ad Zepherynum Papam, vt eius litteris comprobarentur: non acquieuit ille, sed vbi tota de re certior est factus, & mendacia sibi narrari vidit, quamuis bona verba fecisset; hæresim tamen illam prorsus condemnauit. Audi Tertullianum, qui lapsus est in eam, ideoque sic aduersus Prazeam: *Idem tunc*, inquit, *Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis, & ecclesijs eorum asseuerando, & præcessorum eius auctoritates defendendo coëgit, & litteras pacis reuocare iam emissas, & à præposito recipiendorum charismatum concessare.* hæc aduersus

sus Praxeam Tertullianus, ostendens litteris Pontificum Romanorum fieri vt opiniones aliorum vel admitterentur, vel reprobarentur. Quod autem pacis litteras vocat, id eò pertinet, quia litteræ cõmendaticiæ & pacificæ vocabantur hæ, per quas ad communionem sacrorum solebāt aduenæ admitti; alioquin sinę huiusmodi litteris, vel Episcopi sui, vel Romani, nemo accipiebatur, vt est in Concilio Nicęno, & Chalcedonensi. Exstat Basilij epistola ad Athanasium, in qua rogat eum vt certiores faceret Episcopos Occidentales (intelligit autem Romanum, vt ex epistola sexagesima quinta, & septuagesima quarta patet) ne cuiuis Orietalium prætextu rectæ doctrinæ formulis fidei subscribentes adstipulentur. Quin etiam quamuis nemo adiret Episcopum Romanum, neq; rogaret vt subscriberet; tamen vbi sciebat aliquid esse controuersiæ, ac seditionis, ipse litteris significabat quæ vera esset doctrina, & quæstiones cunctas componebat vniuersos ad veritatem confirmans, & retinendam, & accipiendam. Audi Irenæum, qui sic de Clemente Petri successore scriptum reliquit: *Sub hoc igitur, ait, Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta. scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorū, & annuncians, quam in recenti acceperant ab Apostolis traditionē.* Audi Dionysium Corinthi Episcopum, qui sic ad Sotherem Papam, vt est apud Eusebium: *In hoc sacro Dominico die vestram epistolam legimus, quam semper, sicuti etiam priorem à Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus.* Exstant inter epistolas Cypriani litteræ cleri Romani ad clerum Carthaginensem hortantis ad tolerandas animo excelso & inuicto ingruentes hostium procellas, fidemque seruandam. Dionysius Patriarcha Alexandrinus Cypriano fuit æqualis, qui sic ad Stephanum Papam: *Syria porrò vniuersa, & Arabia, quibus vestra doctrina, & consilio, semper magno adiumento fuistis; & quibus etiam modò scripsistis epistolas; Mesopotamia quoque, Pontus, atq; Bithynia; & ne longum faciam, omnes vbique gaudio exultant, & vno animorum cōsensu, ac fraterna caritate Deo gloriam impartiunt.* Audin' vt Oriens totus Pontificum Romanorum litteris ad veræ pietatis doctrinam confirmaretur? Afferamus & huc quod Sozomenus scriptum reliquit: *Qui filium Patri,* inquit ille, *consubstantialem putabant, hi de Spiritu sancto idem ipsum censebant: quam doctrinam in Syria Apollinarius Laodicenus, in AEgypto Athanasius Episcopus, in Cap*

Epist. 59.

Lib. 3. c. 3.

Euse. lib. 4 c. 22. hist. eccle.

Lib. 2. epi. 10.

Eus. li 7. c. 4. hist. eccles.

Lib. 6. c. 22.

padocia & Ecclesijs Ponti Basilius & Gregorius strenuè propugnabant; quæ controuersia cùm contendendi studio, vti credibile est, in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, vt vnà cum Sacerdotibus & Episcopis Occidentis Trinitatem consubstantialem esse crederent. quo facto, singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuêre; eaque controuersia finem habere visa est. hucusque Sozomeni verba, Sed quid ego hæc singillatim persequi conor? An non è litteris & actis ipsorum Pontificum palàm perspici potest, quod dicimus, omne studium positum fuisse ab illis, vbi aliqua controuersia emergebat, in quauis orbis parte, fidesque labefactari videbatur, vt cuncta submouerentur, quibus aliquod veritati detrimentum parari vllo modo, aut timeri posset? Sunt hæc in promptu, legi possunt: à nullis est alijs hoc Episcopis vel perfectum, vel tentatum. Quocirca satis erit nobis antiqua tantùm, quæ magis obscura videntur, aliqua ex parte in lucem dedisse, quantum pertinet ad hos duos modos. Et concludemus vnà cum Irenæo, qui aduersus hæreticos agens enumerat ordine Episcopos Romanos, qui à Petro vsque ad ipsius ætatem sederunt, & ad extremum concludit: *Ad hanc Ecclesiam* (loquitur de Romana) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est, ea quæ est ab Apostolis traditio.* & mox. *Hac ordinatione, & successione Episcoporum, ea quæ est ab Apostolis traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos* hæc Irenæus. Sed quomodo Apostolicæ traditionis & veritatis prædicatio peruenit vsq; ad Irenæi tempora, ordinatione, & successione Episcoporũ Romanorum, nisi ꝙ, vt ostendimus, Metropolitæ transmittebãt ad Papam recens electũ fidei suæ formulã, vbi defuncto subrogatus succedebat, aut quiuis recens ipse electus idem agebat? Quomodo rursus ad Romanam necesse est oẽm conuenire Ecclesiam, id est omnes vndiq; fideles, & quomodo ab his vndiq; Apostolica traditio est conseruata, nisi secundo quo diximus modo, quòd quorum fides approbaretur à Pontificibus Romanis, illi ab omnibus acciperentur ad communionem? Quæ omnia respiciens Tertullianus sic ait: *Dehinc in orbem profecti* (loquitur de Apostolis) *eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt; & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducis fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ec-*

Lib. 3. c. 3.

Lib. de præs.

cle-

clesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, vt Ecclesiæ fiant, & per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam cẽseatur, necesse est: itaq tot & tantæ Ecclesiæ vnã esse illam ab Apostolis primam, ex qua oẽs; sic oẽs, & primæ omnes Apostolicæ, dum vnam oẽs probant vnitatem, communicatio pacis, & contesseratio hospitalitatis, & appellatio fraternitatis, quæ iure non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio. & mox *Constat proinde omnem Ecclesiam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam.* hucusque Tertullianus apertè docens singulas Ecclesias quotidiè solitas mutuari à primarijs Ecclesijs, quas Apostoli fundarunt, fidei doctrinam, & semina: hinc communicatio pacis; nam suprà dicebamus huiusmodi litteras vocatas pacificas, & communicatorias: hinc contesseratio hospitalitatis: ostendimus enim Christianos aduenas tum hospitio exceptos ab alijs, admissosque ad communionem, cùm litteras huiusmodi ostendebant. Denique ait, Ecclesias hasce fuisse matrices aliarum, quòd scilicet singuli Episcopi transmitterent ad suos Metropolitas fidei formulam comprobandam, Metropolitæ verò singuli ad Pontificem Romanum: quam ob causam Cyprianus eodem vocabulo dicit Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum matricem. Sic videmus Imperatorem, Reges omnes, ac Principes primarios mittere ad Pontificem Romanum recens electum legatos, qui nomine ipsorum polliceantur illi, iurentq; obedientiam. Principes deinde minores, vt quos vocant Comites, Marchiones, Duces, pollicentur obedientiam, iurantq; Regibus ipsis, & Imperatori. Atq; hæc satis de duobus primis modis, quibus fides semper à nostris est confirmata.

Tertius modus fidei confirmatæ.

Tertius sit, quo Pontifex Romanus, vbi aliquo in loco fidei puritas in discrimen vocabatur, legatos misit, vel etiã Concilia aduocauit, vt occurreret imminenti ruinæ: qua de re suis locis agetur speciatim. Nullum namque Concilium vniuersale est vnquam coactum, quod non procurarit Pontifex Romanus, ob eas quas diximus causas, & cui non præsederint eius legati.

Quartus modus fidei confir.

Quartus est: qui Pontifex Romanus, quantum potuit, opibus & eleemosynis abundè Catholicos & Christianos semper adiuuit, eorumq; inopiam subleuauit, afflictisque omnibus & oppressis opem tulit, ab ipso Ecclesiæ nascentis initio vsque ad ætatem nostram. Huius rei testis episto

la Dionysij Episcopi Corinthiorum vetustissimi ad Ecclesiam Romanam, in qua sic alloquitur Romanos: *Apud vos iam mos inueterauit, vt omnes fratres varijs afficeretis beneficijs, & Ecclesijs permultis, quæ in quaq; ciuitate sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic planè non solùm egentium subleuatis inopiam; verùm etiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis: atque ita per ea beneficentiæ subsidia, quæ iam primis Ecclesiæ vestræ iactis fundamentis paßim mittere consueuistis, cùm sitis Romani, Romanorum consuetudinem sedulò obseruatis: quam quidem certè beatus Sother vester Episcopus & hactenus custodiuit diligenter, & valde suo propenso studio adauxit. Idq; non modò opes in sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando verùm etiam fratres ad ipsum aduentantes, tamquam pater indulgens ac clemens in liberos, beatò ac pio sermone ad virtutem cohortando.* hæc Dionysius. testatur porrò Eusebius hanc consuetudinem (de qua Dionysius) Ecclesiæ Romanæ suo adhuc tempore maximè seruatam. Hinc Paulus Diaconus scribit à Symmacho Papa abundè missum vnde se alere possent Episcopi Africani, qui suis eiecti sedibus in Sardinia exsulabant. Hunericus namq; Rex Vandalorum trecentos trigintaq; Episcopos Africa expulit, Thrasamundus autem ducentos viginti quinque. Liquet ex epistolis Gregorij Magni quantum Pontifici Romano semper curæ fuerit in singulis totius orbis regionibus egentes Catholicos subleuare, & benignè ijs facere. Ob id Romæ videmus esse cunctis nationibus vel remotissimis hospitales ædes, cum suis redditibus, excitatas ab antiquis temporibus, ita vt neq; Chaldæis sua domus, neque Indis, & AEthiopibus desit. Sed quid ego de domib. & hospitijs ago, quando Leo Quartus vrbem condiderit in Vaticano, in qua se olim recipere tutò possent, qui è Corsica insula, aut aliunde metu Sarracenorum profugissent: Tot verò ac tantos sumptus à Pontificibus Romanis scimus factos, ac fieri in dies ad inopiam subleuandam egentium (nisi forsan aliquis impudenter conqueratur nō fieri maiores) vt Gregorius Decimustertius, qui superiori anno decessit, quotannis aureorum septuaginta millia in egenos erogaret Romæ, vt omittamus amplissima beneficia, quæ in Græcos, & Orientales à Turcis eiectos, in Anglos, & alios ab hæreticis expulsos conferabat. Omittamus etiam verba facere hîc de ordinibus excitatis ad hanc curam, vt redimant captiuos, & in seruitutem à Barbaris abductos.

Euse. lib. 4. c. 22. hist. eccle.

Ve-

Quintus modus fidei confirmatæ.

Veniamus igitur ad quintum modum, quo Pontifices Romani, vel Catholici Scholas & Seminaria instituerunt, vel Romæ, vel alijs in locis, vt in ijs filij eorum, qui recenter nomen Christo dabant, ad humanitatis, Christianæque religionis & Catholicæ mores excolerentur. Id verò maximè opus fuit, ex quo perduci ad Christum cœperũt populi quidam non satis ad ciuilem consuetudinem legesque humaniores expoliti. Hinc Romæ antiquitus institutæ fuerunt Anglorum Scholæ, Saxonum, & aliarum nationum, de quibus frequens est mentio in actis Pontificum. Ioannes Maghus Episcopus Vspalensis dedit in lucem litteras quasdam Gregorij Septimi scriptas ad Suenonem Danorum Regem, & Olaum Noruegiorum, & ad Regem Visigotthorum, in quibus petit inter alia, vt mittant Romam clericos, ac pueros nobiles, vt sacras litteras, moresque Christianos commodè doceri possint. datæ sunt illæ circiter annum millesimum octuagesimum omnes. Ac nostra quidem ætate Gregorius Decimustertius plurima ad hanc rem collegia, rebus, vnde se alerent contubernales, in vsus perpetuos assignatis, erexit: exempli gratia, anno sui Pontificatus secundo erexit Romæ Seminarium Hungarorum, quinto Neophytorum, in quibus etiam Chaldæi, & Armeni, Anglicanorum, & Græcorum; nono Viennẽse in Austria, Pragense in Bohemia, Græcense in Stiria, Olomucense in Morauia, Branspurgnense in Prussia, Mussiputanum in Lotharingia: vndecimo Vilnense in Lithuania, Claudiopolitanum in Transyluania, Funaense in Iapone, & in eadem insula Arimanense, & Anzuchxamense, Fuldense in Franconia. Quin etiam memoria nostra videmus amplissimam diuinitus à nostris excitatam Iesu Societatem, quæ totius orbis loca percurrens, id vnum præ oculis habet, vt in præcipuis quarumlibet regionum ciuitatibus excitentur Gymnasia, in quibus per eos ad bonas litteras, moresque pios, & verè Christianos, adolescentuli erudiantur. Exempli gratia: Goa est Metropolis nobilissima Indiarum Orientalium: in ea per ipsos erecta huiusmodi Schola, ad quam cõfluunt vndiquè diuersis regionibus oriundi Brachmanes, Persæ, Arabes, AEthiopes, Armeni, Chaldæi, Abyssini, Canarij, Guzarates, Dacanij, Malauares, & ex Indis, q. vltra & citra Gãgem sedes habent, & qui insulas habitant ab Indico Oceano circumdatas: ex ea prodeuntes innumeri alumni, & plurimos

mos ad Christi cultum bene instituti perducunt, & longè plurimos ad veram pietatem corroborant. Rex Portugalliæ Ioannes Tertius, in ea vrbe huiusmodi Gymnasium idoneis opibus attributis erexit. Olim sanè cœnobia monachorum inter barbaras nationes constituta, erudire plerumque solebant earum pueros ad Christianos mores, vt adnotauit post alios Dubrauius historiæ Bohemicæ libro sexto: cuius affert ille illustrissimum exemplum. Adalbertus Episcopus Pragensis nobili ortus progenie latè Christi cultum disseminauit, non modò inter Bohemos, sed & inter Hungaros, Polonos, & Prussos, vt ex eius vita constat, & post Dubrauium latè Cromerius scriptum reliquit. Is à monachis Pragensibus, & sacras litteras, & pietatem Christianam fuit edoctus. Hæc ille. Ego verò mirabilissimis prorsus euentis hanc rem totam illustrabo. & vt omittamus recens Societatis Iesu institutum, cuius non modò inter nos, sed etiam multoque magis inter Indos, & Occidentales, & Orientales, sunt vberrimi fructus in institutione adolescentum: cuius auctor Ignatius Loiola Hispanus sanctimonia vitæ clarissimus, multa passus, & in vincula coniectus ob veritatis prædicationem in Hispanijs, Gallijs, & Venetijs, Romæ tandem suæ religionis fundamenta iecit, ac voluit ibi semper esse, & inde ex auctoritate primùm Pauli Tertij, deinde sequentium Pontificũ, latissimè institutum suum propagauit: in medium producam rem prorsus admirabilem, & diuinam.

Lib. 3. hist.

Gregorius Magnus nobilissimo ortus genere, primisq; Romæ honoribus perfunctus, tandem spretis omnibus, ordini sancti Benedicti se deuouens, monachũ professus est; Romæq; exstruxit præter alia alijs in locis ædificata, monasteriũ in cliuo Scauri. In eo & solidam pietatem, & cælestẽ doctrinam plurimi didicerunt, ordinique sancti Benedicti sese addixerunt. Illinc eduxit Gregorius Augustinum, Mellitum, Iustum, Paulinum, Laurentium, Ioannemq;, & alios monachos, de quibus Beda & alij, per quos Christi cultus inter Anglos est disseminatus, & confirmatus, multaque ordinis eiusdem monasteria constructa. E quibus deinde prodierunt ex Anglia oriundi, Bonifacius Moguntiæ à Gregorio Secundo Episcopus datus, alijque ipsius socij, qui totam Germaniam ad agnitionem veræ religionis Christianosq; ritus perduxerũt. Ab illo, de sententia Põtifi

Sur. in eius vita mens. Iun.

cum

cum Romanorum, constituti Episcopi Cobanu Traiecten tium, Burchardus Herbipolensium, VVillebaldus Eiste-tensium, Ioannes Salisburgensium, Erimbertus Frisingensium, Gouibaldus Ratisponensium, Vinilus Patauiensiũ; monachi omnes Angli è monasterijs illis educti, in quib. doctrinam Christianam in ordine sancti Benedicti, sacrasque litteras didicerant. Bonifacius deinde cum socijs Hamundo, Hildebrando, Hartvvolfo, Adellero, Stierbaldo, VVattaro, VValthero, VVitringho, ijsdem monachis Anglis similis instituti, in Phrysiam se conferens ob Christi Euangelium cum prædictis est occisus, cùm multa in multis Germaniæ locis monasteria ordinis eiusdem constituisset. En igitur vt Anglia, & Germania ad Christum perducta fuerit. En vt nostri Christi cultum confirment. En vt per alumnos monasteriorum, quæ Romani Pontifices & eorum sectatores fundarunt, vera religio sit propagata, & homines ad cælestia instituti. Audi adhuc mirabiliora. Monasterium illud à Gregorio Primo ædificatum, Græcis postea Catholicis est concessum, quod testatum reliquit in vita Gregorij Ioannes Diaconus, qui postea Pontifex fuit, cùm Photius Constantinopolitanus esset Patriarcha. Ex illo igitur monasterio Nicolaus Magnus emisit Cyrillum & Methodium monachos, non è Græcia accersitos, sed Roma profectos, qui Bohemos, Slauos, Morauos, Bulgaros, & alios, de quib. egimus suprà, Christo adiecerũt. Eant igitur nunc, & Pontificibus Romanis illudãt, vel qui è Græcis dissentiunt à nobis, vel hæretici Protestantes. Ostendimus antea à quibus fuerit Adalbertus, Hungarorũ, Polonorumq́; Apostolus institutus.

Nondum finem facio. Benedictus Nursiæ ortus, Romæ litteris adolescens operam dedit: mox cunctis postpositis in solitudinem secessit. Traditi illi fuerunt in disciplinam Maurus & Placidus pueri Romani. Maurus in Galliã missus multa monasteria ordinis sui construxit; multa illius successores similiter constituerunt. In his Corbeia fuit, in ea Adelhardus Caroli Magni consobrinus studio pietatis, doctrinæq; cælestis monachum professus operam dedit. Is in Saxonia monasterium aliud excitauit, cui nomen etiã Corbeiæ voluit esse. Trithemius id accidisse scribit anno octingentesimo vigesimo secundo. Ansgarius puer adhuc in Corbeia educatus, & sacras literas, & mores Christianos est edoctus. Is postea Episcopus Hamburgensis, ac Bre-

mensis creatus, Daniam, Suetiã, Gothiamq; lumine veræ religionis illustrare cœpit. Idē præstitit Stephanus monachus, & ipse Corbeiensis, ac tertius Episcopus Vpsalensis, vt post alios latè tradit Ioannes Magnus in Metropoli sua. Ostendimus alibi Rhembertum & Aldegarium eadem in regnis ijs Aquilonaribus perfecisse. Hos verò, & Corbeiæ Saxonicæ alumnos fuisse, Rhembertum verò, & discipulum præcipuum Ansgarij, & Hamburgensem, Bremensemq; Episcopum, cui commissa erat legatio Borealium nationum, constat ex eius vita, atq; hæc sint satis de quinto modo.

Sur. mē. Feb.

Sextus modus fidei confirmatæ.

Sextus sit, quo Pontifices Romani Christi cultores ab iniurijs defendi curarunt, & à sedibus Catholicorum longè propulsarunt impios metu quarumuis rerum, sicuti Christus flagello fugauit è Dei templo mercatores, mensasq; euertit nummulariorum, Petrus Saphiræ & Ananiæ abstulit vitam, Paulus Elimæ mago oculorum vsum. Sic Pontifex Romanus ad Ecclesiæ Catholicæ filiorumq; ipsius tutelam coëgit exercitus. Nam veluti laudat, hortaturq; suos, vbi tanto sunt animo, tantaq; fortitudine, vt pro inimicis ipsis vitam benignissimè profundant, sinant se duci agnorum more ad mortem, nulla vi vtantur, nihil acerbū aduersus hostes meditentur, quorum magna, vt ostendemus, cunctis in locis est copia; sic vbi videt Christi sui discipulos aliquos non benè confirmatos, non adeò constantes; trahi sinit alios, quasi Christum ex omni parte referentes, ad necem; sed infirmis ignosci vult, quasi dicat cum Christo: Sinite hos abire. hostesq; cadere retrorsum compellit, & ad terram prosternit, quod Christus fecit, cùm captus est in horto. huius rei sit antiquissimum exemplum, quod anno CCCXLVII. contigit. Paulus Episcopus Constantinopolitanus, & Athanasius Alexandrinus, sedibus suis eiecti, ad Iulium Pontificem confugerunt, opemq; aduersus Arianos petierunt. Iulius omnibus tentatis, cùm nihil se proficere intelligeret, quòd Constantius Orientis Imperator Arianis faueret, & armis cuncta miscerentur, Concilijque Sardicensis decreta nihili fierent, opem Constantis, qui tum Romæ degebat, & Occidenti imperabat, implorauit. Ille autem sic ad Constantium fratrem scripsit: *Sunt hîc apud me Athanasius & Paulus; quos accepi pietatis causa vexatos esse. quòd si spondeas, te illis suas sedes restituturum, atq; in eos à quibus iniuria affecti sunt, animaduersurum, viros ipsos ad mit-*

tam. sin minus, ego propius accedam, atque illos in sedibus suis te inuito reponam. hæc Constans. Quibus auditis Constantius, metu belli ciuilis, Athanasium Paulumq; suis sedibus restituit à Iulio Papa cum litteris dimissos. Quòd si adhuc vetustiora exquiris, habemus ipsius Constantini exemplũ, qui cùm Licinium sæuire aduersus Christianos, Romæ Syluestro, à quo baptizatus fuerat, sedente, audisset, neq; ab incepto monitis ac precibus eum reuocare posset, (erat autem Licinius Constantino affinis, quòd ipsius sororem Constantiam haberet in matrimonio) bello petijt, vicit, cœpit, tamdemq; peiora molientem iussit interfici. Hæc Sigonius post alios anno CCCXXII. Ante Constantinum Christiani armis nihil poterant; idcirco antiquiora exẽpla nõ adsunt. Sed vt apertissimum fiat à Pontifice Romano Petri successore, qui Ecclesiæ Catholicæ est Antistes summus, omnibus hisce modis Catholicam fidem confirmatam, quando singula persequi ac recensere non possumus, bene erit huc afferre, quæ præstiterit in Græcis & Orientalibus confirmandis, ex quo Constantinus, de quo nunc mentio est facta, Byzantium cõcessit: & ijs illustrissima fient quæ proponuntur.

Lib. 3.

Quot, & quanta præstiterint Pontifices Romani, cunctiq; Occidentales, vt Græci, & Orientales in fide continerentur, ac confirmarentur.

CAP. IV.

NVllum ferè sæculum fuit, in quo non plura & maxima Occidentalis Ecclesiæ constent beneficia in Græcos & Orientales. Quod vt clarissimum fiat, nõ nulla recensebimus ordine collecta ex ipsis scriptoribus Græcis. Initium verò faciamus ab eo tempore, quo Cõstantinus ex Occidente profectus, Romæq; ad Christi cultum perductus à nostris, imperij sedem transtulit ad Græcos, Byzantio nobilissimè amplificato; quo tempore cœpit Græcus intumescere, & alioquin sapiens extolli, Oriensq; varijs hæresum tumultibus misceri, dirisque tempestatibus agitari propter hæresim Arianam, quæ & in Synodo Romana à Syluestro est profligata, & in Nicæna vniuersali, quæ Syluestri suasu præsidentibus eius Legatis, Constantino nostro sumptus suppeditante, est coacta, vt Eusebius tra-

IV. Sæculum

traditi, & ex actis ipsorum Conciliorum constat. Nihilominus haud multò pòst Athanasius Episcopus Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Ascl.pas Gazeus, Lucius Adrianopolitanus sedibus suis contra leges expulsi ab Arianis, qui Concilium frequentes Antiochiæ conuocarant; at illi cum Catholicis suis Romam contenderunt, appellantes ad Iulium Papam, qui benignè illos excepit, Synodum aduocauit innocentes illos & Catholicos pronunciauit; litterasque ad Orientis Episcopos misit, suis eos sedibus restituens, recipi mandans, adijciens se non passurum eos inultos, nisi ipsi nouis rebus studere desisterent. nam propter sedis dignitatem, cura omnium ad eum, scribit Sozomenus, spectabat, & Ecclesia Romana primas apud oēs ferebat, quòd Apostolorum Schola, & Metropolis pietatis ab initio fuisset. Hæc scriptor ille Græcus. Quin anno CCCLVII. Iulio eodem procurante, habita est Synodus Sardicæ, in qua adfuerunt Episcopi Occidentis trecenti, Orientis septuaginta sex, in qua rursus Ariani Episcopi condemnati, & dignitate spoliati, Catholici verò restituti fuerunt; missique ad Imperatorem Constantium legati à Concilio Vincentius Capuæ Episcopus, & Eufratas Coloniæ Agrippinæ Antiochiam, in qua tunc vrbe Imperator degebat; remque ex sententia confecerunt, vt Athanasius ipse persequitur tum alibi, tum epistola ad solitariam vitam agentes. Defuncto tamen Constante Occidentis Imperatore, Iulioq; Papa, cui Liberius est suffectus, omnium rerum potius Constantius immutauit sententiam suasionibus Arianorū. missiq; in exsilium Paulinus Episcopus Treuirensis, Lucifer Caralitanus, Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, quòd hæresi Ariani communicare, & Athanasij condemnationi subscribere, Constantio omnia minitante, qui illos Mediolanum conuocarat, nollent. Missus similiter Liberius ob eamdem causam circiter annum CCCLV. qui omnes Orientem, Græciamq; peragrantes, quantum poterant Catholicos in virtute confirmarunt, vt in eadem epistola Athanasius scribit. Pulso Liberio maxima Romæ seditio est ob id concitata, vt aiunt Socrates & Sozomenus, ita vt Constantius habuerit necesse illum restituere post biennium. quocirca rumorem sparsêre, inquit Sozomenus, Ariani, illum subscripsisse eorum doctrinæ. sed vt eorum mendacia apparerent, accidit à Constantio Ariminū

Lib. 3. c. 6. 7.

Soc. l. 2. c. 29
Soz. l. 4. c. 14

cogi Episcopos Occidentis, quos dum nimis compellit ad assentiendum decretis Arianorum, plurimi in Ecclesia tumultus excitati: nam quidam ex Episcopis Catholicis occisi, in quibus Gaudentius Arimini Episcopus: quidam dolo circumuenti per errorem nescienter subscripserunt. Quæ cùm Liberius resciisset, litteris datis ad Orientis Episcopos, rem diuulgauit, fidem faciens Occidentales nullo modo assensum dedisse, astu rem tractatam; vbi ad actum foret apertè nouissent, Arianorum doctrinam exsecratos, se Nicænum Concilium sequi, & Pontificis Romani auctoritatem publica attestatione esse professos; quocirca hortari, vt in officio fideq; permanerent. Recitat eas litteras Socrates. Et tamen adeò Arianæ pestis virus Asiam peruaserat, vt Hilarius testetur à se in decem Asiæ prouincijs vix Catholicum repertum, cùm sede sua pulsus in exsilio degeret; id verum constat ex ijs, quæ Constantinopoli Nazianzenum peregisse legimus. Quocirca Damasus Liberij successor sub annum CCCLXVIII. Romæ Synodum conuocauit Episcoporum nonaginta, & litteras ad Episcopos Illyricos dedit, quibus animum dabat illis, & vt constãtes essẽt, hortabatur. Neq; satis hoc habuit, sed Eusebio Episcopo Vercellensium, Luciferoq; Caralitanorum mandauit, vt Orientis regiones obirent, Catholicos in fide contineret, suoq; præsidio corroborarent. Hinc Sozomenus: *Eusebius*, ait, *regiones Orientis peragrans, eos qui fidem contempserant, in rectam viam perducere studuit, & quemadmodum de Deo sentiendum esset, docuit, deinde Illyrium properè trãsiens venit in Italiam.* & Socrates: *Eusebius*, inquit, *partes Orientis peragrans, infirmos fide, instar medici præstantis, ad integram valetudinem restituit, doctrinaq; ecclesiastica instruxit. Cùm verò Petrus Athanasio defuncto Alexandriæ subrogatus fuisset à Catholicis, sed à Lucio, eiusq; sectatoribus Arianis expulsus, ad Damasum Romam profugit, qui cum litteris illũ remisit Alexandriã, quæ et Petri creationem* (verba sunt Sozomeni) *confirmabant, & decreta Concilij Nicæni.* Idcirco Ecclesia reddita Petro, & Lucius expulsus Constantinopolim ad Valentem Imperatorem, qui Arianis studebat, cõcessit. Denique quando omnia perturbata erant ob impietatem crudelitatemque Constantij & Valentis Imperatorum, Deus ex Occidẽte misit exstincto Valente Theodosium Imperatorem, qui ex Hispania oriundus erat, & à Gratiano Imperatore Occidentis Catholico, Catholicus & ipse ad Orientale Imperium gubernandum euectus. Hic non-

Socr. l. 3. c. 11.

Soz. l. 5. c. 12.

Socr. l. 3. c. 7.

Soz. l. 6. c. 39

nondum sacris aquis ablutus Thessalonicæ incidit in morbum, quocirca baptizari voluit ab Ascholio illius vrbis Episcopo, & Illyrici Metropolita; qui Pontificum Romanorum in Oriente personam sustinebat. Quapropter è morbo conualescens legem promulgauit, vt omnes Imperio Romano subiecti eam sequerentur fidem, quam Damasus, qui & ipse natione Hispanus erat, vrbis Romanæ Episcopus, & Petrus Alexandrinæ profiterentur; Demophilumque Arianorum Episcopum Constantinopoli exegit; Gregorium Nazianzenum retinuit ac defendit; tunc Orienti tranquillitas constituta: contigit hoc circiter annum trecentesimum octuagesimum. Atque hæc quarto sæculo Pontifices Romani, & Occidentales præstiterunt erga Orientales & Græcos per Constantinum, Theodosiumque Imperatores, Syluestrum, Iulium, Liberium, Damasumque Papas, quo simul etiam Zoticus Romanus à Constantino Byzantium ductus primus in vrbe illa instituit hospitales ædes curandis ægrotis, alēdis pupillis, vt Græci in Menologio scriptum reliquêre, Leoq; & Anthemius in quadam constitutione meminerunt.

Soz. li. 7. c. 4.

Post hæc accidit anno CCCCIV. vt Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus contra fas omne sede deiectus in exsilium pulsus fuerit, Episcoporum factione in eum conspirante; cunctique ipsius studiosi, quorum maxima erat multitudo, variè fuerint exagitati. Quāobrem misit ille Romam ad Innocentium Papam legatos Germanum presbyterum, Ioannemque Cassianum cum litteris, petens, vt auctoritatem suam potestatemque hac in re interponeret, ab iniurijs ipsum suosque tueretur. Contulerunt etiam se Romam Demetrius, Cyriacus, Eulisius, & Palladius Episcopi, eadem expostulantes. Igitur Innocentius Constantinopolim misit, vt Sozomenus testatur, Ecclesiæ Romanæ Episcopos quinque, presbyteros duos, vt Synodus conuocaretur, qui non modò reiecti, sed & in vincula cōiecti, & quæstionibus subiecti fuerunt; id vbi resciuit Innocentius, Arcadium, Eudoxiamque, & cunctos eis fauentes hac in re excommunicauit, Ioannem declarauit innocentem, & contra ius dignitate spoliatum; vt Nicephorus scriptum reliquit. Quinimmo ait Sozomenus: *Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communicare voluerunt, quàm no-*

l. omnia priu. C. de epi. & cle.

Soz. l. 8. c. 28.

Niceph. li. 13. c. 34.

men illius sanctißimi viri in tabulas, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. Atque Arsacium eius successorem ne salutare quidem dignati sunt. Atticum autem, qui succedebat Arsacio, quiq; sæpè legatos ad eos miserat, sæpeque pacem postulauerat, postea tamdem, cùm Ioannis nomen in tabulis inscripsisset receperunt. Hucusque Sozomenus. Atque hæc Innocentius pro Chrysostomo, & eius fautoribus, siue pro veritate, ac recta doctrina. His vix dum benè compositis circiter annum CCCCXXX. Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus cępit palàm decernere in Christo duas personas, humanã scilicet, ac diuinam: quod cùm Cælestinus Papa cognouisset, admonuit illum per litteras, vt sententiam mutaret; quod cùm renueret, coacta Romæ Synodo (quando Theodosius Imperator videbatur accedere ad sententiam Nestorij) & ipsius hæresim damnauit, & Cyrillo scripsit, vt certiorem faceret Nestorium, ni intra decem dies resipisceret, sciret se excommunicatum, & vt Concilio Ephesino nomine Papæ Cyrillus ipse præsideret. Paruit Cyrillus. Cumque Synodo absoluta Theodosius adhuc nutare videretur misit ad illum doctissimam Apologiam Cyrillus, in qua rationem reddit Imperatori gestorum, iudiciumque Cælestini Papæ profert in medium, *Fidei*, inquiens, *meæ rectæ testimonium dedit Ecclesia Romana.* Quapropter acquieuit Theodosius, & cæteri qui Nestorio fauere videbantur, in quibus erant Antiochenus Patriarcha Ioannes, Cyrensis Episcopus Theodoretus, & alij multa grauitate & auctoritate præstantes viri. Secuta est deinde hæresis Eutychiana, in qua asserebatur vna in Christo natura, diuina scilicet, in quam transisset humana; ob quam Flauius Patriarcha gradu Eutychem mouit de sententia Concilij Episcoporum plurimorum, quos aduocarat Constantinopolim sub annum CCCCXLVIII. Aduersabatur huic decreto Theodosius malis aliquorum consilijs impulsus. Quocirca Ephesi coacta est Synodus, cui nomine Leonis Papæ Iulius aderat; is cùm videret à Dioscoro Alexandrino Patriarcha fieri plurima contra ius, nihilque fieri Pontificis Romani auctoritatem, reijci literas eius, abscessit. Hinc necatus Ephesi ab hæreticis sanctissimus vir Flauianus, abdicati contra ius Eusebius Doryleorum, Ibas Edessæ, Theodoretus Cyri, Daniel Carrarum, Cirenius Tyri, Aquilinus Bibli Episcopi. Quod cùm Leo Magnus à Iulio rescisset, & ab alijs,

Soz. l. 5. c. 34.

qui vel ad eum confugerant, vel scripserāt, & ipse ad Theodosium litteras querelarum plenas dedit, atq; vt Valentinianus Imperator, & vxor eius Theodosij filia similiter ea de re scriberent, curauit, quò rursus aliud Concilium congregaretur, & malè acta rescinderentur, quando qui subscripserant, vi fuerant adacti, in quibus Domnus Antiochenus. Sed nihil actum, nisi post obitum Theodosij; quo defuncto, Leo Papa litteris suis perfecit, vt apparet ex ijs, Concilio Chalcedonensi, & Euagrij scriptis, vt rursus cogeretur Synodus; cui præsederunt eius nomine Lucentius & Paschasinus Episcopi, ac Bonifacius presbyter, ab eo missi. In ea veritas stabilita, suus omnibus locus restitutus; Dioscorus vt meritus erat, punitus. Nihilominus eam postea Petrus Moggus Alexandrinus Patriarcha maximè oppugnauit, & nulla non suppliciorum genera Catholicis inflixit. Acaciusque Patriarcha Constantinopolitanus illi in omnibus, quæ moliebatur, subsidio fuit, quamuis Felici Papæ scripsisset esse hæreticum Petrum, suasissetque excommunicandum. Hæc porrò agebant ambo per dolum, Felicem conati decipere, & in suas partes traxêre Imperatorem Zenonem, qui legem promulgauit, qua neque accipiendam, neque explodendam Synodum Chalcedonensem sanciebat, ampliùs ijdem Misenum & Vitalem Papæ legatos astu in suam sententiam perduxerunt; quæ cùm certo comperisset Felix certior factus à Cyrillo præfecto insomnium monachorum quales erant Studitæ, quos à Studio Romano diximus institutos, vt latè persequitur Euagrius, & Zenonem deceptum simul videret, neque litteris suis habere fidem, Synodo Romæ aduocata, anno quadringentesimo octuagesimo quarto Misenum Vitalemque gradu mouit; Petrum verò & Acacium excommunicauit, Catholicos Orientis in fide continuit, veritatemque defendit. subsecutæ sunt posteà maiores turbæ. Anastasius namq; Zenoni succedens malè animatus in Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum, quòd ei chirographum, quo se obligarat in fide cum Catholicis futurū (videbatur namq; Manichæus esse, & Arianus) efflagitanti reddere nollet, sede eū deturbauit. Idemq; ob eamdem causam aduersus Macedonium Euphemij successorem patrauit, quem prætereà co-

Euag. l. 2. c. 2

Lib. 3. ca. 19. 20. 21.

gere voluit, vt Chalcedonensia decreta damnaret. Ob id plurimi ab Imperatore Catholici eiecti Romam profugêre, vt Niceph. scripsit. Expulsi sunt etiam suis sedibus Patriarchæ Flauianus Antiochenus, Helias Hierosolymitanus, & Ioannes Alexandrinus. Imperator præterea decreuit de sententia Seueri, qui inuaserat Antiochenam sedem, addendum Hymno illi: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis*: hæc verba, *Qui pro nobis crucifixus est*. cui insaniæ Catholici oẽs acriter obstiterunt; adeò vt Vitalianus exercitu in eum ducto penè cuncta Catholicis fauens occuparit: quo circa Imperator iureiurando pollicitus est, se Catholicis sedes suas restituturum, cunctaq; malè acta aduocato Concilio rescissurum. Ob eam rem misit Hormisdas Papa Ennodium Ticinensem Episcopum, Fortunatũ Casinensem, Venantium Presbyterũ, Vitalianumq; Archidiaconum, q. Synodo apud Heracleam præsiderent. At Anastasius & legatos eiecit, & fragili naui impositos, viatico adẽpto, præcipiens ne à quoquam reciperentur hospitio, procul abire iussit. Illi verò tanta fuêre solertia, vt ope monachorum epistolas Hormisdę, quibus Catholica fides sanciebatur, in omnibus ciuitatibus diuulgarent, quæ ab Episcopis vrbiũ metu Imperatoris (adeò nutabat in Oriente veritas) scissæ fuerunt. Eluxit autem maximè Constantinopoli Studitarum constantia in retinenda recta doctrina, vt Nicephorus tradit. Defuncto aũt paulò pòst Anastasio, & imperante Iustino, misit Hormisdas iterum Germanum Capuanum Episcopum, Ioannem & Blandum presbyteros, Felicem & Dioscorum diaconos, quib. effusa cuiusuis generis hominum multitudo obuiam processit. Per eos Catholica fides, Catholiciq; omnes in locum suum restituti. Atq; hęc quinto sæculo perfecta ab Innocentio pro Ioanne Chrysostomo, & eius fautoribus, aduersus Arcadium, Eudoxiamq;, & Episcopos Orientales, qui à recta via deflexerant; à Cælestino aduersus Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum, Ioannem Antiochenum, cæterosque hæreticos Nestorio adhærentes; à Leone aduersus Eutychem, Dioscorum Alexandrinum Patriarcham, Theodosiumq; Imperatorem; à Felice aduersus Acacium Constantinopolitanum, Petrum Moggum Alexandrinum, Zenonemq; Imperatorem; ab Hormisda aduersus Anastasium Imperatorem, Seuerum Antiochenum, Timotheumq; Constantinopolitanum Patriarcham, pro veritate Catholica.

Lib. 16. c. 26.

Lib. 16. c. 35.

Paul. Dia. lib. 15.

Per annum deinde quingentesimo vigesimo quinto imperante Iustino, & Arianis ecclesias adimente, Theodoricus Italiæ Rex Arianus Ioannem Pontificem rogauit, vt Constantinopolim pergeret ad Iustinum, perficeretq; ne is Arianos malè haberet; alioquin se idem in Catholicos acturum. perrexit Papa, sed tantum abfuit vt hoc petierit, vt potiùs secus efflagitarit, ecclesiasq; omnes ipse Catholico ritu consecrauit. Igitur rediens in vincula coniectus est à Rege, in quibus vita decessit, cum priùs litteras ad omnes Catholicos dedisset, vt in fide persisterent, nihil ab Arianis timerent. Anno deinde 535. Agapitus Papa à Rege Theodahato rogatus, vt ex epistolis Cassiodori patet, Constantinopolim profectus est, vbi honorificentissimè exceptus cùm cognouisset Anthimum hæresi Seueri infectum, quem Theodorę coniugis intercessione Imperator Iustinianus Episcopum Cōstantinopolitanum creari procurerat, illū sede illa indignum, spoliandumq; palàm dicebat; cui minatus Imperator, se suo arbitratu quod vellet, posse agere dixit. Pontifex ad minas risit, seq; cædem etiā æquo animo laturum esse respondit, ac beatum se fore, si talis sibi vitæ exitus daretur. Imperator itaque pudore affectus rem proposuit examinandam, nonnulliq; è primoribus sacerdotum refragati sunt acriter Papæ, vt Imperatori gratificarentur largitione corrupti. omnes tamen ab eo sunt superati: itaque deiectus Anthimus, Menasq; substitutus. Hæc vti narrat Zonaras, homo Græcus, retulimus. Exstat hac de re constitutio Iustiniani. Theodora verò Imperatrix his rebus exacerbata, cùm non posset ab Agapeti successore Sylverio modis vllis obtinere vt Anthimus hęreticus restitueretur, ad Belisarium tum Romæ degentem scripsit, vt Sylverium vinctum Constantinopolim mitteret aliquo prætextu, Vigilium sufficiendum curaret, à quo sperabat Augusta se quod vellet impetraturum, quasi id ille ipsi, si Papa per eam crearetur, promisisset. Præstitit hoc Belisarius, insimulatumq; proditionis Sylverium in vincula coniecit, Vigilium substitui curauit, qui Pontifex factus se nullo modo hæreticis fauturum dixit. Quocirca & ipse vinctus Constantinopolim missus, vbi multa perpessus, tamen à sententia numquam potuit dimoueri; & princeps fuit Concilij quinti, ait Zonaras, quod Constantinopoli aduersus hæreticos est coactum. Menæ successit Eutychius, is sub annum 581. cœpit asserere futurum vt

VI. Sæculo quid Papę egerint in oriente.

Li. 3. in Iust.

corpora nostra, cùm resurgemus, haud possint palpari; idque edito libello diuulgauit. Gregorius tunc Constantinopoli agebat Apocrysarium sedis Apostolicæ, publicéque Patriarcham coarguit, hæresimq; illam coëgit abiurare. Hoc igitur præstitum sexto sæculo à Ioanne Papa aduersus Arianos, ab Agapeto aduersus Seueritas eorumq; sectatorem Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum: (fuit autem Seuerus Episcopus Antiochenus) à Syluerio & Vigilio aduersus eosdem, à Gregorio postea Pontifice aduersus Eutychium, sanctissimum alioquin virum, qui per errorem labebatur.

VII. Seculo quid Papæ egerint pro oriête.

Anno post hæc sexcentesimo trigesimo contigit vt Heraclius Imperator, Anastasius Antiochenus, Sergius Cōstantinopolitanus, Cyrus Phasidis Episcopi hæresim Monothelitarum suscitarent. Honorius Papa quæstiones huiusmodi amputandas rescripsit. Ioannes Quartus multò liberiùs duas in Christo voluntates esse respondit, Heracliumq;, & eius asseclas hac in re per litteras reprehendit anno sexcentesimo trigesimo octauo. Theodorus autem Papa Paulum Patriarcham Constantinopolitanum vehemētiùs ob id obiurgauit anno sexcentesimo quadragesimo quarto, & habito Romæ Concilio hanc opinionem veluti hæreticam damnauit. Martinus horum successor idem præstitit, odiumq; ob id Imperatoris Constantis incurrit; iussuq; eius captus Constantinopolim Roma perducitur, & inde in exsilium mittitur in Pōtum anno sexcentesimo quinquagesimo secundo, vbi sequenti mortuus multis est miraculis nobilitatus. Eugenius deinde Martini successor Petri Patriarchæ Constantinopolitani synodicam, in qua sententijs obscuris hæc hæresis inuoluebatur, conscidit anno sexcentesimo quinquagesimo quinto. Deniq; Agatho Papa anno 680. legatis missis Concilium sextum procurauit indici, in quo hæresis hæc publico decreto & communi est exterminata. Eam sunt secuti Patriarchæ Constantinopolitani Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus similiter Anastasius, & Macharius Antiocheni, Cyrusq; Alexandrinus: aduersus quos pugnauerunt septimo hoc sæculo Ioannes, Theodorus, Martinus, Eugenius, atq; Agatho Papę, simulq; aduersus Imperatores huius opinionis studiosos Heraclium, & Constantem: atq; ita Catholicam doctrinam, quantum potuêre, in Oriente & Græcia sunt tutati. Secutæ sunt deinde Iconomachorum turbæ.

Zonar. tom. 3 in vita Constant. Pogonati.

Anno

Anno namque septingentesimo duodecimo Philippicus Imperator inuexit hęresim contra imagines sacras. Stu ditas à se dissentientes vnà cum bibliotheca copiosissima, in qua eos concluserat, combussit. Constantinus Papa illā damnauit; & ob id, ne nummi Imperatoris, aut imago Romæ reciperetur, mandauit. Gregorius inde Secundus Concilio conuocato eam prorsus explosit anno septingētesimo decimosexto, & septingentesimo vigesimo tertio. cumq; illi Leo Isaurus insidias struere haud desisteret, anno septingētesimo vigesimo septimo Roma, & eius, vt vocabatur, Ducatus, ab impio Imperatore omninò defecit, in omnibus se Pontifici Romano subijciens. Post hæc Gregorius Tertius eumdem Leonem Concilio Romę indicto excommunicauit. & quando Constantinus Copronymus hæresis eiusdem fautor acerrimus Catholicos omnes, & præcipuè monachos, varijs ob id supplicijs afficiebat, Stephanus Secundus anno 755. per Pipinum Regem Pentapolim, exarchatumq; Rauennatem Constantinopolitano Imperatori ereptum ab Aistulfo Romanæ Ecclesiæ adiecit. Stephanus autem Tertius anno 769. rursus aduocata Romæ Synodo imaginum sacrarum cultum sanciuit, donec anno 787. Hadrianus Pontifex, missis legatis Constantino & Irene Imperatoribus, septimum generale Cōcilium Niceæ celebrauit. Atq; hæc octauo sæculo gesta à Pontificibus Romanis aduersus Leonem Isaurum, Constantinum Copronymum, Leonemq; ipsius filium Imperatores, & Episcopos Orientis hæreticos, quorum Synodum Constantinus habuerat, vt Zonaras tradit.

VIII. Sęculo quid Papæ egerint pro oriēte.

Neq; tamen nonum sæculum prorsus hisce tumultibus vacuum fuit. Leo namq; Armenius anno octingentesimo decimo quinto eamdem in sacras imagines tempestatem commouit: idem fecère Michaël Balbus, Theophilusq; successores, à quibus Catholici variè excruciati, maximè verò monachi Studitę, donec anno octingentesimo quadragesimo secundo suus honor sanctis imaginibus restitutus industria in primis Methodij, qui Romæ diu fuerat moratus, & à sede Apostolica Constantinopolim presbyter missus postea factus est Patriarcha, vt Anastasius testatur. Anno postea 860. cùm Michaële Theophili filio imperante Bardas Cæsar omnia administraret, vxoremque contra fas dimisisset, & cum nuru consuesse diceretur, Ignatius ingressu Ecclesiæ illi interdixit, Bardas

IX. Sæculo quid Papæ egerint pro oriente.

Anast. in epi. ad Carolū. in vita Dionys. Sur. mēse Octobr. Zon. tom. 3. in vita Mich.

ob id indignatus Ignatium sede spoliatum sepulchro inclusit, mox in insulam Mitylenem relegauit; Pontificesq; cum illo sentientes variè exagitauit. Nicolaus Pontifex horum certior factus, legatos, vt rem dumtaxat cognitam referrent, ad eum misit. at illi à Barda corrupti Ignatium ritè abdicatum pronunciarunt, fines mandati trangressi. Nicolaus vbi hæc comperit, anno octingentesimo sexagesimo quinto Concilium Romæ conuocauit, legatos gradu mouit, Ignatium pristinæ dignitati restituit, Photium depulit.

Deniq; anno octingentesimo sexagesimo octauo Adrianus Secundus legatos Constantinopolim misit, & habito Concilio, quod est octauum generale, Ignatium, Basilio Macedone imperante, suæ dignitati reddi curauit, Photiũ spoliari, vt constat ex actis eius. Ex eo tempore Photius homo multæ lectionis, & animi inconstantis, mala cœpit esse mente in Occidentales, & aduersus eos scribere: idq; quamuis Ignatio defuncto Ioannes Octauus eum confirmarit Patriarcham Constantinopolitanum, & illi miserit stolam pontificalem, indumentum, penulam, & sandalia. ex eo similiter tempore paulatim Græci sese à nobis ob scripta Photij abalienantes ex magna parte, multos secũ traxêre in eamdem ruinam. qua factum est, vt Romanum Pontificem non magni fecerint: sed huius contemptus verè diuinitus inflictas ipsi pœnas tulerunt. Pauci namq;, vt à summis Antistitib. ordiamur, è Patriarchis Constantinopolitanis fuêre, qui euecti ad illam dignitatẽ, non fuerint simul ante obitum pro libito Imperatorum deiecti: initiumq; factũ ab ipso mali totius auctore Photio, qui à Leone Philosopho gradu deturbatus, in monasterio fuit inclusus; non tamen Græci nos loco hæreticorum reputabant, donec anno millesimo quinquagesimo tertio Michaël Patriarcha excommunicare est ausus Occidentales, ijs omnia monasteria, ecclesiasque adimere, & ex omnibus eos locis quantum posset exterminare. Quæ cùm Leo Nonus rescisset, litteris eum tanti sceleris coarguit, legatosq; Constantinopolim misit, per quos agnouere suum crimen Græci, & iterum se nobis, frigidè tamen, adiunxerunt, quæ Sigibertus in chronico suo notat.

XI. Seculo quid Papæ egerint ꝓ oriente.

Quocirca Vrbano Secundo Pontifice, qui sedere cœpit anno millesimo octuagesimo octauo Concilium est habitum Bari, cui adfuit Anselmus Cantuariensis, in quo Græci su-

ci suum confessi sunt errorem; & nihilominus visi sunt semper fluctuare: & licet nos non ducerent hæreticos; tamen in causis religionis, quod fecêre illorum maiores, nũquam contulerunt se ad Pontificem Romanum, vt vel auctoritatem suam interponeret, vel ijs opẽ ferret: sed haud destitêre Occidentales hortatu Pontificum Romanorũ, in omnibus illos adiuuare: & quando in ijs, quæ pertinent ad sacra, videbant se ab illis despici, quasi ab aliqua labe eorũ doctrina pollueretur, plurimi è nostris Cõstantinopolim à Pontificibus Romanis nomine legationis missi concesserunt, quò concordia perfectè iniretur, & conciliaretur inter nos & Græcos. omnia à nostris, vt ostendemus, tentata; nihil perfectum. ab illis non modò nihil tentatum, vel cogitatum; sed omnia potiùs nostra reiecta, conculcata indignissimè, & crudelissimè tractata. Veniamus ad rem. Diximus à Leone Nono missos legatos, qui ad mentem Gręcos reduxerunt. Diximus Bari habitum Concilium post annum millesimum octuagesimum octauum, in quo Gręci nobiscum consenserunt.

Adrianus Quartus sedit post annum millesimum centesimum quinquagesimum quartũ; & hic suspicatus Gręcis haud bene nobiscum conuenire, misit ad Emanuelem Imperatorem Balduinum, & Balditzonium ad hanc rem; scripsitq; in eamdem sententiam ad Basilium Achridenũ Metropolitam Thessalonicensem, qui benignissimè Pontifici respondit, asserens nihil esse dissidij in fidei doctrina inter nos & Græcos. Exstant litteræ vtrinq; missę in Codice Iuris Orientalis inter responsa Patriarcharum. Alexander Tertius iniuit Pontificatum anno millesimo centesimo quinquagesimo nono, obijt millesimo centesimo octuagesimo primo: hic curauit vt præter alios Constantinopoli esset Hugo Eterianus vir doctissimus, & Emanueli Imperatori gratus, cuius exstãt scripta subtilissima aduersus Gręcos de Spiritus sancti processione. Quinimmo missus eodem Ioannes Cardinalis Pontificius legatus ob eãdem causam, qui posteà occisus est à Græcis anno millesimo centesimo octuagesimo, vt palàm fiet suo loco.

XII. Sęculo quid Papæ egerint pro oriente.

Ioannes Ducas imperauit in Oriente sub annum millesimum ducentesimum vigesimum secundum; & tunc etiã nostri tentauerũt in ijs locis (Imperium namq; Constantinopolitanum Latini tenebant, expulsis, vt videbimus, Græcis) has controuersias componere, quo tẽpore stetit à nobis

XIII. Sæculo qui d Papæ egerint pro oriẽte. Gre. l. 4. & 5

nobis Nicephorus ille Blemydes tantopere laudatus, de quo suprà mentionem fecimus, vt est auctor Gregoras. Quamuis etiam multo antè Græci ad Concilium Lateranense fuerint inuitati anno millesimo ducentesimo decimo quinto. Post hæc Michaele Paleologo regnante, anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo missi à Gregorio Decimo fratres ex ordine sancti, (vt collegimus ex actis nonnullis) tum Dominici, tum Francisci, exemplo Gregorij Noni; qui rem transegerunt, & Græcos iterum veritati Catholicæ penitus adiunxerunt: horum fratrum Gregoras idem fecit mentionem.

Lib 5.

XIIII. Sęculo quid Papæ egerint pro oriēte.

Lib 10.

Andronicus iunior Paleologus imperauit sub annum millesimum trecentesimum trigesimum secundum, quo tēpore Gregoras testatur Episcopos duos à Pontifice Romano missos, qui quęstiones, in quibus à nobis Græci dissidebant, diffinirent de communi consensu; ij de Gregoræ consilio reiecti fuerunt, neque admissi ad disputationē, quòd illis nemo inter Græcos par esse videretur, vt idem Gregoras palàm fatetur. Nihilominus anno millesimo trecentesimo trigesimo octauo Barlaamus monachus Calaber, Constantinopolim profectus, hæresim Græcanicam in publico cœpit exagitare, ac tres ferè annos ita perstitit, vt nemo fuerit ausus sese illi opponere, donec Palamam quemdam Græci illi obiecerunt. Sed cùm Barlaamus vellet apertissimè ostendere Palamam ex ipsius scriptis esse hęreticum, in publico conuentu, cui interfuit Imperator, est explosus. Neq; Gregoras diffitetur Palamam fuisse hęreticum. At Barlaamus videns se in consilio publico explosum, timensq; ne monachorum manib. discerperetur, Constantinopolim reliquit. Hęc Gregoras, qui nihil aliud obijcit Barlaamo, nisi quòd habitus fuerit à Græcis maleuolus, pertinax, & gloriosus. Sic ille scriptor infensissimus Latinis, qui adijcit nocte sequēti Imperatorem, à quo Barlaamus fuerat explosus, morbo grauissimo, quo post tertium diem decessit, oppressum fuisse: quod accidit anno millesimo trecentesimo quadragesimo. Hunc Barlaamum putamus illum fuisse, à quo se litteras Græcas didicisse testatur Franciscus Petrarcha.

XV. Sęculo quid Papæ egerint pro oriente.

Ex hoc tēpore Græcorū res in peius quotidiè labi cœperūt, donec anno millesimo quatercentesimo trigesimo octauo Conciliū Florentinum Ferrariæ est inchoatum, cui Græci interfuerunt vnà cum Ioanne Imperatore, & Iosepho

pho Patriarcha; in eo Greci nobis, Ecclesiæq; Catholicæ se adiunxerunt: sed vbi redierunt ad suos, qui in Græcia remanserant, cùm nollent omnia scita recipere, pleriq; ad priora redierunt; Constantinopolisq; capta anno millesimo quatercentesimo quinquagesimo tertio à Turcis. neque amplius profici aut tentari à nobis quidquam potuit. Ex his apparet quantum studij posuerint Pontifices Romani, vt in Oriente Catholicam veritatem, Catholicosq; omnes defenderent, ac confirmarent Concilijs, litteris, legationibus, decretis. Numquid simile pro nobis Græci & Orientales fecerunt? Nullum, vt ostendimus seculum fuit, in quo non hæc præstiterint nostri. Ipsorum causa Liberius Papa est in exsilium pulsus, in vinculis obijt Syluerius, pessimè habitus Vigilius, in Pontum relegatus obijt Martinus Pontifices Romani temporibus antiquis, vt Ignatiū Patriarcham Constantinopolitanum tueremur ab iniuris à nobis secedendi causam Photius excogitauit, ipsi illas arripuerunt, & tamen Ignatium sanctissimum virum fatētur. sed audi maiora.

Orientales, & Græci armis adiuti sunt iniquißimo tempore ab Occidentalibus aduersus Sarracenos, & Turcas.

CAP. V.

Ex quo Photius ansam dedit Græcis aliquibus post annum octingentesimum sexagesimum octauum vt auctoritatem Romani Pontificis defugerent, neq; illius Occidentaliumq; opem modo vllo implorarent, aut peterent, quod sæpius antea factum summo ipsorum bono & commodo ostendimus, id vnum restabat, quod præstitum vidimus, vt per legatos ac litteras ageretur cum illis, non bene ab eis successionem procurari: id verò actum fuisse, satis, vt puto, superq; à nobis est demonstratum. Sed neque hoc contentus fuit Deus. Nam cùm Michael Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo quinquagesimo tertio nos excommunicasset, sed mox resipuissent Græci, attamen adhuc mutata essent in nos voluntate, neque vllam viderentur in communibus Reipublicæ Christianæ rebus Occidentalium habuere rationem, ipsorumq; auctoritati multum deferre, & auxilio confirmari

aduersus publicos religionis hostes, vt hæreticos, aut alioquin à Christo alienos, quales sunt Mahometani; vide quæso, quid egerit Deus; Impulit Pontifices Romanos, vt quando Orientales durissima Sarracenorum Turcarumq; seruitute premebantur, ad arma concitarent Occidentem aduersus hostes Christi, & Christianorum; & quidem iniquissimo tempore, cùm scilicet Imperatores Occidentis oppugnabant Pontificis Romani potestatem, Rex autem Francorum fuisset ob illicitas nuptias excommunicatus. Vrbanus namq; Secundus anno millesimo octuagesimo nono cùm Claromonte in Gallijs indixisset Concilium, bellum sacrum aduersus Sarracenos Orientem tenentes indixit, primus milites cruce signauit, omnibusq; ad illud proficiscentibus amplissimam peccatorum veniam promisit. Anno igitur 1906 tercentena armatorum millia per Græciã cùm tenuissent iter, & in Asiam, q̃ Turcæ ferè totã subegerant, traiecissent, Nicæam cœperunt anno sequenti, & plurimas prætereà vrbes. sed signo de summo studio Pontificis Romani in conseruandis imperijs ostendemus quæ nostri pericula adierint, quos exantlarint labores, quantum sanguinis effuderint, vt Græcos ab imminentibus ruinis eriperent, ne prorsus ab eorum regionibus Christi cultus exterminaretur, sed magis ac magis in dies confirmaretur, neq; id impedirent Christianæ religionis inimici. An non enim Sigismundus Imperator anno millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, collecto ex omnibus Occidentalium populorum fortissimis militibus validissimo exercitu, dum signa confert ad Nicopolim cum Baizete, parum feliciter est profligatus, innumeriq; è nostris occisi, vt succurrerent Græciæ cadenti? An non VVladislaus anno millesimo quatercẽtesimo quadragesimo quarto dum prælium commisit ad Varnam cum Amurathe, hortatu Iuliani Cæsarini Pontificij legati, vnà cùm florentissimis copijs miserrimè est cæsus pro Græcis, quibus opẽ ferre vndiq; nostri conabantur? Infiniti laboris esset omnia recensere. Nil à nostris intentatum. Deniq; cum primis ijs expeditionibus, quæ factæ sunt vrgentibus maximè Põtificibus Romanis, vt Orienti, quem per nostros Græci receperunt, subueniretur, cùm posset auxilium ferri Hispaniæ tamdiu à Sarracenis oppressæ, & quæ proximè nos attingebat, quòd esset in Occidente, dimissæ nostræ regiones, nostra neglecta, Orientalium ratio est habita. erat ante

Auxilium anni 1596. præstitum Græcis.

oculos

oculos Africa non ita lato mari à nobis disiuncta; & tamen ea cōtempta, Græcis opem tulimus, & Orientalibus, id curantes ne Christi doctrina è Græcanicis locis expelleretur, & qui Christi fidem sequebantur, armis, quando aliter ipsi nolebant, per nostros defenderentur ab impetu hostili, confirmarenturq; ipsi, ac nepotes eorum in ea, quàm tradiderant aliqua ex parte maiores, religione. sed omnia, vt apparet, quasi nolente Deo, qui pertinacem Græcorum à nobis alienationem, conniuentibus etiam nobis, ac ferentibus, nullo modo ferendam duxit; tradiditque eos in manus inimicorum, per quos eorum doctrina à labe haudquaquam pura prorsus aboleretur, superbiaq; alliderctur ad terram; & qui morem gerere Petri successori Pontifici Romano noluerunt, in atrocissimi tyranni potestatem redacti nihil habeant, quod suum dicere possint.

Sed operæpretium maximè mihi videtur hîc duo recitare, quæ legenti mihi historias, & animum ad sapientiam Dei in Ecclesia sua gubernanda obseruandam intendenti occurrerunt. Illud verò sit, quòd cùm Patriarchæ Constantinopolitani vnà cum tota Ecclesia Orietali toties, ac tam viriliter à Pontificibus Romanis aduersus Imperatores, & impetus hæreticorum fuerint adiuti, & confirmati, vt clarissimè à nobis est apertum; postquàm Duce Photio cœperunt à nobis discessionem meditari, pleriq; omnes eorū deiecti sunt, dum vixerunt, ab ipsis Imperatoribus è pontificia sede. Quod vt clarissimum fiat, initium factum fuit ab ipso Photio, quem Leo Philosophus, vt notat Zonaras anno octingentesimo octuagesimo sexto dignitate spoliatum in Armeniorum monasterium relegauit, Stephano substituto Leonis Imperatoris fratre; quo defuncto vnà cum successore Antonino Caulea, Nicolaus Mysticus ab eodem Leone Imperatore sub annum 93. dignitate exutus in Galacrænum monasterium est detrusus, & Syngelus Euthymius subrogatus; qui ab Alexandro Leonis fratre posteà est expulsus, ac Nicolaus restitutus anno noningētesimo octauo; iterumque Mysticus hic à Romano Lecapeno, vt Cedrenus tradit, sede exturbatus, in Monacastanū monasterium confugit, Theophane suffecto. Zonaras tamen scribit, defuncto Nicolao Patriarcham factum Stephanum Amasenum. qui cùm decessisset, Tryphon est euectus ad tempus, ac paulò post per vim depulsus ab eodem Romano Lecapeno, subrogatusque Theophylactus,

Incredibilis cōfusio Ecclesię cō Constantinopolitanæ, ex quo desciuit à Romana.

huic Polyeuctus, Polyeucto Basilius, qui ob crimina quædam obiecta per Concilium loco motus est, & Antonius Studites euectus.

Hucusq; decem Patriarchæ, è quibus quinq; spoliati dignitate sua. In reliquis vsque ad Michaelem Cærularium non idem contigisse constat. At Michael, qui primus est ausus Occidentales excommunicare, Constantino Monomacho imperante ab Isaacio Comneno in monasterium relegatus est. secuti sunt deinde Lichudes Xiphilinus, & Cosmas, qui cùm perperam cuncta administrari videret, neq; se quidquam posse, spontè abdicauit se. Eustrathius autē successor vi depulsus, suffecto Nicolao, cui Leo Styppiota, Styppiotæ verò Michael, qui summa sede Constantinopolis vltrò cessit. Cosmas Attic⁹ vi remotus. secuti sunt deinde Nicolaus, Theodosius, Constantinus, Lucas, Michael, & Charito. Post hos autem Theodosius secundus, Basilius Nicetas, Leontius, ac Posithæus necesse habuerūt deponere dignitatem, ab Imperatoribus coacti. His successerunt Georgius Xiphilinus, Ioannes Camaterus, Michael Autorianus, Theodorus tertius, Maximus secundus, Manuel Philosophus, Germanus secundus, Methodius secundus, Manuel secundus, Germanus, Arsenius, qui sede cessit improbitate eorum, qui imperium Orientale regebant, Nicephoro subrogato. Reuocatus deinde Arsenius, atq; iterum pulsus in exsilium, Germano suffecto, qui dignitatem reliquit populi cōuicijs exagitatus, Iosephusque subrogatus, imperante Michaële Paleologo, qui Ecclesiæ Occidentali penitus adhæsit, & ob id Iosephus secessit, & Ioannes Becus Patriarcha creatus, qui nobiscum, vt alibi ostendimus, veritate coactus sensit, quod Gregoras narrat.

Coniatas l. 2. de regno Isaacij Angeli.

Greg. lib. 5.

Defuncto Michaele Paleologo, apertè Græci, quod antea non ita fecerant vniuersi per longum temporis spatium, nos hæreticorum loco reputarunt. Putabant illi priùs nos malè quidem sentire, non tamen hæreticè, & si qui ex ipsis aliquando nos veluti hæreticos sunt auersati, improbabantur, vt aperiemus loco suo. At ex hoc tempore adeò se à nobis abiunxerunt, vt Andronicus patri Michaeli quasi hæretico iusta persolui vetuerit, sepulturamq; illi negarit. Idcirco Patriarchæ nunc peiori loco fuerunt, ita diuina iustitia exigente, quàm fuerint priùs. Iosephus, qui Beco fuerat suffectus, quorumdam factionibus exagitatus, sede cessit, idem contigit Gregorio Cyprio, Athanasio, Ioanni

Sozo-

Sozopolitano Niphoni, Ioanni Glycę; ne Gerasimo similiter accideret, mors effecit, quę intra annum sustulit cum de medio. creatus est post hos ab Imperatorib. Isaias quidam, quem Gregoras tradit nullo vsu rerum, nulla doctrina, sed multis sceleribus contaminatum fuisse; & hic tamē deiectus, & scurrilem, quinimmò obscænum in modum restitutus scribitur ab eodem. Deniq; vt finem faciamus, satis erit attulisse verba Gregoræ, qui quamuis nobis sit infensissimus, tamen ita scriptum reliquit de illis, qui post obitum Michaëlis Paleologi res nouarunt, & in causa fuerunt, vt iterum Græci à nobis facerent discessionem.

Libr. 9.

Lib. 5.

Serò illi quidem, sed iustas tamen pœnas luerunt. Neq; enim nouorum istorum legislatorum vllus in sua dignitate decessit, sed turpissimè suis sedibus pulsi, vt posteà dicemus, *præ animi ægritudine vitam abruperunt* hucusque scriptor ille Græcus. Atque vt scias, quo loco foret omnium sacrorum penes Orientales ac Græcos tractatio; Audi Coniatam, qui sic in vita Manuelis: *Plerique Romanorum* (Græcorum scilicet, nam sic ille Græcos semper nominat) *Imperatores, imperare, aurum gestare, communibus vt priuatis vti, eaq; suo arbitratu; quibus volunt, donare, non contenti, nisi sapientes, forma dijs, robore hominibus similes, & vt Salomon diuinitus edocti, & doctores diuinitatis, & normæ rectissimæ, deniq; diuinarum humanarumq; rerum interpretes verissimi habeantur, iniuriam sibi fieri censent. Vnde fit, vt cùm immodestiores, & audaciores, qui noua dogmata in Ecclesiam introducunt, coërcêre, aut id munus ijs, qui Theologiæ scientiam profitentur, mandare debeant, nec in hac parte vllo inferiores esse volentes, ijdem dogmatum & auctores, & arbitri, ac disceptatores existant, sæpè etiam dissentientes multent.* ita Coniatas, è quibus perspici potest, quàm malè administrarentur sacra apud Græcos, vt omnia immutarentur, inuerterentur, cónfunderentur, quod è Patriarcharum crebris expulsionibus apparet. Nūc, quod etiam dicendum proposueramus à principio, concludamus. Vidimus sanè incredibile Ecclesiæ Catholicæ, in qua nos sumus, studiū in Orientalib. ac Græcis adiuuandis aduersus hostes veritatis Christianæq; religionis. Vidimus nihil non contendi à nostris, vt Christi fides vna, & antiqua stabiliatur, & amplificetur. An nō igitur Ecclesia nostra confirmat aduersus omnia aduersa suos in fide Christi omnibus modis, neq; vmq̄ defatigatur? An non rectè Synodus Ephesina Pontificem Romanum vocat Ecclesiarum στήριγμα, siue fragmentum? Ecquando hæc præstite-

runt, qui e Græcis a nobis discesserunt, vel hæretici Protestantes? Sed nónne longè secus ab istis actum scimus? Quomodo igitur Ecclesia Dei inter ipsos?

SIGNVM DECIMVM TERTIVM, Confutatio hæreticorum.

Necesse est ab Ecclesia Dei fuerint hæreses singulæ, quæ diuersis temporibus eruperunt, confutatæ, & adhuc erumpentes confutentur. Id verò ab Ecclesia nostra, non ab vllis hæreticorum factionibus præstitum fuisse demonstratur.

CAP. VI.

QVod si Ecclesiæ Dei sunt partes, in fide continere, & confirmare Dei studiosos, diuinæq; veritatis amatores; proculdubio necesse est ab eadem cunctæ hæreses, quæ diuinæ veritati aduersantur, fuerint profligatæ. Nam quî stabilietur, nisi malum prorsus exterminetur? fieri haud potest vt illud radices agat, nisi hoc fuerit exstirpatum, quantum fieri diuinitus datur, nisi tenebræ discutiantur, lux numquã fulgebit: & nisi quis à morbo sit procul, valetudinis bonæ fructum quomodo percipere dicemus? Quocirca bene Isaias, *Vrbs*, ait, *fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale.* Nam tũ Saluator esse dicitur in Ecclesia Dei, quæ Sionis nomine designatur, si fuerit in ea murus, & antemurale; non modò quo ciues intra vnius vrbis ambitum contineantur; hoc enim fieri sine muro & antemurali potest; sed & quo aduersus ingruentes impetus hostium defendantur, & ingressu ciuitatis longiùs illi arceantur. Hinc Christus de semetipso verba faciens ait: *Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo* (Deo scilicet) *super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* ostendẽs se in Ecclesia positum, vt Dei præcepta annunciet. Subijcit deinde: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Vult igitur Reges, ac Iudices intelligere, erudiri, discere: alioquin ait fore vt aberrent à via recta, & pereant,

Cap. 26.

Psalm. 2.

dentur

dentur in præceps. Atq; ita Christus est in Ecclesia, hoc agens, vt Principes apprehendant disciplinam, quod in primis fit hæreticorum confutatione. Similiter idem Dauid de Christo ait: *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt, pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis: fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum, quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* hæc Dauid explicans fore, vt Christus se aduersus inimicos Ecclesiæ suæ, suosq; accingat, obarmet, deniq; eos internecioni tradat, proterat, ad nihilum redigat. Videamus autem qui nam fuerint Christianæ veritatis defensores: hi namq; erunt à Christo, vt appareret, quando inter ipsos consistens Christus, quæ dicta sunt, agit. & quando pastoris est ac pascentis munus, non modo ad pascua & caulas ducere, & reducere oues, sed & lupos arcere, videre ne vel turbidas aquas, vel infectas veneno grex bibat, ne noxias herbas edat; proculdubio, quæ Ecclesia prouidit, vt oues Christi non inciderint in huiusmodi discrimen, illa erit Ecclesia Christi. Atqui illa, cui præsidet Pontifex Romanus, hereticos omnes semper damnauit, & ad nihilum redegit. ab alijs id factum non legimus. Itaq; Christus, qui se pollicetur hoc facturum, & fecit, est in ea, prædicans præceptum Domini, & tamquam Saluator ponens antemuralia, & murum, quibus incursantes hostium turmas propellat, perdens eorum fructus, semen disijciens, & consilia quæ stabiliri non possint, pascens oues, ab ijs lupos arcens, & ne venenatis vescantur, videns & curans. Videamus an ita sit.

Psalm.20.

Princeps hæreticorum fuit Simon Magus: hunc à Petro damnatum scimus cum suis, demumq; neci traditum, Petri eiusdem, Pauliq; precibus, vt ostẽdemus loco suo. Quo circa & à Petro damnati sunt, quicumq; Simoni Mago adhæserunt: in his fuêre Menander, ac post eum Saturninus Antiochenus, Basilidesq; Alexandrinus. Basilidem successor Carpocrates excepit, à quo Gnostici. Aduersus hos scripsit Ignatius, & Irenæus, quos alij sunt secuti. Iam verò Marcionem Ponticum, & Valentinum cum suis ab Eleutherio Papa cœtu piorum depulsos scribit Tertullianus his verbis: *Vbi tunc Marcion Pontifex Nauclerus Stoicæ studiosus? Vbi tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat, illos neque adeò olim fuisse Antonini ferè principatu, & in catholicam penè do-*

Hereses Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Gnosticorum, Marcionis, Valentini.
Eus. l. 4. c. 7.
Irin. l. 3. c. 4
Lib. de præs.

ctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutheri Benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitabant, semel ac iterum eiecti. Marcio quidem cum sextertijs quæ Ecclesiæ intulerat, nouißimè in perpetuum dißidium relegatus venena doctrinarum suarum disseminauit. Similiter Theodotus Coriarius, qui Christum hominem dumtaxat fuisse est ausus asserere, à Victore est excommunicatus; eum secuti sunt Asclepiodotus, & alter Theodotus, denique Paulus Samosathenus Episcopus Antiochię, Eusebio teste. At Cerdonem fuisse ab Hygino Ecclesia eiectum tradit Irenæus. Aquo habemus etiam communione Christianorum priuatos Ebionem, & Cherinthum per Pontificem Romanum. Eodem modo constat ex Athanasij libello, qui est de sententia Dionysij Alexandrini, hæresim Sabellij diris addictam à Papa Romano. Quartadecimanos ex Ecclesia eiectos à Victore tradit Eusebius. Montanum, Priscillam, & Maximillam cum suis ab Episcopo item Romano societate Christianorum depulsos testis est Tertullianus. Liquet ex epistolis Cypriani à Cornelio dānatum fuisse Nouatum; eadem scribit Eusebius. Qui censebant baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, cùm nollent acquiescere, fuêre à Stephano Primo excommunicati. Atque hi ferè hæretici vsque ad Constantinum Magnum.

Theodoti Asclepiodoti, Pauli Samosatheni, Cerdonis, Ebionis, Cherinthi.
Eu. l. 4. c. 27
Iren. l. 3. c. 4.
Quartadecimanorū Montani, Priscillæ Maximillę.
Euseb. lib. 5. c. 14. & 21.
Tertu. aduer. Praxeam.
Eus. l. 5. c. 37
Cyp. l. 3. ep. 3

Imperante illo à Militiade reiectos Donatistas narrat Augustinus. Arium cum suis à Syluestro, Sixto, & Iulio, & quidem ante Synodum Nicænam. Damasus Papa Macedonium, Appollinarem, Photinum, Sabellium, & Eunomium damnauit, vt colligitur ex epistola ad Paulinum Thessalonicensem. Cælestinus Papa ante Ephesinum Cōcilium, litteris ad Cyrillum Alexandrinum scriptis, Nestorio decem dies pręscripsit, intra quos resipisceret, alioquin eiectus ab Ecclesia, & Episcopi dignitate spoliatus censeretur. Leo Magnus Euthycem cum suis excommunicauit, ante Chalcedonensem conuentum doctissima epistola ad Episcopos illius Concilij scripta. Petrum Antiochenum Simplicius Papa priùs damnauerat, & Acacium Felix, quàm Concilium Constantinopolitanum secundum cogeretur. Ibidem Seuerus Antiochenus, Petrus Apamearū, Cyrus Edessę Episcopi damnati: ac priùs egerat idem Hormisdas, vt ex epistola eius ad presbyteros & monachos Secundæ Syriæ liquet, & è iudicio Menæ Patriarchæ Constātino-

Donatistarum, Arij, Macedonij Apollinaris, Photini, Sabellij, Nestorij, Euthycis Petri Antiocheni, Acacij, Seueri, Anthimi, Cyri, Sergij,

tinopolitani. Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum damnauit Agapetus Papa; quod honorifica cum mentione scribit, ac sequitur Iustinianus. Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulumque Episcopos Constantinopolitanos Theodorus & Martinus Pontifices Romani excommunicarunt cum suis asseclis ante Concilium sextum, ad quod Agatho Papa scripsit in eamdem sententiam. Ante Nicænum secundum Papa Hadrianus inimicos imaginum sacrarum excommunicauit, & ante Hadrianū Constantinus Gregorius Secundus, & tertius.

Pyrrhi, Pauli, Iconoclastarum.

Berengarium cōmunione Ecclesiæ submouit Leò Nonus. Idem Nicolaus Secundus egit, cùm Concilium vocasset in Lateranum. ab Innocentio Secundo damnati Abailardus, Arnoldus, VValdenses, Albigenses, Henriciani. Ab Eugenio Gilbertus Porretanus, & Euno. VVicleffitæ, & Hussitæ ab Episcopo Pragensi, & Concilio Constantiensi. Deniq; nulla non hæresis fuit, quæ non à cultoribus Ecclesiæ nostræ oppugnata, & profligata fuerit omnibus modis; vt colligere quiuis potest, & in omnibus singillatim perspicere ex ijs, quæ congessit alibi Nicolaus Sanderus, vir magnæ integritatis, ac doctrinæ. Nos autem satis habebimus hæc summatim recitasse, quibus adijciemus nonnulla, quæ digna sunt vt maximè obseruentur, ac memoriæ infigantur, tamquam facientia ad hoc argumentum.

Berēgarij, Abailardij Arnoldi, Vvaldēsiū, Albigēsiū, Henricianorum, Gilberti, Eunonis, Hussitarū.

Ac primum sit illud: ex quo Græci aliqui ob translatā imperij sedem maiora spirare cœperunt, Deus præuidens quò tandem superbia tenderet, & quem finem deniq; esset habitura, vt eorum fastum retunderet, permisit ex eo tēpore, quod ab obitu Constantini vsque ad Photium intercurrit, magna ex parte Constantinopolitanam sedem teneri ab ijs, quos in confesso esse hæreticos fuisse. Obijt Constantinus anno trecentesimo trigesimo septimo. Photius euectus est, Ignatio deiecto, octingentesimo sexagesimo tertio. Itaq; intercedunt anni quingenti & viginti sex. Ex his hæretici tenuerunt Episcopatum Constantinopolis annos 206. Eusebius namq; Macedonius, Eudoxius, ac Demophilus Ariani quadraginta; Nestorius tres, Acacius quatuordecim; Timotheus, & Ioannes Cappadox viginti octo; Sergius, Pyrrhus, ac Paulus Monothelitæ quadraginta quatuor; Ioannes Monothelita, & Iconomachus duos; Anastasius, Constantinus, & Nicetas Iconomachi

Ecclesia Constantinopolita sæpius per hæreticos occupata.

quadraginta nouem; Theodotus, Antonius, & Ioannes Iconomachi viginti sex. Hoc autem siuit Deus, vt Græci certò scirent non esse datum diuinitus illi sedi, vt hæreses refellat; sed potiùs accidere vt eius hæreses refellantur. Nã quî fidam iudicio sedis illius, quam tantum temporis hæretici occuparunt? & quidem si consulas historias, nulli sedi euenit vt hæretici illam tanto tempore habuerint. Igitur magis cuiusuis decretis fidendum, quàm Constantinopolitanæ. Atq; hæc Græci scriptores fatentur, sicuti Romanam sedem numquam fuisse ante Photij tempora ab hæreticis occupatam. An verò postea, quando ipsi in dubium vocare volunt, à præteritis argumẽtum sumatur. Quid enim magis verisimile post ætatem Photij Patriarchas Cõstantinopolitanos in hęresim incidisse, qui ante ipsum toties inciderunt, ac multo sæpiùs, quàm ceteri Episcopi? An verò Romanos, quorum nemo vmquam decreuit hæresim ante ipsum Photium, vel ipsis Græcis testibus, quinimmo per eos in primis cunctæ hæreses profligatæ, speciatim verò quæ Græciam, totumq; Orientem concusserunt, vt Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Euthycianorum, Aphtartodocitarum, Monothelitarum, Iconomachorum, quas ipsi Patriarchæ Constantinopolitani sanxerũt? Hoc igitur primum sit adnotatione dignũ, quod pertinet ad aliquos Orientales.

Quantum ad Protestantes, quibus omnes hæretici Septentionales continentur, animaduertendum, quod cùm per nostros antiquitus est in eorum regionibus Christiana religio solidè fundata, & corroborata, res fuit nostris maximè cum nonnullis hæreticis, qui sedes ex antiquo tempore in ijs locis, inde scilicet prognati, habebant; neque vlla res magis dedit nostris negotium in Christi cultu inter eos populos disseminando, quàm hæretici indigenæ. Verbi gratia Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus fuit is, qui in interiori Germania Christi doctrinam stabiliuit: cui rei dum nauaret operam, maximos ac multos labores pertulit, vt Adelberti, & Clementis hæreticorum mendacijs occurreret, qui ingentem Germanorum multitudinẽ deceperant, falsaq; & perniciosissima doctrina imbuerant. Recensentur illorũ vanissima cõmenta à Bonifacio in epistola quam dedit ad Zachariam Papam. Similiter Augustinus fuit is, qui Christo conciliauit Anglorũ gentem, qui multum posuit operæ, vt hæreticos quosdam Britannos,

Admirabile robur Ecclesiæ Romanæ in cultu Christi amplificando.

Sur. in ei⁹ vita Mens. Iun

tannos, quibus adhuc erant Episcopi septem, monachorũ verò ingens numerus, ad Catholicæ veritatis agnitionem perduceret: cumq; eos disputationib. refellere haud posset, adductus est in medium de partium consensu cæcus, eiq; lumen restituit ad testificationem suæ doctrinæ; neq; tamen hęretici crediderunt, quibus deinde futurum prædixit Augustinus, vt eos Deus omnes hostibus ad internecionem daret, quod & euentus comprobauit. Videntur verò Britanni illi fuisse ex hæresi Pelagij, quam Cælestinus Pontifex damnarat. Hæc Beda in vita Augustini. Igitur Ecclesia nostra non modò hæreses, quæ in medio interdũ Catholicorum sese extulerunt, profligauit; sed & quæ inter Gentes ad Christum nondum bene perductas emergebant, & nascenti religioni damnum creare poterãt. E quibus colligitur potestas Ecclesiæ, & infirmitas hæreticarũ factionum. Non enim modò potest Ecclesia, vitia exstirpare, vitiosamq; doctrinam, sed & eodem tempore ac loco nouas propagines efficere, atq; ita hæreticos refellere, nouasq; gentes ad Christi cultum perducere. Infirmitas verò hæreticorum detegitur, quòd neque gentes, inter quas diu versati sunt, & sedes habuerunt; Christo conciliare potuerunt, quod nostri breui fecerũt. Ecclesiæ nostræ robur. Ostendant nunc, si possunt, ostendant hæretici, an vllã monumenti alicuius hæreticorum manum fuderint. Non possunt. Atqui necesse est id ab Ecclesia factum. Sed tamen ab istis contrarium potiùs præstitum videmus. Ex quo multi trans Alpes à nobis duce Luthero desciuerunt, eò ventũ, vt in ijs locis tot exstiterint hæreses, quot homines, immò plures. Idem namq; homo sæpiùs sibi dissidens varijs temporibus varias est hæreses amplexatus. Atque hoc sanè, quantum pertinet ad hæreticos Protestantes, ostendimus suprà, vbi egimus de vna fide. quantum spectat ad Græcos dissentientes; cùm Michaël eorum Patriarcha Latinos excommunicasset, Leo Nonus misit Constantinopolim legatos anno millesimo quinquagesimo quarto Humbertum Cardinalem, Petrum Archiepiscopum Almaphitanorum, & Fridericum Diaconum, qui apertissimè demõstrarunt à Græcis plures hæreses hæreticosq; ritus palàm foueri; quod Sigebertus è nostris testatur; & recenset. Sed quando Sigebertus è nostris esse videtur, adducamus ipsos Græcos testes. Gregoras narrat, cùm Barlaamus Calaber ipso viuente Constantinopolim concessit, è Græcis

nullum fuisse, qui Barlaamo opponeretur nisi Palamam quemdam virum doctum, cui fuisse multas hæreticas opiniones idem Gregoras fatetur; quas cùm vellet in apertũ producere Barlaamus, & è scriptis Palamæ liquidò explicare, nullo modò est auditus. Atque hi scilicet doctores istorum qui partes ipsorum tueantur. Et nunc sanè inter eos, qui Græcanica sequuntur, multæ sunt hæreses, & hæretici ritus; quæ tamen omnia complectuntur illi. Quòd si quis haud credit, legat ea, quæ de Moscouitis, Georgianis, Alanisque scriptis tradita sunt, & verum cognoscet quod asserimus. Quamquam satis sit nobis ostendisse nullas ab illis hæreses, quæ magni alicuius fuerint momẽti, fuisse sublatas vmquam, postquàm discesserunt à nobis; quod necesse est ab Ecclesia Dei præstari.

SIGNVM DECIMVM-QVARTVM.

Sanctiones vniuersalium Conciliorum.

Vniuersalia Concilia à Papis confirmata labi non possunt; ideo cui fauebunt illa, ibi erit Ecclesia Dei. constat autem vniuersalia Concilia refragari hæreticorum Protestantium & Græcorum factionibus, & esse ab Ecclesia nostra.

CAP. VII.

VNiuersalia Concilia vocamus, ad quæ non modò patet accessus cuilibet nationi siue ad disserendum siue ad decernendum, quod postremum est Episcoporum in vnam fidem conspirantium, sed quibus interfuerunt è qualibet celebriori natione totius orbis Christiana aliqui Episcopi vel per se, vel per procuratores, vel consensere eorum decretis veluti vniuersalium Conciliorum, quæ Pontifex Romanus approbarit. Hæc autem nullo modo labi possunt; idcirco necesse est, cui faueant illa, esse ibi Ecclesiam Dei, populum Dei, cuius decretis vniuersalibus nulla subest labes. Ostendamus clarissimè labi illa non posse. & primo loco producamus argumentum aduersus quosuis commune. Mirabilissimum namque est illud, ac manifestissimus diuinitatis assistentis effectus,

I. Arg. Admirabile euẽtum vniuersa-

ctus, quod cùm tot annorum millia numerentur ab orbe condito vsque ad ætatem nostram, nulla ratione potuit effici vmquam sæculo vllo, vt celebriorum nationum primarij Antistites à nobis alieni, qui in vrbibus sacra quælibet administrarent, conuenerint ad decreta religionis sancienda vnanimi consensu. Legimus priscis temporibus solitos agi conuentus publicos à sacerdotibus AEgyptijs, quorum meminêre Plato in Timæo, Herodotus, Strabo, & alij multi, similiter idem legimus de Magis Persicis, quod Herodotus idem & Strabo testantur. Græci etiam publicos agebant conuentus de rebus communibus Græciæ; de quibus post prædictos Thucydides, Quintus Curtius, Diodorus, & alij. Sed ad illos non veniebant omnium illustriorum gentium, aut sapientium præsules sacri. Eadem de Druidibus Gallorum sacerdotibus scribit Cæsar in commentarijs suis. Rursus postquàm Constantinus nostræ religioni se addixit, plurimi Imperatores omnibus modis, vi, dolo, promissis, pecunia, opibus, dignitatibus conati sunt, cum maximas, nobilissimasque imperio gentes continerent, huiusmodi Concilia celebrare, & numquam tamen potuerunt in vnum locum adducere Episcopos è qualibet aut illustriori, aut sapientiori gente. Tentauêre id Constantius totius orbis Romani Imperator, Theodosius iunior totius Orientis in synodo Ephesina prædatoria, Iustinianus iunior, Philippicus, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, Michaël Theophili filius Orientis Imperatores. Post hos idem conati sunt nonnulli Imperatores Germani, Henricus Tertius, Ludouicus Bauarus, ac maiorum nostrorum ætate conciliabulum Basileense, cui magni Principes fauebant, & ex aliquot nationibus multi. Mirabilissimum sit igitur vni Ecclesiæ Catholicæ, aduersus quam sæpè maximi Imperatores ac Reges omnia mouerunt, hoc fuisse diuinitus datum, vt decem & octo Concilia vniuersalia celebrarit, immò, si addas Sardicense, decem & nouem; vt colligimus signo de prudentia politica cap. de Pontificis Romani gubernatione ad finem. Ad quæ quidem Concilia conuenêre in vnum locum, & consensêre ex omni totius orbis celebriori natione Christiana aliqui Episcopi, vel per se, vel per procuratores, quod liquet ex actis eorum. Cùm sit itaque hoc maximè diuinum, vt cogantur Concilia vniuer-

lium conciliorum.

uersalia, neq; viribus humanis ea potuerint vnquam cogi; soli verò Ecclesiæ nostræ, ac Pontifici Romano id contigerit; palàm fit, esse nobiscum Deum.

II. Multiplex gentiũ ius.

Hinc aliud argumentum ducimus aduersus omnes à nobis alienos commune. Ius gentium dicitur, vel quod obseruatur eodem tempore ab omnibus gentibus, & semper est obseruatum; vel quod ab omnibus quidem gentibus, sed non eodem tempore, verùm diuersis ætatibus; vel denique quod obseruatum est à sapientioribus ac pluribus simul in eamdem fidem conspirantibus. Si de primo modo agatur, non sunt iuris gentium quæ determinantur in Concilijs vniuersalibus immò paucissima omninò, ac vix duo, vel tria dicentur iuris gentium; quod facillimè is cognoscet, qui gentium mores habuerit perspectos. Si de secundo, quæ decernuntur in Concilijs, & ab Ecclesia nostra creduntur indubitatè, iuris gentium dicentur esse. Nulla namque est natio, aut erit, quæ non aliquando Christi fidem sit secuta, aut sit secutura; immò nulla cognita est, ex qua non sit aliquis vniuersalia Concilia sequens, & quidem eodẽ tempore, vt signo de Ecclesia Catholica liquet. Hinc fit ius vniuersalium Conciliorum proximè accedere ad primum modum post Ecclesiam Christi constitutam. Quòd si de tertio agamus, idem prorsus est dicendũ: quod constat è signo de peritia Catholicorum, sermone sciẽtiæ, sapientiæ, ac linguarum. Quamobrem nullo modo videtur dicendum Concilijs vniuersalibus labem subesse, quãdo in illa consenserunt singulis ætatibus post disseminatã per Apostolos Christi fidem ex omni cognita natione aliqui, quin sapientiores quiq;.

III. Duodecim admiranda in Concilijs vniuersalibus.

Tertium succedit huic argumentum commune aduersus omnes. Duodecim sunt maximè admiranda, quæ semper adsunt in Concilijs vniuersalibus, ex quibus fit haud posse fieri vt illa accedente Pontificis Romani consensu errent. Horum primum est, quod plerique ex Episcopis ad illa conuenientib. sunt maximæ ac præstantissimæ doctrinæ. Secundũ, pleriq; itẽ sunt maximę experiẽtiæ in tractandis rebus publicis, ac sacris. Tertium plerique sunt admirandæ sanctitatis & innocentiæ. Quartum, cunctas res examinant ac multis disputationibus habitis perpendunt, antequàm sanciant. Quintum, doctissimos viros ex omni gente ad illa accersunt, adhibent, ac disputantes audiunt. Sextum, sanctos item viros aliqua doctrina excellentes simili-

militer aduocant, & audiunt. Septimum, sunt Episcopi e diuersis regionibus, ita vt vix fieri possit eos in malum vel falsum cõuenire. Octauum, sunt ætatum diuersarum, quod solet inducere facillimè discrepantiam: iuuenes enim faciliùs à senibus, senes à iuuenibus discordant. Nonum, diuersorum sunt morum, exceptis iis, quæ pertinẽt ad fidem Christianam; quod etiam facillimè dissensionem gignit. Decimum, sunt è regnis inter se non modò diuersis, sed sæpè etiam contrarijs, quantum ad iura rerum prophanarũ: veluti Hispani & Galli, Scoti & Angli, Poloni & Germani, Dani & Sueci, antiquitus Hungari & Bohemi, aut siqui sunt huiusmodi. opus est igitur hoc diuinitatis, vt isti in vnum congregentur, & consentiant volentes. Vndecimũ sit, q in illa consentiunt Episcopi iã sæculorũ sexdecim, & ante hæc sæcula labẽtia cõueniebãt diuersorũ sæculorũ. Verbi gratia Episcopi Concilij Sardicensis approbarunt acta ab Episcopis Concilij Nicæni, deinde Episcopi Concilij Constantinopolitani gesta ab Episcopis Sardicensis, ac Nicæni, mox Episcopi Concilij Ephesini decreta ab Episcopis Constantinopolitani, Sardicensis, ac Nicæni. Idemque asserimus de Chalcedonensi, Constantinopolitano secundo, tertio, & quarto, Nicæno secundo, Lateranensibus quinque, Lugdunensibus duobus, Viennensi vno, Florentino, ac Tridentino. Est igitur admirandum tot sæculis numquam dissensisse Episcopos tot, ac tantos inter se, sed semper eadem decreuisse. Duodecimum sit, quòd quibus ius est decernendi in Concilijs, ij sunt Episcopi, nimirum cuncti Principes, principatumq; inter suos tenentes, ac doctrina plerumq; excellentes, inter quos solent, si humana ingenia spectemus, exoriri facillimè dissensiones: ac tantum abest vt aliquando fuerint exortæ, vt potiùs siquæ exstarent, fuerint sublatæ. Quis igitur hìc dicat, vniuersalia Concilia non esse opus ipsius Dei, si hæc consideremus, & maximè si cum superioribus iungamus? Nunc igitur ad aliud veniamus.

IIII. Cùm non modò hæresis, sed etiam mendacium quodlibet ab vno inceperit, quem deinde, siue multi fuerint illi, siue pauci, sunt alij secuti; necesse est is omnium mortalium fuerit impudentissimus ac sit, qui Concilijs vniuersalibus abrogauerit fidem, sibi arrogauerit; & eodem morbi genere tenebuntur, quicumque illum sequentur. Est enim stultissimi, magis vni credere, quàm tot tam sanctis,

tam

tam doctis, tam bene perpensa qualibet re iudicantibus per omnes ætates, è qualibet cognita, ac celebriori, & sapientiori natione viris. Et ex hoc aliud sequetur absurdum, quòd nihil erit in terris certum. fieri enim potest, vt pleræque nationes errent, quia sapientes illarum, & innocentiæ opinione præstantes numquam conuenerunt simul in vnum locum ad res controuersas examinandas ac dijudicandas : ac sic errarunt ante aduentum Christi, & errant, qui suprà adducta numquam potuerunt efficere. sed cùm post aduentum Christi fuerint tot inter se consona Concilia vniuersalia celebrata eo quem explicauimus modo; aut nihil in terris est certum (quod est hominis stultissimi asserere) aut illud certum, quod à Concilijs est vniuersalibus decretum. Id nisi etiam sit, præterea fiet, vt nihil non impudentia sibi possit arrogare, cuncti mortales necessariò tenebris inuoluantur, & hoc ipsum sit incertum, an sit aliquid certum, vel incertum; quod sibi nullo modo constat. Atq; hæc quidem communia aduersus omnes.

V. Nunc aduersus hæreticos propria producamus. Illud occurrit in scripturis passim, fore vt Deus libellum repudij det synagogæ, numquam det Ecclesiæ. sic inter alios ait Isaias cap, 50. ad Hebræos loquens: *Quis hic est liber repudij matris vestræ* ? & mox eodem capite, ac sequentibus, de Ecclesia sponsa æternum permansura canit. Eadem dicit Dauid Psalm. 88. vel 89. Sed inspiciendum nobis est, quomodo id verum sit. Certissimum namque est Christum, Apostolos, septuaginta duos discipulos, Paulum gentium doctorem, denique præcipuos quosque è nostris priscis Patribus exstitisse è synagoga, siue ex Hebræis. igitur quomodo est verum synagogam repudiatam? Nihil aliud afferri potest, nisi quòd præsules illius, quicumque illi fuerunt, tempore Christi, & Apostolorum, desciuerunt à veritate; nostri autem numquam aberrarunt ab illa: alioquin si nostri aberrarunt, aut aberrabunt, non minus Ecclesiæ Christi, quam synagogæ, repudij libellus erit datus, aut dabitur aliquando: Nam quantum ad eos qui sunt è synagoga, nō sunt illi à Deo repudiati omninò, cum plurimi Iudæorū, & in his ipse Christus, qui pro omnibus est, Deo adhæserint, steterint à veritate.

VI. Sed neque omninò dicendum videtur præsules synagogæ legitimos excidisse à veritate : quamuis legamus, verumque sit, peruersissimè à Caipha & Anna Pontificibus, nec-

necnon à Concilio Pharisæorum condemnatum Christũ, reiectam veritatem. Sciendum namq; est insedisse Moysis cathedræ non modò Pontificem summum, sed & Senatũ, qui vnà cum Pontifice summo conficiebatur è septuaginta duobus viris, qui erant è singulis tribubus seni, vt habetur Numeror. c. 11. Sciendum prætereà, anno ante natum Christum quinto plus minus, deletum fuisse hunc consessum septuaginta duorum ab Herode, vt Philo narrat, & ex historijs Hebræorum Habeda Zara, cap. 1. scribit Genebrardus in chronico suo. Quamuis Eusebius videatur hunc euentum referre anno eodem quo Christus natus; Iosephus autem lib. 14. cap. 18. & lib. 15. cap. 7. Antiquitatum multo antè id accidisse velit. Quin Herodes idem sustulerat legitimam Pontificum creationem, ac successionem, & è Pontificatu deijciebat, & euehebat ad illum, quos voluisset: & quo Christus anno est crucifixus, Pontifex erat Caiphas hæreticus Sadducæus; quin Sadducæi videntur fuisse, quicumq; Principi sacerdotum adhæserunt contra Christum & Apostolos, vt è ca. 4. & 5. Act. Apost. habetur. sub ipsam verò Christi mortem Romani Iudæorum rectores ab Imperatoribus missi pro arbitrio summos Pontifices eligebant, ac deponebant, ita vt vnus Gratus, cui Pilatus successit, intra annos vndecim quatuor summos Pontifices loco mouerit, ac totidem creauerit; vt Iosephus scribit lib. 18. ca. 4. vltimus verò ab ipso delectus fuit Caiphas. Sed & alia peruersio fuit in omnibus hisce. Non modò namq; Herodes ille primus sustulit LXXII. collegium, legitimamque Põtificis creationem & potestatem, sed prætereà loco istorum non è tribubus ortos duodecim, sed è proselytis omnes substituit, contra ipsius Dei iussa, qui volebat eos esse è senibus Israël, vt vndecimo Num. cap. habetur. sic itaq; nullus erat Christo viuente Pontificatus, nulla iudicum potestas, & euenerat iam quod Iacob prædixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* quod nos legimus, *Dux de femore eius*, alij vertũt ex Hebrço, *Legislator, siue scribens de inter pedes eius.* quibus verbis antiqui Hebræorum interpretes significari volunt collegium septuaginta duorum, quod synedrim vocabatur, vt Galatinus persequitur lib. 4. cap. 5. & sequentibus. Quocirca prudentissimè Christus dixit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* Non dixit; Sedent; sed, Sederunt; ostendens tum

Gen. 49.

non

[illegible] qui ſederent, obediendumq; legibus eorum qui ſediſſent. Nos itaq; ſic rectè argumentamur: Obediendum fuerat omninò ſanctionibus cathedræ iam ſublatæ de iuſſu Dei; nihil ergo contra Deum poterat inde proficiſci, nihil in illis falſi, aut mali poterat contineri: alioquin Deus non iuſſiſſet in ambiguis nos eius ſacerdotibus parere, eis inquam qui nati eſſent è genere Leuitico, vt habetur Deuter. cap. 17. Multo igitur magis vniuerſalium Conciliorum decretis, veluti firmiorem veritatis ac iuſtitiæ vim continentibus, erit parendum: & pro quibus illa erunt, inter eos erit Eccleſia Dei. Quamobrem datus videtur ſynagogæ repudij libellus hac parte, quòd Deus permiſit ex illa auferri legitimos Pontifices, & illum ſeptuaginta duorum conſeſſum.

VII. Atq; huc pertinent quæ nos attulimus ſigno de cathedra Petri, vbi aperuimus Pontificem Romanum labi non poſſe in vniuerſalibus fidei morumq; cõſtitutionib. quamobrem neq; poterunt labi Cõcilia vniuerſalia ab ipſo cõprobata. VIII. Eodem ſpectant, quæ capite de diuina Eccleſiæ IX. doctrina, & quòd Eccleſia labi non poteſt, ad finem tertiæ X. coniunctionis attulimus. Nam ſi diuina eſt, atq; errare nõ XI. poteſt; à quibus illa erit, illi erunt in Eccleſia Dei. Simili- XII. ter ad hoc argumentũ ſpectant, quæ ſignis de vnanimi Doctorum cõſenſu, & perpetua Epiſcoporum ſucceſſione explicauimus. Eccleſiæ namq; ſoli Catholicæ ſunt ac fuerũt ſemper vnanimes Doctores, illi ſoli perpetua Apoſtolorũ ſiue Epiſcoporum ſucceſſio, cæteris factionib. nequaquã. Neceſſe verò eſt vtrumq; adſit Eccleſiæ Dei, vt oſtendimus ibidem: & vtrumq; in Concilijs vniuerſalibus ſemper adeſt: igitur in quo populo ſunt vniuerſalia Concilia, ille eſt ex Eccleſia Dei.

XIII. *Prophetiæ confirmantes vniuerſalium Cõciliorum veritatem.*

Sed oracula ſunt adhuc ſpecialia antiquorum Prophetarum, quibus aperitur fore vt vniuerſi Epiſcopi Eccleſiæ Chriſtianæ non poſſint errare. Sic enim Dauid Pſal. 44. loquens ad Eccleſiam; *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij conſtitues eos Principes ſuper vniuerſam terram, memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.* hæc Dauid, à quo habemus futurum vt Eccleſia conſtituat filios ſuos Principes ſuper vniuerſam terram. Hoc autem ſoli Eccleſiæ noſtræ contingit, quæ conſtituit Epiſcopos in omni totius Orbis peruij regione aliqua, cùm ſit Catholica, & habeat

aliquos e suis in quouis loco, vt ligno de Ecclesia Catholica est explicatum. Similiter Dauid ait futurum, vt hi Principes memores sint semper nominis Dei, & populi Deum laudent. At si Episcopi excidunt à veritate, & populos in hæreses perducunt, neque Dei sunt ipsi memores, & hæreticus reuera Deum non laudat, & Ecclesia Dei non constituit Episcopos hæreticos super vniuersam terram; alioquin Ecclesia Dei non esset. Eadem prædixit Hieremias, cùm cecinit inducens Deum sic loquentem ad suos, *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* hæc Hieremias de Christianis. non igitur eorum pastores vniuersi, vt sunt in Concilio vniuersali, possunt labi, cùm dentur à Deo iuxta cor suum, ac dicat ipse futurum vt nos pascant scientia & doctrina; non igitur mendacijs, ac falsitate. Hæc itaq; antiqui vates.

XIIII.

Sed admirabile est, quot ac quantis modis Christus in Euangelio voluerit esse testatum, fore vt Episcopi vniuersi, à quibus vniuersalia Concilia constituuntur, non aberrent à veritate, ob id enim dixit, cum eis futurũ Patrem, futurum se Filium, futurum Spiritum sanctum, tres ipsius Trinitatis personas: addit adhuc, fore vt illi referant ipsum Christum, referant ipsum Deum, sustineant ipsius omninò personam. Quæ sanè Christi testificationes, ac promissiones toties repetitæ, tam expressè, tam nominatim cogunt nos omninò fateri vniuersalia Concilia labi non posse. Sic igitur Christus in Euangelio Ioannis cap. 17. de Apostolis loquens, & orans ad Patrem: *Sanctifica,* inquit, *eos in veritate. sermo tuus veritas est sicut me tu misisti in mundum, & ego eos misi in mundum: & pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* hæc Christus apertè volens Apostolos, & eorum successores confirmandos in veritate. Atqui Apostolorum successores sunt Episcopi omnes, non hic, aut ille solus, neque eorum minor pars, sed maior, quæ in Concilijs vniuersalibus semper adest, saltem per procuratores, aut subsequentem expressumque consensum in decreta facta, qui consensus semper aderat faciendis decretis. Rursus idem Christus ostendit fore, vt ipsemet, secunda Trinitatis persona, adsit Episcopis ad vniuersalia Concilia congregatis. sic namq; alloquitur Apostolos vndecim, cap. vlt. Matth. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi.* Ergo Christus semper erit cum Apo-

In Concilijs nominatim dicuntur adesse tres personæ diuinæ.

XVI.

stolis vsq; ad sæculi consummationem. Sed quando Apo-
stoli non vixêre vsq; ad sæculi consummationem, necesse
est ea verba intelligamus de successoribus eorum. Verba
namq; facit eo loco Christus ad vniuersitatem, quæ num-
quã moritur, dũ defunctis alijs alij substituuntur. Neq; fru
stra ijs verbis vndecim Christus alloquitur, quorum iam
collegium constituerat. Neq; verò dicas Christum signifi-
care ijs verbis se futurum cum suis etiam post mortem: nã
si ita sit, non erat necesse adijcere ea verba: *Vsq; ad consumma
tionem seculi.* Ad omnes Christianos pertinent illa verba;
vt bene interpretantur Cyprianus epi. 80. vel 1. lib. 4. Augu.
multis in locis, serm. 4. & 5. de verb. Domini, & Psal. 47. hæ-
reticus nescio quis, vt effugeret vim sententiæ huius, conti
neri ait ijs verbis electos dumtaxat. Vide quàm stolidè: &
quid erat opus id polliceretur Christus? ecquis dubitabat
Christum futurum semper cum electis? Inanis ergo illa
verborum iactatio, illusit Apostolis suis Christus. Vin' vi-
dere, qua in re se cum ijs futurum Christus asseruerit? Pro-
misit illa, ac dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in ter-
ra, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris,
& Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque
mandaui vobis.* dein subijcit: *Et ecce ego vobiscum sum vsque ad
consummationem seculi.* Non est ergo certissimo futurus cum
successoribus Apostolorum in eo solùm quòd ad æterna
bona destinentur, sed etiam in eo quòd docturi sunt om-
nes gentes seruare omnia, quæcumque mandasset. Aderit
igitur Christus Apostolorum successoribus, vt doceant
quæcumque iussit, non aliena à cælestibus mandatis. Ade-
rit non singulis, sed vniuersis. Ad vniuersos enim verba fa-
cit. Iam quid obest, quin plerique omnes ex Episcopis, qui
intersunt, aut assentiuntur publicis decretis sanciẽdis, sint
electi? ponamus enim significari ijs verbis electos. Ergo
successoribus Apostolorum pollicitus est Christus, si hunc
sensum sequamur, vt euehantur ad beatitudinem cælestẽ.
Sed vt ex euentu apertissimo colligas de quibus sentiat ibi
Christus, reuocemus in memoriam, quinam fuerint, qui
hucusq; baptizauerint, ac docuerint omnes gentes, qui per-
gant baptizare, ac docere: ac videbis non alios esse, quàm
nostros Episcopos, vel ab ijs missos, quod signis de propa-
gatione fidei apparet. Similiter alio loco Christus asseruit
se futurum in Concilijs vniuersalibus, cum dixit ad Apo-
stolos: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum
in*

Matth 18.

in medio eorum. En igitur vt Christus adsit congregatis in nomine suo; modò tamen, inquit Cyprianus, non dissentiant isti tres à reliqua vniuersitate. Atque ex hoc Christi dicto sanciunt auctoritatem Conciliorum, Synodus Chalcedonensis ad Leonem scribens, sextum Cócilium vniuersale, Toletanum tertium in principio, Cyrillus in expositione symboli Nicæni. Rursus idem Christus promisit fore vt in Concilijs vniuersalibus adsit tertia Trinitatis persona: sic namq; ad Apostolorum collegium numquã interiturum: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* eadem repetit idem Ioannes, qui superiora in Euangelio suo recitat, & inquit: *Vnctio docebit vos omnia* quæ verba pertinere ad vnctionem chrismatis, per quam Spiritus sanctus datur, omnia nos docens pertinentia ad statum nostrum, & in his subiectos, vt Episcopis pareant, tamquam præpositis suis, abundè docuimus in secunda coniunctione explicantes hunc locum. Idcirco in Concilio primo Hierosolymitano dictum est: *Visum est Spiritui sancto, & nobis,* idemque in cunctis Concilijs repetitum: hinc omnes antiqui sanctimonia ac doctrina præstãtes viri tradunt Concilia vniuersalia à Spiritu sancto congregari; sic Athanasius epistola ad Episcopos Africanos, Nazianzenus oratione in Athanasium, Cyril. li.1. de Trinitate. Constantinus ipse Imperator apud Eusebiũ lib.3. de vita ipsius. Ex his igitur liquet, quàm clarè voluerit Deus esse omnibus testatum in Concilijs vniuersalibus adesse Deum, cùm singulas personas nominatim dixerit in ijs adesse; Patrem, Filium, ac Spiritum. Ac meritò à primo Concilio vniuersali Nicæno primo est hoc decretum stabilitum, tres esse personas vnius essentiæ Diuinę, Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum; & omnia Concilia speciatim protestata sunt semper se in nomine Patris, Filij, ac Spiritus sancti congregari. Sed nondum satis hæc habuit Christus, nisi adhuc diceret à Concilijs vniuersalibus repræsentari in terris ipsummet Christũ, ipsummet Deum: sic nãq; ipse ad Apostolos, & septuaginta duos discipulos nominatim dixit, Lucæ ca.10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, spernit me: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* En vt Christus Apostolis, ac septuaginta duobus discipulis, ad quos rum verba facit, imponat suam personam; en vt imponat Dei personam. Errabit itaq; Deus, quod est impiũ su-

Quæst 3. Ad fin. sext. Act. 17.

XVII.

Io.16. & 14.

Act. 15.

XVIII. Concilia vniuersalia Deum repræsentant.

spicari, & cogitare; siquidem demus errare successores di-
scipulorum & septuaginta duorum Apostolorum. Tunc
namq; hos numquam in suis successorib. intermorituros
alloquitur Christus. neq; refert an septuaginta duo refe-
rantur ab Episcopis, vel à presbyteris; nam quod in Con-
cilijs vniuersalibus decernitur ab Episcopis, id sequuntur
semper presbyteri ipsis subiecti, ijdemq; audiuntur in pub-
lico consessu de rebus controuersis disputantes. Rectè igi-
tur Ignatius sanctissimus Martyr, epistola ad Trallianos:
Episcopus, inquit, *forma est Patris omnium; presbyteri verò, sicut
consessus Dei, & coniunctio Apostolorum Christi: sine ipsis enim Ec-
clesia electa non est, neque collectio sanctorum, neque congregatio
sancta.* hæc ille, qui eadem repetit epistola ad Philadelphi-
enses, ac Smyrnæos: è quibus colligimus ab Episcopis ma-
ximè omnium, & in omnibus, quantum fieri diuinitus in
terris datur, referri ipsum Deum generatim, ac speciatim
singulas personas; quod argumentum latè explicat Diony-
sius ille Areopagita libro de Ecclesiastica Hierarchia, quē
meritò venerabilem & antiquum Patrem vocat Gregori-
us Magnus hom. 24. in Ezech.

XIX. Concilia vniuersalia Ecclesiā repræsentant.

Iam verò sicut ab ipsis refertur maximè ipse Deus, ac
Trinitas ipsa, sic Ecclesia tota repræsentatur à Concilio v-
niuersali, veluti à capite præcipuisq; membris totum cor-
pus. Nam quod Christus inquit, *Dic Ecclesiæ*, non potest in-
telligi nisi de præsulibus & Episcopis eius, quos Spiritus
sanctus posuit Ecclesiam Dei regere, inquit Paulus Acto-
rum cap. 20. Sic 3. Reg. cap. 8. Ecclesia Israel vocatur, cœtus
principum, qui cum Salomone Rege aderat. Ob id Con-
cilium generale vocatur conuentus orbis terræ, & consen-
sus Ecclesiæ totius ab Athanas. epist. de Synodis. & in epi.
ad Episcopos Afri. Augustino libr. 1. contra Donatist. cap.
18. & libr. 2. cap. 4. Epiphanio in fine Anchoratus, denique
ab Episcopis plurimis, qui interfuerunt octauo Concilio,
Act. 5. Quòd si est, necessariò est ibi Ecclesia Dei, vbi sunt
Episcopi vniuersi, siue concilia ipsorum.

XX. Paucitas Episcoporū.

Hæc verò omnia comprobantur duobus admirandis e-
uentibus, ex quibus fit ab Episcopis omnium maximè De-
um referri, ita vt si qui sunt, qui in terris haud labantur, ij
maximè sint Episcopi vniuersi, vbi ritè conuenerint in
vnum. Atque horum fit illud primum, quod considerata
Episcoporum paucitate (in vna nam que vrbe vnus dum-
taxat Episcopus) & considerata reliquorum multitudine,
nume-

numerabuntur pro vno Episcopo centum millia & amplius aliorum Christianorum. qua Episcoporum paucitate hinc considerata, illinc autem reliquorum Christianorum multitudine, comperies plures fuisse ex Episcopis Martyres ac sanctos, quàm è quauis conditione reliquorum Christianorum: id liquet è Martyrologio, & vitis sanctorum. Quamobrem si Deus est inter aliquos, inter Episcopos erit. Sequitur secundum: perpensa namque hac Episcoporum paucitate respectu multitudinis aliorum, quãcumque capias mortalium conditionem, plures fuêre inter Episcopos in quauis ciuitate, qui rerum diuinarum cognitione maximè excelluerint, quàm inter alios. Quamobrem cum tria conueniant maximè omnium in Episcopis, bonitas, quæ attribuitur Spiritui sancto; sapientia, quæ Filio; potestas, quæ Patri; meritò referunt Trinitatem, meritò simul congregati vnà cum capite non possunt errare. Hoc verò vltimum de excellenti Episcoporum doctrina explicauimus signo de peritia Catholicorum ad finem. Ex his fit, vt minimè omnium labi possint inter mortales Episcopi; quòd scilicet cunctis præcellant vitę sanctimonia, & rerum diuinarum scientia: & quamuis singuli possint, homines enim sunt, cùm tamen accedente Romani Pontificis consensu conueniunt in vnum, simulque mirabiliter consentiunt; iam metas illi humanæ naturæ videntur excedere, suprà mortalem conditionem ferri, superis se inserere, & id efficere, vt ab initio dicebamus, quod ab orbis exordio numquam potuit effici ab omnibus hominibus, quamuis nihil non magnum viderentur ad hoc habere: & nihil non conarentur pro virili, vt ad exitum perducerent quod optabant.

XXI.

Bonitas Episcoporũ.

Doctrina Episcoporum.

Potestas Episcoporũ.

In Concilijs soli Episcopi decernunt. Imperatoris non est eis præsidere, sed Pontificis Romani, sine cuius assensu Concilia sunt nulla.

CAP. VIII.

Stet itaque illam fore Ecclesiam Dei, pro qua Concilia vniuersalia facere apparebunt. Quod verò quidã reuocant in dubium, quasi preter Episcopos, & alij in Concilijs ius habeant legis ferendę, ij longè aberrant à veritate.

ritate. In omnibus enim constat Episcopos tantùm subscripsisse, cæteros autem sacerdotes reiectos. Ob id in Synodo Chalcedonensi actione prima, cùm sacerdotes alij immiscere sese vellent, à Patribus est reclamatum: *Synodus Episcoporum est, non clericorum.* Sic actione quinta eiusdem Concilii rogatus quidam presbyter subscribere; *Non est, inquit, meum subscribere, est Episcoporum tantùm.* Presbyteri tamen interesse solent consultationibus, aduocarique vt ea de quibus dubitatur, discutiant, aperiant, & explicent: nullum tamen est illis ius decernendi; id solummodo est penes illos qui regunt Ecclesiam Dei, quos Paulus dicit esse Episcopos. Ad rectores enim pertinet leges ferre. Iam quod quidam dicunt Imperatoris esse Conciliis præesse, ii sacra à prophanis vel non distinguunt, vel hæc illis per summum scelus prepronunt. Adfuit ille nonnumquam, vt omnes tumultus, si qui exoriri possent, compesceret, ac videret ne quid per vim fieret, scirentque omnes non impunè laturos, si quid contra fas auderent moliri. Hinc Imperator Constantinus, ne cui veniret in suspicionem, præsidere ipsum Concilio Nicæno, subscripsit post Episcopos omnes, vt ea de causa factum testatur Imperator Basilius in fine octauæ Synodi: similiter in Concilio Romano, quod est habitum Syluestro sedente, nouissimus subscripsit idem Constantinus; neq; in Nicæno ausus est sedere, nisi in loco humiliori, quàm fuerit Episcoporum consessus, vt Theodoretus scribit; neq; prius adsidere voluit, quàm Episcopi adnuissent, Eusebio teste; professusq; est se ab iis iudicandum, vt subiectum, quod retulit Rufinus. Ob id Ambrosius ait in conuentu Nicæno Constantinum non se fecisse iudicem, sed liberum sacerdotibus iudicium reliquisse. Et Athanasius in epistola ad agentes solitariam vitam acriter vnà cum Osio reprehendit Constantium Arianum Imperatorem, quod in Synodo præsidere vellet: ideoq; refert ab Osio Antichristum vocatum: ac Suidas in vita Leontii scribit eumdem Constantium his à Leontio verbis obiurgatum, cum vellet in consessu sacro præesse, & loqui, se mirari, quod ille propriorum negligens bellorum, aliarumque rerum ciuilium, in alienis, sacris scilicet, adeo curiosus esset. Eadem ferè obiicit Constantio in probris Ammianus Marcellinus, quamuis à veritate Christiana auersus, adeo erat omnibus manifestum, quod dicimus. Quocirca Marcianus Impe-

Theo. li. 1. c. 7
Eus. li. 3. c. 11. de vita Cōst.
Ruf. l. 20. ca. 11.
Ambr. epi 3.
Atha. ep. 2.
Ammia. l. 21.

peratoris in Synodo Chalcedonēsi sic est inter alia locutus: *Nos enim ad corroborandum fidem, non ad ostendendam potentiam, exemplo Imperatoris Constantini, adesse Concilio decreuimus.* Sed nónne Ecclesiæ muneris loco dati sunt primo loco, Paulus inquit, Apostoli à Christo? Nónne Episcopis Imperatores, vt Ignatius scriptum reliquit, esse debent subiecti? Nónne sacra prophanis præcedunt? Pontificem quidē Romanum cunctis Conciliis præpositum fuisse apertissimè ex iis constat: apparet enim legatos eius ante alios subscripsisse; qui volet, inspiciat acta eorum.

Hinc nonnulla Concilia, quibus ingens Episcoporum numerus adfuerat, irrita facta sunt, non aliam ob causam, nisi quòd ea Petri successor non approbasset. Afferamus exempla tredecim Conciliorum frequentissimorum, quā uis illa non sint vniuersalia, vel ob aliam causam, quòd ni mirum nō adfuerint illis aliqui ex omni celebriori totius orbis natione Episcopi, neq; illorum decretis dederint assensum. In his Concilium Africanum Episcoporum octuaginta septem, habitum tempore Cypriani, quod ab alio totius Orientis est confirmatum; quod patet ex epistola Firmiliani ad Cyprianum, & historiis Eusebii; tamen nulla fuēre, quòd exploserit illa Episcopus Romanus, habitiq; hæretici, qui cum iis Conciliis sentirent. Similiter Antiochenum Concilium, anno trecentesimo quadragesimo quinto, nonaginta Episcoporum, nullius roboris fuit; quoniam, vt Socrates inquit, canon Ecclesiasticus iubet non esse fas, nisi de sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiastica sancire; siue, vt Epiphanius Scholasticus in historia tripartita vnà cum Cassiodoro vertit, Concilia celebrare, in Græco est τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν, quod quidam recentiores hæretici vertunt, ἐκκλησίας κανονίζειν, Ecclesias dedicare, risum mouent. Nam quis vmquam audiuit haud licere toto orbe terrarum Ecclesias dedicare, inuito, aut inconsulto Pontifice Romano? & quæ ratio hæc esset Socratis dicentis, idcirco à Iulio Antiochenum Concilium reprobatum, quòd non liceret Ecclesias dedicare sine Papæ licentia? Sed ita vt nos dicimus, intelligenda illa verba, constat adhuc è Sozomeno, qui idem tradit, & Nicephoro. Quid quod Concilium Chalcedonense quartum sexcentorum ac triginta Episcoporum testatur, numquam licuisse, nūquam factum esse, vt sine licētia

I. Concil.

Euf li.7.c. 4.

Socr. li.2c.5.

II. Concilia frequētissima à Papis deinde ab omnibus reiecta.

Sozo.l.3.c.9.
Nic.li 9.c.4.

Pontificis Romani, Concilium conuocaretur? ita actione prima affirmatur. Porrò adfuére illi Synodo Antiochiæ Constantius Imperator, Eusebius Episcopus Constantinopolitanus, Placidus Antiochiæ, Eusebius Alexandriæ. Idem contigit conciliabulo Seleuciensi Episcoporum centum sexaginta, in quibus Georgius Alexandriæ, Eudoxius Antiochiæ præsules adfuerunt. Eamdem ob causam Ariminense Concilium Episcoporum sexcétorum anno trecentesimo sexagesimo tertio non est admissum, quamuis ad illud confluxerint plurimi ex Oriente Episcopi. His adde Concilium Mediolanense Episcoporum trecentorum, iussu Constantij habitum anno trecétesimo quinquagesimo quarto aduersus Nicænam fidem, vt Ruffinus & Socrates tradunt. Synodus Ephesina secunda prædatoria ob id est dicta anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono; quamuis Episcoporum magnus in ea numerus adfuerit, & inter eos Dioscorus Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, Iuuenalis Hierosolymorũ Episcopi, iussu Theodosij iunioris: quia restitit illi Leo Magnus. Sic Iustinianus iunior Conciliũ Constantipoli coëgit, & sextã Synodũ reprobauit vniuersalem anno sexcẽtesimo nonagesimo primo, vt scribit Sigonius: & Iustiniani scelus est imitatus eius successor Philippicus circiter annũ septingentesimum duodecimum: sed omnia nulla fuerunt, quòd à Pontifice Romano nihil habitum sit ratum. Leo similiter Isauricus anno septingentesimo trigesimo contra imagines sacras Synodum congregauit. Idem tentatum à Constantino Copronymo, conuocatis trecentis triginta Episcopis: sed nihil profecit. A Michaele quidem filio Theophili & Theodoræ habita Synodus, in qua deposito Ignatio creatus est Photius Constantinopolis Antistes: sed omnia rescissa in Concilio octauo generali. Postremo nostra ferè ætate Concilium Basileense nullius fuit roboris, quòd illi non adstiterit Pontifex Romanus, vt omittamus Pisanum aduersus Iulium Secundum. E quibus liquet Ecclesiæ fidem diuinam, quam Concilia vniuersalia Episcoporum sanciunt, præsidente Petri successore. At omnia Concilia vniuersalia à nobis esse, quis ignorat? Concilio Florentino, vt antiqua omittamus, interfuerunt Græci Episcopi innumeri cum Patriarcha ipsorum Constantinopolitano Iosepho, & Imperatore Ioanne; at

V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

in illo speciatim sunt decreta, quæcumque aliqui Græci aduersus nos clamant, quibus Episcopi ipsorum cum nostris assensum dedere, excepto Marco Ephesino. Tridentinum Concilium nonne sanciuit, quæ oppugnant hæretici Protestantes, cui plurimi adfuerunt Episcopi Galliarum, Britanniæ, Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, aliarumque Borealium regionum, & ad illud inuitati sæpius, publicaque fide protecti hæretici omnes venire numquam voluerunt? Quomodo igitur Ecclesia Dei dicetur esse inter istos?

Nonnulla obiecta hæreticorum diluuntur.

Cap. IX.

Mirum, quàm sint hæretici impudentes; nam cùm velint sibi omnia tribui, cæteros nihili haberi, sicuti sibi cuncta arrogant, reliquos nullo loco ducunt: aiunt rationi non conuenire, vt in Concilijs iudicio maioris partis stetur. Id quàm sit apposité dictum, quiuis perpendere potest. Et vt videas quàm sint cæci, inspice quid afferant. In Nicæno, inquiunt illi, consessu, Paphnutius solus restitit liberè omnibus Episcopis volentib. prohibere sacerdotibus vsum coniugij, & protinus omnes reiecta priori sententia illi assensum dedêre. Hæc isti ineptissime. Non enim negamus esse in potestate cuiuslibet aperte contra omnes dicere suam sententiam, antequam quicquam decernatur: at vbi res est diffinita, secus sentire, prorsus flagitiosum, & impium. Igitur vnius opinio cunctis præstabit, vbi omnes accedent illi, consilio priori mutato. Atque ita contra hæreticos erit, quod adducunt. Quamuis figmentũ sit, quod de Paphnutio narratur. Socrates enim, qui hæreticus fuit Nouatianus, & indignus cui fides adhibeatur, ac Sozomenus eum secutus, qui id recitant, vixêre annis centum post acta Nicæna; neq; vnde, quod scribunt, acceperint, vel ipsi dicunt, vel aliunde apparet; contrarium verò constat ex Eusebio & Rufino æqualibus eorum temporum, qui scriptis acta Concilij Nicæni sunt complexi; & Epiphanius, qui paulò pòst floruit, contra hæresim quadragesimam nonam scribens asserit, contra Canones Ecclesiasticos esse vt sacerdos, & diaconus liberos gignat,

Euseb. li 3. de vita Const. Ruf. lib 10.

Et Hieronymus contra Vigilantium testatur in toto Oriente, & AEgypto, non licere coniugatis ad ordines sacros assumi, nisi desinant esse mariti. Basilius autem, epistola ad Gregorium, vetat omninò sacerdotem priori vxori adhærere, quasi sit contra sanctiones. Quid plura? Canone tertio Concilij Nicæni interdicitur nominatim, ne in domibus Episcoporum, Presbyterorũ, & Diaconorum mulieres vllæ habitent, nisi sit mater, soror, aut amita. Estq; apertissimum mendacium, quod Socrates & Sozomenus scribunt. Vrgent tamen hæretici, & adducunt Nazianzeni dictum, epistola ad Pompeium scribentis, se omnia Episcoporum Concilia fugere. Sed de sui temporis conciliabulis verba facit Nazianzenus, in quibus hæretici à Constantio Episcopi perperam constituti passim bacchabantur. Hinc illę factiones Arimini, Seleuciæ, Tyri, Syrmij. Et quî potuit Concilia improbare Nazianzenus, qui Nicænum sic amplexatur, & Constantinopolitano subscripsit? Basilius alibi, quæ mens fuerit Nazianzeni declarat ad Athanasium scribens: videri sibi fieri non posse, vt legitimũ Concilium fiat, & ideò opus esse mitti ad Pontificẽ Romanum, qui interponat auctoritatem suam. Hæc intimus Nazianzeni Basilius. Adducunt ijdem Augustinum, qui contra Maximinum sic loquitur. *Neq; ego Nicænum, neq; tu debes Arium tamquã præiudicaturus proferre iudiciũ concilij; neq; ego huius auctoritate, neq; tu illius detineris.* Sed Augustinus non reijcit vllo modo ijs verbis Concilium, ait autem Maximinũ non detineri auctoritate Cõcilij Nicęni, quod respuebat: idq; dicebat, quod in animo haberet ex alijs efficacioribꝰ illum confutare; alioquin antea dixerat eodem libro: *Hoc est illud ὁμȣσιον, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arianos à Catholicis presbyteris veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate con[illegible] est.* hæc Augustinus, quibus quid illustrius? Sed quantum detulerit Augustinus Conciliis vniuersalibus, passim colligitur ex eius scriptis, in quibus sit satis adduxisse epistolam centesimam sexagesimam secundam; & ideò quod alibi ait idem, Concilia plenaria à posterioribus emendari, intelligitur de Conciliis non legitimis, quale erat illud Cypriani, & alijs, quæ à Petri successoribus non fuerint approbata; referri etiam potest ad morũ sanctiones, quæ pro temporũ varietate variari possunt. Neq; est, quod obijciant hæretici Synodo Chalcedonensi attribui inconsultã temeritatẽ à Leone. potest enim Ponti-

Epist. 52. ad Athan.

Lib. 3. contra Max. c. 14.

Li. 2. de bap. c. 3.

Leo. epi. 53. ad Anat. 54. ad Marci 55. ad Pucher.

Pontifex Romanus, qua parte voluerit, habere Cōcilia rata, eademq; vbi placuerit, reprobare. Est enim Petri successor, cui traditæ sunt claues regni cælestis, & super quem iacta sunt Ecclesiæ fundamenta. Cùm verò reprobat, tunc Episcopi sequuntur eius reprobationem, sententiamque mutant; atq; ita, quod ipse sancit, à Cōcilio vniuersali sancitur: in Concilijs verò id spectatur, in quod postremò cōuenitur. Quamuis id, quod Leo reprobat, non fuerit ritè in Concilio Chalcedonensi tractatum, sed quorumdam factione, & ambitu dolosè inductum, vt ex eius actis liquet. Cùm porrò Gratianus ait, dissentientib. inter se Concilijs, antiquiorib' standum, magisq; probatis, id refertur ad ea, quæ spectant ad morum diuersitatem, vel quæ Pontifex Romanus non habuit rata, vel vniuersalia non sunt. Idcirco benè idem dixit, Concilia episcopalia inualida esse ad aliquid constituendum pertinens ad fidem.

Dist. 55. ca. domine.

Neq; verò facit aduersus nos, quòd in Concilio Iudæorum, præsidente Caipha, Christi doctrina fuerit reiecta, idemq; morti adiudicatus. Hoc namq; inter nos & antiquos est discrimen poterat vniuersitas illorum excidere ab amicitia Dei; nostra non potest, ob arctissimam, de qua diximus, coniunctionem. Accedit huc quòd illud Iudæorum Concilium nullo modo legitimum fuit. Caiphas enim, qui præerat, per vim fuerat delectus, & ex hæresi erat Sadducæorum. Adhuc Senatus ille septuaginta duorū virum à Moyse de iussu Dei constitutus, cui ius erat vnà cum Pontifice de rebus religionis decernere, iam fuerat à Romanis sublatus. Sic itaq; nullum erat illud Concilium, cùm neque Pontifex iure electus, neque superstites essent Hebræorum diuinitus instituti consiliarij, & legū latores. Adde prædictum fuisse Iudæorum, synagogam diuinitatis afflatu derelinquendam, Christum morti ab illa dandum, veritatemq; repudiandam. Contrarium de Ecclesia Christiana, & Petri cathedra prænunciatum; portas inferorum nihil aduersus eam valituras, Christum fore nobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationem sęculi. Deniq; ne quis dubitaret Christi doctrinā esse cęlestē, miraculis innumeris, ac prorsus diuinis est confirmata, cùm ex cōtraria parte nulla adessent. Igitur tanti voluit esse Deus Concilia, vel non legitimè celebrata, vt aduersus ea suū Christū miraculis armarit. Nunc vbi sunt hęreticorū miracula, quib' nostra Concilia labefactentur, vt illud Cōciliū

Ioa. 9. & 11. Marc. 14.

Cōcilium Iudæorum quomodo errarit.

Actor. 5.

Isa. 6. & 9.

Iudæorum quamuis nullum? Atqui ex aduerso à parte nostra videmus adesse plurima miracula, quibus adhuc nostra doctrina illustretur ac corroboretur.

Illud ineptum quod subijciunt, in Hierosolymitano Concilio dissensisse à Petro Iacobum, quòd ille abrogandas omnes antiquę legis cæremonias iudicarit, hic verò retinendas aliqua ex parte. Et Petri quidem sententiam fuisse veram, constat ex ijs, quæ disputat Paulus in epistola ad Galatas; & tamen Concilium Iacobo, falsitati scilicet (sic aiunt modestissimi hęretici) adhæsit. Sed falsum dissensisse à Petro Iacobum: addidit aliquid ad sententiam Petri Iacobus: idq; Petro gratum ratumque fuit, quod nondum venerat illi in mentem. conuenereq; Apostoli inter se, vt abrogarentur quidem ritus antiqui; quędam tamen retinerentur, ne irritarentur animi Iudæorum palàm, sed paulatim allicerentur. Atq; ita quæ cunctis patebant, vt suffocati vsus, ac sanguinis, noluerunt protinus antiquari. Nam & Paulus ipse postea Titum circumcidit, templumque ingressus est obseruans vetustos ritus, vt ex Apostolicis Actis constat: & circumiens ciuitates decreta illius Concilij prędicabat. Vbi verò iam cultu Christi propagato diminuti sunt Iudæi, & cæremoniæ prorsus deletæ.

Neq; verò cuiquam negotium facessere debet, quod aiunt ijdem hæretici, Neocæsariensis Synodi lege cautum, ne presbyter conuiuio secundarũ nuptiarum intersit, planè maculumque imponat hominibus hisce: atq; ita secunda matrimonia vetantur: quod est contra Apostolum dicentem: *Si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat in Domino.* En vt Apostolus aduersetur illi decreto, quod respuit secundas nuptias, & tamen approbatur à Leone Quarto, & Synodo Nicæna, vt habetur in Florentina. Verùm pertinet illa sanctio Neocæsarien. sis ad eos, qui prima viuente secundam ducunt vxorem: tamen ad illos referri, qui mortua prima secundã ducunt, nihil adhuc ad rem facit. Aliud est enim vetari aliquid; aliud, si fiat, ratum esse quidem, sed locum deberi alicui expiationi ob incontinentiæ vel præsentis suspicionem, vel futuræ coërcitionem. neque frustra Apostolus dixit: *Nubat in Domino.* quòd scilicet periculum foret, ne qui conuolat ad secundas nuptias libidine ductus, in Domino haud nubat, vt accidit maritis Saræ, qui à dæmone ob incontinentiam occidebantur. Quid? Nonne indicitur ieiunium sacro flumine abluendis, & ordinandis?

1. Cor. 7.

Thes. 7.

quis

quis autem vecors dicat ob id vetitum baptismum, vetitos ordines? sic in Concilio Laodicensi statuitur, vt ex indulgentia comunio reddatur ijs, qui duxerint vxorem secundam: nam & Paulus vsum tam primi, quàm secundi matrimonij, ait se concedere secundum indulgentiam. Optat ille, vt omnes sint, sicut ipse, immunes ab omni vsu matrimonij: sed quando non omnibus idem datum, Paulus imbecillioribus indulget. Quod autem canone vndecimo Concilij Arelatensis cauetur non posse consecrari sacerdotem coniugio obligatum, nisi fuerit promissa cõuersio; at Concilio Gangrensi comunio interdicitur ei, qui nolit interesse sacrificio presbyteri coniugati; quod approbatur à Leone Quarto: rursusq; in Concilio Nicæno, vt referunt Socrates ac Sozomenus, permissum, vt sacerdotes retineant vxores antea ductas, neq; vsus earum interdictus: non efficiunt hæc, quod hæretici volunt, vt veritas sibi dissideat, & Arelatense decretum sit contrarium Gangrensi, & Nicæno. Nam diuersa sanciri pro diuersitate regionum in his, quæ spectant ad mores, & possunt, & sæpè debent: verbi gratia, Græcis licet consecrare fermentatum, vt aiũt, nobis non licet. sed tamen adhuc est aliud, quod ijs sanctionibus continetur. Gangrense Concilium coactum est aduersus Manichæos, & Eusthatium Sebastenum, qui nuptias adeo detestabantur, vt nollent homines interesse sacris presbyteri, cui fuisset vxor. Sic enim canon ille: *Quicumque à presbytero, qui vxorem habuit, decernit non licere, eo ministrante, de oblatione percipere; anathema sit.* Viden' vt per summũ scelus truncata canonum verba adducantur ab hæreticis? Quantũ ad Cõcilij Niceni historiam, diximus esse figmẽtum; & id è Concilio Arelatensi magis liquet, in quo sanctiones Concilij Nicæni eodẽ repetuntur ordine, quo scripta fuerunt Nicææ. Sed ponamus esse verum, quod aiunt; nihil tamen Socrates & Sozomenus asserunt diffinitum, tantum rem venisse in cõsultationem, nõ in leges relatam.

Atq; hîc etiam licet hæreticorum imperitiam cognoscere. Nam cùm in Concilio Niceno scripta sit hæc: *Qui verò per Dei gratiam vocati primò quidem ostenderunt fidem suam deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad primum vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent rursus ad militiam redire, hi decem annis sunt inter pœnitentes:* putarunt stolidi isti hac sanctione militiam damnari, & ideò vociferantur aduersus illam sanctissimam Synodum, quasi exsecretur quod Io-

annes

1. Cor. 7.

20. dist. c. de libellis.

Hereticorũ perfidia.

Cap. 11.

annes approbat in Euangelio Lucæ: neq; aduertunt ibi fieri verba de militibus, qui maluerunt imperantibus Diocletiano, Maximiano, & Licinio, paulo ante illum conuentum deponere cingulum militare, & omni dignitate priuilegioque spoliari, quàm Christum abiurare, vt Eusebius tradit. ob id de Valentiniano Rufinus ait, à Deo recepisse Imperium pro cingulo, quod spreuerat tempore Iuliani. Agi verò de lapsis eo loco, tradit idem Rufinus alibi, quem secutus est Balsamon Antiochenus.

Luc. 3.
Eus. l. 8. c. 4.
Lib. 9. ca. 10
Rufin lib. 10. c. 2. & 6.

Rursus aiunt hæretici, in Concilio Laodiceno libri Tobias, Iudith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabei inter canonicos haud reponuntur, & in Concilio Carthaginensi reponuntur, & tam Laodicense recipitur in Synodo sexta, quàm Carthaginense approbatur à Pontifice Romano. Sed quid consequitur ex ijs, quæ adducunt hæretici? nihil profectò. Episcopi conuentus Laodiceni nihil definierunt de ijs libris, quòd eis non esset adhuc auctoritas eorum comperta, quæ Episcopis Africæ erat explorata. Ideò neque hi, neque illi lapsi: perinde ac si Iudex multos absoluat, multos autem, de quorum causa nihil illi liqueat, neque absoluat, nec; condemnet, vel in aliud tempus, vel ad alios rei definitionem reijciat: numquid hic à veritate aut iustitia recessit? sapienter egisse nemo poterit diffiteri.

Cap. vlt.

Obiiciunt hæretici præterea verba Concilij Toletani, quæ sunt huiusmodi: *Is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellitur tantùm vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus.* hæc hæretici, qui cùm sint imperitissimi historiarum, & agantur à furore transuersi, neq; sciunt, neq; aduertunt quid apud maiores fuerit in more positum. Sciendum verò concubinarum duo fuisse antiquit. discrimina; quarum quæ pro vxoribus habebantur, non repellebantur à cœtu Christianorum: aliæ verò nullo modo admittebãtur. Vocabantur illæ concubinæ, quòd neq; nuptiæ celebratæ essent, neq; nuptiis adfuisset sacerdos: sed tamen cõiugum iustorum loco reputabantur, vt obseruauit Gratianus. De his verba facit illud decretum.

Cap. 17.
Concubinarum duo genera antiquis.

Quòd verò addunt iidẽ in canonibus sextæ Synodi multos esse errores (in secundo namque recipitur Concilium Cypriani de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis sunt baptizati; septuagesimus secundus nulla declarat Catholicorũ

Dist. 34. c. omnibus.

con-

coniugia cum hæreticis; quæ tamen valent, quamuis Catholici peccēt; atq; hi canones ab Hadriano Primo in epistola ad Tharasium dicuntur diuinè & legaliter prolati, citantur à Nicolao Primo epistola ad Michaëlem, ab Innocentio Tertio, & à septimo Concilio) nihil colligūt. Atq; vt intelligamus, quot & quantis mendaciis peruersè heretici oppugnēt veritatem, sciendū canones illos nullo modo editos à sexta Synodo, vt constat ex actione quarta septimi Concili. Sexta namq; Synodus habita est tempore Agathonis Papæ, & Constantini Pogonati. Hi verò canones editi fuerunt antea tempore Iustiniani Secundi, ac Sergii Papæ ab aliquot Episcopis, ac falsò sextę Synodo adscripti, reiectiq; palàm fuere à Pontifice Romano, vt Beda scribit libro de sex ætatibus in Iustiniano, & apparet è tertio canone illos editos anno mundi iuxta Gręcos sexies millesimo centesimo nonagesimo nono, qui incidit in annum secundum Iustiniani iunioris, ex quo recepit imperium, vt obseruauit etiam Stephanus Syncellus Tharasii Episcopi Cōstantinopolitani. At Concilium sextum est habitum anno sexies millesimo centesimo septuagesimo secundo: atq; ita intercedunt anni viginti septem. Apertiùs autem in canone primo id apparet. In eo namq; numerantur, ac recipiuntur vniuersalia Concilia, & inter alia sic habetur: *Præterea sextæ quoq; Synodi, quæ in hac ciuitate imperatoria congregata fuerat, fidem, quæ maiorum ex ea firmitatem accepit, quòd Pius Imperator noster eius decisiones suo signaculo muniuit ad futuram per omnia secula securitatem non amplius mouendam, neq; agitandam, nos seruare profitemur.* hucusq; Synodus illa; è quibus apparet hos canones non esse sextæ Synodi, defuncto iam Cōstantino, quem diuæ memoriæ vocat hic canon, quòd defunctus esset. Ampliùs ex ipso initio canonum liquet eos editos imperante Iustiniano post Synodum sextam, à qua nullos conscriptos canones constat ibidem: sic enim dicitur: *Quoniam verò sanctæ & vniuersales duæ Synodi in hac imperante, & Dei obseruatrice ciuitate congregatæ, vna quidem temporibus diuinæ recordationis Iustiniani; altera verò sub piæ memoriæ Imperatore Constantino tuæ mansuetudinis patre ad paternæ declarandum fidei mysterium, sacros canones nequaquam conscripserunt.* hæc ibi; sed afferamus adhuc alia aduersus hereticos, & eorum soluamus obiecta: dicamus ergo in secūdo canone nullo modo approbari Cōcilium Cypriani de baptismo iterādo. Sic n. verba canonis: *Præterea verò recipim⁹, & à Cypriano, qui Afrorū*

Inno. c. à multis de ætat. ordin. Syn sept c. 3. 4. 5. 6.

regionis fuit Archiepiscopus, & martyr, & Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictorum præsulum locis, & solum secū- dum traditam eis consuetudinem seruatus est. At sub Cypriano multa sunt habita Concilia pręter illud, quod de iterando baptismo est actum. Inter alia vnum de lapsis, vt apparet ex epistola Cypriani ad Cornelium, aliud de baptizandis infantibus. Hæc igitur approbari credendum est omninò, non illa quæ certissimum est fuisse reiecta: & pater, quia loquitur de canone qui fuerit seruatus, at ille de renouando hæreticorum baptismo non est receptus. Quantum ad septuagesimum secundum canonem, dicimus non esse absurdum, vt diuersæ edantur constitutiones, pro temporum atq; hominum diuersitate; & quæ prius editæ fuerant, aboleantur in ijs quæ pertinent ad mores. Itaq; possunt à Cōcilijs irrita fieri coniugia Catholicorū cum hæreticis, rursus alio tempore haberi rata. Ad verba Hadriani, dicimus referri ab Hadriano verba ipsius Tharasij asserentis eos canones diuinè & legaliter sextæ Synodi prædicatos. Quin necesse est à Tharasio non citari canones istos editos imperante Iustiniano, sed alios, quorum memoria non in scriptis, sed in hominum prædicatione superesset. Tharasius namq; optimè sciebat nullos exstitisse canones Synodi sextæ è lectione eorum, quos recitauimus. Nicolaus aūt profitetur apertè se citare eum canonem Græcorū, quemadmodum citauit Paulus verba poetarum, obtestans nihil ijs deferri, nisi quantum appareret in ijs boni, aut potiùs quātum tribuerent ijs Græci. Idem dicimus de Innocentio ac septimo Concilio, citari scilicet ab ijs canones huiusmodi, non vt certæ & indubitatę fidei decreta, sed quatenus aliquid ijs inerat boni ac verisimilis, exceptum forsitan à sexta Synodo fictionibus nonnullis admixtis, vt fieri solet: quamuis in septimo Concilio afferantur ij canones à priuatis, ad quos non spectabat eos sancire.

Lib. 1. epi. 2.
Lib. 3. epi. 8.

Adducunt etiam hæretici Concilium quoddam Francfordiense, in quo septimum reprobatur, & imagines damnantur. Sed quæ exstat legitima Synodus Francofordiensis in libris Cōciliorum, nullo loco vel reprobat septimū, vel imagines damnat. Sciendumq; à Constantino Copronymo omnium scelestissimo Imperatore coactum quemdam conuentum Constantinopoli aduersus septimam Synodum Nicænam secundam, vt Paulus Diaconus & Zonaras tradunt; ideoq; appellatum ab eo Concilium huiusmo-

di septimum; neq; enim Nicænum secundum ceteris adnumerabat. In Francofordiensi igitur hæc Synodus falso septima reijcitur, vt scribit Aymoinus. Nihilominus anno M.D.XXXIX. emissus est ab hæreticis liber quidam nomine Eli Pphili, in quo Carolus Magnus quatuor libris fingitur imagines oppugnare; sed eos esse commenticios, & ab hæreticis confictos, plurimis necessariò probatur, vt nemo rem diffiteri possit. Ac primò constat apertissimè ex historijs Zonaræ, Cedreni, Landulphi sagacis, Gregorium Tertium, Hadrianum primum, Leonem Tertium ideò abiunxisse se ab amicitia Imperatorum Græcorum, & totos se dedisse Pipino, & Carolo Magno Regibus Francorum, quòd illi quidē imagines exsecrarentur. Sic enim Zonaras de Gregorio Tertio: *Gregorius, deserta Imperatoris obedientia ob peruersam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cùm priùs sæpè dedisset operam, vt Leonem per litteras ab odio Dei reuocaret, atq; ad imaginum sacrarum cultum reduceret.* Hæc ille. Deinde Carolus Magnus coluit maximè præ cunctis Hadrianum, vt constat tum ex alijs, tum è carminibus, quæ visuntur adhuc incisa in tabula ænea pro templo Vaticano in laudem Hadriani, è quibus placet hîc exscribere quatuor.

> *Post patrem Carolus lachrymans hæc carmina scripsit,*
> *Tu mihi dulcis amor. te modò plango pater,*
> *Tu memor esto mei; sequitur te mens mea semper.*
> *Cum Christo teneas regna beata poli.*

At Hadrianus inter cetera librum scripsit ad Carolum Magnum, quo defendit imaginum cultum: exstat adhuc ille; & tamquam Hadriani adducitur ab Iuone quarto libro sui decreti. Quî ergo fieri potuit, vt Carolus Magnus dissenserit ab Hadriano, cui primas detulit semper? Præterea Rhegino scribit anno septingentesimo sexagesimo septimo in Genethliaco villa habitam Synodum à Rege Pipino Caroli Magni patre inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate, & imaginibus sacris. In ea tradit AEmilius illarum cultum sancitum. Ex eodem Sigebertoque constat, haud paulò pòst defuncto Pipino missos à Carolo Magno Romam multos Episcopos, ac Stephano Papa presidente, alijsq; Episcopis præsentibus, iterū imaginibus honor sancitus. Quin Ionas Aurelianensis Episcopus è Francis, qui fuit imperāte Carolo Magno, & Ludouico Pio, scribit Felicem Vrgelitanum, & Claudium Taurinensem, imaginū

Lib. 4. c. 85.

Impostura hęreticorum.

Lib. 2.

sanctarum inimicissimos, toto tempore quo Carolus Magnus vixit, nihil ausos hiscere aduersus illas. Quòd si Carolus Magn⁹ edidisset illa scripta, quomodo nō latrassent? Et hæc quantum ad Caroli Magni commenticios libros.

Quòd verò obijciunt heretici Concilium Romanū Stephano Septimo præsidente coactum irrita fecisse Formosi Papæ acta, deinde illud abrogatum à Ioanne Nono, & Formosi acta restituta; id non facit ad rem. Nam leges ad institutionem morum pertinentes tolli possunt pro temporum varietate. & Pontifex labi posset in ijs quæ statuit, non vt Pontifex, ac Petri successor, vniuersalis scilicet Ecclesiæ moderator, sed vt princeps. neq; illa sunt vniuersalia decreta vel fidei, vel morum, quibus iubeat, vt cuncti habeant fidem. Quamuis Luitprandus Ticinensis, qui fuit sub ea tempora, tradat eum Pontificem, qui rescidit acta Formosi, nō fuisse ritè, sed vitio creatum, expulso per vim qui legitimus erat; qua tamē de re nihil nunc affirmamus. Quod autem postremò dicunt à Constantiensi & Basileensi conuentibus constitutum subesse Concilijs Papam, contrarium verò in Florentino, & Lateranensi; id totum nihil est. Nam quæ constituta fuère Constantiæ & Basileæ, hac parte non fuère confirmata à Pontificibus Romanis, quibus est jus conuocandi Synodos legitimas, & sancienti illarum constitutiones. Atque hæc sint satis ad confutanda hæreticorum commenta.

SIGNVM DECIMVM QVINTVM, Vnanimis doctorum consensus.

Illa est Ecclesia Dei, cui semper adfuerunt doctores, quibus exstiterit eadem doctrina, neq; aliqua in re penitus dissenserint, sed quicquid dixère, id totum iudicio Ecclesiæ Catholicæ ex animo subijcientes, secus credere ex animo, si secus diffinitum fuisset, semper parati fuerunt.

CAP. X.

TEstatur Apostolus à Deo positos in Ecclesia doctores veluti membra, sine quibus, consistere corpus non posset, ne sit veluti mancum ac truncum. Sunt hæ

hæc eius verba: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* & alibi: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, & ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* hucusque Paulus disertè tradens doctores dandos Ecclesiæ diuinitus, quousque omnes simul eum habeamur in cælum. horum dicit vnam futuram fidem. Quocirca si qui sint in aliquo hominum cœtu, qui firmiter dissentiant quacumq; in re ad fidem pertinente, nec sint parati assentiri, si secus diffiniretur; horum non est vna fides: at si qui diffideant quidem, sed animo sint prompto ad ea accipienda quæ decernentur communi consilio, cùm vel nondum sint sancita à Concilijs vniuersalibus, vel ab Ecclesia Catholica non audiãt adhuc prædicari; horum fides est vna. Magis enim propendent in aliorum sententiam, quàm suam: hanc etenim reuera parati sunt reijcere, at illam sic amplexari, vt vitam profundere pro illa velint. His positis, in Ecclesia nostra solummodo licet videre fuisse consonam semper doctorum conuenientiam. Nam licet antiqui discrepauerint in nonnullis nondum publico decreto sancitis, neque ab Ecclesia Catholica asseueranter annunciatis; omnes tamen rem totam reiecerunt in id quod diffiniretur. Atque hoc argumentum tanti à nostris est factum, vt Paulus in epistola ad Galatas, cùm persuadere conetur Euangelium, quod prædicabat, sibi diuinitus esse traditum, & commissum, adijciat ideò verum quod docebat, quia cum cęteris contulerit. Eodem modo Dionysius citat Hierotheum, atque alios scientiæ cælestis laude præstantes. latius Irenæus aduersus hæreticos adducens Polycarpi & Clementis Romani auctoritatem. Egit idem passim Clemens Alexandrinus in suis operibus, Athanasius vbi conatur explicare que fuerit de verbo Dei sententia Dionysij Alexandrini, Basilius aduersus Eunomium. denique post Nicænum Concilium, in omnibus Synodis, vbi Episcopi suam mentem fusius explicarunt, in medium doctores antiquos adduxerunt, & eorum testimonia congerentes hoc vtuntur veluti firmissimo argumento.

1. Cor. 12.

Ephes 4.

Viri Græcorum Doctores nobiscum sentiunt ipsis fatentibus Græcis, alioquin vel nulli ijs, vel hæretici.

Ostendamus porrò, Græcis quicumq; dissentiunt à nobis, & hæreticis Protestantibus vel nullos fuisse doctores hæresum suarum, siue opinionum, vel illos hęreticos esse; eos autem, quibus est danda fides, & ipsi dandam negare non possunt, à nobis esse. Igitur Gregoras homo Græcus, & scriptor nobis infensissimus, apertè testatum reliquit Andronico iuniore imperante missos fuisse Constantinopolim duos Episcopos à Pontifice Romano, per quos cõtrouersiæ inter nos & Græcos natæ componerentur, & aliqua ratio Christianæ pacis iniretur. Quid actum? Refert ille scriptor, nullum tum Græcis in media Græcia in ipsa Græciæ totius principe ciuitate virum doctum doctorem fuisse, qui posset cum illis congredi: ideoque de consilio ipsius Episcopos illos non auditos ob hanc causam. Sic enim Gregoras: *Altero anno duo Episcopi vetere Roma à Papa missi venerunt, vt de pace & concordia Ecclesiarum disputarent. At statim videre erat multos è populo studium præseferre, sed non secundùm scientiam, at temerè & inconsultò loqui, atque ipsum Patriarcham ad disputandum vrgere. Is verò cùm nec linguam dicendi exercitatione instructam haberet, & suos Episcopos maximam partem indoctißimos esse cerneret, tergiuersabatur ille quidem, sed quomodo populi tumultum sedaret, nesciebat: quare & nos in id certamen mittendos putabat, qui linguam exercitatam haberemus, quamuis non in sacrum catalogum inscripti essemus. Ego verò primùm vehementer vrgebam, ac monebam vt taceret, & magnam grauitatem, atque animi altitudinem præseferret, Latinorumq; postulationem contemneret; neque enim disputatione esse opus: sed cùm rursus cogitarem, silentium non ferè suspicione carere, sed in exterorum animis varias & multiplices cogitationes excitare, eorum præsertim, qui linguæ imperare nescirent, Patriarcha, & quibusdam primarijs Episcopis seductis, meam sententiam ad hunc ferè modum exposui.* hucusque Gregoras, qui satis longam à se deinde habitam narrat orationem ad præsens tempus artificiosè accommodatam, neque auditos Episcopos. Ex his apparet, tunc Græcis qui discessêre à nobis (plurimi namque ex ipsis omni laudum genere præstantes sunt nobiscum) idoneum doctorem nullum fuisse. at Ecclesiæ numquam defuturos doctores vsq; ad iudicij supremum diem, Paulus tradit: ergo Ecclesia istorum non est Ecclesia Dei. ac fieri sanè potest, vt aliquo in loco Ecclesiæ diuinæ doctor præsto non sit; in tota Ecclesia idoneum doctorem non esse, numquam cõtigit, aut continget. Rursus idem Gregoras scribit sub obitum

Lib. 10. ad finem.

Græcis nulli Doctores.

tum iunioris Andronici, anno scilicet millesimo trecentesimo quadragesimo primo, Barlaamum monachum Calabrum Constantinopolim concessisse, vt de ijs, quæ non conueniunt inter nos ac Græcos, cum Græcis conferret; qui cùm non haberent vllo modo, quem possent idoneum è suis doctorem eligere, & illi opponere, Palamam quemdam denique selegerunt, quem Gregoras idem testatur hæreticum fuisse, eumque publicis scriptis inire disputationem cum Barlaamo voluerunt. Hæc Gregoras. E quibus fit, idoneum tum Græcis doctorem nullum fuisse, nisi hæreticum. at huiusmodi non dantur à Deo, sed à dæmone, non dantur Ecclesiæ Dei, sed dæmonis ipsius. Vidimus nullum fuisse idoneum doctorem Græcis Andronico imperante.

Lib. 10. ad finem.

Videamus probatissimos quosq; eorum doctores nobiscum sensisse; & quidem temporibus ijs, quibus excitatæ sunt istæ quæstiones. Manuel Comnenus imperare cœpit anno millesimo quinquagesimo tertio: eo regnante Hadrianus Pontifex misit legatos Constantinopolim Balduinum, & Balditzionium, per quos omnis inter nos & Græcos controuersia de rebus sacris componeretur; litterasque in eam rem dedit ad Basilium Acridenum Archiepiscopum Thessalonicensium, qui Papæ respondit Orientales nihil dissentire ab Occidentalibus, ipsum esse pastorum pastoremque & principem, reliquos oues & filios. *Eamdem*, inquit, *tecum prædicamus & docemus, ego, ijque omnes qui ad magnam Apostolicamque sedem Constantinopolitanam pertinemus. & vnus qui in vtrisq; personat sermo fidei: idemq; sacrificatur agnus, qui tollit peccata mundi, Christus inter Occidentales Antistites, qui sub tuum principale culmen agunt; & nos, qui ab oriente Sole sublimi Constantinopolitana sede sacerdotij accepimus splendorem, quamuis parua quædam offendicula in medio interiecta nos separarint, & ex vno eodemque spiritu multos fecerint; quæ omninò tollere de medio, & veluti lapides iuxta propheticum sermonem è via proijcere, coniunctionemque Ecclesiarum sine offendiculo constituere tuæ sanctitatis erit, quæ Christi exemplo, velut è cælo prospiciens, distantia in vnum congregare vult, ac potest.* hæc Thessalonicensis, qui antea præmiserat: *Nos è sinu tuo excidisse negamus, & filiorum appellationem, aut pastoralem curam non refugimus, vt tale conuitium nobis exprobretur. Tatò autem ac firmiter stamus in confessione beati Petri.* E quibus fit hoc tempore Orientales non omninò à nobis alienos fuisse, illorum-

Græcorum probati doctores sentiunt nobiscum.

que præcipuos doctores nobis adhæsisse. relata sunt hæc acta in Codicem iuris Orientalis inter respōsa Patriarcharum. Isaacius Angelus imperare cœpit anno millesimo centesimo octuagesimo tertio, quo tempore vixit Theodorus Balsamon Antiochenus, vt Coniatas testatur: accidit que vt Marcus Alexandriæ Patriarcha per litteras ab eo quæreret, an cum Latinis (sic enim nos illi vocant) sacra communicare deberet. Respondit Balsamon non esse cōmunicanda. Scriptum reliquit Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus, huic responso Balsamonis multos præclaros viros haud suffragatos: *Nam multum*, inquit ille, *duritiei ac acerbitatis habebat non conuenientis Latinorum formis ac moribus, & quòd ea synodaliter decreta non erant, neque ipsi* (Latini scilicet) *vt hæretici publicè reiecti fuissent, sed simul cum Græcis cibum sumant, & precentur.* hæc Demetrius in Codice iuris Orientalis, quæ ostendunt doctores Græcos nobiscū non dissensisse ijs temporibus; & idcirco Balsamoni restitisse. Anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo imperare cœpit Ioannes Ducas: quo tempore, quicquid inter nos & Græcos erat quæstionis, in apertum magis certamen vocari cœpit, ac tum Nicephorus Blemmydas diuinarum litterarum, inquit Gregoras peritissimus, & magnæ sanctimoniæ vir multa sanctorum Patrum sacræque scripturæ testimonia in vnum congessit aduersus opinionem Græcorum. Atq; hic maximæ erat inter Græcos auctoritatis. Mox anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, imperante Michaele Paleologo, conuenit inter nos & Græcorum principes, vt Pontifici Romano primæ in omnibus deferrentur, & ad eum cuiuis appellare in causis liceret. Beccusq; eorum Patriarcha, viso Blemmydis quem diximus libro, discussisq; omnibus quæ dicebat, ad nos concessit, vnà cum Militeniote Metochite & Gregorio Cyprio viris doctissimis, qui dicendo, & scribendo, eadem quæ nos docuerunt. & quamuis Andronicus, defuncto Michaele patre sub annū millesimum ducentesimum octuagesimum tertium, apertam à nobis discessione quasi ab hæreticis fecerit; nihilominus Beccus dignitate spoliatus, & Metochites, qui vixit vsq; ad annum millesimum trecentesimum trigesimum secundum, in sententia semper perstiterunt. & sanè nullo vnquam tempore Græci obstinatiùs nos hæreticos reputarunt, quàm post initium ab Andronico seniore Paleologo imperij; is enim patri de-

functo ob id sepulturæ locum denegauit, & iusta persolui more Christiano vetuit; donec anno millesimo quadringentesimo vigesimo nono, in Concilio Florentino vniuersali, quod antea numquam fuerat factum, Græci Episcopi & doctores vnà conuenientes decretis publicis quid credendum foret eorum, quæ veniebant, in disceptationem inuiolabiliter sanxerunt, & Bessarion Episcopus Nicęnus, ac Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus scriptis diuulgatis prodiderunt. Ex his constat maximos Græcorum doctores nobiscum sensisse, cęteros non ausos nobis omninò refragari, & hæreticorum loco ducere, vt Demetrius ille testatur, cuius sententia est relata in Codicem iuris Orientalis, & ob id explosa est Balsamonis opinio. Michaël namq; Patriarcha, qui anno millesimo quinquagesimo tertio fuit ausus nos loco piorum submouere, siue excommunicare, resipuit vnà cum Græcis, vt aliàs diximus, exspectātibus cunctis Concilij vniuersalis, ad quod se reijciebant omninò, communia & publica scita. Quòd si antiquorum doctorum perquiras in his, de quibus non conuenit inter nos ac Græcos, sententiam; satis sit à Gregora nobis infensissimo scriptum constare è Blemmydæ, quem mirificè ille ob sanctitatem, doctrinam, fortitudinemque animi laudat, libris, priscos doctores à nobis esse; & idcirco postea Becum nobis assensum, cùm foret antea alienissimus, dedisse. legat deinde, qui volet, Bessarionis, & Gennadij libros, & quæ in Concilio Florentino sunt tractata. Atque hæc quantum ad nonnullos Orientales. Veniamus ad hæreticos Protestantes.

Atqui non ita pridem, ante annos scilicet 70. duce Luthero ex inferis eruperunt, quod omnes norunt. Quomodo igitur fieri potest vt ex Ecclesia sint Dei, & Christi, quę ante mille quingentos & ampliùs totius orbis nationibus illuxit, & necesse est ex illo tempore toti orbi in vnam fidem conspirantes det doctores, donec omnes Christo occurramus supremo iudicij die? Atqui idem Lutherus ait, omnium sæculorum patres errasse tota vita; &c, nisi ante mortem reducti fuerint, neq; sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere: & eius discipulus Melanchthon scripsit, à veteribus obscuratam doctrinam de iustitia fidei, auctas cęremonias, cōfictos peculiares cultus. Caluinus porrò ausus est per impudentiam summam dicere superiorum temporum doctores ob imperitiam deceptos, ac nimio affectu in

Hæretici protestātibus nō esse doctores.

Cap. 3. prim ad Corinth.

Lib. 4. c. 17 par. 30. 55 10

Supra in primo signo.

præceps datos: idem præterea effutijt & alia maximè ob-
scæna de Patribus vetustis, quæ retulimus alibi: sicuti &
Magdeburgenses eò sunt amentiæ progressi, vt Apostolis
ipsis notam mendacis doctrinæ inurere non expauerint;
adeò tenebris, & profunda se caligine inuoluerunt. Valeat
igitur (si credatur istis sceleribus) Paulus cum suis episto-
lis, in quibus scriptum reliquit; ideò datos Ecclesiæ diui-
nitus doctores, ne simus paruuli fluctuãtes, & circumfera-
mur omni vento doctrinæ (quæ nimirum proficiscitur à
doctoribus) in nequitia hominum, in astutia ad circum-
uentionem erroris. At ô miseri, an non videtis hoc ad vos
pertinere, in quib' tot ac tam varij sunt doctores, vt nemo
sit inter vos, qui non fluctuet, & circumferatur omni ven-
to doctrinę? An non ostendimus suprà neminem vestrum
sibi ipsi constitisse? multiplicem vestrorum colluuiem? Fa-
temur nos fieri posse, vt aliq̃ è doctorib' Catholicis inter-
dum dormitauerint aliqua in re; sed adijcimus duo; illos
hoc animo fuisse, vt Conciliorum vniuersalium decretis
Pontificiq; se subijcerent; talis fuit Cyprianus, & qui illum
sunt secuti in quæstione interandi baptismi: deinde maio-
rem partem reliquorum doctorum, quorum sententiæ il-
los aliquando fugiebant, secus credidisse. ideoque his ha-
benda fides, non illis, quibus & ipsi habuissent, si quæ di-
xerant eos nõ latuissent; quin nulla duxissent omninò fua.
Sed quid opus est verbis? Nonne ipsi Protestantes adscri-
bunt doctorum suorum numero hęresum principes in mẽ-
dacissimis illis ecclesiasticæ historiæ Centurijs? Hinc cum
principe primario hæreticorum omnium Simone Mago
palàm docent ad salutem non esse necessaria opera bona,
fidem satis esse, in cui' definitione deinde Protestantes in-
ter se mirabiliter dissentiunt. Vt vt res sit, Simonis Magi
hæc hæresis fuit (ait Irenæus, ac post eum Theodoretus) &
Eunomij, quod Augustinus testatur. Iidem cum Theodo-
to Coriario tradunt (is verò fuit temporibus Victoris ac
Zephyrini sub annum 186.) à Pontificibus Romanis do-
ctrinam Christi deprauatam & corruptam. Hoc enim di-
cebat impostor ille, vt antiquissimus scriptor apud Euse-
bium tradit. Cum Manichæis liberum arbitrium tollunt,
Deumq; auctorem malorum faciunt. impiè namq; & sce-
lerate Caluinus scripsit in Institutionibus suis, Deum oc-
culto iudicio peccata ordinare, hominibus potissimùm ad
damnationem creare, impuras cogitationes in cordibus
homi-

Ephes. 4.

In secundo signo.

Hæretici antiqui Doctores hæreticorum nostrę ætatis, ipsis fatentibus.

Lib.1.ca.20
Theo.l.1 hær. Fab. & Aug. hær.54.
Lib.5.c.27.
Lib.1. Inst c. 18.nu.1.c.17. nu.2.lib 3.c. 23.nu.8. & lib. de ætern. prædestin.

hominum commouere, & inspirare, omne furtum, homicidium, scortationemq; illo auctore perfici. Aureliano imperante Manes vixit circiter annum ducentesimum octuagesimum secundum. Cum Nouatianis ordinem confirmationis respuunt. nam Nouatus & illum non admittebat: fuit anno ducentesimo quinquagesimo secundo. Donatus anno trecentesimo vndecimo, fuit: ab eo Donatistæ orti asserebāt in solis bonis & electis esse Ecclesiam Dei, quod & hæretici isti hodie volunt. Aduersus eos latè Augustinus multis in locis disputat. Anno quadringentesimo Vigilantius in Gallia, in Italia Iouinianus, in Oriente Aërius martyrum & reliquiarum honores, virginitatis votum & priuilegium, preces pro defunctis explodebant. Aduersus quos Hieronymus & alij multi scripserunt. hæreticos illos hodierni hæretici amplexantur. Anno DCCXII. Philippicus Imperator, inde Leo Isauricus DCCXVII. & Constantinus Copronymus cum liberis suis, homines omniū, (quod scriptores illorū temporū memoriæ prodiderunt) spurcissimi, aduersus imagines sacras bellū mouerunt. Plurimi aduersus eos scripserunt sanctimonia vitæ, & doctrina præstantissimi viri. Et Concilium septimum generale eosdem damnauit, subscribentibus Episcopis trecentis quinquaginta, anno septingentesimo octuagesimo nono: & tamen has hæreses exosculantur hæretici Protestantes. Post annum millesimū Berengarius negare cœpit in Eucharistia corpus esse Christi: atque is ab omnibus eo tempore viris doctis ac pijs est damnatus: quin ipsemet ad extremum, cognito errore suo, suam sententiam damnauit, Protestanes verò hæretici rursus hanc hæresim renouarunt. circiter annum millesimum ac ducentesimum in Gallia Albigenses docebant, templa diruenda, cruces deijciendas, preces pro defunctis nullo modo faciendas; sed & hi damnati, & ad nihilum redacti fuêre diligentia maximè illorum, qui Dominici, & Francisci hominum sanctissimorum sunt instituta secuti: & horum rursus impietatem Protestantes amplectuntur. Sed quid ego plura persequor? Quid conor ostēdere nullos istis doctores esse, nisi hæreticos, cùm Lutherus eorum primarius doctor sic reliquerit scriptum: *Nihil curo, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra me starent.* & alibi: *Doctrinam meam nolo iudicari, nec ab Episcopis, nec ab Angelis omnibus: volo per eam, & Angelorum quoque iudex esse.* & alibi: *Ego aduersus di-*

Vide Zonorā & Paulum Diaconum.

In prologo lib. aduers. Eccl. statu.

Lib. contra Reg. Ang.

cta Patrum, & Angelorum, pono Euangelium (sed suo modo explicatum, & sic ille suos libros vocat) *hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus dictis hominum* (vide hominis modestiam) *quamtumlibet sanctorum.* Hæc Lutherus. Quid igitur mirum, si isti non modò veluti paruuli, quod aiebat Paulus, fluctuant, & doctoribus orbati circumferuntur omni vento doctrinæ: sed, Gaspar Hedio Argentoratensis Minister epistola ad Melanchtonem conqueritur; *Sic vexantur, vt Satanas,* inquit ipse, *callidus hic multos agitet, vt dum summa inconstantia iam hoc, iam illud credant, post hac nihil prorsus credant; & de Catholicis Lutherani, & de Lutheranis Zuingliani, & de Zuinglianis Suencfeldiani, de his mox Athei fiant.* Et Viretus hæreticus testetur, inter suos Genuenses, esse quosdam ludimagistros, qui pueris occinant paruulis sibi commissis, *illum verè beatum, qui metus omnes, & inexorabile fatum supposuit pedibus, strepitumq́; Acherontis auari.* Atq; hi scilicet hæreticorum Protestantium doctores, qui doceant suos.

Lind. dial. 2. Dubit.

Li. 2. de min. ver.

Nil metui, nil curari, nil deniq; credi.

Numquid hi Protestantium doctores? Diabolus ipse Protestantium, doctor doctoribus ipsis Protestantium testibus. Lutherus enim libello de Missa angulari scripsit; eius enim hæc sunt verba; *Diabolum & se inter sese mutuum familiariter nosse, & quod plus vno salis modio simul comederint; illumque dulci alloquio se frequenter conuenisse, & nocte excitasse, ac stimulasse, vt contra Missam scriberet, & ad eam rem argumenta suppeditasse.* hæc Lutherus. at Zuinglius libro de supplemento Eucharistiæ narrat, sibi anxiè cogitanti de sensu illorum verborum: *Hoc est corpus meum:* nocte intempesta adfuisse monitorem spiritum, ambigit ater an albus fuerit, qui doceret, quomodo aliter atque Ecclesia semper est interpetrata, exponi possent. Erasmus Alberus Basileensis concionator cacodæmonem Carolostadio verba ad populum facienti procerioris staturæ hominis specie adstitisse narrat triduo ante quàm ad tartara abriperetur. Caluinus Bucero monenti, vt conuicijs ac maledictis abstineret, respondit non sui ingenij esse morbum, sed genij. En Protestantium doctor. Sæpiùs à nobis est repetitum, nec repetere, quoties opus fuerit, pigebit, Photium dissidij causas inter nos & Græcos diligentissimè inuestigasse, & in medium protulisse; at illum Santabare-

Diabolus Hæreticorũ doctor fatentibus Hæreticis ipsis hodiernis.

ni

ni cuiusdam, qui magicis artibus, spectris effingendis, & præstigijs operam daret, studiosissimum fuisse, Zonaras scribit. Atque hos dicemus, & horum sectatores, diuinæ veritatis magistros, hos dicemus Ecclesiæ Christianæ doctores, hos esse ex Ecclesia Dei?

In vita Basilij Marc. & Leonis Phil.

SIGNVM DECIMVM-SEXTVM.

Interitus fidei, & religionis Christianæ.

Vbi in aliquas regiones alia doctrina, quàm quæ colitur ab Ecclesia nostra, per illos, qui se à nobis abiurxerunt, est inuecta; in eas deinde Christianæ religionis Christíque hostes inuaserunt, & in ijs cum summa imperij potestate considentes de Christi cultu plurimum detraxerunt, vel illum ferè prorsus exstinxerunt.

CAP. XI.

HINC apertissimis euentis, & quod maximè dolendum, frequentibus, clarissimè comprobatum videmus in ijs regionibus, quas à nobis aliena doctrina peruasit, aditum factum Christi & Christianæ religionis hostibus, per quos illæ occupatæ totius interdum Christi cultus iacturam fecerunt. Hoc enim prædixit fore Christus ipse ijs verbis: *Qui non est mecum, contra me est; & qui mecum non colligit, dispergit.* Vin' videre populos aliquos, aut factiones non esse cum Christo, non colligere cum Christo: inspice an inter eos sit aliquid necessario & euidenter contra Christum, an Christiana dispergantur, dissipentur. Contra Christum sunt, verbigratia, Turcæ, Sarraceni, & aliæ Gentes prorsus a Christi cultu abhorrentes: Christiana dissipant ac dispergunt necessario, qui contrarijs inter se factionibus & sententijs de re Christiana diuiduntur, rixantur, digladiantur. quales sunt Protestantes, in contrarias & inimicissimas omninò inter se sectas misertimè dissecti. At illarum siqua veritatem tueretur, vna tantum foret illa: igitur aliæ falsæ. Nō enim

veritas sibi dissidere potest. Quòd si cum Christo veritas; de se namq; dixit ipse: *Ego sum veritas*, vbi magis erit Christus, ibi veritas, & veritatis cultus magis stabilietur; vbi minus erit, ibi labem faciet, minabitur omninò ruinā. Quòd si hoc cõtingit ijs, qui se à nobis alienauerunt, vt liquidissimò patebit; quomodo inter eos Christus? An non illis maior lux, quibus est propior Christus, quasi Sol; vnde omnis lux in omnes partes dimanat? An non ipse canit de se ipso, se constitutum super montem Sion, Ecclesiam scilicat, vt verba de præceptis diuinis ad omnes Gentes faciat, & eos à via iustitiæ aberraturos, perituros, qui non audiāt ipsi, verbis suis haud obediant? Videamus qui populi ex ijs, qui se profitentur Christianos, aberrarint à via iustitiæ, perierint, ad nihilum ferè sint redacti. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; neq; qui accendunt lucernam, ponunt eam sub modio. Quamobrem si illi, qui à nobis alieni sunt, essent in ciuitate Dei, eorum religio, vel dissidentibus de re Christiana sententijs, vel toti rei Christianæ aduersantibus, nullo modo obscuraretur, vel exstingueretur: atq; vbi morantur isti, ibi de veritate nihil imminueretur, de Christi cultu detraheretur. Sed percurramus quæso totius orbis regiones singillatim; videamusq; an quod dicimus consentiat veritati. Initium verò faciamus ab extremis Septentrionis oris, quas magna nunc ex parte hæretici Protestantes tenent.

Gotthorũ regiones.

Gotthi antiquitus, vt Iordanis eorum gentilis tradit, ex insula amplissima Scandia prodeuntes, cuncta loca ferè, quæ sunt supra Germaniam Danubiumq; occuparunt. Hi Catholicæ veritatis, ab initio nobiscum sentientes, studiosissimi fuerunt, & Vlphilas Episcopus ipsorum Concilio Nicæno, vt ex eius actis apparet, interfuit ac subscripsit. Valens illos Imperator de consilio Eudoxij Ariana tabe infecit, vt proximus ijs temporibus Theodoretus scribit: Sozomenus idem factum tradit, opera Euxodij & Acacij, qui Vlphilam dolo malo circumuentum traduxerunt ad suas partes, & vt idem Gotthis persuaderet effecerunt. vt res sit, Gotthi priùs erant Catholici, mox hæresi se Arianæ adiunxerunt: quod vbi contigit, & intestinis magis cœperunt discordijs inter se conflictari, & Hunni gens efferata è superioribus locis erumpentes impetu facto suis sedibus Gotthos expulerunt, quibus Valens cis Istrum in maximam Imperij Romani ruinam, quasi refractis eius repagu-

Theod. lib. 4. c. 32.
Soz. l. 6. c. 37.
I. Exemplũ interitus fidei adducti per hæreticos.

gulis, locum dedit in Dacia Ripensi, Mysia, & Thracia. Igitur regiones illas, in quibus Gotthi consederant, cõtinuò Deus Hunnis dedit alienis omninò à cultu Christi, ex quo Gotthi Arianam factionem sunt secuti.

Dacia tunc, Mysia, & Pannonia similiter Ariana decreta sequebantur. Vrsatius namq; Singidonis, quæ est vrbs Mysiæ; & Valens Mursorũ, quod est oppidum Pannoniæ, innumeras, vt omnes norunt, in Ecclesia turbas excitarũt: quinimmò Sirmij, quæ est vrbs Pannoniæ, est habitum ab Arianis Concilium, in quo hæresis Arij est sancita, procurãtibus maximè Vrsatio & Valente, & Hunni igitur haud contenti è terris trans Istrum positis Gotthos expulisse, admixtis multis nationibus, Istro traiecto, Pannoniam, Mysiam, Daciamq; occuparunt; ita vt & cultus, & Christi ferè nomen in ijs locis oblitteraretur sub Regibus Hunnorum Optaro, Bleda, & Attila vsque ad annum quadringentesimum quinquagesimum quartum; quo tempore Attila defuncto, & Ellace filio eius natu maximo in acie cæso ab Ardarico Gepidarum Rege, maxima in ijs regionibus vastitas est consecuta: Gepidæq; Daciam tenuerunt de consensu Marciani & Valentiniani Imperatorum, Ostrogotthi Pannonias à Sirmio ad Vindibonam, Sarmatæ & Hunni quidam Illyrij partem ad castrum Martenam; Scyri, & Satagarij, Alani, Scythiam minorem, & Mysiam inferiorem; Rugi, alijque Scandiopolim: qui omnes à Christi cultũ procul erant. En igitur quem fructum retulerit Scythia minor, Mysia, Dacia, Gotthia, & Pannonia, & indigenæ horum locorum, ex hæresi Ariana, discessioneque quam fecerunt ab Ecclesia Catholica, vt post multas clades Christi cultus in ijs locis exstingueretur. Paulus Diaconus gene re Longobardus scribit, mox à Longobardis pulsos fuisse Gepidas è Pannonijs, in quas è Dacia fecerant irruptionẽ; qui deinde euocati à Narsete, relictis in ea regione Hũnis Auaribus, Italiam petierũt post annos quadragnta duos, q fixissent in ijs locis sedes. Ingressi verò sunt Italiam anno quingentesimo sexagesimo octauo. Tenuerunt Auares, quantum scire possum, Pannonias vsque ad Carolum Magnum, qui scribitur illos domuisse, Pannoniasque in potestatem suam redegisse, & videntur ex parte fuisse subiectæ Regibus Germaniæ vsque ad Arnulphum Imperatorem, qui, ab obedientia Ecclesiæ Præsulum desciscens, crudeliterque cum suis in eos desæuiens, teste Luitprando

II. Exempl. Mysia, Pannonia.

Dacia.

Iornan. de reb. Get.

Scythia.

Eghin. in vit. Carol.

Lib. 1. ca. 19.

do, qui non longe abfuit ab eius ætate, hoc meruit, vt per socordiam, summamq; imprudentiam Hungaris in illas aditum faceret, & per multum tempus in ijs locis Christi cultus obscuraretur.

Dalmatiam constat hæresi Ariana similiter infectam fuisse, tum ex alijs, tum è Concilio Aquileiensi. In eas oras Gotthi sese effuderunt, & omnia ferro ac flāmis vastarunt, & maximo rei Christianæ detrimento vicinas regiones sunt populati, quod latè Hieronymus deplorat epistola tertia; idq; per annos quadraginta, vt è quibusdam Claudiani versibus colligi potest. Mauritius Imperator ab obedientia & auctoritate Pontificis Romani sic discessit, & Patriarchæ Constantinopolitano sic aduersus eum fauit, vt maximæ dissensioni inter nos & Græcos initium fecerit. Elati namq; superbia Patriarchæ illi, Vniuersalis sibi nomen arrogare cœperunt, & ex eo contēnere Petri successores, neq; vti debebant ijs deferre. Igitur Mauritio imperāte, Sclauini Dalmatiam, & proximas terras inuadere cœperūt, vt apparet ex epistolis Gregorij Magni, & historijs Zonaræ, & Pauli Diaconi: ac tum primū Turcæ adiuncti Persis aduersus Christianos pugnarunt, vt ex Annalibus Pauli Diaconi patet. Ioannes deinde Zimisces transtulit in ea loca Manichęos, quorum Regem Stephanum tam malè in Catholicos animatum fuisse suo tempore scribit Aeneas Syluius, vt eos captiuos faceret, ac Turcis vend. ret. Mahometes deinde Imperator Turcarum cuncta illorum loca suis regnis adiecit. Atq; ita, quas Dalmatiæ, & adiacentium regionum terras hæretici tenebant, Turcæ nunc possidet, & Christi cultus vix vllus in eis. Hic scilicet hæresum fructus. Dimittam modò Græciam. De illa namque & vicinis prouincijs postea commodiore loco.

III. Exemp. Dalmatia. *Zon. in vita Maur. & Zimis. Aeneas Syl. in Eur. c. 16. 17. Sabel. Aene. 10. lib. 6.*

Veniamus in Germaniam, cuius populi nonnulli ex aliqua parte Christi numen agnoscebant olim. In his Vandali, Longobardi, Norici, Rugi, Rhæti sed quicumq; ex his Christi nomen agnoscebant, Ariani pleriq; omnes erant, & de Vandalis constat è Procopio, & Victore: de Longobardis, quorum maxima pars idola Gentium colebat, patet è Dialogis Gregorij Magni; de Noricis, Rugis, Rhætis, è vita Valentini primi Episcopi Rhætiarum, & Seuerini, qui post eum fuit in Noricis. liquet præterea è vita Bonifacij primi Archiepiscopi Moguntini, in Germania præter Arianam fuisse alias hæreses. Quocirca haud mirum, si nunquam

Germania. IV. Excmp. *Sur. tom. 1. men. Ian.*

quam potuit agere radices in ijs regionibus Christiana religio, nulli certi Reges in Germania fuêre, nullus cultus humanitatis omnia latrocinijs, & prædationibus infesta, quod discimus è vitis Valentini, Seuerini, & alijs historijs, in quibus habetur, ab Attila, & eius ducibus totam Germaniam ferro & igni vastatam, subiectamq; imperio Hunnorum. Valentino certè quidem, dum Christi doctrinā disseminare inter Germanos nititur, valde obstitêre Ariani in ijs locis degentes.

Veniamus ad Gallias Germaniæ conterminas, quas Vigilantius Hieronymi temporibus doctrina pestifera infecit, idemq; conatus est Pelagius. Hinc illa Saluiani Massiliensis verba: *Omnes autem isti, de quibus loquimur, aut Vandali sunt, aut Gotthi.* *Nam de Romanis hæreticis* (sic appellat omnes imperio Romano subiectos) *quorum innumera multitudo est, nihil dicimus, neq; aut Romanis eos, aut Barbaris comparamus: quia & infidelitate Romanis sunt deteriores, & fœditate Barbaris superiores.* hucusque Saluianus, vt sciamus in Gallijs innumerā fuisse hæreticorum multitudinem: quo tempore Franci è suis sedibus mouentes post annum quadringentesimum quadragesimum nonum Gallias totas occuparunt; magnumq; rei Christianæ factum detrimentum, donec illi Rege Clodoueo nobis se adiunxerunt. Rursusq; cùm à schismaticis, & impijs, qui vel hæretici, vel affines hæreticis esse solent, res sacræ proculcarētur (vt apparet è Concilio Parisiensi, quod est habitum temporibus Ludouici & Lotharij Imperatorum, & Aquisgranensi, quod est coactum anno octingentesimo trigesimo tertio, & Meldensi, anno octingentesimo quadragesimo quinto, Suessionensi octingentesimo quinquagesimo tertio, Valentino octingentesimo quinquagesimo quinto, Coloniensi octingentesimo octuagesimo septimo) factum est vt Northmanni ex Aquilonaribus oris erumpentes omnia ferro flammisq; vastarint, & in Lugdunensi secunda magno rei Christianæ dāno sedes posuerint post annum octingētesimum quinquagesimum, neq; à vastitatibus cessatum, nisi ex quo verè illi Christo se addixerunt anno nongentesimo.

Gallias respicit Britannia angusto mari diuisa. In illa Pelagius indigena, Iulianus, & Cælestius hæresim suam latissimè sparserunt. Quamobrem contigit vt Angli, qui fuerant euocati à Britannis vt essent eis auxilio aduersus Pictos, & Scotos, redigerent in potestatem loci incolas, &

V. Exempl. Galliæ.

Lib. 5.

Paris. c. 5.
Aquis. c. 14.
Meld. c. 10. & in princ.
Sueßi. c. 3.
Val. c. 9.

VI. Exēpl.

Lugdunensis secūda.

VII. Exemplū Britannia.

magna rerum fieret cum religione commutatio; quod Gildas maximè deplorat. Adeò porrò hæreses in Britannia creuerant, vt quo tempore Augustinus à Gregorio Magno missus est, quò perduceret Anglos ad Christi cultum, nouem superessent Episcopi hæreticorum suis in locis, vt ex eius vita, quam Beda conscripsit, apparet; nullus tamen Episcopus esset Catholicus. pauca excepta multitudine, quæ in angulum se Insulæ abdiderat, & hæretica decreta sequebatur, vt diximus, cæteri omnes nulla ex parte Christum colebant, siue indigenæ, siue aduenæ forent. Adeò est hæresi adiunctum, vt vbi sit illa, pereat Christo debitus honor.

Gallica Cisalpina. VIII. Exemplū.

Non omittamus Italiæ loca. Pelagius Primus sedit post annum quingētesimum quinquagesimum octauum, quo tempore Episcopi Istriæ, Venetiæ, Liguriæ, Concilium Constantinopolitanum respuentes, à Pelagio sunt hæreseos nomine condemnati, neq; modo vllo acquieuerunt. Rursus anno quingentesimo octuagesimo quinto Helias Aquileiensis Patriarcha cum suis Episcopis, & Ioannes Rauennas cum multis alijs tria capita Concilij Chalcedonensis reiecerunt contra sententiam Pelagij Secundi: ac refert Beda in vita sancti Austasij, dissidium huiusmodi atq; hæresim durasse, viuente Austasio, qui cōcessit Aquileiā anno sexcentesimo vigesimo primo. ob hæc quingentesimo sexagesimo octauo Alboinus Longobardorum, qui maxima ex parte falsos antiquitatis Deos venerabantur captis Istriæ multis oppidis, sequenti Vicentiam, Veronam, Tridentum, & alias Venetiæ vrbes adduxit in suam potestatē; postero Brixiam, Bergomum, Laudem, Comum, & Mediolanum, in Liguria prouincia occupauit. Deniq; Longobardi sic Galliam Cisalpinam tenuerunt, vt de suo nomine Lombardiam nominarint. tenuerunt autem maxima proculdubio Christianæ religionis imminutione.

IX. Exemp. Hispania.

Inspiciamus Hispanias, in quibus cum Priscillianistæ hæretici omnia conturbassent, & plurimum possent, vt apparet ex historia Seueri Sulpitij, accidit vt Sueui cum Vandalis Galiciam, post autem & Lusitaniam ceperint, cuius partem tamen occuparunt Alani vnà cum prouincia Carthaginēsi; Vandali, Silingi, Bethicam. Rursusq; circiter annum quadringentesimum quadragesimū quartum Gotthi

X. Exempl.

totas Hispanias subegerunt, Athaulpho Rege vt scribit inter alios Isidorus. Ex epistola Leonis ad Thuribium Astu-

turicensem constat eius tempore Priscillianistas in Hispaniis plurimum potuisse. Nemini porrò dubium, ex irruptionibus huiusmodi gentium vel prorsus alienarum à cultu Christi, vel Arianas partes sequentium, magnam rei Christianæ factam per ea tempora iacturam. Postea verò cùm veritas religionis in ijs locis esset restituta, contigit vt ab ea discederet, multis modis Vitiza Rex, qui vt animos Hispanorum deliniret, & in impietatem suam pertrahens sibi obligaret, lata lege edixit, vt cuiuis sacerdoti liceret vna cum cæteris, non modò vnam, sed & duas eodem tēpore vxores habere. & quoniam verebatur ne Pontificem Romanū Catholici adirent, vetuit edicto seuerissimo, ne quis eum posset appellare: & quando adhuc metuebat ne ciuitates arma sumerent aduersus ipsum, omnibus mœnia diruit. Regno deiectus Vitizas à Roderico, qui tamen ijsdē sceleribus se inuoluit. Quo tempore Sarraceni, traiecto freto, ex Africa Hispanias appulerūt, & maximo Christianæ legis dedecore & detrimento occuparunt, ac diu tenuerunt. I nunc, & ab obedientia Romani Pontificis, vt lubet, discede: vt durissimo vel Sarracenorum, vel aliarum Gentium efferatarum imperio parere compellaris.

XI. Exēpl.

Rod. l. 3. c. 15.

In Africa tempore D. Augustini adeò poterant Donatistæ hæretici in varias diuisi sectas, vt nulla ferè ciuitas esset, in qua non foret aliquis illorum Episcopus, vt constat è scriptis Augustini: quo tempore accidit vt Vandali totam illam prouinciam redigerent in suam potestatem. quamuis & multis prætereà flagitijs obnoxij essent Africa tempestate, miris enim modis viros religiosos exagitabant, priscas superstitiones ex aliqua parte retinebant; neque Donati dumtaxat hæresi, sed & multis alijs, erant infecti: hæc è Saluiano Massiliensi alibi docuimus. Hinc Vandali victores & domini verum Christi cultum ex Africa exterminare sunt conati, vt qui verè Catholici essent, apparerent, & magnum virtutum fructum apud Deum consequerentur variè à Vandalica crudelitate diuexati. Eiectis posteà Vandalis, tamen ex Africa exstirpari nō potuerunt Donatistæ. Ex epistolis namque Gregorij Magni colligitur suo tempore illos plurimum potuisse. Sed quod extremam denique cladem locis ijs attulit, illud fuit: Constantius, siue vt alij vocant, Constans, qui Heracleonæ successit anno sexcentesimo quadragesimo secundo, hæresi Monothelitarum, quæ Orientem peruaserat, & Africam, de-

XII. Exēpl. Africa.

Greg. lib. 1. ep 22. 75. 82. li. 2. ep. 33. lib. 3. epi. 35.

XIII. Exēp.

ditus, nihil non egit, vt in Africa Monothelitæ soli essent, Catholicus nemo. Idcirco multos Episcopos Afrorum Catholicos sibi aduersantes iussit occidi, sicuti & Martinum Papam vinctum misit in exilium in Pontum, vt Zonaras testatur. Hoc igitur imperante, Sarraceni impetu in eas regiones facto, prorsus omnia cœperunt, & vsque ad nostra tempora tenent. Nonnulla tamen oppida & vrbes ijs Hispani eripuerunt, & nobis adiecerunt.

Zon. tom. 3.

XIV. Exemp. Oriens captus ab impijs, cum imperarũt hæretici.

Veniamus ad Orientem, cui commune fuit cum Occidente, vt Constantio Ariano Imperatori, qui pestiferam illam doctrinam passim disseminare & extollere summa ope contendit, succederet impius Iulianus, qui extremam Christianæ religioni ruinam, quo ad vixit, est machinatus. Adeò hæresib. est affinis & coniunctus diuinæ veritatis interitus. Id verò vt magis elucescat, sciendum temporib. Heraclij Imperatoris totum Orientem fuisse hæresibus varijs conflictatum, fœdissimeq; dissidentium opinionum quæstionibus in cõtrarias partes discerptum. scribit enim Nicephorus omnes hasce sectas in ijs locis fuisse, Iacobitarum, Georgianorum, Theopaschitarum, Armeniorum, Monophysitarum, qui cunctos sanctos Patres reijciebant, Seuerita Agnoëtarum, Staurablatarum, Monothelitarum, Manichæorum, Aphtarthodocitarum, Phantasiastarum, Nestorianorum, Tetraditarum, Tritheitarum, Arianorũ, Nestorianorum. Quid igitur mirum, si Chosroes & Hierosolymis captis, & alijs proximis regionibus, cæsisq; hominum nonaginta millibus, plurimas Orienti clades, & vastitates intulerit? Sed quod extremum deniq; exitium locis illis attulit, hoc fuit. Lapsus est Imperator ipse in hæresim Monothelitarum anno sexcentesimo trigesimo, astu Athanasij Iacobitarum Patriarchæ, Sergij Constantinopolitani, & Cyri Phasidis Episcopi, quos sequebatur Cyrus & ipse Patriarcha Alexandrinus, & Anastasius Patriarcha Antiochenus. Quamobrem per ea tempora ex inferis erupit tetrum illud monstrum Mahometes; qui Sarracenorũ dux factus, spurcissimas in orbem terrarum superstitionis impiæ leges è malorum dæmonum tenebris euocatas induxit, & Syria capta, profligatoq; hæretici Heraclij exercitu supremam veritati pestem, quantum potuit, est machinatus. Anno sexcentesimo trigesimo quinto, Syriam, & Aegyptum Sarraceni occuparunt, & sexcentesimo trigesimo no-

Lib. 18. c. 45.

nono Mesopotamiam. ex eo res Orientis in deterius labi cœperunt.

Deus autem, quò propiùs aut longiùs Imperatorum quisque aberat à veritate religionis, eò minùs magísve illi vel fauebat, vel aduersabatur. Id vt clarissimè elucescat, ostendemus quantum detrimenti fecerit Christiana res imperantibus hæreticis. Initium verò faciamus à Constãtio Ariano, qui Cæsarem, successoremque sibi Iulianum delegit, à quo procurabatur id vnum, vt Christi cultus in terris exterminaretur. Valens similiter Arianus Gotthos ad suas partes traductos cis Istrũ collocatos in viscera imperij Romani induxit: sed ipse primus tãtæ temeritatis pœnas luit: ab ipsis enim fugatus in acie miserrimè postea cõbustus est. Zenon & hæreticus fuit, & nullis non flagitijs coopertus. hoc imperante innumera Hunnorum multitudo Thraciam, Agareni Mesopotamiam sunt populati, Orestes patricius genere Gotthus, & Arianarum partium, Momyllum filium suum in Occidente Imperatorem creauit anno quadrigentesimo septuagesimo quinto; sed sequenti Odoacer Herulorum Rex è Norico mouens Italiã cepit, ac subegit, finemq; imperio Occidentali imposuit; quod accidit imperantibus hæreticis. Nã & Theodoricus Ostrogotthorum Rex imperante Zenone Italiam sibi subiecit, ac mox etiam Dalmatiam, Rhætiam, Siciliã, Pannonias, hæc verò omnia iustissimo Dei consilio. Hi namque Reges, licet Ariani, magis coluerunt, vt ostendemus, Pontificem Romanum, quàm Imperatores hæretici in Oriente. Quid, quòd Catholicos fouerunt maximè & amplexati sunt. Ità vt Theodoricus, licet Arianus, pugione confoderit quendam, qui, vt ipsi gratificaretur, à Catholicis ad Arianos transierat: dixitque Rex, fieri haud posse, vt homini fidem seruaret, qui Deo suo violasset.

Niceph li. 15. ca. 28. & 29 libr. 16 c. 1.

Ruina Imperij Occidentalis & Orientalis ab hæreticis adducta.

Anastasius Zenonis successor, Euthychianus, & Acephalus fuit. eoque imperante Hunni à Christi cultu alienissimi è Caspiis portis erumpẽtes Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Pontumque latè ferro flammisque vastarunt. Bulgari similiter à Christo abhorrentes, Illyrium, Thraciamque crudeliter sunt prædati: neque inuenio Bulgaros anteà nominatos in bellis, & incursationibus huiusmodi. De Heraclio à nobis est dictum. Constante, qui fuit ex eius liberis, rerum summam tenente, vt ostendimus, hæretico Monothelita, Sarræceni Africam totam subegêre,

Anastasio hæretico imperante Hunni Bulgarique Erumpunt.

imposito tributo ac præsidio; Aradum insulam inhabitabilem reddidêre, Cyprum vastarunt; In Isauria centum quinquaginta hominum millia trucidarunt, multa abduxerunt in seruitutem. Iustinianus iniuit imperium anno sexcentesimo octuagesimo sexto: à principio Catholicus fuit; dein fide prodita molitus est multa aduersus puram doctrinam, & maximè sextam synodum Constantinopolitanam, & Sergium Papam. quo tempore Abimelech Sarracenorum Rex nihil iuris reliquit nostris in Africa; sed quam priùs occuparant, eam sub durissimum seruitutis iugum miserunt Sarraceni. Philippicus huic Iustiniano successit, & præter impia alia bellum mouit aduersus imagines sacras. eoque imperante Bulgari latè Thraciam sunt populati; quin ipso, atq; eius successoribus Iconomachis imperantibus occuparunt vtramq; Mysiam, Macedoniã, atq; Illyrium, donec Basilius Macedo, qui Catholicus fuit eos in Mysiam inferiorem ad Istrum repulit, & consistere coëgit; eoq; imperante, à Cyrillo, & Methodio, quos Nicolaus Papa ad hoc misit, ad Christi cultum sunt perducti.

Paul. Diaco. *Zonaras.* XV. Exẽpl. Turcæ erumpunt Iconomacho imperante.

Leo regnare cœpit anno septingentesimo decimo sexto, cognomento Iconomachus & Theomachus: eo tempore Sarraceni per triennium Constantinopolim obsederunt; famesq; trecenta hominum millia in ea ciuitate absumpsit; Muhamas Sarracenorum principes ingenti exercitu Paphlagoniam vastauit; Arabum nonaginta millia diris incursionibus Asiam fœdarunt, vt Paulus Diaconus refert. Copronymo deinde imperante, Turcæ è Caspijs portis irruptione facta Armeniam minorem ceperunt. Michaël Balbus fuit ex hæresi Tinganorum & Iudæorum: eoq; imperante Sarraceni Cretam Siciliamq; occuparunt, ac per annos ferè ducentos tenuerunt.

XVI. Exẽp. *Phazel. poste. Dec. lib. 6.*

Monomachi ætate, quo tempore est ausus Michaël Patriarcha omnium primus Papam sub annum millesimum & quinquagesimum tertium excommunicare, Turcæ Asiam ceperunt: quam deinde, Andronico Paleologo regnante, qui sepulturam Michaëli patri, quod cum nobis sensisset, negauit, sunt inter se partiti, primumque ex Othomana familia Regem ad extremam imperij Constantinopolitani ruinam crearunt, Thraciamque inuaserunt, donec tandem Caloioannis tempore ita pedem fixerunt in Europa, vt multas in Græcia vrbes ceperint. Vltimò denique Constantino imperante, Constantinopoli expugna-

XVII. Exẽ. XVIII. Exẽ. XIX. Exẽpl.

ta, Orientali imperio finis est datus, & Christi cultus in ijs locis ad nihilum ferè adductus.

En hæresum finis, en conatus eorum qui dissident à nobis, qui Romani Pontificis sacra iussa contemnunt, interitus Christianæ religionis. Irrideant nunc Latinos Græci dissentientes, despiciant Episcopum Romanum, ducant nos hæreticorum loco, crimina congerant, confingant, amplificent aduersus nos, & Præsules nostros. Quid est quòd tanta per vos, ac vestros Imperatores, ex quo discessistis à nobis, iactura Christiani cultus est facta? Omittamus Occidentis regiones à varijs ac barbaris gentibus à Christi cultu vel prorsus alienis, vel ab errantibus occupatas eo tempore, quo repletæ sunt hæresibus, ab Hunnis & Auaribus Germanias & Pannonias, à Francis Gallias, ab Anglis Britannias, ab Alanis Sueuis & Visigotthis Hispanias, à Vandalis Africam: quid quæso esse causæ dicemus, quod imperante Zenone Ostrogotthi & Heruli Italiam ceperunt; & Catholici meliori apud eos conditione fuerunt, quàm apud Imperatores Orientis, & quamdiù se ita gesserunt, feliciter illis res processêre; vbi consilium mutarunt, deleti sunt? Quid est in causa, quòd Longobardi Venetiam, Liguriamq;, quam nunc Lombardiam vocamus, in potestatem suam redegerunt, vbi loca illa ab auctoritate Pontificis Romani desciuerunt?

An putatis à Deo temerè prouisum, permissumque, vt imperante Mauritio, quo tempore vestri Patriarchæ sibi Vniuersalis nomen cum Romani Pontificis contemptu arrogare cœperunt, Slauini Illyrium Dalmatiamque subigere, Turcæ aduersus vos militare simul cœperint, Heraclio imperante Mahometes emerserit, Sarracenis data sit Iudæa, & Aegyptus; Constante, & Iustiniano, Africa ijsdem tradita; Philippico, Leone, Copronymo, Michaële Balbo, & Michaële quarto Iconomachis; Dacia, Mysia, Thracia, & Illyrium Bulgaris, Asia, Sicilia, Sardinia, Creta, Cyclades, Cyprus Sarracenis; qua præterea tempestate Turcæ è Caspijs portis copias educentes Armeniam subegerunt? qui postea, cùm Patriarchæ vestri Papam sunt ausi excommunicare, armis Asiam sibi comparantes inter se sunt partiti, mox Andronico regnante, cùm scilicet vos apertissimè à nostra communione recessistis communioribus decretis, primum sibi ex Otthomanorum gente regem crearunt sub annum millesimum trecentesimum, ex eo paula-

tim cuncta vestra vobis per illos erepta. Supererat postremò Constantinopolis, supererant multa Græciæ loca, multa aliarum regionum subiecta Imperatori vestro, supererat imperatoria dignitas.

Quid est autem, quòd vbi in Concilio vniuersali Florẽtino, cui vestri Episcopi, vester Patriarcha, & Imperator interfuit, & assensus est, definita sunt quæcumque inter vos ac nos erant controuersa, defuncto Imperatore illo, & Patriarcha, qui nobiscum sentiebant, cùm vos, & qui successit, Imperator Concilij Florentini scita respueretis, capta est Constantinopolis, omnia vestra in Turcarum manus venerunt? Et nunc nihil vestrum; loco namque seruorum vos habent Turcæ. liberos suscipitis non Christo, sed quod maximè dolemus, spurcissimo Mahometi. Nam qui sunt è filijs vestris generosiores, & liberali specie, eripiuntur vobis à Turcis, Mahometi nomen dare coguntur, ad nefandissimos, proh scelus, proh dolor, præposteræ libidinis vsus includuntur. Hem qui hæresum finis. Quis à fletu se contineat? At si, ô quicumq; è Græcis à nobis discessistis, vestra esset Ecclesia Dei, necesse erat hæc vobis haud euenire, quin longè alium sortiri euentum, vt ex oraculis diuinis suprà à nobis est conclusum; necesse erat, quò maioribus angustijs opprimebamini, eò resurgere illustriores; sic enim contigit semper Ecclesiæ Dei, vt abundè ostendimus alio loco.

Sed hîc non omittamus illud, Græcos aliquos adeò à Catholica Ecclesia alienos, vt quamuis pareant subsintque Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Cephalene insulæ sunt adeò tenaces hæresum Græcanicarum, vt vitam potiùs hominibus illis eripias, quàm conceptam sententiam deponere velint. Cumque superioribus annis Archiepiscopus Cypri Philippus Mocenicus, vir magnæ doctrinæ, & integritatis, vellet hæreses ex insula illa exstirpare, opposuêre se illi Græci, adeò vt necesse habuerit ipse Venetus patricius illinc emigrare. Testatur hoc ipse in epistola, quam præfixit operi suo de Philosophicis rebus. Paulò pòst insula à Turcis est occupata. Mar. Antonius Caucus Archiepiscopus Corcyræ testatur idem in epistola, quam præposuit Gennadij libris. Turcæ in Hungariam numquã penetrare potuerunt, & quamuis Ludouici Regis exercitũ

Cyprus. XX. Exẽpl.

XXI. Exẽpl. Hungaria.

vnà

vnà cum Rege ipſo cecidiſſent ad Mohacz anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, tamen nihil ferè ex illa prouincia venit in eorum manus, niſi ex quo peruaſit in eam virus Lutheranæ prauitatis, cùm defuncto Ioãne Zapolia Solimanus cum potentiſſimo exercitu, euocatus ab Iſabella Ioannis vxore, nobiliores illius regionis vrbes in ſuam poteſtatem redegit anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio. & nunc quotidianis incurſionibus confinia Germaniæ Rex Turcarum vaſtans, extrema quæq; illi & minatur, & molitur.

Ac nequid omittamus quod ſpectet ad hoc argumentum; cùm dictum ſit de Conſtantinopolitano imperio; ſciendum in India fuiſſe olim latiſſimum imperium Chriſtiani cuiuſdam Principis; ſed cùm poſtea Neſtorij labes in ea ſe loca intruſiſſet, factum eſt: vt armis Scytharum penitus oppreſſum conciderit. Huius rei teſtis eſt præter alios Marcus Polus, & Oroſius, magnæ doctrinæ ac pietatis ſcriptor. Sic alijs Indiæ partibus maximè obfuiſſe hæreticam luem ad Chriſtiani cultus tuitionem & augmentum, ex ijs, quæ diximus, colligi poteſt, & litteris patrum Societatis Ieſu. Nolo omittere quod contigit Armeniæ minori, quæ minus à noſtris decretis abfuit, quàm cæteræ Aſiaticę & Orientales regiones. *Hæc*, inquit Aeneas Syluius, *proprium ducem habet Chriſti cultorem, qui ad nos anno ſuperiore legatum miſit aduerſus Turcas ſuppetias petitum. Armenij namque poſt accepta fidei ſacramenta numquã Chriſtũ negauêre, quamuis procul ab Apoſtolica ſede conſtituti in errores aliquos inciderint.* hæc AEneas Syluius, è quibus colligitur, quas ob cauſas deletum fuerit Armeniorũ regnum. Nam Catholicos olim fuiſſe liquet ex hiſtorijs Haytonis; tẽpore verò Pij Secundi, nõ ita conſtat ex ipſius verbis. Paulò verò pòſt accidit, vt Mahometes Turcarum Rex regnum illud adduxerit in poteſtatem, & rei Chriſtianæ magna facta ſit iactura.

Mar. Pol. l. 1. c. 52.

XXII. Exemplũ.

In Geographia.

XXIII. Exemplũ.

Atq; vt videamus apertiſſimè eò tendere deniq; hæreticos, vt Chriſti cultum prorſus exterminent è terris; hic namque finis eſt dæmonis, qui inſedit mentibus ipſorum: ſumamus argumentum è factis Imperatoris Valentis, qui Arianus fuit: & miris modis Catholicos eſt inſectatus; qui gentibus à Chriſto alienis permiſit, vt templa rurſus aperirent, quæ clauſerat Cõſtantinus, & ſacrificia ſimiliter vetita reſtituit. Conſtãtinus Copronymus Impera. huiuſmodi

Hæretici apertè tendunt ad exterminandum oẽm Chriſti cultum.

Theod. li. 5. c. 20.

fuit, vt Zonaras scriptum reliquerit de eo: *Nullo scelere abstinuit, non vniusmodi sed multiplici improbitate præditus, non Christianus, non Paganus, non Iudæus: sed colluuio quædam impietatis instar Africanarum ferarum, quæ ex diuersi generis coitu multiplices, confusa specie & immanitate nasci perhibentur.* hæc Zonaras, qui de Michaele Balbo Amorrhæo eadem peiora tradit. Quòd si quantum ad Græcos inferiora hæc tempora spectes, quid agebant Alexius Manuelque Comneni, cùm Turcas concitabant aduersus Latinorum & Occidentalium copias, quæ pergebant ad Christiani nominis hostes delendos, multasque in eorum perniciem struebant insidias, quod & Isaacius Angelus, & alij sunt moliti, nisi vt Christi causa concideret, inimicorum Christi staret? Nostra ætate cùm Christianorum classis Pio Quinto sedente victoriam nobilissimam de Turcis ad Neupactum retulisset, ageretúrque deliberandis à Mahometanorum seruitute durissima Christianis omnibus, Græci aliquot ære collato duodecim triremium classem Turcarum Regi aduersus nos compararunt, ac struxerunt. Quòd si Protestantes respicias antesignanus eorũ Lutherus quid sibi volebat cùm concionaretur ad populos Germaniæ, & scriptis editis clamabat nullo modo Turcis, qui exercitus aduersus nos & nostra potentissimos in Hungariam Germaniamque ducebant, repugnandum, militem nullum aduersus illos educendum, nihil eorum conatibus occurrendum, atque ita cunctos auocabat ab expeditionibus, quæ fiebant aduersus illos, nisi vt Turcæ vincerent, omnia nostra haberent, vrbes, regiones, pecunias, domos, agros, liberos, libertatem, vitam, cultum denique Christi ad nihilum redigerent? An non superioribus annis legatos ad Amurathem, qui nunc regnat, miserunt, hortantes vt Christianas prouincias inuaderet, se illi in tempore adfuturos, auxiliumque laturos, cuncta nostra se ipsi pro viribus prodituros? An non hoc est cultum Christi excindere, delere? An non hæc ipsorum mens apertissima? Igitur qui fieri potest, vt Ecclesia ipsorum sit Ecclesia Christi, qui scientes & prudentes Christum de medio tollunt? Atque ita reuera contingere per eos qui se à nobis vmquam seiunxerunt, abunde fuit à nobis supra conclusum, & in omnibus singillatim demonstratum. Scribit Sebastianus Munsterus, in Grunlandia insula polo Boreali proxima populos olim Christianos fere ad impietatis antiquæ

Rober. Mon. Choniat. in vita Manuel. et Alexij, Guliel. Tyr.

Lib. 4.

antiquæ superstitionem relapsos: quamuis ille, vt hæreticus est, in nostros pastores auertere culpam velit, sed id ante aliquot annos haud erat. post hereses Lutheri & aliorum per ea loca disseminatas accidisse constat. Itaq; cum Christo non colligunt, quos dispergere videmus. Sol iustitiæ quodomodo illis lucebit, per quos fieri scimus vt obscuretur in ijs locis, vbi sunt ipsi? Quomodo eorum ciuitas, Dei ciuitas posita supra montem, cunctis conspicua, per quos videmus exterminari cultum Christi in ijs regionibus, in quibus ipsi sedes habent? Sed ad reliqua pergamus. In hæreticos enim quadrat, quod diximus, vt summa ope contendant:

Nil metui, nil curari, nil denique credi.

SIGNVM DECIMVM SEPTIMVM.

Reparatio Fidei per Catholicos facta.

Per Ecclesiam nostram semper est Christi cultus raparatus in ijs locis, in quibus fuerat imminutus, ex quo Christi hostes illa occuparant alienantibus se indigenis à nostra doctrina, quod est veræ Christi Ecclesiæ illustrißimum Signum.

Cap. XII.

Christus, inquit Isaias, *linum fumigans non exstinguet, neque calamum quassatum conteret.* Lini vero fumigantis sunt instar, quibus lux veritatis non inhæret quidē, sed ita tamen affecti sunt, vt facillimè flammas concipere possint; huiusmodi namque est fumigans lignum. Calami quassati similitudinem ferunt, quibus nullum robur ad onera sustinenda. Inter hæreticos autem sunt aliqui furijs ambitionis incitati, qui nulli deferentes sibi primas arrogant, & principem locum tenere omnino volunt in sententijs ferendis; & quasi oracula fundant, nemini non abrogant fidem, quam solis ipsis haberi volunt: atq; hi numquam redeunt ad mentem. Nonnulli vero præstigijs huiusmodi hominum capti, præ quadam simplicitate in-

Isa. cap. 42.

ducuntur in fraudem. Hi ſunt inſtar ligni fumigantis, qui-
bus loco flammę, & fulgoris fumus, qui tenebras effunde-
re ſolet oculis, obijcitur, hæreſum ſcilicet caligo. Nihilo
minus calore quodam, qui propinquas flammas facilè ar-
ripere & concipere poſſit, inflammantur. Chriſtumque,
qui lux eſt, ait Ioannes illuminans omnem hominem, ve-
nientem in hunc mundum, quò venit ignem miſſurus, vo-
lunt illi, Chriſtum quærunt. Hos non exſtinguit Chriſtus.
Exſtingui per hæreticos tandem, tum iſtos, tum alios ad
tremum, luculenter eſt concluſum. Videamus per noſtros
reparari, iterumque inflammari, vt ſciamus inter noſtros
eſſe Chriſtum. Et quidem medici Chriſtiani eſt, non fran-
gere oſſa, vel diſrumpere membra Chriſtianorum, ſed, vt
eſt in libris diuinis, conſolidare, ſanare. Quæcumq; mem-
bra & oſſa Reipublicæ Chriſtianæ, à Chriſtiani nominis
hoſtibus diſrupta & fracta vmquam fuêre, vidimus eorum
vitio fracta, qui receſſerunt à noſtra doctrina, nam ſimu-
latq; in aliqua parte vniuerſitatis Chriſtianæ hæretici ex-
ſtiterunt, protinus in eam, veluti infirmam, mancam, de-
ſtitutam, & à reliquo corpore diuulſam, Chriſti hoſtes
inuaſerunt, & quaſi ſuam ſibi vendicarunt, in ſuam pote-
ſtatem redegerunt. Quòd ſi noſtri totum hoc, quicquid eſt
fracti, ac diſrupti, ſanarunt, & conſolidarunt, proculdubio
hi Chriſtiani medici, non illi. An paſtores illi à Deo con-
ſtituti, qui cùm Chriſtiano gregi, vel appropinquauerint,
vel ſe admiſcuerint, continuò ab illa parte lupi oues Chri-
ſtianas inuadunt, rapiunt, dilacerant, occidunt? An verò
paſtores illi, qui lupos iſtos aggrediũtur, abigunt, fugant,
interficiunt? Oſtendimus iam qua parte orbis Chriſtiani
fuerunt ij, qui contraria nobis ſenſerunt, protinus ex illa
parte impetum factum à Chriſtiani nominis hoſtibus, ab-
actas oues, dilaniatas, mactatas: oſtendamus à noſtris re-
ceptas ex ore luporum, vindicatas in vitam & libertatem.
Videamus id ſic eſſe. Diximus Daciam, Myſiam, Panno-
niaſque à Gotthis occupatas, Ariana fuiſſe peſte infectas,
idemq; Germaniæ contigiſſe, & ex illo in his regionibus
rerum diuinarum veritatem penitus exſtinctam ſucceden-
tibus Hunnis, Gepidis, Auaribus. Per quos reparata in iis
oris religio? Rhegino tradit per eos, quos Apoſtolica ſe-
des cō miſit. In Daciſque, Iazigibus, & Metanaſtibus ad
veritatem reducendis maxima laus debetur Carolo Ma-
gno. Rurſuſque poſt irruptiones Hungarorum gentes ca-

Rheg libr. 2.

Bonfin. lib. 9. Deca. 1

loca incolentes Christo adiunctæ non aliorum sanè opera, quam eorum, qui etiã ex Ecclesia nostra, vt à nobis est ostensum; cum nongentesimo sexagesimo nonoq; anno Geyza Hungarorum princeps Christo se dedidit: plenius autem millesimo ac decimo, cùm Stephanus vxorem duxit Henrici primi Imperatoris sororem.

Cro. lib. 3. Hel c. 3 li. 4 Reg. lib. 2.

Cyrillus porrò & Methodius multo antè missi in Bohemiam à Nicolao Primo populos ferè innumeros per loca lātissima dispersos ad Christũ traduxêre. In his Bohemos, Bulgaros, Seruios, Triballos, Morauos, Pomeranos, Croatas, Illyricos, Dalmatas, Slauos. Germania ad fidem multo antè reuocata per Bonifacium, quem Gregorius Secundus Papa Episcopum Moguntiæ creauit, & in eas regiones destinauit, & de consensu Episcopi Romani multi varijs in locis Episcopi delecti, qui strenuam nauarunt operam Christianæ religioni propagandæ, ac post eos ipsorum successores. Sorabos & Vandalos ad Elystram Mysnię fluuium inhabitantes ad veritatem legimus reductos à VVilberto Merspurgense; Iazigas item, cum rursus inter eos Christi cultus esset obscuratus, opera Boleslai Pudici Polonorum Regis Christo conciliatos. Francos studio Rhemigij Episcopi Rhemensis per Gallias dispersos ad agnitionem veritatis venisse cõstat, Northmannosq; industria Heruei; quorum vtrumq; è nostris fuisse, satis est manifestum. Et quis ignorat in Britanniam missos à Gregorio Primo Augustinum & Melitum, qui Christianam in ijs locis religionem iampridem obliuione sepultam suscitarent; Longobardos liquet ad veritatem perductos studio Theodelindæ, ad quam multæ exstant Gregorij Magni epistolę, cuius etiam monitis Episcopi Galliæ Cisalpinæ diligentem in id operam nauarunt. Visigotthos Hispaniam tenentes consilio Leandri Episcopi Hispalensis abiectam veritatem recepisse est notissimum circiter annum quingentesimum octuagesimum sextum. Iterum verò à Sarracenorum iugo & superstitione Hispanias liberatas laboribus Regum Catholicorum, nemo est qui ignoret. Africã Vandalis eripuit Iustinianus primis ijs annis, quibus Pontificum Romanorum studiosissimus fuit, vt apparet è Procopio. Sic etiam Sardiniam & Corsicam à Pisanis & Genuensibus hortatu Pontificum Romanorum, de potestate Sarracenorum ereptas, Siciliam verò per Northmannos iam Christianos, historiæ testantur.

Chro. Mersp lib. 2. c. 6.

Sigon. de reg. Ital. an. 590.

Sigo. l. 8. ann. 1004. 1012. 1015. Fazel.

Osten-

Ostendamus autem (quod maximè illustrabit huius argumenti quod prę manibus habemus, veritatem) regiones Orientis in manus hostium Christi venisse, imperantibus ijs, qui à nobis alieni fuerunt; receptas verò, imperantibus qui nobiscum senserunt. Igitur Iconomachis regnātibus, à Sarracenis occupatæ Creta, Cyprus, Cyclades, & Asia, à Bulgaris Mysia, Dacia, Thracia, & Illyrium. sed Basilius Macedo, quo regnante habitum Concilium octauum aduersus Photium, sub annum octingentesimum sexagesimū septimum, Bulgaros trans Istrum repulit, Rhussos ad Christi cultum traduxit, cuncta Sarracenis vsq; ad Euphratem eripuit. Nostris adfuit ad eosdem finibus Italiæ depellendos, multas eorum classes profligauit, vt Zonaras testatur. Post hæc sequentibus Imperatoribus non malè res omninò processerunt. nam nec dum loco hæreticorum nos Græci habebant, neq; prorsus alieni à nobis erant, quamuis Photij sectatores aliqui malè essent animati. Donec Monomacho imperante totus Oriens rursus à Sarracenis seu Turcis est subactus vsq; ad ipsam Constantinopolim, vt idem Zonaras testatur. Hic est Monomachus, quo regnante Michael Patriarcha nos excommunicauit, & magis ex eo Græci à nobis diffidere cœperunt. Scythæ similiter Pazinacæ, irruptione facta, Macedoniam Thraciamq; ceperunt, sicut post aliquot annos iterum Scythæ Vzi regnante Constantino Duca. Nihilominus cùm rerum potiretur Alexius Comnenus, nostri expeditione illa, quæ Concilio Claramontano per Vrbanum Papam fuit indicta, Orientem de manibus Turcarum receperunt, & Græcis restituerunt, vt Gregoras scriptum reliquit. Rursus deinde cùm Græci communiori consilio à nobis magis quàm priùs discessionem fecissent imperante Andronico Paleologo, qui Michaeli patri, quia nobis apertissimè adhæsisset, iusta vetuit persolui, sepulturamque concedi, Turcæ Asiam totam sunt inter se partiti, primumq; ex Otthmanica familia Regem sibi crearunt circiter annū millesimum trecentesimum: quin ijdem Turcæ in Europam transeuntes, Thraciam sunt populati, paulatimq; Gręciam redegerunt in suam potestatem. Nondum tamen vniuersali Concilio, quod erat inter nos ac Græcos controuersum, fuerat diffinitum, donec anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Concilium Florentię congregatum cuncta sanciuit. sed cùm Græci defuncto maxi-

Oriens quibus hereticis imperātibus amissus, & quibus Catholicis receptus.

Greg libr, 4.

me Imperatore Ioanne, qui synodo illi cum multis Episcopis Græcis assensum dedit, communia scita negligerēt, contigit vt anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta fuerit Constantinopolis, & imperium Græcorum prorsus interierit. Viden' vt quò magis à nobis abhorrebant Græci, eò magis inter eos Christi cultus detrimentum faciebat, hostibus Christianæ religionis eorum terras occupantibus? rursus vt se nobis adiungebant, sic hostes procul abigebantur, & reparatio imminutæ religionis fiebat?

Omittamus nunc Orientale imperium, seu Græcos, ita tamen vt non prætereamus quæ gesserint nostri in Syria recuperanda, cùm, quod aliàs est dictum, Pontifex Vrbanus in Concilio Claramontano decreuit bellum illud nobilissimum, quo Cilicia, Syria, & Asia tota Sarracenis est erepta. quamuis postea nostri ex ijs oris fuerint eiecti, longo tamen tempore religio Christiana in illis locis nutans, per nostros est sustentata. Nostra verò ętate Gregorius Decimus tertius misit in Orientem legatos, in quibus Baptista Romanus è Societate Iesu: per eos conuocatum concilium Episcoporum quadraginta nationis Maronitarum, collegium præterea institutum, in quo pueri Orientaliū, & Maronitarum excepti in Catholica doctrina erudiantur, vt deinde in patrias sedes reuersi suos docere possint, quæ ad cultum Christi pertinent, & in officio fidei continere. Huc spectat quod de Scholis & Seminarijs institutis à nobis est suprà abundè dictum, vbi egimus de confirmatione. Non omittenda quæ Lusitani gesserunt, qui in Arabia Zacotoram insulam, in qua multi Christiani erant, de Sarracenorum manibus abstulerunt, cultumque Christi in ijs locis collabentem erexerunt. In ipsa similiter Arabia superioribus annis Adenū expugnarunt, Crucisq; vexilla iamdiu deiecta in illis oris extulerunt; vt & in multis eiusdem Arabiæ vrbibus Austrum respicientibus, sinumq; Persicum, quæ parent Ormuzij Regi. est verò Ormuzium celebris insula Persici maris, in qua Christianam religionem nostri renouarunt. Idem perfectum in amplissimis Indiarum regionibus, in quib. Apostolus olim Thomas Christi doctrinam disseminarat, quæ per hostes veritatis ferè obscurata erat, & ad paucos redacta. Hac de re suprà est actum, vbi diximus de fidei propagatione, & Indias Orientales Occidentalesque percurrimus. In Brasilia

namq;

namque Occidentalium Indiarum latissima regione sanctus Thomas fuit, & Euangelium prædicauit: sed illud tanto temporis interuallo obliuione sepultum, nostri reuocarunt in lucem.

Catholici semper casum fidei Christianę sustinuerunt.

Iam verò quemadmodum curæ fuit Ecclesiæ nostræ, collapsam Christianæ religionis disciplinam erigere, sic nutantem sustinere, semper est conata. Verbi gratia: Cùm Rhecaredus Hispaniarum Rex abiurasset hæresim Arianã, veritatemq; complexus esset, & eius exemplum cęteri essent secuti, Victericus, vt Isidorus testatur, impias Arianorum opiniones rursus producere in apertum contendit, sed adnitentibus contrà Catholicis parum profecit. Quin à Concilio Toletano quarto ademptum regnum Suintillani, filijsque eius, ob scelera ab ipsis perpetrata, circiter annum sexcentesimum trigesimum secundum. sic etiam fuêre, qui Chilperico Parisiorum Regi, quòd hæresim Sabellij sequeretur, è Catholicis resisterent, vt Gregorius Turonensis & Paulus Diaconus scriptum reliquêre. Similiter cùm Ladislaus quartus Hungariæ Rex à fidei Christianæ decretis discederet, Cumanorumq;, siue Hunnorum ritus amplecteretur, & periculum foret ne Christianæ religionis magna ob id iactura fieret, misit eò Pontifex Cardinalem Firmanum, qui Regem cœtu piorum priuaret, & populos in officio contineret. Iniuit ille regnum sub annum millesimum ducentesimum septuagesimum octauum. Dania nomen Christo dare cœpit Imperatore Ludouico, cùm Rex Haraldus Moguntiæ est baptizatus, qui à fide mox deficiens miserabili fine vitam conclusit: nihilominus in priorem statum restituta religio per Ericum, qui Ansgarij monitis Christo se addixit. Gormo deinde Rex apertum se nostræ religionis hostem cùm profiteretur, Thira Alanradi Britanniæ Regis filia vxore ducta, ipsius suasu Christi nomen agnouit. Sueno postea in nostram religionem maximè sæuijt, qui regno eiectus ad mentem redijt, & nobis se adiunxit, vt Saxo Grammaticus, & post eum Crantzius testatur. Rugiani similiter Carolo Magno imperante Christum sunt secuti: postea inter eos omnia Christiana obliuioni tradita. Absolon verò Episcopus verum cultum in ijs oris restituit, Saxone teste. Quod de Regibus hisce dictum est, idem contigit Longobardorum Regibus. licet enim Agilulphus Rex Theodolindæ rogatu Catholicam veritatem sit secutus, tamen Arioal-

Turon lib.5. cap.44.
Diac.l.3.c.4

rioaldus, qui regnum cepit anno sexcentisimo vigesimo quarto Arianorum impietatem est amplexus. Idem fecere Rhotaris, & Rodoaldus, ac nonnulli è sequentibus, vt Paulus Diaconus, & qui post omnes diligenter hæc scripsit, Sigonius tradunt. Sed cùm Catholici Episcopi nihil remitterent de constantia retinendæ conseruandæque veritatis, factum est, vt tandem Longobardi Reges cum populis sibi subiectis veritatem penitus ex animo complecterentur. Atque hæc sint satis, vt appareat per nostros Christi cultum semper fuisse restauratum. Numquid simile egerunt quicumque Græci à nobis desciuêre, numquid Protestantes? At quomodo id perficere potuerunt, cùm semper imminutum ab huiusmodi Christi cultum docuerimus? Igitur quomodo à Christo esse possunt?

FINIS LIBRI QVINTI.

DE

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER VI.

SIGNVM DECIMVM OCTAVVM,

Spes summa Catholicorum.

Necesse est in Ecclesia Catholica sit summa spes, qua contendamus ad assequendam supremam beatitudinem, ceteraq; ad illam pertinentia. Hanc esse in Ecclesia nostra, secus inter alienos à nobis, clarissimè demonstratur.

CAP. I.

FIDEM spes sequitur, quæ & sine caritate esse, veluti fides, ipsa etiam potest. Ex illa fit, vt speremus diuinitus nobis dandam æternam salutem, cunctaq; subministranda, quibus maximè ad illam pertingamus. Ac veluti fides, quod vidimus, Catholicorum, ad altissimum culmen peruenit, ita vt hæreticorum, & aliorum virtutes appareant adumbratæ, futiles, atq; inanes; ita spes eorumdem Catholicorum incredibilia, & prorsus admiranda cunctis mortalibus in lucem profert: è quibus quanta diuinitas Ecclesiam Catholicam peruadat ac permeet, manifestum fiet. Ob id maximè laudatur Abraham, & credentium pater est appellatus, excelsissimum dignitatis locum nactus, quòd in spem, contra spem, vt Paulus ait, credidit. Nam cum promisisset illi Deus fore vt ex Isaac nasceretur ille, in quo cunctis Gentibus benediceretur, & per quem ad æternam beatitudinem mortales eueherentur, ita id sperauit futurum, vt Deus promisit; neque ab hac spe decidit, quòd contra illam Deus ei iussisset vt immolaret filium: quin sperauit hac ipsa immolatione se id quoquo modo

Rom.4.

assecuturum. Idcircò vbi quod iussus fuerat, est aggressus, tum maximè Deus illi quod promiserat, firmauit, sanxit, dixitq; : *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi*, & quæ sequuntur. Hinc idem Paulus spem vocat galeam salutis. Ex hac enim fit potissimùm vt Christiani inuicti aduersus hostiles impetus & insultus euadãt, & nobilissimas omnium ex illis victorias reportent, atq; ita cęteri omnes appareant quàm sint infirmi, imbelles, roboris nullius, qui se Catholicorum virtutibus audent cõparare. Hinc similiter existit vt in primis à Deo quilibet probetur. sic enim Paulus; *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ac sicut spes probat qui sint maximè Dei, inuictosque illos efficit, & ad altissima perducit, sit contrà ex illius abiectione colligitur qui non sint ex Ecclesia Dei. Hoc Paulus idem clarissimè dicit, reprobos vocans *filios diffidentiæ*, in quos ait operari, vt vult, dæmona. & alibi monet vt virtutes sectemur, neque nos sinamus seduci inanibus verbis: *Propter hoc enim*, inquit, *venit ira Dei in filios diffidentiæ*, apertissimè digito intento signans hæreticos Protestantes, quî fieri haud posse dicunt vt aliquis sit castus, atque ea, quæ præcipiuntur, obseruet. Nos autem videamus, quò hac spe nixi perueniant Catholici ad id, vt culmen altissimarum virtutum pertingant.

1. Thess. 5.

Rom. 5.

Ephes. 2.

Ephes. 5.

Ac primus sit gradus omnium Catholicorum, qui credunt ac sperant auxilio diuino futurum, vt ad tantam vitę puritatem perueniant, quantam præcipit nobis Euangelium, & ab Euangelio potestatem nacta declarandarum legum & promulgandarum Ecclesia. Indi admirantur, ac suspiciunt Catholicæ doctrinæ candorem, dignitatemque cælestem, desperant tamen irretiti innumeris libidinum laqueis dari posse vt euolent ad apicem tantum. Protestãtes hæretici insectantur qui hæc dicunt, & cùm videant multos Catholicos vitijs fœdatos ex altitudine huiusmodi, ad quam tendebant, corruisse, humique allisos, membris quodammodo fractis ægrè se sustinere, pedem figere, decernunt omninò fieri haud posse, vt eò quisquam pertingat.

I. Argumentum summæ spei.

Atqui secundus hic erit gradus. Demus enim non paucos, sed innumeros esse Catholicorum, qui conentur ascendere ad tãtum sublimitatis interminatæ verticem, de-

II.

mus eosdem millies in die cadere toto vitæ spatio, haud tamen animo deiici, resurgere aliquando, implorare diuininum auxilium, vt vt queant inniti: enimuerò hic maximus erit ardor inuictæ spei, militem tot vulneribus cōfectum, vndique confossum, tamen haud omninò manus dare, ex omni parte ab hostibus circumseptum, vinculis constrictum, longissimè à suis, quicumque è Catholicis ad cælestem virtutis metam peruenêre, abductum, tamen adhuc fidere futurum vt ope diuina elabatur, sanitatique restitutus, viribus diuina benignitate resumptis, ad tantam celsitatem valeat ascendere, hostibus illudere, de iis ad extremum triumphare. id verò quis non admiretur? Quis non amet belli dux huiusmodi militem, paratum maximè pœnas luere, si quid in leges belli deliquit, vt cæteri exemplo ipsius ab inglorijs actibus deterreantur? Hæc procul dubio spes maxima, & inuicta, vt optimè omni sapientiæ genere florentissimus sanctus Thomas aduertit, & nemo non fateri potest. Quapropter apertissimè Paulus spem vocauit anchoram: *Qui confugimus*, inquiens, *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, ac incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinē Melchisedech, Pontifex factꝰ in æternum.* hoc Paulus ostendens spem nobis esse instar anchoræ, qua naues consistere solent, ne à ventis procellisque huc illuc agitatæ submergantur, aut in vada syrtesve & scopulos allisæ frangantur, & omnium iactura fiat, nihil supersit à tempestate. Ideircò nihil æquè dæmon conatur, atque illud, quomodo peccatores in præceps agat, in desperationis scopulos torqueat. Hoc namque est peccatum in Spiritū sanctum, quod neq; in hoc sæculo remittitur, neq; in futuro, quod à Iuda perpetratū magis offendit Deum, quàm proditio. Hinc Christus id maximè intertis agebat, vt spe alliceret lapsos in crimina, allectos excitaret, attolleret, confirmaret, eueheret ad summum virtutis. Hinc Paulus de se ipso, *Fidelis*, ait, *sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorū primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Audiuꝰ Paulum dicentem se ideò è summo Christi hoste euectum ad summum Apostolicæ dignitatis gradum, vt omnes scirent numquam desperandum. Et sanè nihil æquè conatur

Heb. 9.

1. Tim.

conatur impius dæmon, atq; excutere ex animo spē, cùm in aliquod scelus homo prolabitur.

Quocirca vt hæreticis Protestantibus illuderet, impiæ cuiusdam spei obiecit imaginem, qua sibimetipsis illi imponerent, existimantibus satis esse, Christo fidere ad salutem consequendam, neque exigi, quamuis aliqui id laudabile affirment, vt præterea crimen omne detestati statuamus in posterum præ cunctis abstinere à peccatis. Aiunt enim filij diffidentiæ haud fieri posse vt abstineamus: & equidem de leuibus verum, de grauibus non ita. illud tamen interim decernimus, id esse officium spei, non modò vt speret indulgentiam, sed etiam vim, qua grauia crimina vitet, atq; ante omnia detestetur, & Dei mandata obseruet: quod cùm peccator ex animo secum statuerit, protinus assequitur iustitiam. atque hoc est, quod Paulus ait: *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Non enim ex operibus iustitia, sed ex animi cōstanti voluntate, flagitia præterita auersantis, futura præ omnibus ob Deum declinare, & cælestibus iussis parere cupientis.

Hæretici Protestātes filij diffidētiæ.

Hinc iustitia, quæ mox operibus confirmatur, & augetur. Ad summam speramus à Deo per Christum veniam admissorum scelerum, vimque ad cauenda futura. Protestantes autem spei neruos elidunt, dæmonis astu circumuenti, asseuerantque satis esse veniam sperare, & Christo fidere, nihil amplius. Nec vident fieri haud posse, vt Deum præ cunctis amet, illique adhæreat, quod est ad æternam felicitatem necessarium, qui non vult illi in primis obtemperare. Nemo namque felix esse potest, nisi adglutinetur Deo; id fit voluntatis ardenti ad illius omne imperium suscipiendum desiderio: aliter animus alteri non adiungitur, nisi hac intima propensione, & amore. Ex his omnibus fit, à Catholicis maximam, & ex omni parte absolutam in Deo spem collocari ad ęterna bona comparanda, quod fit animi nostri summa coniunctione cum Deo.

III.

Iam verò cum duo superiores gradus spei sint omnibus communes, est alius qui respicit propriè subdiaconorum, diaconorum, & presbiterorum statum. Hi namque obligantur ad castitatem tuendam; quocirca sperant hi specialem futurum vt à Deo per Christum ad tantæ virtutis aliquēlocū perueniant; quod si nō omnes assequātur, sat est

si aliqui; sat est, si qui excidunt à proposito, redeant ad illud, hac spe nitantur, anchoram ne præcidant, galeam in prælio ne projiciant: quod si egerint, neq; se desperationi dederint, vt Protestantes in omni castitatis gradu, & Græci quoad subdiaconos, non facient turpissimos illos progressus libidinis, quos ab hæreticis factos hac in re ostendimus signo de turpissimis progressibus hæreticorum, vbi clarissimè docuimus in ꝓfundissimam miseros istos, quod negare haud possunt, obscœnitatum voraginē prolapsos ac demersos; quibus apparebit quantus sit huiusmodi spei fructus. Atq; hæc quidem communia cunctis Catholicis, & quæ Græci non ita fœdi, ac timore perculsi, vt Protestātes, sibi audebunt vindicare; quamuis non tanta illis puritas imitanda & assequenda ꝓponatur, vt Catholicis, quod è connubijs sacerdotum liquet.

IIII. Veniamus ad multo maiora. Mille millium & amplius in Ecclesia Catholica sunt hominum religiosorum, qui vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ perpetua Deo nuncuparunt. Quales igitur hi quæso? quibus est constitutum potiùs innumera tormenta pati, quàm vel leuissima cogitationis impuræ labe mentem adspergere, quidquam proprium, & quod non fuerit in commune collatū possidere, à præscriptis obedientiæ limitibus vnguem latum recedere?

V. Iam verò si mentis oculos intendas, ac circumspicias quorumdam religiosorum cœtus, quantæ sint sanctitatis; necesse est in maximam rapiaris admirationem. Nam qui quæso Charthusiani, & Camaldulenses, qui à terrenis omnibus extorres in solos secessus intimè se abstruxerunt, silentij leges arctissimas sibi iniunxerunt, vt in diuinis toti essent, effugerent humanos obtutus, cælo sese insererent, superis interessent, nullius humani sermonis strepitu interturbarentur, eloquijs solummodo diuinis intenti? Sequuntur hos innumerabiles copiæ illorū, qui sectati sunt instituta Antonij, Basilij, Hieronymi, Augustini, Benedicti, Columbani, Galli, Bernardi, Francisci, Dominici, Alberti Carmelitæ, Francisci Paulani, Ignatij Loiolæ: ꝑ istos traducti ad humanitatem ab efferatissimis moribus, ad veræ pietatis cultum, à superstitionum, impietatumq; infandarum consuetudine abominanda, Angli, Hyberni, Scoti, Phrysij, Germani, Saxones, Bohemi, Slaui, Hungari, Pomerani, Poloni, Prussi, Liuones, Lithuani, Rhussi, Bulgari,

Gotthi, Sueci, Noruegienses, Dani, ceteriq; populi Septentrionales, qui nunc à patrib. suis magna ex parte discedentes, facti sunt diffidentię, vt inquit Paulus, filij. Per eosdem religiosos, quis enumeret, quot Africæ & Asiæ, Indiarũq; Occidentalium, & Orientalium populi ab eadem feritate & impietate excolantur ad humanas & sanctissimas leges? His militibus, his signiferis Ecclesia Catholica gloriatur ac triumphat: sub eorum vexillis Christo totius exercitus summo imperatore sublatis, nos induimus maximæ spei galeam, istorũ nos vestigijs a Christo multo antè impressis insistentes, speramus certissimò futurum vt cælitibus adscribamur. Numquid igitur horum spes inanis, quorum victorijs factum vt totus penè orbis terrarum cælesti Christianæ religionis lumine perfunderetur, à quorum Catholicis decretis nonulli Græci recedentes summo nostro dolore propè sunt ad nihilum redacti? Protestantes autē sunt in reprobum sensum dati, diffidentię filij facti, vt eamdem cum Gręcis ruinam faciant. At religiosi isti viri arctissimis cælestis innocentiæ & sanctimoniæ se legibus obstrinxerunt, & sperant, quò volunt, peruenire, & propositum deniq; assequuntur. Audistin' quanta moliti sint, quanta effecerint, lege signa de fidei propagatione, de perpetua sanctorum successione, de illustrissimis sanctis, de summa religione, & vera quæ dixi cognosces. Redde te his Germane, Angle, & quicumq; sequeris Protestantes, redde te matri tuæ, ducib.' tuis, Imperatori tuo, induere spei galeam, ne te in fugam des, ne te abijcias, sume arma, in hostes contende, irrue, pugna, ne desiste, vinces, certò spera, certò cognosces. An non religiosi isti homines poterant esse contenti communibus vitæ laxioris institutis? quanam spe semetipsos adeò coarctant, nisi diuinæ opitulationis? Maxima necesse est sit huiusmodi spes, quando sic arctam viam delegēre, per portam contendunt intrare adeò angustam.

Audi maiora adhuc, ne succumbas spiritui diffidentiæ. Audistin' quod signo de summa castitate enumeraui[9], qui inter hujus vitę sordes immaculati persti terint, in medio nationis prauæ, ait scriptura, & peruersæ positi, virginitatem tamen fint tutati vsq; ad extremum vitę? Audistin' quot quasi in medijs ignibus collocati, nihil damni senserint, illæsi perstiterint, alligati connubio, in ipso toro virginitatem conseruarint? En qui animus Catholicorum, quæ summa spes. Quis hoc sperēt? Quis hoc prope credat?

VI.

vt aliquis vxori suæ quodammodo adhæreat, vnâ in domo
versetur, & virginitatem tamen mirificè colat? Anno hæc
summa spes, inter ardentissimas flammas versari, illis vn-
dique circumcingi, neque vri, neque lædi? Tales fuere
Pulcheria Augusta, Henricus Imperator cum sua Chu-
negunde, Eduardus Angliæ Rex, & eius vxor, Ediltrudis
Angliæ Regina, Emericus Hungarorum Regis filius, Cu-
negundis, seu Cinge Poloniæ Regina cum suo Boleslao
Pudico, Petrus Vrseolus Venetiarum Dux, Alfonsus Ca-
stus Castellæ Rex cum suis vxoribus, Eleazarus Ariani Co-
mes cum sua Delphina, Catharina Sueca cum suo marito.
quanta igitur istorum spes in tantæ virtutis, tam miræ, tã
incredibilis assecutione? Et tu diffidas? tibi manus afferas?
necem tibi consciscas? putes te castè haud victurum, cùm
tanta isti homines præstiterint? Ad tantos spei scilicet ef-
fectus hæretici non pertingunt, non hæc audent, non hæc
conantur, desperationi se dederunt, hæc summa in Chri-
sto spes Catholicorum.

Admirabile spei Catholicæ euentum.

VII.

Pergamus autem, proferamus alia maximæ spei docu-
menta. Anno millesimo quingentesimo trigesimo quin-
to, Henricus Octauus Angliæ Rex, inter alios plurimos ex
omni genere, ætate, sexu, & statu Catholicos, nouem ce-
pit Carthusianos, illosq; miserabiliter & atrocissimè ex-
cruciari iussit. In his referam trium priorum horrenda tor-
menta: hi cratibus impositi, & supini alligati, per aspera,
saxosa, ac lutulenta loca sunt miserrimè raptati ad locum
supplicij, ibi crasso fune, qui non statim fauces elideret, ad
collum constricto suspensi: priusquam morerentur, ille
præcisus: compressa inter angustias gutturis maximo cum
dolore anima. Rursus quippe qui iam reuixerant, crudeli-
ter raptati vt priùs, inde vestibus nudati, verenda amputa-
ta, venter excisus, viscera extracta, in flammas proiecta an-
te oculos ipsorũ, cor transfixum. Ab huiusmodi barbaricę
crudelitatis exemplis Henricus Octauꝰ exorsus est atrocis-
simam in Catholicos Anglicanos proscriptionem, quæ
paucis annis, quib. Maria Regina regnauit, intermissa qui-
euit, per annos 50. turbo hic omnia peruagatus magis ac
magis desæuijt, diriora in dies singulos supplicia excogita-
ta, innumeri inauditis modis excruciati, neq; adhuc finis.
Quomodo igitur fieri potest vt per annos quinquaginta
tantũ spei, tantum roboris persistiterit in pectoribus Catho-
licorum? Quî manus non dederunt? Qua spe fulti credi-
dêre

Surius in historia sua.

dere se his tormentis posse obsistere, & propositum tenere, cùm viderēt semper acerbiora parari, in dies augeri inexcogitanda tormenta, & tamen adhuc in insula consistūt nostri? Narranti hæc mihi aliquando contigit, vt eorum qui audiebant, & tamen erat animo constanti, quidam peteret à me, ne recenserem; quod his auditis, animus ei deficeret, & periculum foret, ne viribus destitutus corrueret. Et nos haud sperabimus futurum vt Deus opem ferat, quò inter tot solatia legem Dei seruemus? Sed qui quæso vmquam cœtus ab orbe condito exstitit vmquam, cui fuerint homines tanta fiducia armati, vt sperarēt se supplicijs tam atrocibus posse resistere, & quibus non veniret in mentem fidem prodere, & illa euitare? Est itaq; meritò summa diuini auxilij ad æternam salutem consequendam spes animis Catholicorum recondita & affixa; vt ex his, quæ hîc, & signis de fortitudine eorumdem summa, & martyrum perpetua successione, perspici potest. Quòd si latiùs hoc signum velis explicare, referre huc poteris, quæcumq; narrauimus, vbi actum de magnitudine animi. Sed quando spes respicit præcipuè propriam felicitatis æternæ assecutionem, & quæcumq; ad illam proximè perducunt, vt officia maximarum virtutum, quas ardētissima caritas informet, atq; ornet, idcirco ea reposuimus suis locis, q̄ spectēt ad beatitudinem cęlestem nō sibi, sed alijs comparandam, aut etiam ad alia his quidē coniuncta, sed spatio longiori.

VIII.

Rectiùs huc possunt conferri, quę signo de summa caritate continentur, vbi recitauimus exempla sanctissimarum virginum, Christinę, Catharinę Senensis, & Raconisię, quę acerbissima sibi supplicia popoſcerunt, & ijs sese deuouērent, vt alijs benè esset, ira in illos Dei mitigaretur. qualia forent illa supplicia, suo loco recitauimus, nō est necesse hîc repetere. Sed quęcumq; illa fuerint, illud sanè fuit necesse, vt in ijs deposcendis ac tolerandis maxima diuini auxilij, quo confirmarentur, ne succumberent, spe fulcirentur. Nam quale illud, quæso, vt Christina se in ardentissimas fornaces vltrò conijceret, in ijs persisteret, ardoribus vndique immensis circumdata peruaderetur? Maximum proculdubio spei maximæ experimentum, qua certò sibi persuadebat fore, vt patienter illa cruciamenta ferret, neque dolor inexcogitabilis ab illa extorqueret verbum, cogitatúmve, quod Deo displiceret, quin patientissimè ferret, sibique summum beatitudinis locum

compararet, Christianos alios à sceleribus, quæ Dei est immensa clementia, auocaret, pœnas ijs debitas ipsa per Christi suaq; ab illo deriuata in se merita lueret. Ad summam siue respicias cunctis Catholicis propositas, quas obseruent, leges, siue eos qui aberrant ab illis, & tamen ad extremum vsq; vitæ spiritum persistunt in proposito seruandi illas, vel normam viuendi subdiaconis, diaconis, sacerdotibusque præscriptam, vel ijs qui se religionis voto obstringunt, aut qui in matrimonio virginitatem conseruarunt, aut qui tormentorum cruciatus acerbissimos ab impijs illatos haud defugêre; denique illos, qui vltro se tormentis inexcogitabilibus perferendis addixêre, necesse est concludamus, Catholicis esse summam spem, qua freti crediderunt se huiusmodi fortiter exantlaturos, & ad altissimam virtutis beatitudinisque æternæ metam peruenturos; atque idcircò inter nos esse Ecclesiam Dei, cuius sunt maxima quæq;, & diuinissima, & cui potissimùm solet Abraham propterea adscribi, quòd in spem contra spem crediderit; & idcirco ad maxima remunerationis præmia sit vocatus.

SIGNVM DECIMVM NONVM, Spiritus prophetiæ.

In Ecclesia Dei necesse est sit prophetiæ spiritus. Idq; euidens diuinitatis est argumentum: quod esse in nostra apertè probatur, in hæreticorum verò factionibus nequaquam.

Cap. II.

ORacula rerum futurarum, quæ vel à voluntate diuina, vel humana omninò pendent, diuinitatis esse certissima signa colligimus ex eo, quòd apud Isaiã sic ait Deus, mendacia simulacrorum redarguens: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos:* & alibi idẽ: *Ego primus, & ego nouißimus, & absq; me non est Deus: quis similis mei? vocet & annunciet, & ordine exponat mihi, ex quo constitui populũ antiquũ ventura, & quæ futura sunt, annunciet eis.* Ob id Ioannes: *Testimonium*, inquit, *Iesu est spiritus prophetiæ.*

Isa. 41.

Cap. 4.

Apoc. 19.

Apertissima verò est horum causa, quod aliæ rerum pendent à principijs naturalibus, ac necessarijs; aliæ à voluntate vel diuina, vel humana. Ac dæmon scire potest cum suis satellitibus, quæcumque habent originem à natura. huiusmodi sunt sterilitates, fertilitates, morbi ferè plerique omnes, pestes, pluuiæ, siccitas, serenitas, venti, tempestates, & alia id genus; in quibus apparet infera à superis corporibus gubernari. Horum euentus non à dæmonibus dumtaxat, sed ab alijs etiam peritis prospici possunt. Causæ namque, orbium scilicet cælestium motus, sunt in conspectu vniuersorum, sensusque nostros pulsant. At quæ proximè proficiscuntur ab efficientia diuinæ voluntatis, vel humanæ, ea cognosci nisi à Deo nō possunt, cùm foras nullo modo se prodant, nisi ex quo aliquid ediderunt inde necessariò aut probabiliter emanans. Et mentem quidem diuinam quis quæso negabit in semetipsa positam, non ex vllis aptam rebus? Humana verò ad diuinam solūmodo necessariò refertur, à qua commoueri queat. Retrusæ sunt igitur ambæ penitus, abditæq; omninò. Et fieri sanè potest, vt ex humanis consilijs aliquid aliquando, qui perspicax est, expiscari valeat, atque odorari. Accidit enim plerumq; vt vbi aliquid animo agitamus, spei, timoris, lætitiæ, dolorisve indicia existant, quæ collecta, atq; alijs adiuncta signis multum valeant ad faciendas coniecturas; è quibus quid futurum sit interdum prædici possit. Rursus idem dæmon oracula à sanctis viris prolata, atq; ab ipso percepta sibi poterit arrogare, & veluti sua venditare; & euentum belli alicuius, verbi gratia, diuinare, cùm videat ex aliqua parte infirmas vires, insidias positas, copias adfuturas iam paratas, ingruentem tempestatem, & alia huiusmodi infinita: alioquin futura certò præsentiri non possunt, nisi à Deo, diuinisq; viris, quorum mens in Dei contemplatione solet esse defixa. Ob id oracula rerum futurarum sunt argumenta apertissima diuinitatis, & diuinitas igitur erit in Ecclesiá, si diuinatio rerum futurarum meritò illi alumnisq; illius adscribi potest. Hinc Apostolus ait, Ecclesiæ datos diuinitus Prophetas vsque ad supremū iudicij diem. Nam quæ longissimè absunt, & à nostra nascuntur deliberatione, vix est vt dæmon ariolari possit, nisi id didicerit ab aliquo sancto viro prædictum. Nunc quod proposuimus, explicemus; in Ecclesia nostri temporis esse præscientiam futurorum.

Ephe. 4.

Anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, obijt Aloysius Bertrandus Valentinianus ex ordine S. Dominici. Hic dum vixit, plurima est vaticinatus. Inter alia (nam pauca referemus excepta ex eius vita) cuidam nobili prænunciauit fore vt ex eius filijs tres Iesu Societati se adiungerent, vnus vxorem duceret. Hoc erat in volũtate positũ, & nemo poterat id videre, nisi solus Deus. Pastori cuidã quicquid habebat in animo detexit. Vxori cuiusdã, à quo malè habebatur, virum breui fore illi placatissimum, ipsam tamen paulò pòst morituram. Mulieri, quæ confitebatur, neq; animo poterat omissa quædam scelera repetere, ostendit quæ nam cogitasset aduersus Dei legem, quæ nemo poterat scire, cùm numquàm excidissent ex ore ipsius. Deridebat Aloysiũ quidam, & de illo detrahebat, quòd ausus esset ipsi edicere, ne Valentia decederet, & Italiam appelleret, alioquin malo exitu vitam conclusurum: deridebat ille; sed exitus rem comprobauit. Inciderat alicui mala de Aloysio suspicio, nemini tamen euulgarat; accitum monet his Alysius: Falleris, qui de me id cogites: remque, vt erat, aperuit. Alij significauit in multas ærumnas casurum. Inuiserunt eum tres: accitos sic est allocutus: Video arborem, cui tres rami; quorum primus sterilis erit, præcidetur, & in angusto loco reponetur: fructum secundus feret, sed acerbum; ideò amputabitur, & videor mihi eum videre in sepulchro. tertius edet fructus suaues, & conseruabitur. Edixit deinde ijs, ne cui hæc detegerent. Vt dixit, accidit. Primus impos mẽtis effectus in vincula est coiectus. Secundus religionem professus haud multum religionis specimen dedit, & breui vita decessit. Tertius diu, ac sanctè vixit. Iacebat ægrotus Franciscus Borgia, medici vitam desperarant: Aloysius prædixit fore: vt paulò pòst conualesceret, ac videret duos è filijs, qui vxorem ducerent: ideo suam in Deo spem poneret. Atque hæc quidem de Aloysio. Exstat vita Alexandri Capocchi Florentini ex ordine S. Dominici, qui ante quatuor annos obijt, cumq; aliquando Romæ vidi: in eius narratione multa leguntur vaticinia. Noui ego similiter Romæ Antoniam mulierem sanctimonia vitæ præstantem, quæ multis de rebus consulta respondebat mirabiliter ventura præmonstrans. Franciscus Xauerius è Societate Iesu plurima sæpè in publicis concionibus populo præsignificauit, vt apparet ex eius vita.

Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Princeps, vir ingenio, doctrina, prudentia, & nobilitate longè præstans, vitam describit virginis sanctissimæ Catharinæ Raconisiæ, quæ degebat in eius domo, & obijt anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, plurimaq; ipsius oracula narrat. inter alia prædixit, quo tempore esset obiturus Iulius Secundus, aduentum Gallorum in Italiam, Francisci ipsorum regis exitum inglorium, quo deuenit in hostium manus, ædificationem monasterij cuiusdam in oppido patrio, & per quem religiosis vestimentis esset induenda. similiter fore prænunciauit, vt quidam iuuenis, annos circiter triginta natus, Christi hostes vinceret in acie, & eorum partim cæderet, partim verò Christianæ religioni adiungeret. Sic etiam prædixit Turcas Christo cōciliandos Romani Pōtificis opera, vbi profligati fuissent in acerrimo quodam prælio. Margarita Rauennas vixit Iulio Secundo sedente: ab illa prædictam Rauennæ direptionem, multaq; alia tradit Hieronymus Rubeus in historia Rauennate anno millesimo quingentesimo vigesimo. Decessit Florentiæ Lucia, quæ vixit cum sororibus S. Catharinæ Senensis, multaq; sæpius prædixit. Ac ne prolixiores, quàm par est, simus, legat qui volet, quæ sunt in historijs sanctorum Benedicti, Dominici, Francisci, & eorum qui vestigia sunt eorum secuti, Francisci Paulani, qui vita migrauit anno millesimo quingentesimo septimo; Laurentij Iustiniani; ac certissimò dignoscet innumera à nostris diuinitus esse prædicta. Satis nunc erit nobis, quando res est cum Græcis & Aquilonaribus quibusdam, nonnulla ad ipsos spectantia vaticinia ab ijs edita, qui fuerunt ex ijs locis, in medium protulisse, quibus adiungemus, quę Pontifices Romani prædixerint apertè, & euenerint. Brigida fœmina sanctissima, & Suetica fuit ijs temporibus, quibus Episcopi Romani Auenione morabantur: ea cùm religionis causa Hierusalem petijsset, & in Cypro moraretur, sic audijt Christum loquentem, & vt audijt, monumentis mandauit.

Prophetiæ nostrorum pertinentes ad Gręcos.

Græci, qui sciunt quòd omnes Christianos tenere oportet vnam tantum fidem Christianam Catholicam, & vni tantummodò subesse Ecclesiæ scilicet Romanæ, vnumq; solum Vicarium generalem meum in mundo, videlicet Romanum summum Pontificem, supra se spiritualem habere pastorem & tamen nolunt se eidem Ecclesiæ Romanæ, & Vicario meo spiritualiter subijcere, & humiliter subiugare propter

eorum pertinacem superbiam, & propter cupiditatem, vel carnis petulantiam, siue propter aliquid aliud quod ad mundum pertinet: indigni sunt post mortē veniam à me et misericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt fidem Catholicā Romanam, & tamen si scirent & possent, eam deuotè & libenter reciperent, & Romanæ Ecclesiæ humiliter se subiugarent & nihilominus secundum ipsorum conscientiam in statu & fide sua, qua sunt, abstinent à peccando, & piè viuunt, istis talibus post ipsorum mortem in supplicijs misericordia mea debetur, quando ipsi ad iudicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium, & regna, siue dominia numquam stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt; à quibus sustinebunt grauissima damna, & miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate & caritate Ecclesiæ, & fidei Romanæ se subiecerint. Hæc Brigida de Græcis. quibus an euenerint, quæ prædixit, vtinam Græci maximo suo malo non experirentur.

Veniamus ad Aquilonares, & Protestantes. Hildegardis Germana virgo sanctissima, & donis cælestibus prorsusque diuinis ornatissima decessit anno Domini millesimo centesimo octuagesimo, ætatis octuagesimo secundo: quæ prædixerit illa de suis Germanis, latiùs explicat Thaulerus, qui post aliquot annos vixit, his verbis ex Hildegardi desumptis: *In tantam homines fluctuationem atque errorem præcipites ibunt, vt cuinam ceu Catholicæ veritatis assertori credere tutò possint, atque confidere, prorsus sint ignoraturi: & hoc quidem idcirco diuina permittet iustitia, quòd nos ex multo iam tempore ita negligenter, immò & vitiosè viuendo, ipsam fidem moribus & vita impugnauimus, ac dignißimum Dei corpus vnà cum alijs Ecclesiæ sacramentis cum omni denique sanctimonia Christiana tam planè irreuerenter, indignè, impurè, infructuosè tractare ac suscipere ausi fuimus.* & mox: *Quæ nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt: & Dei verba peruertentur, cultusque diuinus penè in obliuionem ibit; & vnus huc alius illuc properabit. nec facilè sciri poterit, quorsum hæc tandem euasura sint.* (hic varias Germaniæ sectas apertissimè notat) *interim tamen fidelißimus Deus nidulum aliquem habebit, vbi suos conseruet, protegat* (vt est nunc Bauaria & Lotharingia solæ ab hæresibus intactæ, & paucissimi in multis Germaniæ locis cœtus, vt Dilingæ, quem propterea nidum Papisticum vocant hæretici:) *discat ergo quisque pati, & abnegare seipsum, auscultans intus vocem patris sui, quid ille in se loquatur, ac foris matris suæ, id est Ecclesiæ sanctæ. Horum quippe vox vna. quare qui has voces non didicerit agno-*

Prophetiæ nostrorum pertinentes ad Protestantes.

gnoscere, in æternum pereat necesse est. Exsurget enim vox fallax, quæ omnes huic paternæ voci ausc ultare nolentes in errorem abducet (talis proculdubio Caluinus, Lutherus, & cæteri post eos, qui prius non erant tempore Hildegardis, & Thauleri, postea surrexerunt.) *Sonat autem nobis paterna vox per vocem sanctæ matris Ecclesiæ in omnibus doctrinis, præceptis, atque consilijs illius. Væ proinde, atque iterum væ omnibus voci huic obtemperare nolentibus, vt se ipsos in veritate paruipendant, & studeant esse humiles: his enim teterrimæ desperationis vox inspirabitur dicentibus pseudodoctoribus falsum esse atque confictum quicquid vmquam priscæ veritatis doctores hic docuêre.* An hoc dicant hæretici nostræ ætatis, videat lector, quæ recitauimus vbi est actum de vna fide, perpetua, & antiqua. hæc Thaulerus ex Hildegardi, vt sciamus è nostris fuisse, qui tam Græcis, quàm Protestantibus euentura multo antè prædicerent.

Nunc ostendamus quæ Hildegardis eadam viuens præsignificauit futura tam Pontificibus Romanis, quàm nonnullis Imperatoribus Germanis, qui aduersus Papas arma sumpsêre. Exstant virginis huius epistolæ ad Hadrianum Papam, cui prædicit qui obuentura essent eius successoribus, simulque Imperatoribus hostibus eorum, nempè Friderico Primo, Otthoni Quarto, Friderico Secundo, & posteris. hæc sunt eius verba ad Hadrianum: *Hoc graue pondus magisterij, quod portas, non est in indignatione Dei. vbi etiam mores vrsorum & pardorum, & interdum venenum aspidum tibi & subsequentibus occurrent. sed gladius Dei occidet illos. ita dum bonus dux inter illos surgat.* An verò gladius Dei occiderit Fridericum Primum, Otthonem Quartum, Fridericum Secundum, Manfredum, Conradum, Conradinumque nepotes eius, late ostendimus, vbi est actum de cladibus immissis in hostes Ecclesiæ. Scimus porrò post hos electum Rodulphum Habspurgensem, bonum scilicet ducem. Concludit Hildegardis epistolam sic: *Ne timeas quòd Deus derelinquat te, quoniam lumen illius videbis.* eadem scribit ad Fridericum Primũ cognomento AEnobarbam, & apertissimè vocat eum cæcum. nam postquam retulit quædam mirabiliter à se visa, diuinitusque præmonstrata, de illius cœcitate, tum tandẽ finem facit prænuncians illi ventura: *Caue ergo, ne summus Rex prosternat te propter cæcitatem oculorum tuorum, qui non rectè vident, quomodo virgam rectè regendi in manu tua habeas. Vide etiã vt talis sis, ne gratia Dei in te deficiat.* Hæc illa virgo præsignifi-

cans futurum vt Fridericus prosterneretur cum suis: quod ita contigisse, alibi aperiemus.

Prophetiæ quædam Pontificũ Romanorum aduersus hostes veritatis.

Cuspinianus.

Modò referamus, quæ Pōtifices ipsi prædixerint euentura tam Græcis, quàm Germanis Imperatoribus, qui bella aduersus ipsos concitauerunt. Fridericus Secundus habuit in animo funditus excindere Pontificis Romani auctoritatem; quocirca sic ad Gregorium Nonum scripsit, vt ex Alberico quidam Germanus scriptor Papis infestissimus reliquit scriptum:

Roma diu titubans longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Hæc Fridericus furore percitus, quod an contigerit, nemo non videt. cui Gregorius ita respondit:

Niteris incassum nauim submergere Petri:
Fluctuat, at numquam mergitur illa mari.

Rursus idem Fridericus circiter annum millesimum ducentesimum quadragesimum:

Fata volunt, stellæq; docent, auiumq; volatus,
Quòd Fridericus ego malleus orbis ero.

Cui sic Pontifex vera prædicens rescripsit:

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Ecquis verò fuerit horum vates verus, sciet qui nouerit Fridericum anno millesimo ducentesimo quinquagesimo strangulatum fuisse à Manfredo filio, pessimus scilicet pater à filio pessimo.

Age verò, quæ ijdem Pontifices Græcis obuentura præsignificarint, explicemus. Cùm Patriarcha Anatolius in Synodo Chalcedonensi procurasset sedem Constantinopolitanā præferri Alexandrinæ, & Antiochenæ; quinimmò ordinationē sibi tūc Antiocheni arrogasset inconsulto Pontifice Romano; Leo Magnus exclamans aduersus huiusmodi superbiam, clarissimè litteris suis prædicit futurum, vt sedes illa ob hanc elationem diuinitus deprimeretur, incurreretq; in apertas ruinas. Idem prænūciauit litteris suis Gregorius Magnus, cùm Patriarcha Ioannes sibi nomen vniuersalis assumpsisset. At Nicolaus Magnus, cùm Photius ausus esset illi cum Græcis obsistere in causa Ignatij, & ob id à communione eos repulisset, in epistola ad Imperatorem Michaëlem prædixit fore, vt Græci fierent captiui in omnes Gentes tamquam Iudæi. Adnotauit hoc etiā Gennadius Patriarcha Cōstantinopolitanus, qui adijcit adhuc

aliud multo magis mirum. Verba ipsius, quibus alloquitur Græcos, apponam.

Sed quid euenit, inquit Gennadius, *nostra memoria nunc sub Nicolao Quinto Pontifice Maximo, cùm legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragates, ad eum missi adhuc supersint, quibus litteras dedit plenas timoris & horroris, vbi apertè cum exsecratione vaticinatur excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum in quibus post alia multa* (cùm conuicia & probra resciset, quæ à Græcis quotidie impudentissimè iactabantur) *mirè & hoc dicit: Oẽs gentes decretum, quod sancitum est, receperũt; Græci neq; receperũt, neq; spes est eos vnquã recepturos, quæ super concordia & coniunctione decreta sunt. Procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prætexuntur, excusationes, & responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, vt non intelligant, quæ in singulis dilationibus respondendo nugantur, optimè cuncta nouimus. Sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum sacerdotem, & dominum, qui sterilem illam ficum vsque ad annum tertium iussit asseruari, agricola iam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam: anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc conscripsit epistolam: & millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Num potestis dicere hæc vera non esse? minimè gentium, cùm id sit manifestum, & res ipsa apertè loquatur. Tres,* inquit, *annos exspectabimus, si vos fortè à schismate & separatione conuerteritis & vos verè decreto adiunxeritis, secundùm Saluatoris de ficu præceptum. Sin minus, excindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximũ quod vt in epistola ipsa scribit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna, & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob diuinam vltionem ita in barbarorum seruitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari & deplorare excidium gentis nostræ.* hucusque Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus aduersus suos gentiles Græcos recitans oraculum apertissimum à Nicolao Quinto prolatum, & euentu comprobatum, ipso temporis spatio, quod prænunciauit. Ostendant nunc Græci, & Protestantes, ex quo à nobis discessêre, quin fuerint inter eos vates futurorum præscij; qui nunc sint, aut non ita pridem fuerint.

Lutherus antesignanus Protestatiũ predixit intra annos

duos

duos futurum, vt Papæ memoria aboleretur è terris. Anni, ex quo id est vaticinatus homo vanissimus, quinquaginta præterierunt. & tantum abest vt Papæ nomen sit deletum, vt potius eius potestas magis sit intra hoc spacium temporis amplificata, quàm mille & quingentis annis, quib. Lutherus non fuit. Ad extremos enim terminos orbis peruenit, intimos Indos peruenit, Antipodas peruasit.

Quicumq; autem è Græcis descisſere à nobis, quàm magna sibi prædictionibus suis augurati fuerint, & vt contra ipsis omnia contigerint, hinc apparet, quòd eorum Patriarchæ sibi nomen Oecumenici, siue Vniuersalis, arrogarunt, quasi quicquid est terræ habitabilis, legibus eorum pareret vniuersum. quod cui contingat, nemo ignorat. Id certè accidit Græcis, vt quando dissidebant à nobis in processione Spiritus sancti, an esset à Filio, & Patre; ipso die secundo Pentecostes, qui Filio est sacer, Constantinopolis caperetur: diuino scilicet Spiritu ipsorum obstinatos animos puniente, & eos omninò derelinquente. Quarto namque Kalend. Iunij anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, feria secunda, Constantinopolis est expugnata. Rursus aliud longè mirabile obseruandum. Greci nos excommunicarunt, & pro hæreticis omninò duxerunt, Michaële sedente, circiter annum millesimũ quinquagesimum tertium, vt ostendimus suprà: & post annos quadringentos Constantinopolis capta, anno scilicet millesimo quadringentesimo quinquinquagesimo tertio. At hic numerus criminum remissioni expiationiq; datur. Vt sciamus ideo Græcos in seruitutem diuinitus Turcis datos, quòd crimen aduersus Ecclesiam Catholicam patratum non expiarint intra definitum, à diuinis scripturis tempus.

Tempus obseruandum in Græcis.

SIGNVM VIGESIMVM,

Sermo scientiæ efficacissimus.

Oportet in Ecclesia Dei sit efficacissimus scientiæ sermo: quod nobis adesse, secus alienis, euidentissimè explicatur.

CAP. III.

TE-

Testatur Paulus in Ecclesia dari à spiritu ad vtilitatẽ populi totius alijs sermonem scientiæ, alijs sapientiæ. & quidem sapientia videtur ad maiora pertinere, scientia ad minora. sic enim Paulus: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. quocirca sermo scientiæ habebitur ad indoctiores & imperfectos, quibus lacte, ait alibi idem, non solido cibo est opus. An verò sermo scientiæ sit à spiritu diuino, an ab industria humana, dignoscitur ex efficacitate & virtute, qua fit vt auditores accendantur ad officia maximarum virtutum, & Christianarum, non ex elegantia, & arte orationis. Hinc idem: *Sermo meus, & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem*. Quocirca res est absoluta; quæstio prorsus diffinita. Constat namque apertissimè Catholicos in omni virtute ad summum peruenisse; hæreticos verò ad summum vitiorum, tum ex omnibus præmissis, ac sequentibus, tum præcipuè è quinque signis; primo de interitu fidei Christianæ; secundo de impuritate hæreticorum; tertio de vitiositate eorumdem; quarto de ignauia; quinto de ignoratione summa. Quòd si breuibus rem totam vis expeditam, perlege signum de summa sanctitate Catholicorum, ac videbis pessimos nostrorum meliores esse optimis hæreticorum & gentium summos summis comparando, vt comparatio sit æqua, ac rectè procedat.

1.Cor. 12.

2.Cor. 4.

Verum seligamus ex omnibus quædam: dicamusque meritò absque maxima sermonis efficacitate haud fieri potuisse, vt fides Ecclesiæ Catholicæ perpetua semper foret, neque vmquam deessent qui illam sequerentur: quod hæreticis & alijs haud contingit, q̃ vidimus signo de fide perpetua. At illud maius, vt propagaretur inter alios: quæ namque imbecilla, vix semetipsa queunt tueri; quæ verò fortia & robusta, non modò se suaque defendunt, sed ad alios etiam vim suam porrigunt, latè amplificant. Signo autem de propagatione demonstrauimus id fidei nostræ contigisse. Additur ad sermonis efficacitatem, si perpetuò exerat maximas suas vires. Imbellium namque esse solet, breui defatigari, concidere, deperire; potentium contrà, semper augeri, extolli semper, & maiora in dies acquirere. Id nostræ fidei contigisse, signo de perpetua propagatione constat. Quòd si quid eo tempore, quo maximè oppugnatur, maximè exsurgat, & amplificetur, id maximè

I. Argum.

II.

III.

IV.

efficacitatis apertissimum argumentum. Aperuimus autē, vbi egim⁹ de nostræ fidei maxima propagatione, iniquissimis temporib. maximè factā, eamq; latissimè se effudisse, ac gentes innumeras complexam, cùm visa est vndiq; oppugnata, & quodammodo oppressa. Quocirca necesse est concludamus Catholicis fuisse & esse efficacissimū scietię sermonē, quo potuerunt tueri semper fidē suam, neq; modò tueri, sed etiam propagare inter alias gentes; & quidem perpetuò, ac tum potissimum cùm visa est nihil habere vi rium, sed languere, & quodammodo corruere. Quæ quatuor tantum sanè abfuerunt ab hæreticis, vt signo de interitu Christianę fidei explicauerimus exterminatum ab efferis gentibus, & à cultu Christi alienis, Christi cultum ex ijs oris, in quibus hæreses superauerunt, contra verò mox à nostris fuisse diuinitus in ijsdem locis reparatum, quod erit loco quinti argumenti.

V.

VI. Ab omnibus virtutib.

Huic succedent plurima deducta à virtutibus, ad quarum supremum fastigium nostros ascendisse ostendimus singillatim inuestigantes & explicantes post fidem, quæcumque pertinent ad spem, caritatem, gratias gratuitas, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & istis subiectas quasi maioribus minores virtutes, à quibus adeò abfuerunt hæretici, vt libro vltimo tomi huius palàm fecerimus eos omnibus vitijs coopertos. Quòd si hæc haud satis esse quisquam putabit, cognoscat idē quanta fuerit nostri scientia sermonis, quando Ecclesiæ nostræ soli contigerit, vt toto fuerit orbe terrarum diffusa, in eius decreta nullus non cogniti, peruijque orbis populus ex aliqua parte sui consenserit, & adhuc consentiat. Hinc aliud sequitur, vt innumeri fuerint semper eius sectatores: itaq; si quamlibet hæreticorum factionem velis ei conferre, cōtinuò videas hæreticorum paucitatem nimiam; nostrorum verò innumeram multitudinem. Quocirca scientiæ sermo maximè nostris fuit non modò ad inflammandos homines ad suprema officia virtutum, sed etiam innumeros sibi toto orbe terrarum conciliandos. Nostri itaque & intenderunt vim cuiuslibet virtutis, & ad innumerabiles eam deriuarunt, atque extenderunt, vt signis de Ecclesia Catholica, & de innumeris Catholicis est explicatū. Hinc insulas longinquas attigēre, ad noui orbis loca peruenēre, vt abundè per nos suis locis est explicatum. Verùm neque illud est omittendum, efficacissimum nostris scientiæ ser-

VII. A summis hæreticorum vitijs.

VIII. Quia Ecclesia est Catholica.

IX. Ab innumeris eius asseclis.

X.

mo-

monem fuisse, quòd potuerint efferatissimas gentes, & quidem innumeras, ad humanitatis cultum traducere, optimis eas moribus instituere, omni disciplinarum elegantia perpolire, vt signo de efferis gentibus ad humanitatem perductis vidimus. Tales enim sunt Angli, Scoti, Phrysij, Germani, Slaui, Bohemi, Hungari, Poloni, Pomerani, Saxones, Prussi, Lithuani, Samogethæ, Liuones, Dani, Noruegienses, Sueci, Gotthi, Canarij, Indi Occidentales, & pleriq; Orientales, incolæ insularum plurimarum, quas Oceanus latè suis locis circumfluit. Omnes hi priùs nullis litteris, nullis disciplinis ciuilioribus ornati; nunc huiusmodi, nisi exemplo hæreticorum Græcorum propter hæreses susceptas relabantur in barbariem, vt nulli vlla in re, qua humana mens nobilitatur, societas humana excolitur, cedant, ac debeant postponi.

XI. Ab inimicis conciliatis.

Sed quale illud, vt Ecclesiæ nostræ hominibus ea sermonis scientia fuerit diuinitus inspirata, vt inimicissimas olim sibi gentes conciliarit, atque ita deuinxerit, vt nihil non pro Ecclesiæ dignitate & amplitudine difficilioris sint operis aggressæ, quod signo de inimicorum conciliatione est latissimè patefactum. Inimici antiquitus erant Catholicæ religionis Romani, & populi omnes imperio Romano subiecti, inimici erant Reges Visigotthi in Hispanijs, Franci, Burgundiones, Angli, Longobardi, Northmanni, Saxones, Germani, Phrysij, Bohemi, Hungari, Slaui, & populi omnes Boreales; mox amicissimi effecti. Faxit Deus, ne desciscentes eamdem subeant calamitatem ad extremum, quam subierunt Britanni olim, Visigotthi in Hispania, Regibus Vitiza & Roderico, Afri, AEgyptij, Syri, Asiatici omnes, Græci, & quicumque hæreses aliquot Græcorum sunt amplexati.

XII.

Sed vt aliquid adhuc speciatim dicamus hîc, è quo fiat illustrissimum scientiæ sermonem fuisse efficacissimum; producamus in medium exempla aliquorum, ac satis sint tres è diuersis prouincijs, & quorum fuêre instituta diuersa, Franciscus Assisias Italus, Franciscus Xauerius Hispanus, Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Anglus, primus Diaconus, secundus Sacerdos, tertius Episcopus. Cuiuslibet istorum quæso legantur acta, & videbimus ab eo innumera hominum millia à fœdissimis vitijs, à luxu &

vita perditissima reuocatos ad vitam sanctissimã, ad Christianæ legis puritatem, innocentiamq; admirandam, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in efficaci, quamuis non eleganti sermone scientiæ cęlestis. Quem quæso Protestantes audebunt vlli ex ijs opponere, è suis per quos ad omnia vitia abreptos homines ipsi fatentur, profundissima scelerum voragine demersos, vt signo de impura & flagitiosa vita hæreticorum, de turpissimis eorum progressibus, & Ecclesiæ summa sanctitate constat. Agè trium solummodò perpendamus exempla. Demiratur Plinius eloquentiam Ciceronis hac potissimum de causa, quòd plebi Romanæ persuaserit, ne curaret sibi diuidi viritim publicos aliquot agros, & Romanæ vrbis adspectu ac perpetua sede ob id priuari. Hoc summum, ad quod Plinius ait, maxima cum admiratione Ciceronis eloquentiam peruenisse. inde, eo mortuo, nullus fructus. Lutherus plurimis persuasit, vt nullas leges magnifacerent, nullas virtutes, ijs neminem ligari, satis esse fidere Christo, tantumdem Caluinus. Hinc homines in omnia flagitiorũ genera prolapsi. quò peruasit eorum doctrina, nulla ibi certa ac stabilis rerum diuinarum doctrina. Hic fructus eloquentia Caluini & Lutheri.

Plin. l. 7. c. 30

Admirabilis collatio S. Francisci.

Opponamus his quęso hominem doctrinę, si humanam velis, minimę, eloquij inculti, Franciscum Assisiatem. Annus agitur propè quadringentesimus, ex quo ille fuit. Obseruantium, vt vocant, Capuccinorũ, & Discalciatorum fratrum, qui illius instituta sequuntur, numerantur ętate nostra centum viginti millia, fœminarum dicunt esse duplum. Atq; hi in summa paupertate, castimonia, & obedientia, quam suis pręfectis exhibent, innocentissime degunt. Neq; vlla fuit ętas ferè, quę non tot millia propè eorumdem dederit. Quid igitur huic simile Ciceronis eloquentia peperit? quid Lutheri, & Caluini spurcities? An non hoc verum? Proferatur vnus post annos mille sexcentos, atq; amplius, ex quo Cicero vixit, cui persuaserit ille, vt diuitias abijceret. vide quanta dissimilitudo. Vnum peto hominem post tot sęcula, qui non dico summę paupertati, castimonię, & obedientię se adstrinxerit, vitę rigidissimę, diuinis laudibus tota vita decantandis ac meditandis: satis habeo, si diuitias adeò spreuerit, discalciatus, vnica veste, eaq; sua contentus, cui nullum quod suum dicat receptaculum. Sed quid ego cum Cicerone pugno, ? aduolēt huc omnes

omnes oratores Græci, Latini, aut quicumq; vmquam fuerit, omnes Philosophi, omnes sapientes Gentium proferant aliquem huiusmodi; vnus mihi per tot annorum millia satis est, cui nihil fuerit, quod suum posset dicere, simplicíq; fuerit ille atq; humili veste contentus. At hic semper habuit hominum trecenta millia omni ætate, ex quo fuit, qui in vitæ cælestis ac diuinissimæ supremo vertice immobiles constiterunt. Quale igitur discrimen inter hominem inculti sermonis, exiguæ scientiæ ex vna parte, & ex alia inter eloquentissimum ex omni æuo, ex vniuerso orbe terrarum?

Tu verò Luthere, & tu Caluine, quem proferetis è vestris, vnum namq; duntaxat exposco, qui simile aliquid egerit, ex quo dicitis vos in lucem Gentium cælitus demissos? Atqui, aiunt, (& vos haud negatis, quin veluti aliquod magnum iactatis) plurimos homines ab huiusmodi instituto abreptos à vobis; omnes verò dissuasos. Quàm verò sit procliue hortari hominē ne sit pauper, ne sit castus, ne sit obediens, quis nō videt? vota legesq; oēs frangat, quis ignorat? Huc sermo scientiæ vestræ peruenit, non vt vnū similē tot millibus discipulorum Francisci, vnum inquam saltem efficiatis, sed vt omnes peruertatis, ad omnia vitia re ipsa impellatis à paupertate, castimonia, obedientia: verbo laudatis virtutes, dicitis amplectendas, re vitijs omnibus aditum patefacitis. Quam bellè vestra conueniunt cum eo, quod dicit Christus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus, & sequere me.* & ei, quod alibi ait: *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* vos videritis. Equidem vix interdum possum credere, tanta portenta à vobis dicta. Rursus efflagito, è vestris vnum producite, qualem Christo similem, & Apostolis, cum millibus pluribus effecit Dei munere Franciscus. Viden' quantum discrimen inter hunc & illos?

Veniamus ad alium. anno sexcentesimo decimo nono missus est in Germaniam Bonifacius Anglus à Gregorio Secūdo Papa: eo tempore supra Rhenum & Danubium nullæ vrbes in Germania, nulla doctrina & ars liberalis, Christianæ veritatis cognitio nulla, aut tenuissima, cuncta squalore, barbarie, & ignorantia in ijs locis plena; vt è Cornelio Tacito, Strabone, atq; antiquis liquet; & vt istos omittamus, idem constat è Francisco Irenico scriptore Germano, ac si vis etiam è Munstero hæretico. Bonifacius in Ger-

Admirabilis comparatio S. Bonifacij Apostoli Germanorum.

mania supra Rhenum & Danubium primus aliquot monasteria & episcopatus instituit. Testatur Munsterus, & res ipsa declarat, celeberrimas quasq; vrbes prope monasteria in ijs locis ædificata. Ex illo tempore nihil non boni Germaniæ contingere cœpit, ac tanti progressus ad omne felicitatis genus sunt facti, vt nihil ferè maius desiderari ab vlla gente possit: nos tantæ felicitatis capita ducenta infra loco suo attingemus, quibus continentur quæcumq; pertinent ad animi, corporis, & externa bona. Legantur quæso, quæ latè ijs explicantur, & videbimus quanta effecerit ille, quantis rebus initium dederit.

Nunc hæretici oẽs huc accurrant, & aliquem suorum nominent, sumantq; tempus omne, quod ab ortu Christi hucusq; numeramus: & videant numquid similia molitus aliquis fuerit suis; num patefecerit aditum tantis bonis in vllam regionem; num tantorum bonorum, quib. hucusq; Germania circumfluit, ac ferè superat quamlibet natione (nulli certè quidẽ cedere audet,) iecerit fundamenta. sed quid ego petam, vt vnum producant, etiamsi repetant omne tempus, quod est ab Ecclesia Christiana aut ortu Christi, qui similia effecerit? Omnes hæretici quotquot vnquã fuêre, à primo (qui dicitur fuisse Simon Magus) coëant in vnũ, veniant in medium. Hui quanta erit multitudo, quanta monstruosorũ colluuies? oẽs hi, nemine excepto, vniuersi, conglobati opponantur vni, vni inquam Bonifacio Anglo, & inspiciatur ac iudicetur an tanta suis doctrinis eloquẽtia Latina, Græca, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Barbara, quauis, nil refert bona potuerit efficere, incipere, quãta vnus Bonifacius Anglus, non in persuasibilib. humanæ sapiẽtiæ verbis, sed in spiritu ac virtute Catholici sermõis, quãuis impoliti, ac rudis. Sed quid ego postulẽ ab vniuersis hereticis tot ac tantorũ bonorũ molitionẽ, quot & quãta vnus Bonifacius egit, cũ clarissime ostendã nihil nõ mali ab illis exortum, signo de interitu Christiani cultus, ac libris vltimis primi & secundi tomi? Nam veluti Adamus fide prodita, ad quam tamen postea redijt, aditum patefecit ad omnia mala in orbem terrarum; sic hæretici à fidei veritate desciscentes, eadem mala propagant, dilatãt, amplificant, extollunt, ac tuentur vsq; ad Antichristum, diemq; iudicij vniuersalis supremum.

Veniamus ad nostræ ætatis virum Franciscum Xaueriũ Hispanum, qui à Pontifice Romano missus in Portugalliã ad

ad Regem, mox ad extremos Indos nauigans, vsque ad extremos Iaponios peruenit, & ex innumeris gentibus cuiusuis sexus, conditionis, ætatis, hominum trecenta millia ab impijs ritibus ad Christiani cultus religionem perduxit. Nunc aduocentur omnes hæretici, qui ab ipsius Ecclesiæ incunabulis vmquam fuerint, & petatur aliquis ab illis, qui tam remotas oras adierit pro Christi cultu propagando, qui dimidium tanti itineris confecerit: quid dico dimidium? vide quo descendam, decimam partem. Colliguntnamq; ab vrbe ad Iaponios milliarium millia viginti. Quanã igitur eloquentiæ vi fretus iste est ausus tot populos, tam dissitos, tã dissimiles, adde efferos, & inhumanos, aggredi, vt ex ijs multos principes, ac Reges, & cuiusuis alterius generis homines plurimos Christo adiunxerit?

Admirabilis comparatio B. Frãcisci Xauerij.

Age maiora consideremus. Hæretici, si gesta illorum legas, e suis regionibus vix illi se commouerunt, vnius aut alterius gentis homines ipsi tabe sua infecerunt. Lutherus Germaniam non est egressus, Caluinus similiter è Gallijs haud abscessit; Geneua namque in Gallijs. vniuersos tamen sumas hæreticos, quotquot fuêre ab exordio Ecclesię nascentis in Occidente, ausim dicere tot linguarum gentes per tot sæcula ab vniuersis hæreticis haud fuisse hæresi pollutas, è quot linguarum gentibus iste Xauerius aliquo Christianæ veritatis ac pietatis lumine multos illustrauit; in Gallijs ille aliquot a vitijs ad virtutem, in Italia, in Hispania reuocauit; mox iisdem progressibus Africæ innumeras oras & insulas circumnauigauit, Indiæ vrbe cis Gangem, inde vltra auream Chersonessum, Taprobanam, & Moluchas ad Iaponem venit. Quamobrem licet hæretici plures proculdubio homines perdiderint; non tot tamen linguarum gentes in Occidente auerterunt ipsi à religionis Christianæ veritate, quot iste non ex omni parte in orbe toto, sed ex aliqua Christo adiunxit. Atque vt mireris, remque penitus perspicias. Octo præcipuas linguas in Occidente numerabis; è quibus Franciscus Xauerius tres, Gallicam, Hispanicam, Italicam calluit, ijsque vsus est in concionibus sacris siue publicis, siue priuatis: reliquæ sunt quinque. At Afri pluribus vtuntur: ponamus vnà vti. Ab hac est diuersa, quæ communis est Indis cis Gangem: ab vtraque dissimilis Indica vltra Gangem, non eadem incolis aureæ Chersonessi, Sinis item sua, Iaponiorum prorsus est differens à cunctis. Igitur primo loco

Xauerius anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, Vlyssiponæ soluens in Mozambiquo insula Africæ hyemauit, ibiq; multos ad Christum perduxit: inde profectus multos annos in ora Comorinensi Indiæ cis Gangem fuit, postea diutius in Malachæ auræ Chersonessi, Sinisq; & insulis Mauri vltra Maluchum, ibiq; in vno oppido Tholo Christianorum omnis ætatis amplius viginti quinque millia ab eo facta scribuntur: deinde ad Iaponios est profectus. Agè verò maxima de Xauerio dicamus. vniuersi hæretici ab Ecclesiæ Christianæ constitutione per tot sæcula, per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxêre ad hæreses suas tot gentes, aut idololatras, aut alioquin à Christi cultu alienas, quod vnus Xauerius ad cultum Christi annis vndecim: tot enim fuit in Indijs vir iste admirandus. Hæretici peruerterunt semper Christianos, at gentes à Christi cultu alienas numquam perduxêre ad illum, vt signo de fidei propagatione ostendimus. Quis itaq; numeret, quot hæreticorum millia fuêre à magi Simonis defectione vsq; ad hunc annum? & his tanta in re præstat vnus Xauerius. Vnus Xauerius plures gentes, plures homines, Christiani cultus prius inimicas, annis vndecim Christo adiunxit, quam innumera inimicorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos mille quingentos. Quis hîc non obstupescat? quod autem protuli de Xauerio, possem de multis alijs asserere.

Admirabilis comparatio S. Vincentij Forerij.

Vincentius Forerius Iudæorum viginti quinq; millia ad Christum perduxit. Perlege historias omnes, peruolue quid vis. ab omnibus hæreticis non inuenies ab ortu Ecclesiæ Christianæ tot millia Iudæorum Christo conciliata, ne dicas nostros admirabiles dumtaxat in gentibus extraneis Christianæ pietati adiungendis. Quanta igitur nostris vis in scientiæ diuinæ sermone? quanta efficacitas, & virtus? æstimari non datur, excogitari nequit, adumbrari neque vllo modo ab omnibus potest.

Admirabilis comparatio fœminarum Catholicarũ.

Sed quid ego semihominibus hæreticis, siue Protestantes ij sint, siue alij quicumque, ac ne ex vlla quidam parte hominibus, maximos istos viros oppono? Mulierculas in medium producam, neq; ad Indos nauigabo, & longinqua consectabor, sed domestica proferam ante oculos eorum, qui historias legere, posita, ex oris nostris exhibebo. Clodoueus Francorum Rex duxit anno quadringentesimo nonagesimo primo, vxorem Clotildim filiam Chilperici

Burgundiorum Ducis Catholicæ fidei studiosissimam. Quamobrem nihil non agebat, vt maritus Christo cum sua gente nomen daret, sermone scientiæ huius diuinæ nihil proficiebat. Volebat enim Deus esse illum in spiritu, & virtute, qualem Paulus exigit, & esse diuinum tradit. Contigit vt Clodoueus bellum commissurus esset aduersus Alemannos, & maximè ab illis timeret: nacta occasionem diuinitus missam prudentissima mulier, suis rursus verbis aggreditur virum, ac ne elaberetur, promittit, si Christo se adiungat, fore vt victoriam reportet. Annuit votis ac verbis coniugis Clodoueus, & collatis signis hostem profligat, & Christianæ pietati se addixit anno quadringentesimo nonagesimo sexto. Atque hæc Gregorius Turonensis.

Audi nunc aliud. Quo tempore Britanni defecêre à fide Catholica amplexati Pelagij sui peruersa decreta, sunt oppressi ab Anglis, & ad extremum ferè ad internecionem deleti. Gregorius Primus vt Anglos Christo adiungeret, misit ad insulam Augustinum. Tum regnabat inter Anglos Edilbertus, vxor illi erat Bertha è regio Francorũ sanguine, quæ nihil æquè cupiebat, & conabatur suis sermonibus, quàm vt vir ipsius Christum sequeretur. Ideoque læxata maximè aduentu Augustini, maximo fuit illi adiumento ad res Christianas promouendas; egitq; apud maritum, vt humanissimè exciperetur, & disseminandæ Christianæ religionis ei copia daretur: quin illi dedit ipsa ædẽ sibi iamdiu ad Christianæ pietatis sacra peragenda reseruatam, ad quam cùm sæpè Rex ventitaret, denique instigante vxore Christo se adiunxit. Atque hæc Beda. Hæc igitur nostræ mulieres suo sermone scientiæ Christianæ, quibus tamen haud omni ex parte sermo scientiæ datur; publicè namque in templis verba facere est illis vetitum. Nunc edant Protestantes, aut quicumque è Græcis hæretici, non mulierem dico, sed aliquem virum è suis, qui gentes à Christi cultu alienas priùs ad eum perduxerit suo sermone, qui Reges vllos, ex quo nos hæreticorum loco duxêre? Quid dico, edant viros? Vniuersi hæretici ab ortu Ecclesiæ haud potuêre vllos Reges ac nationes Christo adiungere, vt signo de fidei propagatione ostendimꝰ: potuerunt à vero Christi cultu gentes ad suum, falsumque traducere; at priùs auersas à Christo, vel ad suam, vel ad quamcumque Christi religionem transferre, nullo modo:

atqui nostræ mulieres id maxima ex parte perfecerunt, & quidem cum nobilissimarum gentium nobilissimis Regibus. Vna igitur mulier nostra pluris est hac parte, quàm cuncti hæretici simul.

SIGNVM VIGESIMVM PRIMVM,

Sermo efficacissimus sapientiæ.

In Ecclesia Dei necessariò debet esse efficacissimus sapientiæ sermo. Hunc esse inter nos, abesse à ceteris, apertissimè demonstratur.

CAP. IIII.

1. Vnanimis consensus Episcoporum.

SApientiæ dono, & gratia, quanto Catholici cunctis præstiterint, e plurimis sanè perspici potest argumentis. Quorum primum sit illud, quòd innumeros gentium diuersarum Episcopos toto orbe diffusos semper habuerit in vnam doctrinam conspirantes ex illo tempore, quo Apostoli in orbem terrarum dispersi è cunctis Gentibus aliquos ad Christum perduxêre, per annos iam mille quingentos. Diuinæ prorsus hoc dicendum fuisse opus sapientiæ, vt principes natura contentiosi conueniant in vnum, maximè verò in eius rei concordiam, de qua sibi quisque arrogare plurimum solet, qualis est sapientia rerum diuinarum in Episcopis. Vt ergo fuerit, qui eos suis sermonibus, aut litteris, & scriptis in vnum coniungeret, hunc procul dubio, aut si plures fuerint, his efficacissimus sapientiæ sermo. Nam si Episcopi illi doctrina præstantes fuere, mirum consensisse, suam sententiam reiecisse ad alios, de sua discessisse. sin indocti, multò magis mirũ, nõ discessisse. Indoctorum namq; solent esse implacabiles discordiæ. Qua in re videas, quantum distent hæretici à Catholicis. Hæreticis hoc peculiare: Vbi quis inter eos paulo doctior esse apparet, is continuò hæresim nouam inducit. Hinc videmus inter Protestantes tot esse sectas, quot homines inepita. Sunt namq; impudentissimi: atq; vbi aliquid litterarum summis labris degustarint, totius Orbis sibi magisterium desumunt. Sapientia porò diuina hoc habet, inquit Iacobus, vt modesta sit, bonis assentiatur, aliorum suasio-

nibus

nibus acquiescat. Si igitur hoc primum sapientiæ diuinæ in Ecclesia efficacissimę argumentum, vnanimis Episcoporum per tot sæcula in toto orbe Catholico consensus.

Secundum sit illud, eorumdem consensus in Concilijs vniuersalibus. Multi namq; haud dissentiunt, vbi cum ijs non disputes, at si velis differere, non ita. Humani namq; ingenij est illud, vt etiam si cedat ei, quicum non contendit, nullo tamen modo velit alicui primas dare, quicum testibus multis in conspectu omnium confligit. Hinc videmus à Protestantibus plurima conuenticula coacta, initas omnes rationes, quibus inter se conuenire possent: cùm venêre ad concertationes, abitum est maiori discordia quàm prius. Thomas Stapletonus recenset sæpius id factitatum ac tentatum à Protestantibus, vt pax inter eorum gladiatores conciliaretur, toties refert additum ad eorum dissidia, vbi in vnum locum conuenêre ad disputationes. quid ita? quia carnis est, quæcumq; est, istorum sapientia, atq; ideò maximè stultitia. Sic enim Paulus: *Prudentia spiritus vita, & pax. Sapientia carnis inimica est Deo* & alibi ad Corinthios scribens ait: *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis?* At in Ecclesia Catholica vbi ventum ad Concilia, tollitur, si qua est, inter Episcopos dissensio de rebus fidei, maiori pace & vberiori omnia concluduntur. Hoc autem nulli cœtui contigit ab orbe condito, vt ex omni orbe congregarentur, si non omnes, aliqui saltem Episcopi, & numquam dissentirent, præsidente illis Pontifice Romano. Idque contingit per annos iam mille quingẽtos. Licet enim primum Concilium vniuersale fuerit Nicænum, tamen ante illud plurima fuêre, quibus Pontifex Romanus est assensus, & auctoritate sua robur dedit. Vt enim signo de Petri cathedra explicauimus, nihil antiquitus agebatur graue ab vllo Episcopo, nisi de consilio & sententia Pontificis Romani, vt è Cyrilli Patriarchæ Alexandrini epistola ad Cælestinum patet, sanctione Iustiniani ad Ioannem Papam, quæ Codici est inserta, & Stephani Africæ Archiepiscopi litteris ad Pontificem Romanum.

Sed aliud adhuc signum nobis ostendit, efficacissimum fuisse Catholicis sapientiæ sermonem, quòd Philosophis acutissimis persuasere altissima mysteria, quib. eorũ scita maximè videbantur aut re pugnare, aut quod verius dici debet, non suffragari. talia sunt, Deum fieri hominem, tres esse personas, vnum verò Deum; personas re distingui

II.

Rom. 8.

l. inter sacr. C. de summa Trinit.

III. à cõuersione Philosophorum.

vnicam tamen essentiam; in Eucharistia esse re vera corpus Christi, in quod panis ac vinum commutetur, tantum remanere species panis ac vini, fore vt omnes resurgamus, & alia huiusmodi plurima, quæ vt indoctis aliquo modo probes, ijs tamen, qui soliti sunt omnia ratione humana metiri, & ab ijs, quæ sensu percipiuntur, dumtaxat haurire scientiam, id verò longè difficillimum. vt autem signo de cognitione omnium disciplinarum docuimus, ab initio nascentis Ecclesiæ perpetua fuit inter Catholicos successio Philosophorum, qui ingenij ac iudicij perspicacitate cunctos ætatis suæ superarent. Istis igitur tam remota à sensibus mentisque humanæ viribus hæc persuadere, sanè opus fuit sapientissimi omnium sermonis. Nam qui quæso Dionysius Areopagita, Aristides, Quadratus, Iustinus, Pantænus, Ammonius, Clemens, Origenes, Dydimus, & reliqui omnes, quos loco dicto retulimus?

IIII. A cessatione sectarũ philosophicarum.

Hinc aliud ex hoc exortum maximè admirandum. quis ignorat, quot antiquitus sectæ essent Philosophorum, qui familias ducebant, & in quorum verba innumeri iurabat. scholas autem proprias singulæ habebant Athenis, alijsve in locis celebrioribus, istis primæ dabantur cognitionis veræ, hos cuncti suspiciebant. Quò nunc abiere omnes istæ sectæ, quis sua illas sapientia dissipauit? sermo efficacissimus sapientum Catholicorum cunctas disiecit, ad nihilu redegit. Vbi nunc tot scripta Pythagoreorum, Stoicorum, Academiæ veteris & nouæ Platonicorum, Epicureorum, aliorumque, quos esset operis plurimi colligere, & enumerare omnes? Pauca quædam supersunt Aristotelis è tot acervis librorum, quibus maximam nostri lucem, & quicquid habent auctoritatis dedere, & quod in illis fuerit erroris à nostris apertissimè demõstratur. En quàm verè De dixit: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Atq; hoc Catholici diuino munere effecerunt; inter illos igitur maximè Deus.

1. Cor. 1.

V.

Sequitur post hæc aliud per nostros latè explicatum: nihil in religione Christiana contineri quod rationi aduersetur, nihil in illa, quod sibi diffidat, esse. Id verò longè admirandũ, ac sapientiæ prorsus diuinæ. Qua in re quanta sit sancti Thomæ Aquinatis laus tum in omnibus operibus, tum maximè libro contra gentes, quis hominum doctorum quæso ignorat? viderunt hoc Græci, qui, teste Paulo, sapientiam quærunt, quic; antiqui nominis gloria

sese

sese efferentes nostra contemnere solebant, & tamen illud opus in suam linguam transtulêre. Hoc autem summę, p culdubio sapientiæ, suis armis confodere sapientiam. qui hæreticorum sibi hoc sumet? An non horum est, quod ait Iacobus, quæ non intelligunt blasphemare? An forsan isti acutiores vel antiquis Catholicorum philosophis, vel Alberto Magno Germano, Alexandro Halensi Anglo, Ioanne Scoto, Gulielmo Parisiensi, vel denique Thoma Aquinate, quos nihil in Philosophia, & Logica, nihil scientiæ naturalium rerum fugit, nihil rerum diuinarum? Quid latuit nostræ ætatis ornamentum Ioannem Picum Mirandulanum, Latinè, Græcè, Hæbraicè scientissimum, cui decreta omnia antiquorum philosophorum nuda & apertissima fuerunt, qui antiquitates omnes Hebræorum, Chaldæorum, AEgyptiorumq; tenuit? Numquid huic aliquis Protestantium se opponet? Sed mittamus ista, quæ non sunt huius loci. Diuinæ opus sapientiæ fuit, sermonisque sapientissimi, & efficacissimi, philosophiam philosophia euertere, ac demoliri, & qua parte nostris aduersari videbatur, inanem prorsus nullamq; reddere.

VI. à martyrio philosophorum.

Atqui hoc tamen, maximum licet, verborum videtur esse; illud autem rei, pectoribus philosophorum sic inserere hanc veritatem, sic infigere, vt non modò indubitatam fidem illi haberent, sed pro illa vitam libentissimè ponerent, ac maximi boni loco id ducerent. Quid exigas prętérea efficacitatis à sapientia Catholicorum? vt imperitis abstrusa mysteria tradas, persuadeas, ad mortem impellas pro assertione illorum tuenda magnum sanè. at philosophos ingenio addictos suo, ac suæ mentis lance cuncta pęsantes eodem redigere, id nihil est aliud, nisi eò peruenisse Catholici sermonis efficacissimam sapientiam, quò nihil vltra datur. Mysteriorum nostrorum veritatem consignauêre proprij sanguinis vitæque profusione acutissimi philosophi Dionysius Areopagita, Aristides, Quadratus, Iustinus, Panthenus. Clementi & Origeni carnifices defuerunt ad inferendam mortem, vitamq; pro veritatis huius testimonio ponendam, non desiderium, votumq; ardentissimum.

VII. à confutatione hæreticorum.

Neque tamen illud reijciendum, quod maximè efficaciam sapientissimi sermonis in Ecclesia Catholica commendat, tot hæreses confutasse singulis ætatibus, ad nihilū redegisse, vt auctorum scriptorumq; memoria euanuerit,

nisi

nisi quantum Catholicorum libris sunt apposita. Nam quot propugnatores, & quàm doctos, si quid est doctrinæ contra veritatem habuit hæresis Ariana, quæ supra annos tercentos miserrimè Ecclesiam Catholicam vexauit? quā nulla non ratione, cōciliabulis, scriptis, mendacijs, armis stabilire conati sunt duo Imperatores Constantius, & Valens, tot Reges Vandalorum, Visigotthorum, Ostrogotthorum, Longobardorum? Vbi nunc quæso libri illorum, qui pro illa acerrimè pugnarunt? Nomina aliquorum idcirco non periêre, quòd Catholici illa suis libris inseruerunt. Quis igitur suæ sapientiæ sermone tot hæreses, tot hęreticos confutauit, dissipauit, ad nihilum redegit, nisi Ecclesia Catholica, vt signo de hæreticorum confutatione aperuimus? Vbi tunc Protestantes erant, cùm Constantius & Valens omnia miscerent, vt hæresis Ariana à cunctis acciperetur? Quis tum Gręcos confirmauit, nisi Pontificij Legati, vt signo de confirmatione vidimus? Verùm vt quę diximus illustriora fiant, & quanta vis sapientiæ in loquendo Catholicis diuinitus fuerit concessa apertissimè cognoscamus, exemplis totam rem dilucidiùs aperiemus. sermo sapientię non modò id efficit, vt credamus quæcumque ad credendum sunt difficillima, sed etiam quæ naturæ vires videntur superare aggrediamur, & perficiamus.

VIII ab exemplo S. Frācisci.

Qua in re nullum proponi potest aptius ad explicandā totam rem exemplum, quàm sancti Francisci. Ausus est hic post annos mille ducentos ab ortu Christi, quin post omne tempus, ex quo mundus est conditus, institutū vitæ admirandum inuehere in humanum genus, quod à principio maximam stultitiam præseferre videbatur. Vt enim duo trésve hac illac dispersi viuant nihil possidentes, fieri quidem potest; sed vt in omni propè oppido ac vico Catholici orbis sit aliqua familia celebris, quæ multa sæcula perduret, nihil habeat in bonis commune, aut proprium, nihil pecuniæ attingat, viuēdi genus durissimum sectetur, nullis rebus parandis operam pręcipuè det, solis diuinis vacet, id credere futurum, ac facile factu, & aggredi, stultitiam redolebat: à principio ad rem cuncti irridebant, paucissimi admittebant. Adit Innocentium Tertiū Franciscus, primis congressib' reijcitur, mox placidè excipitur, quod Pontifici in somnis per visum quædam de illo fuissent ostensa. Nondū tamen res transacta, ꝙ essent qui obsisteret. ad preces Franciscus confugit, sapientiam postulat ab eo

qui dat omnibus, inquit Iacobus, affluenter, & non improperat. Inde conuenit Pontificem, de re tota alloquitur, quod vult assequitur, similitudine proposita Regis opulētissimi, qui vxorem duxerat egregia forma puellã, sed pauperem, è qua plurimos filios susceperat quos tamen Rex ille, quamuis egentis alioquin mulieris progeniem, semper aluit pro officio parentis, & honestissimè pro dignitate educauit, & instruxit, quæcũq; filios Regis decerent: ita aiebat futurum, vt qui susciperentur è familia illa sua Deo filij, licet è paupercula muliere, haud tamē vllo modo destituerentur, sed eis diuinitus abundè cõsuleretur. Peruicit Franciscus, non persuasibilib⁹ humanę sapiētię verbis, sed rudi diuinæ sapientię sermone. Remq; admirãdam, vitęq; huius hominibus deridendam, perduxit eò, vt nullus ordo tot habeat sectatores, quot ordo Francisci. Numquid vniuersum genus humanum, ne dicamus hęreticos solos, efficere vmquam potuit ab orbe condito, vt existeret instituti tam mirabilis aliqua in terris norma duabus tribùsve famillijs eam sequentibus, votisq; tantæ paupertatis ac duritatis sese adstringentibus? Quanam quæso arte id persuasum? simplici sapientiæ cælestis oratione. Vniuersi hęretici in vnum conueniant, producant aliquid simile, quale Christus Ecclesię Catholicæ dedit.

Agè proferamus adhuc alia exempla, atq; omittamus admirabiles viros, Alexandrum Halensem, Albertũ Magnum Germanum, Thomam Aquinatem, quibus si linguarum historiarumque cognitio fuisset, illos ego non in Terris natos, sed cælo delapsos dicerem. Quòd verò hac parte nos abundemus, ætatis est felicitas, ac temporũ, non ingenij prestantia. Quocirca his omissis, in quibus aut nihil, aut ad sermonem sapientię parum desideres: hæc sapientiæ gratia non conuenit mulieribus, vt publicè doceant in templis, id enim vetitũ; sed vt inter priuatos multis, qui in vnum conuenerint, verba faciant, id permissum. Quocirca non est, quòd hæreticis, aut alijs, qui dissident à Catholica religione, obijciamus summos istos viros, Franciscũ, aut alios huiusmodi; sed vt videãt quàm sint hęretici pudēdi, virgunculas quasdam nostras, & mulieres ꝓferamus in medium. Theodosius Iunior Imperator, & vxor eius Eudoxia excelluère in omni doctrinarum genere, Græcè ac Latinè scientes supra modum, vt è Socrate, Sozomeno, & Nicephoro cõstat: & tamen Theodosius ab initio adhæsit

IX. Ab vni⁹ Virginis exēplo.

Nesto

Nestorio hæretico, nisi Pulcheria Augusta soror ipsius, virgo litteraturæ cuiusuis peritissima, suis illum sermonibus à sententia abduxisset. Qua in re tantum laboratum, vt ferè ventum fuerit ad dissidium, Theodosiusque sit conquestus per Cyrillum non stetisse, quòd is de recta fide ad Pulcheriam scripsisset, quo minus inter ipsum & sororem dissensio nasceretur; qua de re purgat se illi Cyrillus, vt ex ipsius apologia constat. Neque verò satis habuit Pulcheria sermone sapientiæ cælestis ab hæresi Nestoriana auocare suum fratrem, sed preterea curauit vt Ephesinum primum Concilium vniuersale conuocaretur, in quo veritas sancita. Quocirca sic ad eam Cyrillus: *Quantùm præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in vestra clementia præpararit, multis sæpè probauimus documentis: & quicquid nostris temporibus contra impugnatores Catholicæ veritatis industria sacerdotalis obtinuit, ad vestram maximè gloriam redundauit, dum sicut Spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subiecistis, cuius munere & protectione regnatis.* hæc Cyrillus. Rursus exorta est hæresis Euthychiana, qua Theodosius irretitus, cùm iam Pulcheria fuisset ab imperij gubernaculis amota, conciliabulum illud Ephesinum, quod prædatorium est dictum, in quo occisus Flauianus episcopus Constantinopolitanus, plurimaque indigna perpetrata, cogi mandauit, assentiente illi vxore Eudoxia; non ita Pulcheria sapientiæ sermone diuinitus instructa: quin Theodosium fratrem reduxit ad mentem, vt scribit Nicephorus, & ab hæresi illa auocauit. Cumque ille paulò pòst obijsset, virago præstantissima Imperium nacta, Martianum coniugem, quicum vixit in castitate, sibi adsciuit, Chalcedonenseq; Concilium celebrari procurauit, in quo veritas Catholica suo loco dignitatique restituta. Ob id sic ad eam Leo Magnus: *Gaudeo fidei clementiæ vestræ, quòd religiosum studium dignanter impenditis, vt pax Ecclesiastica renouetur, quæ quorundam dissentionibus videbatur esse turbata. Debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, vt ablatis omnibus scandalis, quæ contra Catholicam fidem inimicus excitauerat, vna eademque sit per totum mundum confessio veritatis.* hæc Leo Magnus. Exhibeant itaque hæretici, non dico fœminam, per quam duo Concilia ex omnium maximis sint conuocata, & quæ sermone sapientiæ effecerit, vt abducto ab hæresi Imperatore fratre, atque alijs eius sectatoribus, totus orbis in Catholicam fidem conspirarit, in decretis fidei Christianæ grauissimis: exhibeant virum, exhibeant natio-

Admirabilis sapientia Pulcheriæ Augustæ.

nationem, proferant omnes populos, producant vniuersitatem generis totius humani, per quos aliquando fuerit aliquid simile effectum: edant, si valent, quicumque è Græcis hæretici sunt, ex quo à nobis discessere, an ipsis fuerit huiusmodi virgo.

Ac ne putent hanc nobis vnam fuisse, quæ sapientiæ sermone excelluerit in grauissimis Christianæ pietatis mysterijs; nominabimus hic tres è diuersis orbis partibus fœminas Catholicas, quas, velint, nolint, hæretici fatebuntur omninò hæreticis sapientiores, & quantum ad sapientiæ sermonem sicuti etiam reliqua excellentiores, Hildegardim Germanam, Brigidam Sueuam, Catharinam Senensem. Has hæreticas dicent hæretici. Extorqueamus ab ipsis veritatis confessionem. Accedite huc Lutherani: an non vos excommunicatis Caluinistas, quòd negent in Eucharistia verum Christi corpus esse? Atqui legite harũ trium scripta, ac multis in locis inuenietis asseri ab istis in Eucharistia verum Christi corpus esse. Sunt igitur istæ, Lutheranis testibus, sermone sapientiæ præstantiores Caluinistis, per quos nunc maximè omnia miscentur. Ita prædicarunt illæ, ita scripserunt in re omnium grauissima, mysterio altissimo. Caluinistæ asserunt, Deo volente, efficiente, impellente, cogente singulos, omnia peccata perpetrari. Blasphemiam, facinusq; horrendum dixisse, id reliqui omnes hæretici (Lutherus namque ex parte Melanchthon omninò à semetipso hac in re desciuit) clamant. Iis ergo testibus, tres hæ fœminæ in re maxima sapientiùs locutæ, quàm Caluinistæ. Nam si inspicias scripta harum, videbis contrarium prorsus dici. Agè verò, prædicere futura ad æternam salutem pertinentia, an non maximæ sapientiæ. Ita profectò, Sic enim Paulus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Atqui ostendimus suprà, Hildegardim, Brigidamque maximè hac in re præstitisse cunctis hęreticis. Igitur sermone sapientiæ istius hæ præstant hæreticis. Quid? in actionibus nostris, quatenus ad Deum referuntur, atque an hoc illáve modo sint instituendæ, nónne maxima opus sapientia? Haud negari potest. Paulus namque ait: *Ambulate in sapientia.* & alibi, *Redimentes tempus sicut sapientes.* Ad istas autem fœminas consulendas in maximis rebus agendis confugiebant omnium maximi Imperatores, Reges, Pontifices, neque vnus, aut alter, sed plures

X. à fœminarum quarumdam exẽplo

Col 4.
Ephes. 5.

orbis totius. Perlege scripta Brigidæ, epistolas Hildegardis, & Catharinæ, atque ita vt diximus esse perspicies. Nũquam sibi tantum Caluinus, Lutherus, aut quiuis alius hæreticus poterit vendicare, quasi ad ipsum scripserint tot Reges, Imperatores, Pontifices summi.

XI. Sed quid ego præstantissimas virgines ac fœminas comparo cum nebulonibus istis? Affirmanter asseuero stultissimum quemlibet è nostris, vbi nobiscum sentiens de nostris mysterijs loquitur, sapientissimis istis Caluino, Luthero, aut alijs huiusmodi sapientiores. Audi, vt rem teneas, & apertissimè cognoscas ita esse; Paulus monet nos his verbis: *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* hæc Paulus. Igitur non sapit Paulo, qui pedis instar cùm sit, aut manus, officium tamen capitis sibi sumit. Episcopi porrò singuli Ecclesijs singulis sunt caput. Ait enim Paulus illos positos, vt Ecclesiam Dei regant à Spiritu sancto. vniuersi verò Episcopi Ecclesiæ vniuersæ sunt caput. at hæretici nolunt stare sanctionibus, non dico istius; illiúsve Episcopi: non enim præpositus est hic aut ille Ecclesiæ vniuersæ nisi Petri successor; ergo capitis sibi partes arrogant plusquam oportet; ideoque non sapientes, sed insipientes: quod quoniam non agunt è nostris stultissimi; sunt istis sapientiæ stolidissimis professoribus sapientiores, cùm nostra mysteria loquuntur: quia concilia vniuersalia amplexantur, & ab vniuersis Episcopis communiter sancita.

Rom. 12.

SIGNVM VIGESIMVM SECVNDVM.

Genera linguarum, & interpretatio sermonum.

Genera linguarum, & interpretatio sermonum necessariò debent esse in Ecclesia Dei: id nostræ, non alijs contingere, demonstratur.

CAP. V.

Annu-

ANnumerat Paulus gratijs Ecclesiæ diuinitus concessis & genera linguarum, & interpretationem sermonũ, quæ cùm duæ sint gratiæ, nos tamen ambas in vnam cõclusimus ob maximam affinitatem. Vtrasq; verò semper in Ecclesia Catholica fuisse ab ipsius constitutione, cælitus est illi datum. Quod ad extremum sic est hæreticis negatum, vt propriæ propemodum linguæ vsum videantur amisisse, & in extraneam translatos. Et quidem fuit Apostolis olim largitum, vt linguis omnium gentium loquerentur, quod ad illas Christo adiungẽdas essent mittendi, neq; opis humanæ illis aliquid foret, quo vel tot linguas addiscerent, vel earum præcipuas, aut interprete fido vterentur in alloquendis, & ad veritatis agnitionem perducendis exteris. At vbi ex omni natione non paucos Christo conciliarant, non fuit opus amplius omnes linguas vnum scire. Manifestè enim Paulus dixit, ideo gratias huiusmodi datas, vt alijs essent vtilitati, quo scilicet à Christo alienos sine vlla interpretis opera possent alloqui, & Christo illos addicere. Vbi addicti tot fuère, vt ij possent deinde exsequi inter suos hoc mun⁹, quid opus huiusmodi dono vi vni soli detur? In Ecclesia donum remanet, quòd illa omnium gentium lingua iam loquatur, inquit, Augustinus hunc locum tractans. Non oportet ad vnum dumtaxat aut paucos illud redigatur, quando illi ad exteros non sunt mittendi. sic etiam Christus omnes ille quidem linguas callebat, vna vsus tantùm, reliquis non fuit opus vti. quid illas ostentaret, ac iactaret, cùm missus esset, ait ipse, ad oues Israel solummodo? sat est, si Hebræorum lingua loqueretur. Quocirca nunc habet Ecclesia hoc donum linguarum, cùm sola Ecclesia Catholica omnium gentium cogniti orbis aliquot habeat. eosq; non paucos, suæ fidei studiosos: quod hæreticorum nulli factioni contingit; atq; ob id omnibus modis hęreticorum cœtus hoc munere, quod esse in Ecclesia Catholica debet, sunt priuati. In Ecclesia verò Catholica esse omnes gẽtes docuimus signo de Ecclesia Catholica.

I. Argumentum Ecclesiæ catholica sola habet omniũ linguarũ donum, quòd sola omnes gentes cõplectatur.

Tract. 32 in Ioan. in medio tom. 9.

Verum enimuerò vbi oportuit, haud negauit Deus Ecclesiæ suæ huiusmodi donum. Nã cùm nostri ad incognitæ gentis homines perueniunt in Indijs Orientalibus, aut Occidentalibus, mirum quàm citò assequantur vsum linguæ ignotæ, nullo studio, nullo labore. Nam quî potuisset admirandus ille Xauerius vndecim annorũ spatio tot lin-

II Aliquib. nostrorum datus vsus linguæ incognitæ quantum oportuit.

guas percipere, tot linguarum populos alloqui, nullo sæpè interprete, nullo adiumento?

Quamquam concessum fuerit aliquando nostris illud longè mirabilissimum, vt cùm loquerentur vna lingua ad innumeros diuersarum linguarum homines in vnum coactos, quorum multi haud percipiebant aliarum vim, nihilominus nostri verba facientes ab omnibus adstantibus intelligerentur; & quilibet ex audientibus cum sono vocis assequeretur etiam sensa verborum. Id ætate maiorum nostrorum contigisse Vincentio Ferrerio Hispano ex ordine Prædicatorum scribunt in eius vita, nostra autem Aloysio Bertrando similiter ordinis ac nationis eiusdem in Occidentalibus Indijs, nec non Martino Valentino in ijsdem locis, per quos Deus innumeros ad verum pietatis cultum traduxit, & plurima suę diuinitatis beneficia populis illis est impertitus. Atq; hæc quidem cælitus Ecclesiæ Catholicę supra omnes humani ingenij vires sunt data. Idem tamen Deus mirabilissimè hominum Catholicorum mentes exacuit ad linguas percipiendas, & eorum studia maximè promouit. Non enim potest negari, quin sit hoc cæleste donum Ecclesiæ Catholicæ magis, quàm cuiusq; hominum cœtui cõcessum, vt in linguarum sermonumq; peritia Catholici cunctis antecellant singulis bene pensatis. Quod è subiectis apparebit.

III. Vna lingua multarũ vim habens.

In primis enim, si vel vetustissima quæuis Græcorum Latinorumque, aut aliorum quorumlibet à fide Christi alienorum scripta legas Hebraicæ, Chaldaicę, Syriacæ, Aethiopicæ linguæ, nulla in illis paulò fusiùs enunciata verba reperies. Linguarum namque donum reseruauit in primis Ecclesiæ suæ Deus, siue illud aliquibus Catholicis diuini flaminis illapsu protinus inspiratum, siue humano labore sit comparatum. Et in qua quæso natione siue antiquæ, siue nostræ memoriæ reperies harum linguarũ libros Grammaticos, & lexica, quibus illas possis facillimè addiscere, nisi in Ecclesia Catholica, & maximè inter Latinos? Qua in re vt suspicias admirandam Dei prouidentiam & iustitiam, eò iam ventum, vt Catholici pleniùs ac doctiùs in artem redegerint Hebraicæ & Gręcanicę linguæ præcepta, & vocabula omnia, quàm Græci ipsi, & Hebræi. An non hoc verum (Lexicon exstat Photij, & Hesychij, doctissimorum inter Græcos virorum, quibus ipsi Græci primas dant; lege quæso illud, & attentè considera, mox sume in manus

IIII. Antiqui linguas alienas haud tenebãt vt Catholici.

V. Catholici præcepta linguarum doctiùs quam cęteri tradiderunt vel in ipsa lingua enutriti.

manus lexica Phauorini Itali, Turzani, Turnebi Galli, obseruationes Budęi, è quibus confectus est ille ingens Thesaurus linguæ Græcæ Parisijs editus ac videbis; quàm sint Græcorum Græca exilia, ieiuna, & quæ nostra. Rursus sume in manus libros Grammaticos Chrysoloræ, Vrbani, Lascaris, Græcorum, & ne multos adducas, vnius Nicolai Clenardi Galli; & videbis Græcos ipsos à Latinis Catholicis lõgissimo interuallo superari. Res est in promptu, ante oculos posita, dijudicari à quouis facillimè potest. Quod de Gręcis dicimus, idẽ constanter affirmamus de Hebręis. Nam quod illis Lexicon simile vlla ex parte Thesauro Sanctis Pagnini ex ordine Prædicatorum, sine quo nemo satis bene Hebraica iuxta artis præcepta potest callere? Qui illis liber Grammaticus similis Nicolai Clenardi, Quinquarborei, aut si breuitati studes, Roberti Bellarmini? Dauid Kimhi producẽt, quem meritò, etsi multis in reb. non negligendum, Hebraicè longè doctissimus Genebrard⁹ deridet in pulcherrima pręfatione ad Psalterium. Quòd si vis commentarios in Biblia editos, è quibus verè discas quanti sint Catholici in interpretatione Hebraici sermonis; peruolue quæso, ne pigeat, Genebrardi scripta in Psalterium, & Cantica, & in eadem Cantica Luysij Legionẽsis: in Iob, vt omittam ciuem meum Steuchum, Didaci Stunicę; in Isaiam Leonis Castrensis: in omnia Lucę Brug. in duodecim prophetas, & Iosue Benedicti Arię, in eumdem Iosue Andreæ Masij; in Ecclesiasten & Sapientiam Cornelij Iansenij, similiter editionem tam Græcam, quàm Latinam septuaginta duorum interpretũ Romæ editam studio doctissimi & integerrimi Cardinalis Antonij Carafæ: & videbis quid nostri valeant, quantum pertinet ad sacras scripturas, & vniuersam linguæ Hebraicæ Græcæque notitiam ad scripta Theologica spectantem, & numquid vel Hebræi, vel Hæretici è Græcis Catholicos superent in cognitione suarum linguarum, quatenus sacris litteris intelligendis seruire possunt. Et verò necesse est fateantur Hebręi, & Gręci, linguas illorum magis illustratas à Catholicis, & in artem redactas, quàm ab ipsismet Hebræis, ac Græcis. Idem verò de Latina propè asserere audemus, si quis Grãmaticę præcepta nostrorum, & lexica inspiciat, & quæ antiqui illi reliquerunt, Festus, Varro, & cęteri huiusmodi. vt verè mihi Marcus Antonius Flaminius aliquando dixisse videatur, linguæ Latinæ elegantiam nunc magis dignosci, & habe-

ri, quam ab ipsismet olim Latinis factum fuerit. Verum
enimuerò morositas ista in obseruandis linguarum regu-
lis & ineptijs quibusdam nihili facta est ab Apostolis, &
sanctis viris, ita vt in epistolis S. Pauli solæcismos possis
deprehēdere. sicuti etiam a doctis viris paruipenditur me-
rito fastidiosa quædam consectatio elegantium vocularū
oratorijque ornatus, quæ in disciplinis tradendis ab ipso
Cicerone vituperatur, veluti inepta & puerilis. Et voluit
tamen Deus hac in re Catholicos haud superari, vel a sua-
rum linguarum proprijs assertoribus ac magistris. ita vt
quamuis singuli Hebræi, & Hæretici Græcorum sciant
Hebræè, & Græcè, quod non singulis Latinis contingit,
tamen inuentus fuerit aliquis Latinorum, qui plenius
ac doctiùs Hebraica & Græca calluerit, quàm quiuis ex
Hebræis & Hæreticis Græcorum, postquam desciuere à
nobis.

Cic. lib. 3. de fin.

Superioribus annis Protestantes quidam, qui scioli sibi
videbantur, clamabant Biblia nostra malè versa, potissi-
mùm Psalmos. Vbi ventum ad rem, & quanti essent nostri
est patefactum, Conradus Pellicanus hæreticus Zuinglia-
nus admodum doctus Hebraicè sic scriptum reliquit de
vulgata Psalmorū editione in præfatione anni millesimi
quingentesimi trigesimi quarti: *Tanta dexteritate, & erudi-
tione, & fide Hebraica quoad sensum concordare deprehendimus vul-
gatam editionem Psalterij, vt eruditissimum, pariterque pijssimum,
& verè prophetali spiritu præditum fuisse interpretem Græcum &
Latinum non dubitem; quamquam alicubi dissentiant à punctis He-
braicis, quibus Iudæi nunc vtuntur, quæ olim non fuisse similia am-
bigere conor, & quarumdā litterarum mutationem factam suspicio sit
conferentibus singula diligenter.* hucusque verba Pellicani. Ad
summam concludamus hoc argumentum, colligamusq;
Catholicos in cognitione & interpretatione linguarum
præcipuarum, qualis Græca, Hebraica, & Latina, in titulo
Crucis à Christo consecratæ, præstare omnibus, vel ipsis
etiam propriæ linguæ assertoribus, quantum ad earum
præcepta conferentia ad sacras res, aliaque scitu quoquo
modo digna, ex quo illi à nobis discessere.

VI. Argum

Audi adhuc miranda sum dicturus, sed tamen vera. At-
que hoc sit argumentum sextum. Anno Christi quadrin-
gentesimo septuagesimo sexto, vel quadringentesimo se-
ptuagesimo octauo, Hebræi Tiberiadem Palæstinæ, teste
Elia Leuita, conuenerunt, Zenone Isaurico imperante in

Oriente, Momyllo Augustulo in Occidēte, Simplicio Pontifice; puncta litteris Hebraicis addiderunt & alicubi vt se suspicari Pellicanus ait; litteras vocabulorū peruerterūt. Idcirco Iudæi cū solēniter in synagogis suas ostentant scripturas, eas sine punctis ex armario producūt, vt nihil habeant humani admixtum. Puncta verò addidisse apparet, vt linguæ notitiam nouo inuento magis obscurarent, & Christianis eriperent. Tum verò in maximam cæcitatem deuenêre omnium rerum, quæ sacris libris continentur: sub idem namque tempus portentosa illa commenta Thalmudistarum protulerunt, ac posteris, nescio an sibi etiam persuadere conati sint, eaque diuinę scripturæ verbis comprobare sunt ausi. Multa ex illis refert Sixtus iu sua bibliotheca, & Ludouicus Granatensis in illis maximè pijs ad symbolum fidei institutionibus: libet adscribere paucula quædam ex istorum monstruosis fabulis. *Aiunt* igitur *Deum ante mundi creationem exercuisse se in varijs mundis exstruendis, ac destruendis, donec didicit, hunc, qui est, fabricari; tres horas primas diei insumere in lectione legis Iudaicæ; Deum quotidie preces fundere; statutis temporibus deflere, quòd Iudæos adeò afflixerit, vestes quasdam ante preces sibi alligare; Nouilunio idcircò sacrificare Iudæos, vt expient scelus à Deo commissum, quòd lumen Lunæ ademerit, Soli attribuerit: Deum quotidiè lugentem Iudaicas miserias, mittere in Oceanum duas lacrymas, ac pectus manu tundere; tribus diei horis ludere cum leuiathan pisce, quem postea iratus occidit, & ex illo conficit cibum beatis in cælum euehendis dandum: Deum semel quotidiè irasci; tum cristas gallis haud rubere, ipsos vno pede stare, quo momento si quis alium detestetur, tunc ille protinus occidet: Disputantibus quibusdam Rabbinis cum Rabbi Eliezer, Deus sententiam pro Eliezer tulit; Rabbini exsecrati sunt Deum; tum Deus subridens, Filij, inquit, mei me vicerunt. Rabbinus sic Deum diabolumq́; astu elusit: Morti proximus impetrauit à dæmone, cui se addixerat, vt ad portas cæli adduceretur, quò inspiceret solummodo cælitum bona, ac lætus moreretur; adductus ille à dæmone caput intulit intra portas, iurauitq́; se non recessurum; Deus ne illum ad periurium compelleret, coactus est in cælo retinere.* Hæc igitur portenta eodem tempore Iudæi ediderunt, quo Hebraicam linguam in odium Christianorū conati sunt obscurare, quæ quidem testimonijs diuinæ scripturæ subtiliter (ô incredibilem stoliditatem) contendunt probare. Atq; ita Deus eorum mentes inaudita, & penè inexcogitabili cæcitate ac stupore percussit in assequendis

Admirabilis pœna hebręis inflicta.

Sixt. libr. 2. littera T.

sacræ scripturæ sensibus. Hoc igitur Hebreis contigit quantum ad Biblia, quibus antiquitates omnium rerum diuinarum continentur.

Veniamus ad hereticos Grecorum. Hi meritò gloriantur à Grecis Grecè conscriptos libros, quibus omnium bonarum disciplinarum principia continentur, vt Philosophiæ à Platone & Aristotele, Mathematicarũ ab Euclide & Archimede, Medicinæ ab Hippocrate & Galeno. Anno autem millesimo ducẽtesimo octuagesimo tertio, Andronico Paleologo imperante, prorsus à nobis desciuêre, & ad tantam deuenêre ignorationem illarum doctrinarum, vt fateatur Gregoras missos à Papa sub ea tẽpora Constantinopolim Legatos, qui cum Græcis de rebus controuersis colloquerentur, sed Græcorum hæreticos noluisse cum iis congredi, quòd Philosophiæ, Logicæ, ac rerũ diuinarum cognitione nihil valerent; quocirca de consilio Gregoræ, qui tum Constantinopoli degebat, abstinuisse hæreticos Græcorum ab omni disputatione. Constat porrò, ex eo tẽpore nullum excelluisse inter illos notitia eximiæ alicuius doctrinæ, qui nobiscum non senserat, vt Bessarion, & si qui tales. Nunc eò res redacta, vt Græci si quid vel artium liberalium, vel etiam linguæ ipsius Græcæ præstantius volunt addiscere, ad nos commigrent. Atq; ita Græcorum hæreticis negata diuinitus illa ipsa, quorum maximè ipsi fuerunt architecti; & ad Ecclesiam Catholicam delatæ vnà cum linguæ Græcæ eximia cognitione doctrinæ illæ, quæ Græcis sunt litteris commendatæ; vtrumque Græcis ablatum.

Greg. l. 10.

Alloquamur Protestantes, qui cùm nolint editionem nostram Bibliorum, plures ex ipsis multas ediderunt. Atque ita factum, vt nulla illis sit certò probata. Bonus verò homo Lutherus Biblia in Germanicam linguam vertit, in qua versione collegerunt quidam mille & plura loca à Luthero apertissimè deprauata. Quidam verò ex istis nouatoribus sunt eò dementiæ progressi, vt asseruerint Christum nondũ venisse. Hic fuit Dauid Georgi⁹, qui ob id ab Hæreticis Basileæ est combustus. Alius se cælo delapsum, Regem Iustitiæ, qui ab omnibus erroribus orbem liberaret: Sartor hic fuit Batauus, qui exercitu coacto Monasterium VVestphaliæ Vrbem nobilissimam cepit, Episcopo exacto, Regemq; diu se gessit, & oracula incredibilia fundebat. Anabaptistarum secta haud est ignobilis in Silesia

Cochleus in vita Luther. ann. 1522. Sur. an. 1556 & 1534.

Svvench-

Svvechfeldianorum, quæ nulli scripturæ aurem dandam dicit, diuino dumtaxat spiritu animum humanum permeante. Deniq; tam bellè nunc Protestantes interpretati sunt scripturas, vt Claudius Sainctes octuaginta adferat Protestantium contrarias interpretationes ad illa dumtaxat verba, *Hoc est corpus meum*. Atq; hi nimirum maximè linguas callent, & interpretationes sermonum. Posteri filiorum Noë in campo latissimo Sennaar ædificasse turrim Babel dicuntur, ibi confusæ linguæ, & diuisæ in septuaginta duas, vt quidam volunt; id verum ad vnguem, necne sit, haud disputo; verisimilius aiunt alij pauciores fuisse; ponamus tamē tot exstitisse, quid habet illa cōfusio par cū Protestātium confusione, qui non in amplissimo campo, sed in tribus verbis explicandis tantam maximæ rei confusionem creauêre octuaginta inter se pugnantibus linguis ex inferorum caligine excitatis?

Benè habet, videamus qua pietate & sanctitate isti in lucem gentium post annos mille quingentos nati calleant linguas, & interpretationes sermonum. Audi qua pietate. Aiunt è peritia maxima linguarum, sermonumque diuinorum interpretatione colligi in Biblijs effici à Deo prorsus omnia flagitia, adulteria, homicidia, sacrilegia, mendacia, ita Lutherus, Melanchthon, & Caluinus omnium doctissimi inter eos. Resipuit ex parte Melanchthon; Caluinus adiecit non modò effici omnia scelera à Deo, sed ad illa compelli vniuersum genus humanū, dæmonas ipsos. Bonitas igitur summa apud istos (Deus autem summa bonitas) nihil aliud esse asseritur, quàm colluuies omnium facinorum. Noua omninò Grammatica, nouum Lexicon. Hæc est istorum lingua, hæc istis interpretatio sermonum. Vidimus pietatem istorum in Deum, videamus sanctitatem. Vt æternam salutem cōsequaris, & sis sanctus, aiunt omnes Protestantes, nihil est necesse boni aliquid velis, moliaris, aut facias; Christo fidas, impunè quiduis audeas; & ad exitum perducas; quamuis nonnulli ex istis dicant non esse laudabile vitia sectari, mirum ni dicant etiam laudabile; & tamen Lutherus asseruit, vt suprà vidimus, eò magis hominem disponi ad sanctitatis gratiam consequendam, quò fuerit flagitijs magis opertus. Admirabilis lingua, & interpretatio sermonum. Sanctitas maxima est, maxima vitiositas. Hoc sanè Turnebus vir linguæ Latinæ scientissimus, aut Budæus Græcæ, vel Sainctes He-

Supra Sig. II.

braicæ non habet in suis obseruationibus. At vociferantur isti, Iustificatur homo per fidem sine operibus legis. Quis negat? Quis vmquam dixit ex operibus omninò nasci iustitiam? Nascitur hæc diuinitus ex inflammata cælitusq; immissa caritate, è qua deinde peruenitur ad opera; ad quæ si quis non potest peruenire, nihilominus est iustus. Non ideò nos iusti, quia iusta sint per se opera externa; sed quia nos prius iusti, ideò sunt opera iusta; quæ si nõ possumus efficere, vt plurimi in ipso mortis momẽto constituti, quos scelerum preteritorum ritè pœnitet ob Deum; iusti tamen sumus, & ad superos euadimus. Quod si efficiamus, vt opus est, suo loco, & tempore, iustitia operib. est, ex intima cordis iustitia per fidem diuinitus nostris animis infusa, vel adaucta. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ lingua, & interpretatio, qua fit vt homines flagitiosissimi detestentur omne flagitium, cupiant omnem virtutem præ cunctis propter Deum, ac protinus fiunt etiamsi nihil aliud moliti sint, iusti, molituri tamen, vbi oportet, ac tunc, si res exigat; quòd si illo momento exspiret, pro illis operatus est Christus, Christi fides illos ad cælum perducit. Audistin' hæretice? Disce nunc sanctitatem, disce pietatem, disce linguã, & interpretationes sermonum. Quid igitur istis eueniet? idem quod Hebræis, nisi resipiscant; Thalmud aliquod componant in quo somnia enarrent non ægrotorum, sed stultissimorũ, ac scelerum prorsus horrenda, & exsecranda, qualia Caluinus in Christum cœpit eructare, & crepare, vt signo de vna fide ostendimus.

Vidimus ad summam, quæ ad extremum sit Hebræis lingua, & interpretatio sermonum in testamento veteri explicando, ex quo discesserè à nobis; vidimus quæ hæretici Græcorum in assequendis doctrinis, quas lingua eorum scriptas tradiderè illis maiores: vidimus quæ hæreticis & in veteri, & in nouo testamento interpretando. Nunc aliud audi, vt suspicias Dei sapientissimam, prouidentiam, summasq; illi, quòd Catholicus es, gratias habeas, & agas semper; septimumq́; sit hoc argumentũ. Hebraica lingua est omnium vetustissima, quod patet è Genesi, in qua ostenduntur nomina Adæ, Euæ, Cain, Abel, Seth, Noe, Sem, Cham, Iaphet, & mille huiusmodi deducta ab ipsa lingua Hebraica, vt scriptor Geneseos ipsius testatur. Hæc in diuisione linguarum, post diluuium circiter annos 330. remansit in familia Heber, vnde Hebræi dicti, à quo Abraham cæte-

riq; ipsius posteri prognati. Chaldaica lingua latè est propagata, quo tempore Chaldæi imperio, quod à Nimbrotho Ninoq; deductum omnium fuit in orbe primum, latissimo terras cõtinebant, temporib. Danielis, & Esdrę, qui ob id suos libros lingua quadam commixta ex Hebraica & Chaldaica emiserunt; tunc etiam Biblia in Chaldæum sermonem conuersa, quæ nunc exstant, & ad sensa scripturæ explicanda adhibemus fieri. namq; videmus, vt eorum lingua plerumq; amplissimè sese effundat, qui maxima imperia nanciscũtur, propter leges, edicta, iudicia, magistratus, consiliarios, quorum omnium potestas semper est penes illos, qui sunt ex eadem gente cum Rege prouidentes, vt summa rerum sit apud suę nationis homines veluti magis fidos. Chaldaica hæc lingua maximè imminuta Alexandro euertente regna Persarum, cùm iam Persæ summo luxu diffluerent, vt e Quinto Curtio apparet. accidit deletio imperij Persici anno orbis conditi, vt quidam colligũt ter millesimo septingesimo octuagesimoquinto. Hinc maxima linguæ Græcæ dilatatio, Alexandri namq; successores Græci latissima regna fundarunt in Oriente, Asia, atque AEgypto, qui omnes Græcè loquebantur, Græcumq; sermonem latè disseminarunt. Post annos propè tercentos Romani Græcæ linguæ terminos coangustarunt, Latinæ produxerunt, exstinctis Græcorũ regnis. Magistratus enim Romani in prouincias missi, nec Græcis etiam nisi Latinè respondebant, quod Valerius Maximus scribit. Idem fecêre Imperatores. Hinc Tiberius vetuit militem ne Græcè testimonium diceret, vt Suetonius tradit; Claudius verò virum quemdam primarium Græciæ ciuitate Romana priuauit, quòd Latinè ignoraret, eodem teste. Atqui tres linguæ superiores maxima detrimenta passæ, Chaldaica, Hebraica, & Græca, has ob causas; Chaldaica quidẽ, quòd post euersionem templi, vasaq; illius sacrilegè per Chaldæorum Regem Balthasarem in conuiuio, vt est apud Danielem, violata, imperium ipsorum peruenerit ad Persas, cùm stetisset annos mille quingentos, vt diligentissimè colligit Pererius in suis ad Danielem commentarijs. Igitur euerso, ob sacrilegia imperio Chaldæorum, lingua Chaldaica maximè in angustum contracta. At Græcanica imminuta valde, cùm Græci Reges sunt in Asia deuicti à Romanis, Antiochusq; Epiphanes tot scelera in Iudæos Deiq; religionem patrauit, quot in libris Machabæorũ le-

Quatuor præcipuæ linguæ a Catholicis illustratæ.

Vale. li. 2. c. 2.

gun-

gitur. Postremò aūt cùm discessere a nobis Græci, à Turcarum Rege sic sunt oppressi, vt eos vna cum lingua ad nihilum redigere videatur paulatim liberos eorum transferēs in ritus nomenque Turcarum. licet enim Seleucidis in Asia, Ptolomæis in AEgypto domitis per Romanos Græcanicus sermo fecerit magnam iacturam, tamen illius casus sustentatus à scriptoribus Christianis vsque ad illud tempus, quo Constantinus in Græciam transtulit imperium. Nunc eò ventum, vt necesse sit, si Græci velint docti esse in sua lingua, ad nostra se gymnasia conferant, Romam petant, vbi à Gregorio Decimo tertio illis commodissimum collegium ad bonas litteras addiscendas est constitutum. Hebraica maximè attenuata, cùm Christo occiso, Apostolis eiectis, Christianisq; multifariam vexatis, Hierosolyma euersa, Iudæi incredibiles calamitates perpessi multis in locis Imperij Romani ad internecionem deleti, nunc vbique ad paucas reliquias redacti. At Latina, quamuis euerso Imperio Romano in Occidente, est tamen per Catholicos semper amplificata supra Rhenum & Danubium in omnibus Septentrionis locis. Quin Pontifex Romanus cū synodicas litteras mitteret ad Episcopos Orientis, non nisi Latinè scripsit; amplius in Synodis vniuersalibus, quamuis habitis in Græcia, primus locus est Latinæ linguæ datus, non modò quòd Legati Pontificis in ijs præsiderent, sed etiam quòd primæ orationes Latinæ haberentur. ob id in amplissimo Chalcedonensi Concilio Marcianus quāuis Græcus Imperator Græcorum, Latinè primùm, deinde Græcè orauit, vt actione sexta habetur. Et in Concilio Ephesino litteræ Cælestini non nisi Latinè recitatæ sunt.

Nunc autem Chaldaica, Hebraica, & Græca, ad interitum propè vergentes, à Catholicis maximè sustentantur, cùm propter impietates, vt vidimus, sacrilegia, & hæreses, dilaceratæ miserabiliter fuerint, atq; extenuatæ. Latina verò latissimè patet, non in Europa solummodò supra Rhenum & Danubium, sed in Africa, & Asia, Indiarumq; Occidentalium, & Orientalium prouincijs amplissimis, ita vt neq; Imperio Romano florente vicesimam partem tantæ amplitudinis fuerit vmquam nacta. Tuetur itaq; vetustissimas istas linguas, & ob antiquitates rerum diuinarum doctrinarumq; præcepta vtilissimas, Ecclesia Catholica, Hebraicam, Græcam, & Latinam, latissimeq; in omnes orbis partes effundit. Vt ad Latinam pertinere videatur quod

Deus

Deus per Sophoniam prædixit: *Tūc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Intellexistin' antiquissimas linguas, quibus origines rerum sacrarum disciplinarumque humanarum præcepta continentur, ad turrim Babelis propè exstinctas, ob impietates certè quidem & hæreses maximè imminutas, ac discissas miserabiliter, per Catholicos in primis sustentari? Intellexistin' vt suam dignitatem semper Latina conseruarit, semper prouexerit, latissimè sit propagata, postquā Christus in cruce illam consecrauit? Cuinam quæso igitur cœtui conueniēt genera linguarum, & interpretationes sermonum, nisi Ecclesiæ Catholicæ, in qua sunt omnium linguarum populi, in qua vbi opus est, existit qui ignotis linguis loquatur, vna lingua plurium linguarum gentibus satisfaciat, quæ præstantius quàm cæteræ nationes per suos linguarum maximarum præcepta explicarit, artemque tradiderit, vetustissimas, & vtilissimas, ob impietatem & hæresim gentilium domesticorumq; ruentes, tueatur, ipsa verò propriam suam latissimè amplificet, ac dilatet? Irrideant nunc sacramentum Confirmationis Protestantes, & quærant num per illud, sicut Apostolicis temporibus, hodie dentur vllis (omnibus enim neque olim dabantur) genera linguarum, & interpretationes sermonum. Hæc legant, & obstruant ora.

SIGNVM VIGESIMVM TERTIVM.

Summa fides.

Fides maxima exigitur ab Ecclesia Dei, quæ nostris solum, non alienis, diuinitus est concessa.

CAP. VI.

INter cæteras gratias annumerat Paulus fidem, quæ nō est eadem cum fide illa quæ dicitur vna è tribus Theologicis, & qua credimus quæcumque ab Ecclesia proponuntur nobis credenda, hæc enim cunctis adest, qui sunt in Ecclesia: at illam, quam Paulus recēset inter gratias gratis datas, ait eandem datam non omnibus ex Ecclesia, sed ali- *1. Cor. 12.*

qui

quibus tantùm Quamobrem necesse est vt dicamus hanc
fidem, quam dicit Apostolus non omnibus Christianis
concessam, esse non ordinariam, & omnibus Catholicis
communem fidem, sed quæ magna est, & superat vsitatum
fidei cæteris insitæ modum. Fidei namq; sunt gradus, Hinc
ait Christus *O mulier, magna est fides tua*, &: *Modicæ fidei, quare*
dubitasti? &: *Non inueni tantam fidem in Israel*. &: *Adauge nobis fi-*
dem. &: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*. aliaq; huiusmo-
di. Aut oportet dicamus loqui Paulum de fide, qua nō mo
dò credimus fidei decreta, sed etiam credimus diuinitus
aliquid faciendum, quod superet naturæ totius vim, velu-
ti miracula non modò ad sanitatem pertinentia, (ad hanc
enim rem pertinet gratia curationum, & sanitatum, quæ
per Paulum hîc distinguitur à cæteris,) sed & alia miracu-
la ad curationem haud facientia. Vel postremo loco fatea-
mur opus est hanc fidei gratiam respicere persuasionem
magnam, qua certò putamus aliquid nobis diuinitus con-
cedendum, quamuis modus concessi beneficij miraculo
adscribi haud videatur. Ad summam tria complecti po-
test hæc gratia fidei, quam dicit aliquibus Christianis da-
tam Paulus, vel virtutis illius Theologicæ magnitudinem
vel vim faciendi miracula præter curationem, vel impe-
trandi à Deo quod petimus; quamuis miraculum nō præ-
seferat. Ostendamus igitur clarissimè Catholicis adesse
hanc fidem præ cunctis, dissentientibus verò ab Ecclesia
Catholica nullam; ex quo fiet ipsos nō esse ex Ecclesia Dei,
in qua necesse est sit hæc gratia, veluti membrum in cor-
pore integro. Sic enim Paulus inquit ad Corinthios, esse
has gratias in Ecclesia Dei, quemadmodū in corpore sua
membra: nisi stolidè velimus dicere Ecclesiam Dei man-
cam, quamquam cùm sit Ecclesia Dei, necesse est gratias
diuinas in illa esse summas; & cùm profiteamur in Sym-
bolo illam Sanctam, omninò confirmandum, quæ ad san-
ctitatem faciunt, in Ecclesia Dei potissimùm elucescere.
Igitur quatenus gratia fidei potest respicere vim maximā,
qua credimus diuinæ veritatis decreta nobis ab Ecclesia
Dei proposita ad credendum, apparet illam esse inter nos
tum è multis, tum è tribus præcipuè signis, quæ latè suo lo-
co explicamus.

Nam cum sit in Ecclesia nostra perpetua martyrū suc-
cessio, qui constantissimè mortem quouis tempore subie-
runt pro nostræ religionis assertione; fit necessariò, ipsorū
fidem

fidem fuisse maximam. Et quamuis hæretici proferre possint, qui aliquando è suis mortem oppetierint pro impietate ipsorum, tamen horum non fuit perpetua successio, quæ est diuinitatis nota, neque similiter hi in propagando Christi cultu inter gentes à Christi cultu alienas necē sunt perpessi, quæ est certior martyrij nota, sed adiudicati sunt iudicio Catholicorum morti, quod ostendit ipsos nō esse martyres veritatis.

I. A perpetua martyrum successione.

Aliud præterea fidei magnitudinem inter nostros ostendit, incredibilia tormenta, quibus excruciati sunt martyres nostri. Vt enim sint aliqui hæretici, qui supplicio sint vltimo affecti propter ipsorum mendacia, nullo modo tamē illi tot ac tanta cruciamenta sustinuerunt, quemadmodū nostri, quod indicat nostrorum fidem immensam: id verò aperuimus signo de patientia. Accedit ad hæc, nostros aggressos opera difficillima pro Christo, nihili fecisse pericula maxima, maximāq; animi celsitudinem ac talem in multis pro fidei tuitione præsetulisse, qualem nulli hominum generi ab orbe condito contigisse explicamus signo de summa animi magnitudine. Atq; ex his palam fit, fidē nostris esse constantissimam in asserendis nostris decretis. Quòd si fidei gratia contineat miraculorum patrationem, è signo de miraculis in fidei propagatione editis apparet ad nos eam pertinere, quando nullam gentem videas, quæ religionem suam propagarit, illius veritatem stabiliens miraculis diuinitus effectis. Iam si quis contendat fidei gratia contineri impetrationem beneficiorum concedendorum, palàm fiet hanc potissimùm gratiam in Ecclesia Catholica regnare.

II. A maximis martyrum tormentis.

III. A summa animi magnitudine.

IV. A miraculorum operatione.

Quod vt euidentissimum fiat, dicimus à cunctis Catholicis septem peti solere, quæ Dominica oratione includuntur, sex autem à sacerdotibus in Missæ celebratione. Primum illorum, quæ singuli quiq; ex Ecclesia rogant, est illud, vt nomen Dei sanctificetur; hoc est, vt qui ex Ecclesia Dei sunt, sanctitate cunctis præcellere, manifestū fiat; vt Cyprianus in hunc locum, & Ambrosius lib. 5. de sacramētis interpretantur: id verò maximè concedi à Deo Catholicæ Ecclesiæ constat, quia fuit semper, atque est in illa sanctorum perpetua successio, quod suo signo clarissimè est explicatum. Quin quò iniquiora Ecclesiæ tempora acciderunt, eò magis illa sanctissimis est viris à Deo nobilitata; vt signo de illustrissimis Ecclesiæ sanctis est dictum;

V. Ab impetratione petitionum.

VI. A prima petitione dominicæ orationis.

præ-

præterea summam florere, atq; excellere in illa sanctitatem, ita vt conferendo maxima maximis, & infimis infima, si quis comparet maximos Ecclesiæ Catholicæ principes, qui sunt Pontifices Romani, cum maximis hæreticarum gentium, aut alioquin alienarum à Christi cultu, constat pessimos nostrorum meliores esse optimis eorum, quod signo de summa sanctitate constat. Si cui verò placet nomen Dei sanctificari, quòd Christi cultus latè propagetur inter nationes ab illo auersas, vt Augustin⁹ sentit; id nobis accidere liquet è signis de propagatione fidei in plura capita distinctis; contrarium verò hæreticis, signo de interitu fidei per hæreticos inducto, & reparatione per nostros.

VII. *A secunda petitione. Signo de perpetua episcoporum succ. & seq.*

Secundam deinde petitionem, quæ est, *Adueniat regnum tuum*, perduci à Deo nobis ad exitum, liquet è signis, & primùm ex eo, quòd soli Ecclesiæ Catholicæ est perpetua Episcoporum, qui solium Dei tenent in terris, & diuino illius munere funguntur, successio. Inter Catholicos solummodò fuit hoc, vt sacra potestas omni potestati Augustali etiam, ne dum regiæ præstaret; & quò magis illa est ab impijs & contumacibus oppressa, eò potentior ac nobilior euasit. Hinc in supremo iudicij vniuersalis die, cùm videbitur omninò per Antichristum sublata, Christus euehet, & maximè amplificabit. Ostendimus autem in tertia coniunctione regnum sacerdotum in terris esse idem cum regno Christi. Cumq; Catholici Reges pro Deo regnent, hinc accidit, vt ipsorum sit exitus felix, & gloriosus, eorum posteritas, nationesque illis subiectæ eodem modo, quà licet in terris, propter Deum sint omnium beatissimæ, quod tribus signis suo loco declaratur, ita vt nulli Reges nostris præcellant felicitate honestati ac decoro coniuncta, & idem dicimus de ipsorum nepotibus, ac subiectis. E quibus omnibus fit, isti petitioni Deum maximè annuere, quamdiu sumus in terris. Aut igitur necesse est dicamus huiusmodi postulatum inutile & cassum cunctis, qui se Christianos profitentur, aut maximè nobis diuinitus concedi petentibus, qui est effectus fidei, qua cælitus inspirati id efflagitamus.

VIII. *A tertia petitione.*

Tertiæ post hæc petitionis, *Fiat voluntas tua*, fides elucescit ex omnibus ijs signis, quæ sunt de summis virtutibus in Ecclesia Catholica efflorescentibus: hæc namque Dei maxima voluntas, vt Catholici cunctis virtutibus excellant:

lat: speciatim verò è signo de summa caritate, quam in primis Deus vult, ac præcipit, cùm dicat: *Hoc est præceptum meũ vt diligatis inuicem.* signo item de summa religione, qua fit vt Deo nos addicamus, & eius obsequijs deuoueamus, ac voluntati: signo de perpetua Martyrum serie cùm maiorem caritatem nemo habeat, quàm vt animam suam ponat pro Deo, vt ait Christus: è signo de obedientia summa, qua nostri obediunt ijs, de quibus Christus dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Atque hæc quantum ad tria prima postulata, quæ pertinere ad Deum videntur. sequuntur aliæ quatuor petitiones, quæ nos respiciunt.

IX. à quarta petitione.

Harum prima, *Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie*, quà peti alimenta corporis etiam quotidiana vult Chrysostomus, ac Cyprianus; alioquin si de cibo spirituali duntaxat intelligeretur, nil differret à superioribus; atqui si nihil differt, iam vidimus effectum superiorum potissimum Catholicis conuenire; sin de Eucharistia intelligatur; (quamuis nõdum fuisset instituta, cùm Christus hanc orationem discipulis tradidit) in Ecclesia Catholica distributio ipsius post institutionem semper, & quidem maximè, ac perpetuò fuit. hæreticis verò, quorum factiones breuî durarunt præ nostra Ecclesia, conuenire nullo modo potest. Quòd si referas hanc petitionem ad omnem cibum, rectè Ecclesiæ Catholicæ congruit, nulli alij, propter summam, quæ in Catholicis maximè eluxit semper liberalitatem, propter amplissima Regum dona in eam collata, copiosas opes è longinquo aduectas, quæ tribus signis explicantur. Atq; vnde magis apparere potest diuinitus procurari Catholicis egentibus panẽ quotidianum, quàm ex ordine S. Francisci, in quo sunt virum mendicorum circiter centum & viginti millia, nihil omninò habentium, & tamen eis nihil deest ad vitam, vel ad statum suum, vel denique ad cultum templorum necessarium? Omittimus autẽ cætera instituta his similia.

X. à quarta petititione.

Reliquæ sunt tres petitiones. atq; illa quidem, *Dimitte nobis debita nostra*, pertinet ad crimina admissa, quę dimitti nobis maximè ex eo patet, quod maximæ omnium clades ac pœnæ longè sunt ab Ecclesia Catholica, vt è tredecim signis liquet de cessatione illarum, de intestinis cædibus hęreticorum, auxilio cælitum in bellis nostris, Regum regiarum gentium, nationumq; Catholicarum felicitate, pace

Ecclesiæ præcipua, pœnis Catholicorum contumacium, infelici hæresiarcharum hæreticorumq; Regum obitu, infelicibus eorum posteritate & subiectis, deniq; è signo de prodigijs horrendis. Dimitti verò à nobis peccata nostris inimicis, constat è signis tribus, de summa caritate, mansuetudine, & serie perpetua Martyrum, qui pro inimicis ipsis vitam profundunt.

IV.

XI. à sexta petitione.

Sexta est petitio, *Ne nos inducas in tentationem*. quæ respicit scelera futura, inquit Augustinus: cuius impetratio elucet in Ecclesia Catholica respectu aliorum, non modò propter tot signa pertinentia ad sanctitatem, in qua qui excellit, proculdubio ab omni casu flagitij eripitur, sed & propter turpissimos progressus, quos ostēdimus signo suo facere hæreticos in omni facinore. Vltima est, *Libera nos à malo*. quam si intelligamus, vt Chrysostomus, & Græci nonnulli, vt mali nomine accipiatur dæmon; in Græco namque est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ; Ecclesiæ Catholicæ id in primis conceditur, quòd eius in dæmonas sit maxima potestas, vt signo de potestate in dæmonas demonstratur: sin de quolibet malo in vniuersum, patet è superioribus, pœnas diuinitus à Catholicis maximè depelli in hæreticos, & alios: crimina similiter longiùs à nobis, quàm cæteris fugari. Hæc igitur omnes petunt, qui haberi volunt Christiani, & singulis est aliqua fides fore vt obtineant à Deo: concedi maximè Catholicis apparet; ergo illis summa fides cælitus inspiratur.

XII. A prima petitione sacerdotum.

Præter hæc singuli sacerdotes in Canone Missæ sex postulant. Horum primum, vt Deus Ecclesiam pacificet: id potissimum præstari à Deo Ecclesiæ Catholicæ liquet è decem signis, de summa Ecclesiæ pace, cōciliatione inimicorum, amicitia summa, intestinis hæreticorum cædibus, & infelicitate eorum, felicitate autem omnium nostrorū. Secūdum, vt custodiat, ab inimicis scilicet tueatur, eos propulsando: quod à Deo præstitum constat è cladibus, quibus Catholicos contumaces castigauit, cædibus intestinis hæreticorum, infelicitate hæreticorum regum, familiarium eorum, & nationum, ex auxilio sanctorum in bellis, & prodigijs horrendis, quibus Deus afflixit inimicos Ecclesiæ.

XIII. A Secunda.

XIIII. Tertium est, vt adunet: id concedi nobis, explicatur latè signis de vna fide, vnanimi doctorum consensu, & Conciliorum vniuersalium sanctionibus. Quartū, vt regat: quod

XV.

similiter ad nos maximè ante omnes pertinere, ex ijs apertissimè colligitur, quæ ad secundam petitionem Dominicæ orationis adduximus, & quæ signo de summa cura Pontificis Romani in conseruandis imperijs ac regnis ac Petri cathedra continentur. Quintum est, vt nobis præstentur hæc omnia toto orbe terrarum; sic enim rogamus Deum: *Offerimus tibi pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum: vnà cum famulo tuo Papa nostro.* Quocirca est postremum, vt Deus toto orbe terrarũ hæc præstet Ecclesiæ cum Papa nostro: quod cælitus concedi constat è duobus, quæ signo de Petri Cathedra explicantur, perpetua ipsius inter Catholicos præsidentia, & à conseruatione eiusdem, ab omni iniquæ legis & falsitatem continentis vniuersali promulgatione; quando hac in re neq; Pontifex Romanus est vmquã lapsus, aut potuit labi: deniq; vt vno verbo totam rem concludamus, ostendimus Ecclesiam Deo coniunctam triplici vinculo eiusdem, spiritus, corporis, ac regni, atq; ex hac huiusmodi cõiunctione omnia bona nasci, è disiunctione omnia mala: Ecclesia Catholica hanc coniunctionem sola retinet, & vt retinere possit Deum precibus assiduis rogat, atq; id futurum, quę Dei est benignitas, maximè confidit: ergo summa illi hac in re fides, & in omnibus bonis assequendis, ac malis longissimè depellendis.

XVI.

Sed afferamus adhuc aliquid pressius ad hoc argumentum. Plurimi sunt in Ecclesia Catholica, arctissimarum, vt vocãt, religionum institutores, qui arctissimas leges viuendi suis discipulis præscripserunt. Mirandum est omninò, quanam spe freti huiusmodi sint opus isti aggressi, & tãta cum laude ad exitum perduxerint. atq; vt probè rem teneamus, Benedictus adolescens, nulla eximiæ nobilitatis & eruditionis laude præstans, nullis humanarum rerum, quibus interdum mortales capiuntur, præsidijs & ornamẽtis instructus, auderet ante annos mille atq; ampliùs normam vitæ inducere longè austerissimam, ac tot post se sectatores abduxit, vt eorum numerus iniri nullo modo possit. ex eius verò familia prodierunt tot ac tanti in omni laudũ genere virtutũmq; florentes viri, vt quoquò te conuertas, admiratione defixus teneraris. Quot enim martyres, quæso, ex illius ordine? quot miraculis ac sanctimonia præstãtissimi viri extiterunt? quot Pontifices summi, & admirandi? vnus instar omnium producantur à nobis exempli causa Grego-

XVII. Exempla mirandæ fidei Catholicæ.

 rius

nus Primus, cui qui de quidquid habent boni, debent Angli. Habuit aūt quod Trithemius testatur, Benedicti familia viginti quatuor Pontifices Maximos, ducētos Cardinales, Archiepiscopos mille ducentos, Abbates scriptis celebres innumeros. Atq; vt nemo possit effugere vim veritatis; cōstat ab Augustino Mellito & Paulino monachis huius instituti perductos ad Christi verum cultum, simulque ad omnem humanitatis cultum Anglos, à Bonifacio Episcopo Moguntino Germanos, à Leandro Hispalensi Visigotthos in Hispanijs, à Corbeiæ Saxonicæ alumnis Boreales omnes populos, vt alibi ostendimus signo de confirmatione ac religione; sic etiam qui primus in Indijs Occidentalibus omnium latissimis regionibus, Christi religionē, verumq; Dei cultum, disseminarit, fuit Bucil Catalanus cū duodecim socijs ordinis eiusdem, quod scribit Fumus in historia Gallica Indiarum Occidentalium. Nunc è tota quæso antiquitate adducatur aliquis, qui nullis instructus humanarum artium, scientiarumq; & rerum præsidijs hęc effecerit, tot ac tanta præstiterit: per quinque tantum ingenij sui gēneris nationes. Qua quæso igitur ratione hæc ille est aggressus, nisi hac fiducia, de qua nobis est sermo? Quo potuit iste persuadere iam defunctus Ludouici filio Lothario Imperatori, vt amplissimis imperij relictis opibus, eius instituta sequeretur, idemq; agerent Hugo Prouinciæ Rex, Racchis Longobardorum, Sigismundus Burgundiæ, Bamba Hispaniæ, Vermundus Castellæ, Ranimirus Aragoniæ, Sigibertus Northumbriæ, Sibbis Angliæ, Eltheređus & Chenecredus Merciæ, Alfridus Northumbriæ, Offa & Ina Angliæ, Ceolulfus & Egbertus Northumbriæ, Henricus Quartus Daniæ, Carolomannus Germaniæ Reges, regnis depositis? Qua quæso igitur fiducia tanta hic aggressus, vel post mortem transegit?

Agè verò contemplare Franciscum Assisiatem, hic nulla eruditione vir, nullo agendarum rerum vsu, nullis opibus, nulla humana sapientia, & eloquentia, nulla nobilitate, præscripsit arctissimas suis viuendi leges, inter alia, ne quid vel proprium vel commune possiderent, & arctissimam pauperiem amplexarentur: & tot post se sui reliquit imitatores per annos propè quadringentos, vt non dico eorum, qui fuerint, iniri numerus non possit, sed ne eorum, qui viuunt hodie, præ maxima multitudine. Quanam quæso fretus iste pauperculus credidit se sui instituti as-

feclas habiturum, præsertim verò tot, per tot annos, in tanta viuendi rigiditate, absq; vllo victus subsidio? & tamen peruenit ad optata.

XIX.

Quòd si hæc aliquem non delectāt, interrogo quotquot fuerūt ab orbe condito, quæ spes fuerit Christophoro Columbo traijciendi tam vasta maria, incognita cunctis, inuia, & perueniendi ad Antipodas, aperiendæq; viæ, & instituendæ longissimæ nauigationis, acquirendiq; latissimas regiones? Numquid vlli vel hæretico, vel alioqui à sacris nostris alieno fuit tanta spes ab orbis ipsius exordio?

XX.

Sed profectò maior audacia fuit quodammodo Lusitanorum, & Vasquij Gamæ circumnauigandi Africam totam, Indiasq; Orientales reperiendi. Iter namq; hoc Lusitanorum longè remotius ac periculosius, præsertim si inspicias, quousq; sit ab istis peruentum ad vltimos Sinas, & Iaponios. Eat nunc Homerus, & laudet Vlyssem, non alia de causa, nisi quòd multas regiones circumlustrarit. Quamuis & ante annos circiter trecentos exstiterit è nostris Marcus Polus, qui totā penè Asiam, Africæq;, & Europę magnam partem sit ausus circumnauigare, nullo mortalis vllius, quod sciatur, superiori exemplo.

XXI.

Quid porrò dicemus de Fernando Magagliane, comitibusq; illius, qui incredibili fiducia sunt ausi circumlustrare orbem totum? Inaudita priscis omnibus res; nunc autem multis non modò cognita, sed tentata, & perfecta tanto duce. Hi proculdubio omnes sola spe diuini auxilij talia sunt aggressi, qualia nemo ante illos, & quibus maiora nemo aperuit ad ineundam coniungendamq; maximè totius humani generis societatem, commerciaque in illius bonum commune instituenda, barbariemq; & feritatem ex innumeris nationibus tollendam. Atq; hæc sanè multo maiora, quàm tam latas terras, vnà cum Alexandro domuisse. Quid enim boni exstitit ex Alexandri victorijs humano generi? Quid amplius inde acquisitum mortalibus, vel ad communicanda commercia, vel ad excolendam mentem doctrinis, moderatiorum morum expolitione? Sed hæc minimo, ac propè nullo à nobis loco reputantur præ ijs, quæ suprà sunt allata; è quibus liquidissimè patet altissimum Catholicis esse ad maximorum molitionem perfectionemq; robur animi, fiduciamq; prorsus admirandam.

SIGNVM VIGESIMVM QVARTVM,

Peritia Catholicorum in omnibus disciplinis

Necesse est Ecclesiam Dei esse repletam omni scientia, hereticorum nullam esse talem infrà ostendimus, nunc nostram semper huiusmodi fuisse apertissimè explicatur.

CAP. VIII.

HAEreticorum factiones ad summam rerum deni-
que ignorationem peruenire ostendemus aper-
tissimè loco suo, quamuis à principio nō ita vide-
atur ob eas quas afferemus causas. Nunc aperiamus quam
sint dissimiles Catholici. Tales proculdubio, quales monet
Apostolus ad Romanos scribens: *Certus sum,* inquit, *fratres*
mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione repleti
omni scientia. & ad Corinth. *Diuites facti estis in illo in omni ver-*
bo, & in omni scientia. Hinc Salomon de seipso, & omni qui
in diuina veritate persistit: *Deus dedit mihi,* ait, *horum, quæ sunt,*
scientiam veram, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes e-
lementorum, initium & consummationem temporum, morum muta-
tiones, & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositio-
nes, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogita-
tiones hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, &
quæcunq; sunt abscondita, & improuisa didici, omnium enim artifex
docuit me sapientia. & mox: *Cùm sit vna, omnia potest, & in se perma-*
nens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert.
hæc Salomon. Et ab exordio sanè Ecclesiæ nascentis Chri-
stiani haud curarunt admodum rerum naturalium disci-
plinis, vel operæ multum dare, vel quę sciebant, scriptis ea
consignare. quod scilicet tum necesse foret Christianæ re-
ligionis mysteria cunctis gentibus ignota palam facere &
explicare. Maximi tamen in omni doctrinarū genere sem-
per Christiani Catholici fuerunt. Sicut enim Græci, & cæ-
teræ gentes cunctas bonas artes ab Hebræis acceperunt, ac
litteras ipsas, quod argumentū late persequitur Iosephus
lib. contra Appionem, Clemens Alexandrinus libris Stro-
matum, Eusebius de præparatione euangelica, Augustinus

Rom. 15.

1. Cor. 2.

Sap. 7.

I. Argum.

Steuchus de perenni philosophia; sic Catholici ab vtrisq; tradita ad summum perduxêre, vt ostendemus.

Nam qualis ac quantus apparet reuera Dionysius ille Areopagita Pauli discipulus? Qui similiter Aristides, & ipse Atheniensis, quem Philosophum vocat eloquentissimũ Hieronymus, & tempora Apostolorum videtur attigisse? Inde Quadratus, Iustinus è Nicopoli Syriæ oriundus, vir, vt eius scripta declarant, maximæ doctrinæ, & Platonicæ præsertim scientissimus? Post hos claruit vir admirandus inter Stoicos Pantæn⁹ Alexandrinus. His successit Hammonius, nulli sua ætate in Philosophia secundus, vt in vita Plotini Porphyrius tradit. eius auditores fuêre Origenes, & Plotinus ipse. & quamuis Porphyrius velit hunc Hammonium à nobis desciuisse, cum tamen mendacij coarguit Eusebius. Eodem tempore fuit Clemens, cuius exstant opera doctissima, & omni doctrinarũ genere referta. Hammonium Clementemq; audiuit Origenes, de quo sic Porphyrius acerrimus Christianæ religionis hostis tertio aduersus Christianos volumine: *Ego, inquit, Originem, cùm adhuc essem valde puer, vidi arcem totius eruditionis tenentem: sicut etiam ex his, quæ posteritatis memoriæ tradidit, comprobatur. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur; qui assecutus fuerat omnia Platonis secreta, institutus fuerat in libris Numenij, & Chronij, & Apollophanis, & Longini, & Moderati, atque Nicomachi, in Pythagoricis vero summorũ virorum eum non latuêre commentaria. Attigit etiam Cheremonis Stoici, & Cornuti volumina.* hæc ille. & Hieronymus noster, *Illud*, ait, *de immortali eius ingenio non tacebo, quòd Dialecticam quoq; & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticã, Rhetoricam, omniumq; Philosophorum sectas didicit.* hæc ille. Origine haud minor fuisse Didymus, si Socrati & Hieronymo & nostro credimus: vt omittam⁹ plurimos Origenis discipulos, & sacris, & prophanis litteris eruditissimos, in quib. magnus ille Gregorius Thaumaturgus, de quo Socrates latè. Nullius porro litteraturæ studium fugit Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, Augustinum Hipponẽsem. Sed Philosophiæ præsertim dederunt operam Romæ Victorinus, Vegetius, & Albinus, quorũ meminit Boethius, & Cassiodorus. Ne his an numeremus Themistium, qui imperante Valente vixit, & nonnulla ipsius exstant acutissima scripta; & qui longo post tempore fuit imperante Phoca, Ioannem Philoponũ;

Lib. 4. c. 22.

illud est in causa, quod Themistius quidem Princeps fuerit Agnoetarum, Philoponus verò Tritheitarum hæreticorum, è nostris tamen antea fuerunt, Imperantibus sanè Honorio & Archadio magni nominis fuit inter Platonicos Synesius Episcopus Cyrenensis, & Theodosio iuniore cõiux eius Eudoxia Philosophiæ, Astrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ peritissima, vt post alios Nicephorus tradit. Boethius q. Theodorico regnante fuit, tantus exstitit, quod eius scripta declarant, in omni Philosophiæ cognitione, Geometria, Musica, & quauis doctrina; vt illum Simplicius Philosophus haud ignobilis admirabilem vocet, Theodoricus autem Rex epistola prolixa summis efferat laudibus. Musicæ quidem pręcepta nemo ante illum vel doctius vel copiosiùs tradidit.

Niceph. l. 14. c. 23.

Post hunc è Christianis nulli claruerunt in Oriente vsq; ad annum septingentesimũ septuagesimum, quo vixit Ioannes Damascenus. & sanè ex eo tempore paulatim studia humanarum diuinarumq; rerum cœperunt magis ac magis languere & intermori; & quicumq; è Græcis excellentiores exstiterũt, ij nobiscum senserunt. Quod aũt quidam putarunt, post obitum Magni Boëthij in Occidente disciplinarum liberalium studia refrixisse, ij procul dubio sunt decepti. Nam si legissent Cassiodorum, non ita dixissent: eius exstant inter alia de Arithmetica, Geometria, Musica, Dialectica, & de anima libelli haud mediocris eruditionis. post eum floruerunt in omni genere doctrinarum, vt eorum scripta declarant, AEgidius, cuius exstant de rebus medicis opera insignia, Beda, Alcuinus, Ioannes Scotus, Rabanus Maurus, Notgerus Leodiensis, Hugbaldus, qui Caluo imperante vixit, Constantinus, qui vniuersam medicinam plurimis libris est complexus, Gerbertus, qui postea Pontifex fuit, & Syluester Secundus est dictus, Abbo Floriacensis, Berno Augiensis, Hermannus Contractus, qui in rebus mathematicis maximè præstitit, sicuti & Campanus, deinde Franco, Gulielmus Hirsaugiensis, qui de horologijs & Musica scripsit, Hugo è sancto Victore, Gilbertus Porretanus, qui in hæresim incidit, à qua resipuit, cuius exstant opuscula ob eorum præstantiam Aristotelis operibus attexta, Richardus è sancto Victore, Conradus Hirsaugiensis, Robertus Liconiensis, Hugo Etherianus, Petrus Lombardus, Albertus ille Magnus Philosophorum summ', Alexãder Halensis, Thomas Aquinas, & innumeri

Zonaras in Leone.

qui

qui post hos pręstantissimi in omni arte ac disciplina fuerunt. E quibus apparet nulli ętati post obitum Boethij admirabilis defuisse viros doctissimos, quauis scientia insignes. Nam suprà dictorum perennis est successio, vt ex historijs colligere possumus.

Atq; vt magis liqueat Cathololicos in omni semper doctrina floruisse, inspiciamus à quibusnam fuerint publica gymnasia in orbe Christiano excitata; & videbimus à Catholicis illa erecta omnia, & ab hæreticis nulla vmquã ferè, quę diu perstiterint. Hoc argumentum latè prosequitur Iacobus Middendorpius libello de Academijs orbis Christiani. Et quidem post illas irruptiones barbarorum, cladesq; Italiæ illatas, & Romæ, disciplinarum penè omnium, bonarumq; artium studia ad monachos & eorum septa confugerunt. Quocirca suprà dicti ferè omnes monachi fuerunt. Per eos factum, ne prorsus illa perirent; ex ijs elegit Carolus Magnus Imperator Alcuinum, siue Albinum, Ioannem Scotum virum omnium disciplinarum laudibus excellentem, qui præessent gymnasijs publicis ab ipso rursus apertis, Lutetiæ in Gallia, & Ticini in Italia, circiter annum octingentesimum, ex quo scilicet Leo Armenus Studitarum monasterium, vnà cum Studitis, & nobilissima ipsorum bibliotheca, flammis comburi iussit. Ita vt, quo tempore hæretici ex Oriente & Græcia conati sunt bonas artes fugare, eodem ferè Catholici illas inde profugientes sint amplexati. Per Studitas enim Constantinopolim commorantes liberalium disciplinarum in Græcia & Oriente studia sustentabantur. Hinc eorum præfectus Oecumenicus magister vocabatur, quasi ille orbis vniuersi magisterium tueretur. Fuerunt autem de quibus diximus, Albinus, & Ioannes Scotus, monachi, & Bedæ discipuli.

I. Argum.

Zonaras in Leone.

Neq; his illud omittendum. Veluti per Catholicos bonæ artes in vniuersitate Christianorum sunt semper confirmatæ gymnasiis excitatis, sic etiam per eosdem magistri excellentes alijs regionibus dati, in quibus vel hæreses vigerent, vel barbari omnia possent, à quibus quidem magistris præstantissimi discipuli profecti. Ioanni Damasceno nullum inuenies æqualem in liberalibus doctrinis inter omnes Orientales, ex quo Sarraceni eruperunt, & Orientẽ subegerunt, at illi præceptor fuit Cosmas monachus, qui ex Italia in illas regiones fuerat abductus in seruitutem, quod Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus in vita ipsius

ſcriptum reliquit. ſed eò reuertatur, vnde oratio deflexit. A Catholicis dumtaxat videbis excitata quæcumq; ſunt in orbe Chriſtiano gymnaſia. Et ſanè poſtquam fuerunt illa in Occidente exſtincta, barbaris omnia vaſtantibus, litteræ omnes ad monaſteria profugerunt, & monachos. At Carolus Magnus rurſus illas in publicum produxit, publicis gymnaſijs Lutetiæ & Ticini inſtauratis, monachiſq; illorum gubernationi præpoſitis. Carolo igitur Magno debetur hæc laus, quòd in Occidente ſtudia diſciplinarum liberalium prodierint in apertum: monachis hæc laus debetur ex ordine S. Benedicti, vt per eos luci ſuæ fuerint reſtituta. ex illo tempore innumeris in locis apertæ publicæ omnium doctrinarum ſcholæ in Occidente. Teſtis eſt Zonaras, imperante Michaële Theophili hæretici Iconomachi filio Catholico, & nobiſcum ſentiente, memoriam ſuperiorum temporum fuiſſe exſtinctam; ſed Bardæ Cæſaris, qui tum nobis adhærebat, diligentia factum, vt rurſus gymnaſia publica aperirentur. Michael imperare cœpit anno octingenteſimo quadrageſimo ſecundo. Si quid itaque Græci poſt crematos Studitas liberalium doctrinarum perceperunt, id Catholicis debent: quamuis haud multũ profecerint, quòd cœperint paulò poſt à nobis ſe alienare. Quocirca Conſtantinus, Leonis Philoſophi filius, iterum publicos doctores ordinauit, & intermortua diſciplinarum ſtudia renouauit poſt annum nongenteſimum quadrageſimum ſeptimum, vt idem Zonaras ſcribit. Hic adeò nobis erat amicus, vt ſuis filijs non alias vxores adiungi voluerit, quàm Regum Francorum filias. Sed mox Baſilius iunior Porphyrogenitus doctos omnes à ſe abegit, nulla habita illorum ratione, doctrinas vocans ſuperuacaneas, & inutiles. Imperauit hic anno 977. vſque ad 1026. iſto peior fuit ſucceſſor Conſtantinus. Vt vt res ſit; quicumque è Græcis poſtea præ cæteris excellentes fuerunt, vt Nicephorus Blemmydes, & Beſſarion, ij fuerunt à nobis. Iam verò non modò colligere poſſumus cuiuſuis generis doctrinas eſſe ac fuiſſe ſemper apud Catholicos ob eam cauſam, quòd omnia, quæ ſunt gymnaſia publica in orbe Chriſtiano, ab ipſis fuerint excitata, cum nulla fuerint vmquam per hæreticos erecta; ſed & ex eo, quòd è Catholicis præſtantiſſimi in quauis arte viri prodierunt: & vt omittamus antiquiſſimos, eos recenſeamus dum-

dumtaxat, qui vel ætatem nostram contigerunt, vel non multis ab illa sæculis abfuerunt.

III. A summis viris in omni disciplina.

Philosophi catholici.

Habéntne igitur Greci, aut Protestantes, ex quo discesserunt à nobis, aliquem è suis, quē conferant in Philosophia cum Alberto Magno Germano, Alexandro Halensi Anglo, Thoma Aquinate, Ludouico Buccaferreo, Augustino Nipho Italis? mitto innumeros, quorum præclarissima exstant scripta, ne sim prolixior multo quàm decet: sed hi vniuersam Philosophiā sunt complexi. Quòd si Mathematicę artes te delectāt; quāt⁹ in Astrologia, quę mot⁹ stellarum contemplatur, Campanus Longobardus, qui errores Ptolomæi in obseruatione cursus Lunæ aliorúq; astrorum deprehendit, Alfonsus Rex, Ioannes è Monteregio, Georgius Purbachius, Nicolaus Copernicus, Hieronymus Fracastorius, Iouianus Pontanus? Si te delectat Cosmographia, lege libros Ioannis è Sacro boscho, Georgij Purbachij, Ioannis è Monte regio, Orontij, Fernelij, Maurolyci, Francisci Baroccij. Si Perspectiuam, quam vocant, cupis, quis ex hæreticis æqualis Iacobo Baroccio, cognomento Vignolæ? Si Geographiam spectas, habes Orontium Phineum, Iacobum Castaldum, Petrum Apianum, Abrahamum Ortelium. si Gnomonicam, sunt è nostris Illustrissimi Fridericus Commandinus, Orontius, & postremò Christophorus Clauius, cuius est hac de re absolutissimum opus. si Meteorospicam, & Dioptricā, qui sunt ac quanti Purbachius, Ioannes è Monteregio, Gēma Frisius, ac Stoflerinus? Quòd si Arithmeticam consideres, omnes proculdubio superauit Hieronymus Cardanus, quot vmquam fuerint, cuius exstant de Algebra acutissimi commentarij.

Mathematici.

Astrologi.

Medici.

Architecti.

Si Medicinam quæras, habes Fernelium, Altomarum, Montagnanum, Montanū, Rondoletium, VVesaliū, Trincauellam, plurimosq; alios. Architecturæ præcepta magni facis? sunt in promptu Leo Albertus Florentinus, Sebastian⁹ Serlius Bononiensis, Petr⁹ Cataneus, Andreas Palladius, Iacobus Baroccius cognomento Vignola, Antonius Labacus. Agricultura caperis? Habes Petrum Crescentium, & Augustinum Gallum.

Historici.

Historicorum dignitatē miraris? Ecquis ex hæreticis superabit Bonfinium, qui Hungaricas; Cromeriū, qui Polonicas; Paulum Æmilium, qui Francicas; Polydorum Virgilium, qui Anglicas; Fazelū, qui Siculas res; Petrū Maffeium, qui Indicas; Sigonium, qui Occidentalis imperij,

Italiciq; regni euenta, & quem nemo e Latinis, aut Græcis superat, & multis omnino præpono, Hieronymum Osoriũ, qui res Lusitanicas Emanuele regnante gestas scriptis est complexus? Si Poeticis delectaris, offerunt se viri excellentissimi, Pontanus, Sannazarius, Vida, Bembus, Sadoletus, Flaminius, Nauagerus, Hieronymus Fracastorius, Bargæus, & alij innumeri. Ars nautica in primis necessaria Reip. Quanti verò sint hac in re nostri, quis ignorat? argumento sunt Lusitanicæ & Hispanicæ nauigationes; quibus neque antiquorum fabulosæ laudes, quibus ornant Argonautas, & Vlyssem, satis esse vllo modo possint. Atq; huius præcepta scriptis mandauit Petrus Medina Lusitanus. Musica caperis? At quis possit singulos recensere, qui illius leges monumentis consignarunt? Post admirabilem Boëthium sit satis attulisse in medium libros Zarlini, & Hadriani Petiti. Numquid omittemus picturã, in qua priscis haud cedunt Michael Angelus Bonarotus, Raphael Vrbinas, Titianus, & qui nũc viuunt Fridericus Baroccius, Zuccarus, Bassanus, & alij, quos omitto, ne sim longior, quamuis id sine iniuria haud fieri posse videatur. In Sculptura porrò quis ex hæreticis opponet se Michaeli Angelo, aut Sansouino? in Mecchanicorum præceptis Guido Vbaldo è Marchionibus Montis, & Iacobo Bossono? in re anatomica VVesalio, herbaria Mathiolo, aut Dodoneo, à quib. cæteri cuncta mutuati? Historia piscium Rondeletio? elegantia & puritate sermonis Latini Bembo, Paulo Manutio, Hieronymo Osorio? peritia Græci sermonis Bessarioni, aut Græcis, qui nobiscum sensere, vel etiam Budæo, è cuius commentarijs cuncti habent, vnde discant? Hebraicis Saincti Pagnino, cuius Thesaurus est in manibus omnium, sine quo nemo est qui possit quidquã proficere, aut etiam tot regijs professoribus, qui Lutetiæ docent, in quibus nunc excellentissimus Gilbertus Genebrardus? obnapugnare, vmbras sectari, non ipsa res; agè ostendamus Catholicorum mirabilissima inuenta ad omnes artes ac disciplinas pertinentia, è quibus apparebit quanto sint ingenio Catholici, quanta omnium rerum peritia. Ea verò vel sunt è bonis animi, vel corporis, vel externis. Et sanè insigne omnium cunctis esse posset, quòd à nostris Antipodes certò atq; exploratò inuenti & aperti, dimidium scilicet totius orbis terrarum, dimidium scilicet omnium rerũ, quas

Sed ne videamur nomine aut verbis nos vel fidere, vel

Poëtæ. | *Musici.* | *Pictores.* | *Sculptores* | *IIII. Argumentum ab inuẽtis admirãdis in omni disciplina.* | Inuẽta nobilia catholicorum.

Deus

Deus hominibus est fabricatus. Christophoro Columbo Genuensi in primis hæc laus diuinitus tributa, & Americo Vesputio Florentino, è quibus ille insulas, hic continentē detexit. Neq; solùm reperti Antipodes, sed facillima per istos & expedita nauigatio ad illos nobis relicta. Quis igitur enumerare possit quanta rerum copia fuerit hac via in lucem data, quis animo summatim complecti, aut adumbrare? Iam verò quid dicam de totius orbis circumnauigatione, quam primus ausus est animo concipere Fernandus Magalianes Lusitanus; & Catholici quotidiè perficiunt? Admiretur antiquitas omnis Phænicum nauigationes, Salomonicæ classis obscura itinera; quid illis cum nostris? Laudent Vlyssem Græci, quod obierit tot maria, tot adierit terras: canat ille vates;

Dic mihi musa virum, captæ post mœnia Troiæ
Qui mores multorum vidit, & vrbes.

Innumera sunt Catholicis hominum millia, qui innumeris etiam partibus Vlyssem superent, & comites eius. Neq; verò mirum, si Catholicis hoc cælitus est concessum, quando iisdem similiter datum, vt inuenerint vsum magnetis in chartis nauticis, ex quo facillimè dignoscunt quouis tēpore, quo sint loco, quanto distent interuallo à quacumq; ora; hic scopulos vitare, Syrtes, inimica loca, nullo negotio nórunt. Amalfitanis, quorum fuit antiquitus naualis virtus laudatissima, Flauio ipsorum ciue inuentore hoc debetur, vt magnete ad exploranda itinera maritima vtamur. de illorum nauigationibus aliqua Gulielmus Tyrius. Carolus Magnus primus ventos est partitus in triginta duos, quo facillimè assequi possemus itinera diuersa. Ignatius Dantes nuper in lucem produxit Anemoscopium, quod in recto pariete indicat quinam venti spirent. A Lusitanis præcipuè habemus, quæ nauium genera Oceano traijciendo sint antiquis longè aptiora. describit illa Petrus Medina. Et Lusitanici sanè principes explorandi Oceani ex antiquo tempore studiosissimi fuerunt, alias subinde atq; alias naues, quæ Africæ oras legerent, subornantes. Quomodo naues in profundo maris demersas ad supremam superficiem possem' attollere alligatas cymbis graui pondere oneratis, & mox exoneratis, Catholicorum fuit excogitatum, non ita pridem Venetijs visum, de quo Cardanus. & hæc quantum pertinet ad rem nauticam, qua peruius nobis est factus orbis totus.

Veniamus ad mathematica instrumenta, quibus rerum magnitudines, spatia, temporumq; & horarum distinctio-nes percipi possunt: quorum quidem tanta à nostris co-pia est in lucem data, vt vix illa quisquam posset recense-re. Notissimum est Astrolabium Catholicum Gemme Fri-sij, Astrolabium Ioannis Roias, quæ sanè prisca vincunt. Nemo peritus ignorat folium populi Petri Apiani, Cos-molabium Iacobi Bessoni, Olometrum Abelis Fulonis, Annulum sphęricum Philandri, opus de vsu sphęrę Ioan-nis Stainier. Paduanus etiam Veronensis tria alia ab se in-uenta instrumenta describit in Viridario suo, aliud Ale-xāder Piccolomineus in libello de sphæra, astronomicas quasdam virgas Antonius Lupicinus Floretinus, & Igna-tius Dantes radium Latinum, cuius vsus omnino admira-bilis, & vtilissimus ad omnia, singulari laude nobilissimi viri Latini Vrsini inuentoris.

Quod si machinas tollendis aquis exquiras; Valla Place-tinus decemnouem depingit libris suis de Geometria, de-cemq; & octo à Catholicis iamdiu repertas ante hæreses Protestantium natas enumerat Iosephus Ceredus libro de cochlea, cuius ipse rationem, fabricationisq; modum primus nobis dedit, cùm priùs imaginem quamdam in-formem dumtaxat haberemus ab Archimede, vt putatur, adumbratam, vel inuentam. Varias porrò machinas à va-rijs Catholicis iam pridem inuentas adseruant Veneti ma-gistratus; multas ab se excogitatas, neque inutiles effinxit proprio libro Iacobus Bessonus, eæ sunt numero quin-quaginta. Omnium porrò huiusmodi machinationum causas optimè & ordinatissimè post Nicolaum Tartaleã persecutus est Guidus Vbaldus è Marchionibus Montis. Notissima est machina, quæ Romæ à cunctis adhibetur ad maxima quæque onera attollenda, & ab excellentissimo architecto Michaele Angelo est in lucem data. Quanta ve-rò sit eius vis, & vtilitas, hinc perspici potest, quod Plinius

Pli.l.36.c.9

narrat à Rameso Aegypti Rege adhibita fuisse hominum vel viginti, vel triginta millia (nam varia in Plinio lectio) vt erigeretur obeliscus, quem Constantius Imperator ad-duxit Romam, & in Circo maximo statuit. Nos autem sci-mus anno superiori ad eumdem tollẽdum non fuisse ad-hibitos mille homines, non aliam sanè ob caussam, nisi quòd vsus machinæ a Michaele Angelo repertæ habet in-credibiles vtilitates.

Anti-

Antiqui horologijs vel solarijs, vel ex aqua dumtaxat vtebantur. Solaria Græci tradunt inuenta ab Anaximene: sed falsò. is floruit circiter Olympiadem quinquagesimã, ante Christum videlicet natum ferè anno quingentesimo septuagesimo nono. sed e Biblijs constat Achaz regnante illa fuisse in vsu. Vixit Achaz circiter Olympiadem primã ante ortum Christi anno septingentesimo septuagesimo quinto. Multa sunt à Catholicis reperta ad hoc inuentum pertinentia. Postremo Clauius docuit noua cylindri ratione in plano horas describere: rursus etiam quomodo quacumque styli data magnitudine illas ex vmbris dignoscamus. sed hæc minora. nam cùm prisci solaria tantùm, vel clepsydras haberent; nostri inuenerunt horologia cum rotis, quæ circumuoluantur, sonitum dent, & horarum momenta indicent. Horum porrò formæ ac molitiones adeò multiplices, vt nemo illas mente complecti possit. Constat ætate Caroli Magni horologia huiusmodi nondum comperta. Rhegino namque & Aymoinus narrant horologium dono missum Carolo Magno à Rege Persarum, cuius artificium erat idem cum clepsydra, additis tamen nonnullis. Horologiorum nostrorum inuentum tribuit Erfordiensis Gilberto, qui postea Rom. Pontifex fuit, ac Syluester Secundus est dictus: idemq; organa, quę calefactæ aquæ violentia sonos edebant, est fabricatus. Iannellus Turrianus Cremonensis addidit horologijs diuinissimo ingenio hac in re motus omnium planetarum, vt testatur Cardanus. Id antea in sphera Archimedis adumbratum demirabatur Claudianus. Omittimus horologia ex puluere à nostris similiter inuenta. Prisci namque solummodo ex aqua vtebantur, quæ breui tempore exsiccata euanescebat. Cassiodori ætate nõdum cognita hæc nostra, constat ex ipsius institutionibus.

Arithmeticæ pars est Algebra. hanc Lucas ex ordine S. Francisci existimauit ab Arabibus profectam; sed fallitur. Bombellus namque Bononiensis testatur in bibliotheca Vaticana ab se lectum librum Diophantis Alexandrini Græcè scriptum multo ante illos Arabicos actores. Nicolaus Tartalea addidit nonnulla ad hanc artem, scriptumque reliquit, nihil præterea adijci posse; Hieronymus tamen Cardanus viginti quinq; acutissima inuenta dedit in lucem, ita vt maximam perspicacissimi ingenij sui

cunctis fecerit admirationem, & ad summū disciplinam huiusmodi verè perduxerit.

Artis, quam vocant Perspectiuam, prisci nonnulla nobis præcepta reliquerunt. Iacobus autem Baroccius, cognomento Vignola, duas regulas excogitauit à quibus omnia ad illam pertinentia pendent, & è quibus cuncta famillimè eò spectantia dignosci possint: illas scriptis mandauit, & commentarijs illustrauit Ignatius Dantes Italico sermone.

Musicam non omninò despiciamus, cuius præcepta nō reperies apud antiquos adeò digesta, vt apud Catholicos scriptores; & quamuis Græci multa more suo fabulosè iactent, tamen quantum sit à nostris additum ad illam facilè quiuis cognoscet ac fatebitur, si verbi gratia Græcos ex antiquorum placidis canentes, ac nostros audierit; quorum concentibus mirum in modum deliniri solent efferatę Indorum gentes, vt se harmonias reuera cælitus temperatas excipere existimarent, instrumenta musica putantes à semetipsis loqui. Notissimum est, à Guidone Aretino monacho ex ordine sancti Benedicti notas illas inuentas, quibus facillimus est aditus apertus ad musicā addiscendam, vocemq; moderandam. Nam quod litteræ sunt ad lectionem cuiusuis libri, id notæ illæ ad cantum percipiendum ac tenendum. Post Guidonem Aretinum Ioannes è Muris plurima inuenit; in his octo figuras cantus, quem figuratum vocant, vt post alios tradit Nicolaus Vicentinus, à quo multa sunt addita ad musicam suauitatem. Prisci ad animi sui sensa significāda figuris hieroglyphicis vtebantur. Sed quid istis cum litterarum signis? Quid in Musicis sono inuoluto, cum voce, ac verbis distinctis? Quot verò à nostris instrumenta musica fuerint reperta, nemo facilè possit enumerare.

Lib. 4. c. 16. & seq.

Quod si Dialecticen respicias, quæ propter argumentationum fabricationem à quibusdam solet ars nominari; & à Catholicis hoc inuentum, vt primi figuras ac modos hypotheticorum syllogismorum disposuerint. Ab Aristotele, & alijs hypothetici syllogismi sunt agniti; sed eorum tres illæ figuræ, earumq; modi à nostris inuenti. Marianus Victorinus, vt è Cassiodoro possumus colligere, hanc sibi laudem peperisse videtur. Physica & Metaphysica, vt vocant, sunt rerum semper eodem se habentiū modo: ad eas nihil adijci potest, nisi nouis quęstionibus, & argumentis,

quorum

quorum tanta à nostris copia est parata, vt infinitum sit harum tractationum libros dumtaxat scire.

Sed in vniuersum duo sunt per Catholicos orbi cælitus data, quibus disciplinæ omnes maximè adiuuari possunt. Primumq; est ars typographica, quā Ioannes Cuthenbergus Germanus excogitauit. Apud Synas eam fuisse antea nonnulli scribunt. Sed quid obest, quin à duobus idem diuersis in locis, diuersoq; tempore in medium producatur? An non ingeniosissimi, hisce in rebus præsertim, Germani? Secundum est chartæ è lintei, quæ in aqua computruerint, confectio. E Plinio namque constat illam ætate sua non fuisse in vsu: Nostrorum similiter est inuentum, admirabilis illa ratio distillandi aquas, & eliciendi ex vnaquaq; re efficacissimum succum ad omnes vsus medicos, & expetitos ab hominibus, siue vtilitatis gratia. De quo sanè inuento, multiplicique illius commodo, multi extant à nostris libri scripti, & inter alios ab Andrea Matthiolo.

Pli. l. 13. c. 13.

Atque hæc sanè satis sufficere possent ad propositum nostrum, vt minora quædam missa faciamus, quamuis haud ignobilia; veluti illa: priscis sericæ vestes adeò preciosæ erant, vt referat Vopiscus illas æquali pondere auri solitas emi; Iustiniano imperante à duobus monachis ars conficiendi serici ex Oriente vltimo adducta in Occidentem. Tradit Plinius gossipium suo sæculo sic rarum fuisse, vt Aegyptij tantùm sacerdotes ad vestes sacras illo vterentur: nunc in Sicilia, & Calabria nascitur. Idem refert è remotissimis Orientis regionibus aduehi saccarum solitum ad medicinas. nunc inuentum, quomodo in nostris producatur veluti adiacentibus Italiæ insulis. Conspicilia, quę vocant (nouis enim rebus noua nomina imponenda) antiqui non habebant: nunc eorum quàm multiplex vtilitas?

Zon. tom. 3. in Iustin.

Quantum se iactabant prisci in machinis quibusdam bellicis? Galli obstupescebant, ait Cæsar, cùm videbant eas à Romanis moueri. Sed quàm ridiculæ illæ præ istis? quas à nostris inuentas equidem nollem. Constantino Pogonato imperante, post annum sexcentesimum sexagesimum nonum, Callinicus Syrus architectus ignem, qui Gręcus dicitur, excogitauit, qui in aquis flammas conciperet, eoq; Sarracenorum classes multæ combustæ. Inde puluis ille igneus, quo in bellicis tormentis vtimur. Ea verò di-

cuntur à Germano quodam fabricata primùm; quod ne mo ignorat. Petrus Nauarrus cunicula illa primus induxit, quæ puluere isto subiecto, flammasque concipiente arces totas momento temporis à fundamentis euerterent: vt sciamus in quauis re, & hæreticos, & alios nostris ingenio longè inferiores, siue aduersus hostes agẽdum sit, siue Catholicis & cunctis benefaciendum: quocirca quod dici solet, facilè est inuentis addere, id in nobis locũ habet. Nam facile pauca, & non magni momenti; at plurima, & maximi momenti, difficillimum. alioquin cur non alij addiderunt? Ostendant nunc hæretici, quæ sint ipsorum vires, quod ingenium, quæ peritia in vllis artibus, proferant inuenta sua. Nimirum proximè isti accedunt ad belluas feritate, libidine, ignorantia omnium rerum. Quomodo igitur ex illis Ecclesia Dei? Hoc sciunt, & possunt ex parte instar ferarum, bonas res conturbare, ac delere, tueri diu bona aduersus hostes, noua inuenta, quæ excellentis aliquid habeant proferre, vel ad bene de suis promerendum, vel de vniuerso genere humano. Ecquando norunt illi, aut potuerunt?

Ostenditur Pontifices summos, Cardinales, Episcopos, & religiosos viros pro ratione suæ dignitatis, peritia cunctis alijs præstitisse.

CAP. VIII.

HAEc sanè, quæ hucusq; diximus, sunt satis ad conuincendum peruicacissimum quemuis hominem, nihilominus, vt vel impudentissimis satisfiat, ostẽdamus hoc capite, quanti sint in omni doctrinarum genere, quo mens excoli possit, viri illi inter nos, qui speciatim se rebus religionis tractandis deuouerunt. Hæc autem nos eò libentiùs persequemur, quò flagitiosiùs hæretici Protestantes, quibus est impulsu dæmonis propositum, religionis totius fundamenta conuellere, nihilnõ oblatrant aduersus illos. Atq; vt ordine, & ratione procedat oratio; illud in primis admonendi sumus, non idem disciplinæ genus à quouis exigendum, sed illud à singulis, quod eorum statui est necessarium & conueniens. Rursus cùm sententia ferenda est, an aliquis mortalium cœtus habeat

necne aliquid, non aliquis ex eis dumtaxat est respiciendus, sed omnes simul, neq; omnes adhuc simul vno tempore, sed toto quo fuerint temporis decursu. His constitutis, explicemus primo loco Pontifices Romanos in rerum sacrarum cognitione cunctis præstitisse semper, neq; tamen eis defuisse aliarum rerum cognitionem. Secundus locus dabitur Cardinalibus, tertius Episcopis, quartus cæteris religiosis viris. Sic itaque euidentissimè apparebit, quanta sit diuinæ prouidentiæ in disponendis Ecclesiæ rebus iustitia, si voluerimus res ipsas non ex vna illarum parte, sed ex omnibus simul dijudicare.

A Romano igitur Pontifice in primis exigitur vt sciat fidem Christi cultumq; conseruare, propagare, amplificare: id an scierit, liquet è signis de fidei propagatione, confirmatione, reparatione. I.

In vniuersum verò, vt res Christianas peritè gubernet. Id ab illo præstitum, si comparetur alijs Episcopis, Patriarchis, ac Principibus, non modò ex eisdem signis, sed & è signo de prudentia politica, cap. de Pontificis Romani gubernatione clarissimè apparet. Vt enim cæteri cætera præstiterint, Pontificibus Romanis verè illud conuenit, quod vates antiquus dixit: II.

Excudent alij spirantia mollius æra:
Credo equidem, & viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cæliq; meatus.
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos. Sic ille. Nos autem.
Pascere tu Christi populum Romane memento;
Hæ tibi erunt artes, pacisq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Sed quod huius loci proprium videtur esse; non modò prædicta asserimus, verum adijcimus illud præterea, Pontifices Romanos in rerum sacrarum doctrina cunctis præstitisse. Ad cuius rei clarissimam demonstrationem dicimus, variarum rerum cognitione Pontifices plerosq; Romanos a plurimis superatos, sed veritatis sacræ certissima & indubitata cognitione à nemine vmquam victos. Plura plures cognouerunt rerum sacrarum, sed sine tanto delectu, sine indubitata certaq; veri à falso, boni à malo distinctione. Hoc autem maximè efficit scientiam, firmiter tenere quid sit res; hoc est intelligere. Quid enim refert, sciã III.

plurima & innumera rerum diuinarum, quid verò discriminis, quoad veritatem, sit inter eas, ignorem? Quò mihi multorum vocabulorum congeries, nisi sciam quæ sit eis vocabulis sententia subiecta & comprehensa? Scit rustic⁹ aliquis innumera herbarum nomina, herbas etiam nouit; earum vires certas ignorat, vel omnium, vel plurimarum: scit alius omnium, scit plurimarum. quis istorum præstantior? Rusticus scit nullarum vel paucissimarum vires, omnium vocabula; alius & vocabula, & vires aut omnium, aut plurimarum. Quis istorum peritior? Rusticus adhuc scit plurium; alius eius quæ facit ad propositum sanandi alicuius, de quo agitur. Quis istorum præferendus? AEgrotus, & qui ægroto consultum volent, istum præponent illi rustico.

Hoc igitur maximè proprium Pontificis Romani, idq; adscribimus priuilegio diuinitus concesso, vt certissimo semper scierit in decernendis, vbi lege opus fuit vniuersali, quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum.

IIII. Idcirco soli Pontifices Romani cunctas hæreses suis temporibus emergentes lege lata solidissimè confutarunt, vt docuimus signo de hæresum confutatione; reiecerunt conciliabula factiosa; contra autem vera cunctis Catholicis approbantibus & consentientibus approbarunt, quod signo de concilijs, & prudentia politica cap. de Pontificis Rom. gubernatione ad finem liquet.

Hoc igitur diuinum in Pontificibus Romanis, vt quilibet eorum certò semper cognôrit, vbi lege lata opus fuit, quid falsum, quid verum, quid bonum, quid malum, quod cuncti Christiani sequerentur. Plures plura nouerint: notitia illorum non sic fuit, aut erat ad propositum.

V. Quòd si quis ineptus ac sciolus scripta exigat, quib. Romanorum Pontificum summa peritia tempori necessaria in sanctionibus vniuersalibus constituendis probetur; habet scripta Clementis I. Cornelij, Damasi, Innocentij I. Syricij, Cælestini I. Zosimi, Bonifacij I. Leonis I. Hilarij I. Simplicij I. Felicis III. Gelasij I. Symmachi I. Hormisdæ, Leonis II. Gregorij II. & III. Zachariæ, Leonis III. Hadriani I. Nicolai I. Sed numquid ego singulos recensebo: Habet acta conciliorum, quibus Pontificum Romanorum scripta attexuit Surius; habet iuris Canonici libros, ex ijs quiuis certò cognoscit, quod nos asseueranter affirmamus.

Verùm si quis adeat bibliothecam Vaticanam, poterit facilè videre volumina ducenta ac plura epistolarum, quas Romani Pontifices dederunt ad innumeros totius orbis terrarum præstantes viros de rebus grauissimis consulti. Harum quodlibet volumē sua magnitudine superat quidquid vel Aristoteles vel Cicero scriptis mandarunt: sententiarum grauitate, diffinitionumq; veritate nihil illis par esse potest; vt meritò sint habitæ ab omni antiquitate semper pro sacris; vt signo de confirmata aperuimus. Harum nunc quædam volumina, præter illa, quæ versabantur in manibus omnium, typis excudi curat Cardinalis ille omni laudum genere celebrandus Antonius Carapha. VI.

Quòd si præfractior aliquis, ne dicam impudens, quærat, vnde habeo scriptis istis inesse summam rerum sacrarum peritiam? E quatuor id certò dignoscet. Horum est primum, quòd in eis nihil est repugnans. Secundum, per mille quingentos & amplius annos nullus Pontifex Romanus scriptis suis in ijs, quæ sunt æternæ veritatis, ac sui natura variari non possunt, discessit à scriptis Pontificum superiorum. Tertium, quòd illa consona sunt scriptis omnium doctissimorum totius antiquitatis, ipsiq, diuinæ scripturæ. Quartum, quòd approbata sunt non modò à doctissimis viris tamquam consona diuinæ scripturæ sed ab vniuersalibus etiam Concilijs, quin ab Ecclesia tota Catholica per totum terrarum orbem dispersa per annos mille quingentos, ex quo Christus Ecclesiam constituit, & illi primum scribere cœperunt. VII.

Sumantur itaq; cuiusuis amplissimæ vrbis Episcopi omnes, & videbimus tot ac tanta scriptis haud mandasse, vt soli Pontifices Romani, si de rebus diuinis agamus.

Quòd si de veritate ac soliditate doctrinæ agatur; ab orbe condito vniuersi simul scriptores vni ex eis haud comparandi sunt. Nemo namque ex eis, vbi quid veluti certū sanxit lege lata, errauit; quod de nullo scriptore certò asseri potest.

Neq; tamen Pontificibus Romanis defuit etiam notitia tempori haud necessaria, & conueniens, vel rerum sacrarum, vel aliarum disciplinarum. Nam Leonis Magni scripta styli grauitate sententiarumq; maiestate superant cuiuslibet linguæ, & quorumuis temporum scriptores. Gregori⁹ verò Magnus suauitate ac dignitate simul dictionis, quæcumq; pertinēt ad mores, sic explicauit, vt omnes, qui VIII.

de rebus hisce scripserunt, quantum spectat ad praxim, post se reliquerit.

Quòd si disputationibus philosophicis, quibus interdū solent res Christianæ religionis illustrari, caperis; habes quatuor Pontificum Romanorum commentarios; Innocentij Quinti, qui dictus est Petrus Tarantasius, libros quatuor in sententias: in easdem Nicolai Quarti similiter libros quatuor, Alexandri item Quinti quatuor alios, denique Hadriani Sexti libros aliquot: quibus adiungere potes Sixti Quarti de futuris cōtingentibus, de sanguine Christi, de potentia Dei, & de S. Mariæ conceptione.

Quòd si cupis Mathematica: Syluester II. natione Gallus, Philosophiæ & omnium Mathematicarum scientissimus fuit. Exstat in bibliotheca Farnesiana liber ab illo cōpositus artis Geometricæ: illius est admirabile inuentum horologiorum, quibus nunc vtimur, vt Erfordiensis testatur. Fuit hic præceptor, antequam Pontifex fieret, Roberti Galliarum Regis, quem Synodus Lemouicensis Regum doctissimum vocat: quæ scribit Helgaudus. Idem Syluester ante Pontificatum habuit in disciplina Otthonem III. qui ob maximam sapientiam dictus est Mirabilia mundi, vt Ottho Frisingensis, & Gottifredus Viterbiensis tradūt. fabellas in eum confictas periti iam norunt, ac derident.

Sin verò desideras in omni genere disciplinarum scripta diuersa; occurrunt opera Pij Secundi, quæ sunt in manib. hominum doctorum, Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ, Geographiæ, Historiarum, & generis cuiusuis. Alexander Tertius præter hæc dedit in lucem de Potestate ecclesiastica librum solidæ ac magnæ doctrinæ: & exstat alter argumenti eiusdem liber Innocentij Tertij, à quo & habemus aureum librum de vilitate conditionis humanæ, in septem psalmos pœnitentiales, de officio Missæ, de sacramento baptismi, de claustro animæ, ac varios sermones. Clementis Sexti leguntur collationes multæ, & multi sermones. Denique haud defuére & è Pontificibus Romanis, qui de Medicina commentarios ediderint. Ioannis enim XXI. habentur Thesaurus pauperum, canones Medicinæ, & de problematibus.

Quocirca sicut Pontifices Romani in primo genere scriptorum, quibus rerum diuinarum diffinitiones habentur, multitudine illorum superant cuiuslibet amplissimæ vrbis Episcopos scriptores eius argumenti.

Veritate autem eorumdem scriptorum quilibet è Pontificibus superat vniuersos, qui exstiterunt ab orbis fabricatione: non hîc loquimur de diuina scriptura.

Sic in secundo scriptorum genere vniuersi Pontifices Romani superant cuiusuis sedis Episcopos. Quamlibet enim sedem sumas: non dedit illa Episcopos, qui tam varia cuiusuis disciplinæ & artis argumenta tractarint, Theologię, Philosophię, Mathematicarũ, Medicinæ, cæterarũq; artium liberalium. Erit aliqua sedes, è quo exstiterit Episcopus, qui & doctiùs & latiùs de Philosophia scripserit, aut Theologia, quàm quiuis Pontifex Romanus; sed illi sedi deerit, qui Mathematica Medicinæq; præcepta, aut aliarum doctrinarum attigerit. Hæc sedes Romana dedit, qui cunctas abunde ac scienter tractarint. An nõ igitur verum, quod ab initio proposueramus?

Secundus locus Cardinalium sacrosancto collegio debetur; de quo sic asserimus; Nullum collegium exstitisse vmquam tam paucorum (hoc autem menti tenendum) quod in vnam fidem conspirans ediderit viros tam præstanti doctrina in omni genere disciplinarum, quot exstiterunt Cardinales. Recenseamus aliquot, omissis antiquis.

Hugo Barchinonẽsis ex ordine Prædicatorum Cardinalis, edidit glossam, quam vocant & ordinariam in omnes Bibliorum libros, concordantias eorumdem, & summam, vt dicunt, de casibus.

Henricus Ebredinensis Cardinalis Hostiensis, summam iuris Canonici, quæ dicitur Hostiensis, & in libros Decretalium.

Iacobus de Vitriaco, historiam Orientalem contra Sarracenos, epistolas, ac sermones.

Eustathius, qui & Bonauentura, sanctorum numero adscriptus, quot ac quanta scripserit, ob quæ meritò doctor Ecclesiæ vocatur, quis ignorat?

Gaufredus de Trano multa in Decretales scripsit, & quęstiones nonnullas.

Matthæus de Aquasparta in sententias libros quatuor, in epistolam ad Romanos, inuentarium sententiarum, ac varios sermones.

Bertrandus ex ordine Minorum Mediolanensis in sententias libros quatuor, sermones, in Epistolas, in Euangelia, ac de sanctis.

Bonauentura Patauinus ex ordine S. Augustini sermones de tempore, vt aiunt, ac de Sanctis.

Petrus Aylliacensis in sententias libros quatuor, de laude S. scripturæ, in principium Marci, de stabilitate Ecclesię lib. 3. Speculum considerationis lib. 3. Compendium contemplationis lib. 3. De spirituali scala, in Psalterium breuiter, in septem Psalmos meditationes, De legibus & sectis, De Concilio generali, Expositionem Psal. 70. in Psal. 42. meditationes, in Cantica Canticorum, in septem Psalmos pœnitentiales, de oratione Dominica, in eamdem Anagogicè, in Aue Maria, in canticum Magnificat, Zachariæ, Simeonis, de electione Papæ, de exercitio spirituali, de duodecim honoribus S. Iosephi, de anima & accidentibus eius, Concordiam Theologiæ & Astronomiæ lib. 2. De sacramentis Ecclesiæ, varios sermones, epistolas plures.

Ioannes Dominici Florentinus ex ordine Prædicatorum, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Euangelium Matthæi, in Magnificat, in Epistolam ad Romanos, Luculam noctis, Itinerarium deuotionis, De caritate, plurimasque & egregias conciones.

Franciscus Zabarella in Decretales.

Nicolaus, qui vulgo dicitur Abbas de Tudescis Panormitanus, in omne ius canonicum, consilia, tractatus.

Nicolaus Cusanus de visione Dei, De pace fidei, De reparatione Calendarij, De Mathematicis complementis, De cribratione Alchorani, Venatione sapientiæ, Ludo globi, Compendium, Trialogum de poss. De Mathematica perfectione, contra Bohemos, De Beryllo, De dato patris luminum, De quærendo Deo, De apice Theoriæ, de docta ignorantia, De coniecturis, De filiatione Dei, De Genesi, De sapientia idiotæ, De quadratura circuli, De fortuna, Directorium speculantis conciones totius anni, epistolas ad diuersos.

Ioannes Turrecremata, in regulam S. Benedicti, in totum Psalterium, in Euangelia Dominicarum, in Euangelia sanctorum, de aqua benedicta, de salute animæ, conciones temporum, & sanctorum, & latè in ius canonicum; Summam item, quæ de Ecclesia vocatur.

Bessarion, confutationem in illud, Sic eum volo manere in laudem Platonicæ philosophiæ, laudes patriæ suæ, consolationem ad Imp. Græcorũ, orationes in calumniatorem

torem Platonis, An natura & ars consultò agant, de Eucharistia.

Hermolaus Babarus de cœlibatu contra barbaros philosophos, de re vxoria, quæstiones Geometriæ, conueniētiam Astronomiæ & Medicinæ, præcepta historiæ conscribendæ, compendium Philosophiæ, compendium Galeni, epistolas, orationes, carmina, castigationes in Plinium, versiones plurimorum scriptorum è Græco in Latinum.

Hadrianus Batoniensis, de vera Philosophia, de modis Latinè loquendi, venationem ad Ascanium Cardinalem, carmina in iter Iulij II. elegantissimo sermone.

Iacobus Picolo Ninus Papiensis, epistolas rerum recōditarum, commentarios sui temporis.

Petrus Bembus epistolas Leonis Decimi nomine conscriptas, de imitatione sermonis Benacum, de Aetna, historias Venetæ Reip. & carmina. Huic tam prosa quàm versu fuit oratio elegantissima.

Thomas de Vio Caietanus, opuscula plurima Philosophiæ, & Theologiæ, quæ attexuntur operibus sancti Thomæ, & eius summæ.

Iacobus Sadoletus, de laudibus philosophiæ, de regno Hungariæ à Turcis oppresso, orationem adhortans in Turcas, Commentarios in Epistolam ad Romanos, in Psalmū quinquagesimum, nonagesimum tertium, nonagesimum quintum, de morte Friderici Frigosij, epistolas multas, Latinæ puritatis laudatissimus scriptor.

Gregorius Cortesius in quartum librum sententiarum stylo elegantissimo, epistolas, & alia.

Christophorus de Iacobatijs, de Concilijs.

Iacobus de Puteo, Decisiones.

Gaspar Contarenus, de Concilio, de Rep. Veneta, de Elementis.

Reginaldus Polus de Concilijs, & alia multa.

Hieronymus Seripandus conciones elaboratissimas, & alia quædam.

Gulielmus Sirletus, vir Latinè, Græcè, Hebraicè in omni disciplinarum genere supra quàm credi potest doctus, in Psalmos, quæ Benedictus Aria adiunxit Biblijs Regijs.

Gabriel Paleottus de nothis & spurijs.

Antonius Carapha, in Biblia septuaginta interpretum in Concilia, & quædam è Græco in Latinum translata.

Hieronymus Albanus de Concilijs, consilia, commentarios in jus Ciuile.

Augustinus Valerius Rhetoricam Christianam.

Constantius Sernanus concordiam S. Thomæ & Scoti.

Plurimi sunt etiam præter hos è numero Cardinalium, quorum scripta non potuimus hîc recensere, satis habentes hæc attulisse, è quibus apertissimum fit nullum fuisse vmquam collegium tam paucorum, è quo tot scriptores in omni disciplinarum genere prodierint, quot ex isto. Nos enim numerauimus tantùm qui ante annos trecentos fuerunt, reliquis omissis: & tamen Cardinales vsq; ad Xystum IV. non attigerunt numerum XXX. vsq; ad Leonem X. non peruenêre ad LIII. numquam fuêre septuaginta, vt è libro Panuini de Cardinalibus liquet.

Ad summam in Theologia & Philosophia simul maximè præstiterunt sanctus Bonauentura, Matthæus de Aquasparta, Thomas de Vio, Constantius Sernanus, Petrus Aylliacensis.

In diuinæ scripturæ interpretatione, Hugo Barchinonensis, & sanctus Bonauentura.

In Philosophia, tum prædicti, tum verò Nicolaus Cusanus, Bessarion, Hermolaus Barbarus, Gaspar Contarenus.

In Mathematicis, Petrus Aylliacensis, Cusanus, Hermolaus Barbarus.

In iure Canonico, Hostiēsis, Zabarella, Nicolaus de Tudescis, Turrecremata, qui & Theologus etiam fuit, Iacobatius, Puteus, Paleottus, Albanus.

In linguæ Hebraicæ cognitione Sirletus, Hieronymus Aleander.

In Græca Bessarion Cardinalis, Iulianus Cæsarinus, quòd in Concilio Florentino liquet, Hermolaus Barbarus, Sirletus, Carapha.

In Latina Bembus, Sadoletus, tam prosa quàm versu excellentissimi, Gaspar Contarenus, Reginaldus Polus, Augustinus Valerius.

Deniq; in omni disciplina, Petrus Aylliacensis, Nicolaus Cusanus, Hermolaus Barbarus, qui & Medicinæ peritus fuit.

Quid igitur amplius exigas à Cardinalium sacrosancto collegio? Aliud ex aduerso huiusmodi ab hæreticis, aut qui busuis alienis producatur; cui tam pauci semper fuerint, ac tot tantosq; dederit litteratos.

Ter-

Tertius locus debetur Episcopis. Nam qui sanctus Augustinus, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, alijq; multi? sed mittamus antiquos. Quinam, quæso, Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis? quinam Tostatus Abulensis, Petrus Episcopus Parisiensis cognomento Sentẽtiarum Magister? Sed hac de re haud disputandum: in clarissimis enim versamur.

Quartus meritò viris religiosis, è quibus selecti Pontifices, Cardinales, & Episcopi litteratissimi omnium. Inter hos quanti Beda Anglus, Thomas Aquinas Italus, Dionysius Carthusianus Germanus, & innumeri quos esset infiniti operis recensere? Illud sit satis dixisse. Nisi Bonifacius Anglus ex ordine sancti Benedicti fuisset, nullum litteraturæ genus in Germania fuisset: ac nisi Augustinus Romanus ex ordine eodẽ prodijsset, nullos haberet Anglia scriptores.

Ac nisi Beda res Anglicas, VVitichindus Saxonicas, Rhegino, Marianus Scotus, Sigebertus, Vrspergensis, Hermãnus Contractus, Ademarus, tum Germanicas, tũ Frančicas res scriptis consignassent, qui fuerunt omnes ex ordine sancti Benedicti; Germanicæ nobilitatis illustrissima facta altissimis tenebris sepulta prorsus laterent.

Ex his igitur omnibus fit, soli Ecclesiæ nostræ contingere diuinitus vt abundet omni scientia, quod Paulus monebat, quin omni illius genere, vt idem cupiebat, sit repleta, ac proinde Ecclesia Dei sit. Hæretici verò quando hoc nõ habent, quin plerumq; vel ipsam omninò scientiam repellant, quod Deus apud Oseam conqueritur; vel, cum sit proprium scientiæ, vt firmiter in re scita consistamus, certa ab incertis distinguentes, quod nisi agamus magis opinamur, quàm sciamus, semper addiscentes, numquam ad scientiam, dicebat Apostolus, peruenientes, in rebus scitis non persistant non sunt illi ex Ecclesia Dei.

1. Cor. 1.
Philip. 1.
Rom. 15.
Ose. 4.
2. Tim. 2.

FINIS LIBRI SEXTI.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LIBER VII.

SIGNVM VIGESIMVM QVINTVM.

Perpetua Sanctorum successio.

Necesse est in Ecclesia Dei semper adsunt viri sanctimonia præstantes, & illustrißimi; quos esse in Ecclesia nostra, ac fuisse semper, ex quo vel Græci à nobis, vel Protestantes fecere discesßionem, tales verò neq; esse, neq; fuisse inter ipsos, est manifestum.

CAP. I.

PRoculdubio Christum sequitur, quocumque ille se confert, sanctitas diuina, quæ ab ipso toto tius innocentiæ fonte in Ecclesiam dimanat. Ipse namq; sanctorum sanctus, *de cuius*, (ait Ioannes,) *plenitudine nos omnes accepimus.* Hinc Zacharias cecinit, *Iurauit Deus ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram illo omnibus diebus nostris.* hæc Zacharias, apertè pronuncians fore vt Deo seruiamus post aduentum Christi in sanctitate & iustitia, non aliquo dumtaxat tempore, & hora, sed omnibus vitæ nostræ Idem vaticinatus est Dauid, inquiens: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.* Igitur quamdiu durabunt dies, sanctitudo ornabit Ecclesiam Dei. Quòd si nobis omni tempore, die, atque hora credenda sunt quæ symbolo Apostolico cōtinentur; & in illo habetur, *Credo sanctā Ecclesiam Catholicā*; nullo non momento sanctā erit Ecclesia: sancta porrò non dicitur aliqua ex parte, sed omninò quantum fieri diuinitus datur in terris. Ex his itaque fit Ecclesiam Dei sanctorum perpetua successione illustrandam semper. Atque hoc nulli vmquam cœtui contigit, nisi nostro; quo-

Luc. 1.

Psalm. 92.

quocirca hic erit Ecclesia Dei. Palàm verò fit hoc non modò è vitæ puritate, sed è miraculis etiam, quæ solummodo Deus operari potest, vt per illa cunctis testata sit sanctorũ cælestis integritas, ac doctrina; Domino scilicet cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, vt ait Marcus; alioquin quæuis factio vendicare aliquibus suorum vellet, atque auderet, commenticiam & adumbratam sanctimoniam. Nostrorum verò innocentia tam celebris fuit, atque illustris, vt non modò cælesti quodam vitæ candore totius orbis partibus illuxerit, non aliquo terræ angulo delitescens, sed miraculis humanas vires superantibus coruscarit. Propositum nunc ostendamus apertissimis euentis; & omnia sæcula singillatim circumspiciamus, quæ sunt, ex quo à nobis Græci secesserunt. Atque hîc non adducemus exempla sanctarum fœminarum, quæ plurimæ sunt, non eorum qui in solis aut secretis locis vixêre, sed illorũ qui in oculis orbis ferè totius vixêre, & alijs regendis præfuêre. Nam qui tales sunt, necesse est obtegere non possint, si quid vel leuissimi vitij habuerint aliquando: cùm virum, quod ait ille, magistratus ostendat; & eorum, qui in excelso loco positi sunt, vita oculis omnium sit aperta; gesta verò ab vniuersis examinentur, & facillimè inuidiam vituperationemq; subeant. Certum porrò est eos sanctiores, qui accesserint propiùs ad exemplar Christi, in quo hæc fuerunt proculdubiò; integerrima castimoniæ inexplicabilis puritas; omnium rerum humanarum, vbi opus erat, contemptus; miraculorum splendor. Christus deinde præfuit alijs, familiam duxit, quę est ipsius Ecclesia, in conspectu vniuersorum vixit. Sed ad rem veniamus, initiumq; sit nobis à sæculo nostro.

Sæculum XVI.

Aloysius Bertrandus ex ordine sancti Dominici defunctus est vita anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo, cuius acta omnia Valentiæ publicis testimonijs sunt examinata, & scriptis publicis consignata. Multis in locis Dominicanorum familijs, & è superiore loco Euangelium Christi explicauit in Hispanijs; deinde in Indias Occidentales traijciens innumeris gentibus Catholicam doctrinam, verum Dei cultum tradidit, & cùm loqueretur Hispanicè, mirabiliter tamen hoc accidebat, vt Indi, qui Hispanicè nesciebant, & varijs vtebantur linguis, vim tamen verborum ipsius intelligerent. Inter eos mortuam puellam reuocauit ad vitam. Venenum bibit abundè sine

vllo nocumento, ad consignandam publico hoc miraculo suam doctrinam, plurimos ægrotos curauit, ac sanitati restituit, omni virtutum genere floruit, & ex Indijs reuersus Valentiæ decessit. Ignatius Loiola, Hispanus & ipse, vita migrauit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. Hic amplis opibus relictis, & humanis omnibus neglectis, cùm se totum diuinis dedisset, quantos fecerit progressus, ex eo possumus conijcere, quòd celeberrimam Iesu Societatem constituit, cuius est in Euangelio, vt Pauli verbis vtar, maxima laus apud omnes. Aliquando autem cum totus esset in cælestibus contemplandis, sic extra sensus est positus, vt integris septem dieb. ab ijs abstractus perstiterit. id plurimi viderunt, qui mandassent eum sepulchro, nisi è statu corporis erecto & tenui cordis motu viuentem percepissent, scissentque illi sæpius, licet non tanto tempore, id contigisse. Idem Barchinonæ hominem, qui laqueo se suspenderat, & omnes mortuum lamétabantur, precibus ad vitam reuocauit, in qua, vt omnes agnoscerent esse miraculum, tamdiu permansit quoad peccata sua sacerdoti ritè est confessus. multis ægrotis sanitatem restituit. multa præuidit antè futura. In Hispania, Gallia, & Italia ad puriorem vitam suis verbis & exemplo vitæ traduxit innumeros, è quibus Franciscus Xauerius obijt anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, cuius fama non modò Europæ, Africæ, & Asiæ præcipuas regiones, in quibus ille Christi Euangelium prædicauit, sed quidquid orarum circumfluit Oceanus à Gadibus extremis vsque ad vltimos Sinas & Iaponios, in quibus ille Christi cultum latissimè disseminauit, peruagatur. Mortuos duos ad vitam reuocauit. In Iapone muto cuidam, & pedibus capto vsum linguæ, & ingressum, surdo auditum, alteri item surdo mutoq; sanitatem mirabiliter restituit; innumeros diuinitus curauit viuens, & curat adhuc eius cadauer, quod Goæ adseruatur. quin libellus eius manu descriptus cùm religiosè à pia quadam fœmina custodiretur, plurimos desperata valetudine sanauit: idemque præstitit flagellum ipsius quoddam; dæmonasque multos ex obsessis corporibus & fugauit, & fugat. Hic præter alias virtutes virginitatem seruauit. Anno millesimo quingentesimo septimo obijt Franciscus Paulanus, cuius sanctitas vbique refulget ob institutum ab ipso ordinem religiosorum. is quatuor mortuos ad vitam reuocauit; cæcis mul-

Petrus Maff. in vita & histo. Ind.

Sur. tom. 2. April. 2.

tis

tis oculorum, mutis vſum linguæ mirabiliter restituit; illæſus in ardentem ſe fornacem conijciens eſt egreſſus, prunas ſæpius abſque vllo nocumento contrectauit, annos nonaginta in ſumma vitæ duriſſimæ auſteritate tranſegit, ac virgo deceſſit. Hic eſt, qui precibus ſuis Claudiæ ſterili impetrauit partum, ex quo Franciſcus primus Francorum Rex, à ſancto ob id nomen mutuatus, venit in lucem. Idcirco non in Italia modò, vnde erat oriundus, ſed & in Gallijs celeberrima fama diu vixit à Ludouico Rege maximis precibus expetitus, & è Calabria vocatus. Atque hi noſtro ſæculo inter alios ſancti exſtiterunt, qui contemptis opibus, ac delicijs omnibus, toti erant in diuinis. Ex his duo familias religioſorum conſtituerunt, certaſque ijs leges præſcripſerunt, quibus volentes ſe obligare poſſent, Franciſcus, & Ignatius. Ex his item duo virginitatem tutati ſunt intactam, Franciſcus Paulanus, & Xauerius. Duo denique ex illis cultum Chriſti diſſeminarunt inter barbaras gentes, Franciſcus Xauerius in Indijs Orientalibus, Aloyſius Bertrandus in Occidentalibus. Quilibet ex iſtis aliquem defunctum vitæ reddidit; quod ſolummodo Deus efficere poteſt, & qui Deo profeſs addicti tanta dignati fuerint poteſtate, ſicut & cæcis reſtituere lumen.

Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto defunctus eſt Iacobus Picenus, cuius corpus Neapoli eſt ſepultum; laudeſque ipſius elegantiſſimis verſibus perſecutus eſt Iacobus Sannazarius: celeberrima fama fuit in Italia, Germania, Boſſina, Bohemia, Hungaria, Polonia, Dalmatia propter admirabiles rerum ſacrarum conciones, ſanctitatemque diuinis operibus conteſtatam. Obijt virgo. Inter alia, quæ mirabiliter egit, eſt illud: Brixiæ Iudæus puerū Chriſtianum ſtrangulauit, mortuumq; parieti incluſit; parentes eum quatuor dies quæſierunt; ſanctus, vbi eſſet, diuulgauit, deiecto pariete eductoq; viuumq; patri reſtituit. Brandiburgi cæco lumen, muto loquelam reddidit. In Bohemia plurimi hæretici petierunt ab eo, vt poculum veneno plenum, quod ipſi miſcuerant, biberet: ſic enim, dixerunt, credemus. bibit ille intrepidus, maxima multitudine ſpectante, nihilque eſt læſus. Neapoli defunctus, puellæ cæcæ lumen, mutæque vſum linguæ reddidit. in ea vrbe innumera viſuntur miracula in tabellis ad eius ſepulchrum depicta. Anno milleſimo

Sæculum XV.

Annal. Franciſc.

qua-

quadringetesimo sexagesimo tertio decessit Didacus è sancto Nicolao, cuius in Hispanijs celeberrima est fama: is mortuus mortuam puellam suscitauit. Hispali cùm mulieri deflenti filium, qui in ardentem furnum deciderat, occurrisset, miseratione commotus dixit ei, vt ad imaginem quamdam sanctissimæ Virginis preces ad Deum faceret; quod cùm fecisset illa, ad locum reuersa inuenit in furno illæsum puerũ, quamuis ibi perstitisset quousq; ligna omnia, quæ plurima erant in furno, absumpta fuissent. cæcos, surdos, mutos, ægrotosq; innumeros sanauit. Exstant acta miraculorum, testibus iuratis, & examinatis à notario publico conscripta, magnæq; auctoritatis viris præsentibus confecta iussu Archiepiscopi Toletani. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, cùm Carolus Princeps Hispaniarum, Philippi nunc viuentis Regis filius, desperata valetudine à medicis, ægrotaret; vbi tetigit sancti corpus, conualuit. Atque hic in sanctos est relatus anno superiori à Sixto Quinto. Anno millesimo quadringentesimo quingentesimo sexto obijt Ioannes à Capistrano, qui mortuus mortuos octo excitauit ad vitam; plurimis cæcis, mutis, surdis, ægrotisq; rectum membrorum vsum restituit concionatus est publicè, confluentibus innumeris hominibus, in Italia, Gallia, Germania, Hungaria, Bohemia, Polonia. Multas illi laudes datas à summis totius Europæ Principibus refert Ioannes Cochlæus libro de historia Hussitarum. Anno autem millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, defunctus est Bernardinus Senensis, qui collapsam sancti Francisci religionem reuocauit ad pristinum sanctimoniæ studium. Defunctus Aquilæ puerum aquis submersum reuocauit ad lucem, alteram item puellam nomine Matthiam, quæ simili casu obierat. In castro veteri puerum similiter annorum tredecim, & in Gallia Cisalpina puellam. Fulgineæ, chorda, qua se ille præcingebat, sex cæcis est lumen restitutum. Meminit tam Bernardini, quàm Ioannis Capistrani, magna cũ laude sanctitatis Calchochondilas Græcus scriptor. Per eadem tempora euolauit ad superos Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetiarum, & auctor ordinis Canonicorum, qui vocantur sancti Georgij in Alga. Ad eius sepulchrum plurima edita miracula, quibus etiam viuens resplenduit: ea si quis scire volet, legat illius vitam satis eleganti stylo scriptam. Anno millesimo quadringentesimo nono

Sur. tom. 3. Maij 20.

Sur. tom. 1. ian. 8.

nono migrauit è vita Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui adolescẽtem defunctum è familia Filicaia Florentiæ suscitauit. Innumera prædixit: inter alia cuidã mercatori, ab vndis ipsi magnum imminere periculum. quocirca cùm prope Venetias naue submersa, esset ille in periculo, sancti opem absentis implorauit, qui adstitit illi mirabiliter, & capillis apprehensum ex aquis eduxit. Anno millesimo quadringentesimo decimo octauo in cælum translatus est Vincentius Forerius, qui suis concionibus Hispanos, Gallos, Britãnos, Teuthonas, Ligures, Allobrogesq; instruxit; triginta millia tum Iudæorum, tum Sarracenorum perduxit ad Christum, suam doctrinam miraculis semper, vbi imponebat oratiõi habitæ finem, continuò consignabat, ægrotis plurimis protinus imposita manu sanatis. virgo permãsit, prope Barchinonem quindecim panibus dumtaxat hominum tria millia, qui ipsum comitabantur, satiauit. Tres defunctos, dum vixit, ad lucem reduxit; in his puerum, quem mater amens in frusta discerptũ coxerat. cæcis multis oculorum, mutis linguæ, surdis aurium vsum restituit. plurima palàm prædixit. in precibus sępè visus est ingenti luce circumfusus. Huius & Antonini vitam, sicut aliorum multorum quos omittimus, elegantissimè scripsit Ioannes Antonius Flaminius. Hos igitur illustrissimos sanctimoniæ laudibus Ecclesiæ suæ Deus dedit, vt alios sileamus, quintodecimo sæculo. Ex his duo virgines fuêre vsq; ad ætatem summam, Vincentius, qui vixit annos septuaginta quinque, & Iacobus Picenus: duo præfuêre primarijs Italiæ ciuitatibus, Laurentius Venetijs, Antoninus Florentiæ: duo collapsos ordines religiosorum reuocarũt ad pristinam puritatem, Bernardinus Franciscanorum, Laurentius Canonicorum. Atq; his temporibus capta Constantinopolis à Turcis.

Hist. Domin.
Sur. tom. 3. Maij. 2.

Sur. tom. 2. April. 5.

Anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto abijt in cælum Venturinus Bergomas ex ordine Dominicanorum, clarissimus ætatis suæ concionator nõ in Italia modò, sed & in Hispanijs, Gallijs, Britãnia, Germania, Dalmatia, & aliquibus Græciæ locis. Sæpè ex illius facie, dum verba faceret è superiori loco, maximus cunctis cernentibus splendor eluxit. In Gallia mortuum suscitauit, quod narrare solitus erat Humbertus Princeps vt vocant Delphinus, innumera edidit miracula, tũ viuens, tum defunctus. Anno 1034. migrauit ex hac vita Benedict⁹ XI. Põtifex Ro-

Sæculũ XIV. Annal. Domin.

manus,qui singulari fuit sanctitate, quam miracula diui-
na consignarunt. Inter alia fœminæ cuidam, filioq; ipsius
lumen oculorũ restituit iam defunctus. Alteri similiter pe-
dibus capto robur,& ingressum liberum,atq; integrum,a-
lijs verò alia multa diuinitus beneficia præstitit, vt ex eius
vita constat,& ijs,quæ ad ipsius monumentum Perusię pa-
làm contigisse,cunctis liquet. Per hæc etiam tempora flo-
ruit Ludouicus Episcopus Tholosatium, filius Caroli Sici-

Sur.tom.4. August 19.

liæ Regis,ad eius sepulchrum mortua mulier reuixit, sur-
di,muti,cæci,ægrotiq; innumeri curati:virgo decessit,spre-
tisq; delicijs,& opibus cunctis,totum se Deo,diuinisq; reb.
à pueritia deuouit. Illustrissima fuit etiã, sanctitas Eleazarij

Sur.tom.5. Septem.19.

Comitis Ariani hac ætate,qui vnà cum coniuge virginita-
tem custodiuit illibatam,& multis est nobilitatus miracu-
lis à Deo. Atq; hi fuêre quarto decimo sæculo diuini viri
in Ecclesia nostra;è quibus duo virgines, Ludouicus,& E-
leazarius,nobilissimo genere orti:duo ex ordine Domini-
canorum, Venturinus,& Benedictus:duo ex instituto Frã-
ciscanorũ Ludouicus,& Eleazarius qui fuit ex ordine ter-
tio,vt vocant.duo Episcopi,& alter sanè summus omniũ,
Benedictus,alter verò nobilissimæ ciuitatis Tholosæ.

Sæculum. XIII.

Anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto obijt
Ambrosius Senensis, perpetuæ virginitatis integerrimus
custos:cuius in orationibus ad populum faciendis celeber-

Annal. Domin.

rimũ fuit in Italia & Germania nomen. is tribus cæcis ocu-
lorum vsum reddidit,defunctos duos vitæ restituit,multis
surdis auditum,& ægrotis innumeris sanitatem mirabili-
ter diuinitus impetrauit,vt ex eius actis apparet; fuit autẽ
Dominicanus. Anno millesimo ducentesimo septuagesi-
mo quinto excessit è vita Raymundus è Pennaforte Hispa-

Sur.tom.1. Ian.6.

nus,qui ob doctrinam vitęq; integritatem fuit à Gregorio
IX. Episcopus Barchinonensis creatus, cui dignitati paulò
pòst ille renunciauit, sicuti & magisterio generali totius
ordinis Dominicani:tot aũt miraculis est illustratus,vt in-
ter alia mortuos quadraginta ad vitam reuocasse narretur
& aliquando ex Insulis Balearibus pallio super aquas inie-
cto insidens Barchinonem venisse. Anno millesimo ducen-
tesimo septuagesimo quarto cælum petijt Bonauentura
Cardinalis,cuius fama ob magnam vitæ sanctimoniam,&
in concionibus sacris habendis efficaciam, multis Europę
partibus fuit illustris. Is inter alia miracula Simonæ Lug-
dunensi fœtum mortuum reuocauit ad vitam: ob id in ca-

prouincia maximè inuocari solet eius auxilium ab ijs mulieribus, quæ gestant vterum. paralyticos nonnullos leprosos, aliosq; ægrotos desperata valetudine sanauit. Obijt hoc etiam sæculo Cælestinus Pontifex, Petrus Moroneus antea vocatus, qui Pontificatu abdicauit, summæ vir sanctimoniæ, ob quam multis miraculis comprobatam, multorumq; testimonijs consignatam in sanctorum numerum à Clemente Quinto est relatus. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo mortuus est Thomas Aquinas; cuius doctrina, vel ipsis Græcis nomini nostro infensis admiranda, toti orbi illuxit: fremant, vt volunt, hæretici. virginitatem semper intactam custodiuit. Ioannes Ferentinus ambobus oculis captus cùm faciem defuncti osculatus esset, lumen recepit. Mulier aliquando Romæ, cùm vir sanctus ad S. Petri de rebus diuinis verba esset facturus, ad eius pedes accidens, à fluxu sanguinis, quo diu laborauerat, est sanata. innumera porrò illius miracula refert Ioannes Antonius in eius vita elegantissimo stylo scripta. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo vita migrauit Iacynth' Polonus, qui diuinis sermonibus Italiam, Germaniam, Bohemiam, Hungariam, Poloniamq; illustrauit. Inter alia duabus matribus efflagitantibus duos filios defunctos diuersis in locis ad vitam reuocauit. Duobus cæcis lumen restituit, & plurima præterea miracula effecit. Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto euolauit in cælum Iordanus Saxo, qui toti Europæ suis concionibus affulsit. Pragæ puerum, quæ mater enixa est mortuum, iam mortuus ipse ad vitam precibus inuocatus reuocauit: paralyticæ sanitatem mirabiliter restituit. Cùm sanctus vir diuino consilio ad Acconem fracta naui in mari submersus esset, cælitus supra corpus eius maximus splendor est delapsus, & admirabilis quædam crux. dubitanti cuidam ob hoc euentum de sanctitate illius, & pessimam vitæ rationē inire cogitanti, adstitit de nocte sanctus immensa luce circumfulgens, & propositum mutare compulit. Anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto euolauit in cælū Frāciscus Assisias, & millesimo ducentesimo vigesimo primo Dominicus Hispanus, auctores ordinum maximorum: de quibus quid attinet aliquid dicere? Et sancti quidem Francisci vitam latè pietatis plenissimo stylo descripsit sanctus Bonauentura Cardinalis, sancti verò Dominici, Latinæ linguæ purissimo & elegantissimo sermone, Ioannes Anto-

Sur. tom. 3 Maij 19.

Sur. tom. 7. Feb. 13.

nius Flaminius Forocorneliensis, vir magnæ doctrinæ, nobilitatis, & iudicij. Duo porrò hi, Dominicus, ac Franciscus, ordinum religiosorum inter suos primi auctores, & institutores, meritò vocari possunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia, de quibus in Apocalypsi Ioannes. Ab his enim verè dicta est Ecclesia Dei domus ruinam quodammodo minans institutis suis, & cælesti vitæ innocentia sustentari. Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto mortuus est Antonius, q. Patauinus dicitur, cùm sit Vlyssiponensis, qui in Italia, & Francia, alijsq; præterea Christiani nominis regionibus veræ pietatis prædicatione floruit. Ab hoc quàm miranda, & omninò diuina fuerint effecta dum viueret, ac post obitum, nimis esset longum referre: quamuis nemo vel in historijs sacris mediocriter versatus, tanti viri illustrissima gesta ignoret, satis hoc nobis sit retulisse, quòd mortuos quatuor ad vitam reuocauit. Deniq; decimum tertium hoc sæculum innumeros sanctimonia præstantissimos viros protulit, ita vt omnium felicissimum fuisse videatur. Nam præter supradictos insigni sanctitatis laude floruerunt, plurimis diuinitus illustrati miraculis, Gulielmus Archiepiscopus Bituricensis, Richardus Cicestrensiũ; ad cuius sepulchrum tres mortui ad vitam rediêre, Engelbertus Coloniensium, Eadmundus Cantuariẽsium, VVilelmus Briocensium, ad cuius tumulum duo defuncti reuixerunt, Stephanus Diensium, qui mortuam reuocauit ad vitam, Thomas Herefordensium, qui anno millesimo ducentesimo octuagesimo septimo decessit, & ad eius ossa, dictu mirabilissimum, sexaginta mortui excitati, quadraginta cæcis lumen restitutum, omnes Episcopi diuinitate pleni. Quid, quòd hac ætate vixit Ludouicus ille Francorum Rex, obijt namq; anno millesimo ducentesimo septuagesimo.

Sur. tom 1.
Ian 10.
Sur. tom. 2.
April 3
Sur. tom. 6.
Nou 3.
Tom 6.
Nou. 20.
To. 4. Iul. 29.
To. 5. Sep. 7
To 5. Octo. 2.

Sæculum.
XII.

Sur. tom 6.
Nouemb. 17.
Sur. tom 3.
Maij 8.

Veniamus igitur ad sæculum duodecimum, in cuius exitu decessit è vita Hugo Episcopus Lincolniensium monachus antea Carthusianus, ad cuius tumulum mortuus reuixit, ac cæci nonnulli visum receperunt. Anno millesimo centesimo septuagesimo primo Petrus Archiepiscopus Tarantasiæ obijt, monachus antea Cisterciensis. Duobus hic cæcis oculorum lumen restituit, claudis aliquot integritatem, surdis similiter, ac mutis, ægrotis verò innumeris sanitatem. Anno millesimo centesimo septuagesimo cæsus est Thomas Episcopus Cantuariensium: ad cuius sepulchrum,

chrum, & mortuis vita, & cæcis videndi vis, & mutis loquēdi mirabiliter reddita. Anno millesimo centesimo quinquagesimo defunctus est Anthelmus Episcopus Bellicensium, monachus antea Carthusianus, ad eius sepulchrum tres lampades diuinitus accensæ, mortuo vita reddita, sanitas plurimis ægrotis. Hac etiam ætate floruit Malachias Hyberniæ Episcopus; cuius vitam, & miracula nonnulla à se visa, sicut alia ab alijs narrata, describit Bernardus, qui & ipse decessit anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, cùm monasteria centum quinquaginta condidisset, & miracula innumera edidisset in Gallijs, Italia, & Germania, de quibus tum qui vitā ipsius descripsit, tum Helmoldus eorum temporum scriptor. nam multis mortuis vitam, visum cæcis, alijs verò ægrotis innumeris restituit sanitatem. eadem prestitit Vbaldus Episcopus Eugubinorum, ciuis meus, per quem Deus adhuc multa mirabiliter præstat, & his temporibus vixit, nec non Ottho Episcopus Bambergensis, qui Pomeranos Christo conciliauit hac tempestate, & multis est insignitus miraculis, de quibus Trithemius in vita ipsius. Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto vita decessit Leopoldus Austriæ Marchio, cuius inuocatione cæcis multis lumen, mutis loquela, surdis auditus restitutus, mortuis denique viginti tribus vita. Anno millesimo centesimo trigesimo quarto migrauit è terris Nortbertus ordinis Præmonstratensis institutor, & Archiepiscopus Magdeburgensis, qui multa prædixit, multisque est miraculis illustratus, vt alij, de quibus est actum: & millesimo centesimo decimo octauo Godefridus Episcopus Ambianensium, monachus antea Carthusianus, virginitatis integerrimæ custos: & millesimo centesimo nono Anselmus Episcopus Cantuariensium, qui & cæcis reddidit oculorum vsum, & alijs ægrotis sanitatem. Denique vt finem faciamus, ipso duodecimi sæculi initio cælitibus est adsociatus Bruno vir sanctissimus, Carthusianorum pater, de quo non est quòd multa dicamus. Propè remus ad vndecimum; in cuius fine, vitæ finem fecit Robertus primus Abbas ordinis Cisterciensis, qui in medijs flammis matri opem sancti precibus imploranti puerum seruauit mirabiliter illæsum; alteri verò filium similiter paruulum à lupo abreptum, longissimeq; asportatum, ab eodem lupo reportari iussit: & hęc præter alias diuinas curationes.

Sur. tom. 6. Decem. 29.
Sur. tom. 3. Iun. 26.
Lib. 1 ca. 60.
Sur. tom. 3. Maij 16.
Sur. tom. 4. Iul. 2.
Sur tom. 6. Nou. 15.
Sur. tom. 3. Iun 6.
Sur. tom. 6. Nou. 8.
Sur. tom 5. Oct 6.
Sur. tom 2. April. 25.

Sæculum XI.

Sur. tom. 7. Feb. 22.

Anno millesimo octuagesimo primo decessit Arnulph⁹
Episcopus Suessionẽsium, qui inter alia duobus cæcis red-
didit lumẽ, muto loquelam: & millesimo octuagesimo Pe
trus Damiani Cardinalis decessit: multis laudatus miracu
lis, ac signis. millesimo septuagesimo secundo interfectus
est Stanislaus Episcopus Cracouiẽsis, qui triennio iam de
functum reuocauit ad vitæ munera, cumq; de iussu Boles-
lai Regis trucidatus esset, & eius corpus in frusta discerptũ
per diuersa loca proiectum fuisset, vt à bestijs deuorare-
tur, quatuor illud aquilæ tutatæ sunt, donec miraculo ad-
moniti viri religiosi membra dissecta in vnum collegerũt;
eaq; diuinitus in vnum corpus iterum coierũt. Multa præ-
ter hæc ad eius ossa miracula acciderunt. Anno millesimo

Sur. tom. 1. Decemb. 4.

septuagesimo quinto obijt Hanno Episcopus Coloniensi-
um, de quo mirum quàm mira, & quàm multa opera diui
nitus ac mirabilissimè edita scriptis prodantur. Anno mil
lesimo quinquagesimo octauo Stephan⁹ IX. Pontifex mori
tur, cuius sepulchrum plurimis est nobilitatum miraculis,
ipse autem in sanctos relatus. Anno millesimo sexagesimo
septimo VVolstanus Episcopus VVigorniensis è vita mi-

Sur. tom. 1. Ian. 19.

grauit, ad eius tumulum puero lingua, quam nouerca absci
derat, est reparata, cæcis quinq; visus oculorum restitutus,
mutis quatuor linguæ, mortuis tribus vita; cumq; cuidam
iuueni fuissent oculi effossi, excitauit illi sanctus in profun

Sur. tom. 2. Mar. 18.

do illorum nouas pupillas. Anno millesimo sexagesimo
sexto ad superos concessit Eduardus Anglorum Rex, qui
tactu manuum suarum strumosam sanauit, & huiusmodi
priuilegium ad posteros Angliæ Reges diuinitus conces-
sum transmisit: aqua, qua manus abluerat, cæcis tribus est
oculorum lumen redditum, ad eius autem monumentum
sex. in virginitate permansit. Anno millesimo quinquage-

Sur. tom. 4. Iul. 12.

simo Canutus Danorum Rex ab impijs est occisus, innu-
merisq; à Deo miraculis est illustratus, quæ Saxo ex parte
recenset, & habentur in eius vita. Anno millesimo qua-
dragesimo octauo in cælum translatus est Odilo Abbas
Cluniacensis, cuius, dum viueret, in Gallijs & Italia ce-
leberrimum fuit nomen. Inter alia cæco lumen, muto lo-
quelam reddidit, aquam bis in vinum mutauit. aqua simi-
liter benedicta amentem curauit, & affectũ morbo comi-
tiali strumosumq; crucis signo. Anno millesimo quadrage
simo decessit Ioãnes Gualbertus auctor ordinis Vallis Vm
brosæ innumeris miraculis clarus, quæ piget referre. mille

ſimo trigeſimo quarto defunctus eſt Stephanus Hungarorum Rex, ad cuius ſepulchrum mortui nonnulli vitam, cæci oculorum, muti vſum linguæ, ſurdi auditum, plurimiq; ægroti ſanitatem receperunt. Paulò ante ipſum deceſſit Emericus eius filius, vir ſanctiſſimus, & plurimis miraculis item clarus. Anno milleſimo vigeſimo ſexto Bononius Abbas deceſſit, qui multa in Aegypto & Italia conſtruxit monaſteria, vel ad meliorem formam redegit: ad eius tumulum plurima edita ſunt miracula, quæ proprio libro comprehenſa leguntur. Deniq; milleſimo trigeſimo quarto vita exceſſit Henricus I. Imperator, vir ſanctiſſimus, & miraculis etiam clarus, vt Bambergæ adhuc ad eius ſepulchrum cuiuis apparere poteſt: obijt illæſa virginitate. Nullum verò ſæculum tot Reges ſanctimonia illuſtres produxit, ac præſens de quo eſt actum.

Sur. tom. 7. Aug. 30.

Decimum iam percurramus. Igitur anno noningenteſimo nonageſimo nono ordinatus eſt Epiſcopus Colonienſis Heribertus: vino, quo poſt peracta ſacra manus ille abluit, cæcæ lumen eſt reſtitutum: cùm de nocte preces ad Deum funderet, ſæpiùs luce maxima viſus eſt circumfulgere. multos viuens ægrotos ſanauit, paucis autem poſt obitum diebus homines quadraginta nouem diuerſis modis liberati. Anno nongenteſimo nonageſimo ſecũdo, vita deceſſit Oſvvaldus Epiſcopus VVigornienſis, à quo innumera edita miracula, & ſcriptis prodita leguntur. Idem de Maiolo Abbate Cluniacenſium memoriç eſt proditum, qui in Gallijs & Italia plurimum valuit auctoritate his temporib. ſimilia de Etheluoldo Epiſcopo VVintonienſium, ad cuius tumulum duo cæci viſum recepêre, narrantur, & de Bervvardo Epiſcopo Hildeſienſium, qui obijt anno noningenteſimo octuageſimo; & Vdalrico Auguſtanorum, qui noningenteſimo ſeptuageſimo tertio. Eduardus Anglorũ Rex, dolo nouercæ Alfredæ, eſt occiſus anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Ad eius cadauer cæcæ vſus eſt oculorum reſtitutus, & alia edita miracula. & nongenteſimo ſexageſimo quinto Venceſlaus Bohemiæ Rex ab impio fratre eſt interfectus: per eum miracula infinita patrata ſcribit Dubrauius: virgo autem deceſſit. Anno nongenteſimo quinquageſimo mortuus eſt Adalbertus Epiſcopus Pragenſium, de quo à nobis eſt alias dictũ. Hac ætate floruit etiam Romualdus ille Camaldulenſium pater, & Dunſtanus Epiſcopus Cantuarienſis,

Sæculum X.
Sur. tom. 2, Mar. 16.
Sur tom. 5. Octo. 15.
Tom 3. Maij 11.
To. 4. Aug. 1.
To. 6. No. 20
To. 4. Iul. 4.
Sur. tom. 5. Sep. 28.
Sur. tom. 2. April 23.
To. 3. Iun 19.
Tom. 3. Maij 19.

de quibus non est quod aliquid referamus: illustrissima namque sunt cuiusuis generis opera illorum.

Sæculum IX.

Veniamus itaque ad sæculum nonum, in quod incidit Photij causa, cùm floreret Cyrillus & Methodius fratres, de quibus egimus, cùm de fidei propagatione verba faceremus, qui plurima edidêre miracula in traducendis ad Christum populis innumeris, vt ostendimus. Vixêre etiã maxima cum laude sanctitatis in Bohemia Boriuorius & Ludumilla coniuges, qui Bohemis imperabant; sed potestate deposita, filijsque suis tradita, tantùm rebus diuinis ac cælestibus operam dabant, eorumque innocentia multis est miraculis illustrata. Sub annum octingentesimum quinquagesimum Rumoldus Scotiæ Regis filius vixit, qui tantæ erat sanctitatis, vt inter alia puerum aquis submersum reuocarit ad vitam. Anno octingentesimo octuagesimo octauo decessit Rembertus Episcopus Hamburgẽsis, qui vt cetera omittamus, viuens lumen cæco reddidit, precibus tempestatem maris sedauit, dæmonas è corporibus obsessis fugauit, & alia mirabiliter diuina potestate cõfecit, quibus inter Danos, & Suedos Christi cultũ latè propagauit. Sub annum octingentesimum sexagesimum floruit Svvithinus Episcopus VVintoniensis, cuius plurimã sanctimoniam contestantia miracula prædicantur. Celebris etiam fuit in Anglia Adelstani, & Cutheberti, ob maximam vitæ puritatem plurimis etiam miris operibus illustratam, fama. Anno octingentesimo sexagesimo sexto vita excessit Ataulphus Episcopus Compostellæ, in quẽ cùm Rex Ordonius taurum indomitum ferocissimumq; ob falsam suspicionem de illo conceptam immisisset, taurus ad eius conspectum feritate deposita, cornua in manibus ipsius, ac si leuissimè eximi possent, dimisit: quam rem conspiciens Rex, religione perfusus, ad eius pedes accidit, ac supplex veniam petijt. Sancti porrò huius infula si capiti iurantis imposita esset, ijsque mẽdacium asseruisset, nequaquã poterat amplius eã exuere. multis præterea miraculis ipse claruit. Anno octingẽtesimo nonagesimo quinto cæsus est à Sarracenis in Hispania sanctissimus iuuenis Pelagius, qui cùm machina bellica longè in aëra fuisset eiectus, vt eius corpus ad scopulos allideretur, & tamẽ mirabiliter euasisset, iussu Sarracenici Principis capite est amputatus, eiusq; cadauer plurimis miraculis est illustratũ. Ataulpho Episcopo Cõpostellano, de quo suprà egimus,

Dubr. li. 4. 5. 6.

Sur. tom. 7. Iul. 1.

Sur. tom. 1. Febr. 4.

Sur. tom. 4. Iul. 2.

Roder. & Vasæus.

suffectus est Sisnandus, tantæ sanctitatis, vt in obitu ipsius auditæ fuerint Angelorum voces canentium, Veni electe Dei, & intra in gaudium Domini tui.

Verùm, ne simus longiores, quando hoc sæculo Græci cœperunt à nobis alienari malis artibus Photij, satis erit hucusque sanctorum virorum successionem perduxisse. Ostendant modò Græci, ostēdant Protestantes, an inter eos, ex quo nobiscum societatem diuiserunt, talis sit series sanctorum. Non poterunt, vel ipsis testibus; poterant antea. Ac ne videantur commenta producti à nobis; in primis id asserimus, ab historicis Grecis nullum recenseri è suis, quē Deus vllo miraculo nobilitarit, ex quo discesserunt à nobis. Amplius Zonaras Ignatium sancti nomine dignatur; is est qui nobiscum sensit; propter cuius defensionē Photius à nobis se abalienauit; postea verò neminem è Patriarchis cùm viginti recenseat, ornat huiusmodi titulo. Immo cùm plurimos ante ætatem Photij numeret sanctimonia præstantes viros in annalibus suis, neq; vnum quidem post illud tēpus innuit: & tamen ab anno octingentesimo sexagesimo tertio, quo Photius deiecto Ignatio sedē Constantinopolitanam inuasit, vsque ad annum millesimum centesimum decimū octauum, in quem desinunt scripta Zonaræ, intercedunt anni ducenti viginti quinq;. Atque hoc mirandum magis. Nam Zonaras monachus erat, & Ecclesiasticam historiam se scribere profitetur. Denique non omnino à nobis se Græci abiunxerant, nisi Michaele Cærulario sedēte anno millesimo quinquagesimo tertio, vt ostendimus suprà, cùm nos excommunicauit, quod deinde Greci retractarunt. Andronico autem Paleologo imperante, à nobis se prorsus abiunxerunt, vt dictum est, anno millesimo ducentesimo octuagesimo tertio. Igitur tēporibus illis, quæ Zonaras est suis annalibus complexus, nemo sanctimonia illustris inter Græcos apparuisse scribitur, & quem Zonaras post Ignatium sancti nomine exornet. Coniatas post Zonaram Græcorum gesta describit, homo nobis infensissimus. Hic narrat, imperante Manuele, tres, quos maximè ab innocentia vitæ laudat, viros floruisse, Michaëlem Patriarcham monachum Acuti monasterij, Cosmam Atticum similiter Patriarcham Constantinopolitanum, & Nicetam Episcopum Conarum. At nullo vmquam tempore Græci magis adhæserunt nobis post Photij dissidia, quàm Manuele imperante. Testis est

Zonaras, Coniatas, Gregoras, Græci Historici post discessionē factam nullos è suis nominant sanctos.

huius rei Gulielmus Tyrius, qui Manuelē ſcribit Latinis magis toto tempore, quo regnauit, fauiſſe, quàm Græcis: cùm duas vxores habuerit, ambas Latini ſanguinis duxit, alteram Alemannam, quam mirificè Coniatas laudat, alteram Italicam Principis Antiocheni filiam. Conſtantino autem filio dedit vxorem Helenam Ruperti Regis filiam. Denique adduximus ſuprà epiſtolam Theſſalonicenſis Archiepiſcopi reſcribentis Hadriano Papæ, & aſſerentis nihil diſcrepare Græcos à Latinis, Papam agnoſcit vt patrem (cæteros ait eſſe filios) vt principem, ſacerdotum, paſtoremque ſummum. Poſt Coniatam Gregoras hiſtoriam Græcanicarum rerum ſcripſit, qui miris laudibus Nicephori Blemmydæ ſanctitatem effert, ſicut etiam Georgius Pachymeres. At idem Gregoras apertè ſcribit in vita Michaëlis Palcologi Nicephorum nobiſcum ſenſiſſe. Præter hos nulli datur à Græcis hiſtoricis nomen ſancti, vſque ad tempora Andronici Paleologi, nam poſt ea nulli prorſus. Quæ cùm ita ſint, nullo modo fieri poteſt, vt inter eos ſit Eccleſia Dei, in qua neceſſe eſt ſit aliquis ſemper non quauis innocentia præſtans, ſed eiuſmodi, quæ ſit diuina, & diuina operetur.

Atque hîc adnotandum, quoties Græci ſibi aliquod arrogarunt iuris aduerſus Pontificis Romani auctoritatem, plerumque eo tempore Papam fuiſſe, qui diuina ſanctitate floruerit, diuinituſq; miraculis ſit illuſtratus. Verbi gratia cùm Patriarcha Anatolius in conſeſſu Chalcedonenſi ſibi primas poſt Pontificem Romanū deferri procurauit, & Antiocheni Patriarchæ ſibi ordinationem temerè deſumpſit, Leo Magnus ab omnibus mirè ob ſanctimoniam celebratus Romę ſedebat. Cùm Patriarcha Ioannes, imperante Mauritio, nomen ſibi vniuerſalis arrogauit, Gregorius Magnus Pontifex ſummus erat. Cùm Photius Ignatio deiecto ſedem Conſtantinopolitanam inuaſit, Nicolaus Magnus ſummam rerū Chriſtianarum tenebat, & anno octingenteſimo ſexageſimo quinto habito conuentu Epiſcoporum Romæ Ignatium priſtinæ dignitati reſtituit, Photiumque excommunicauit. Atq; ita tribus hiſce temporibus tres Pontifices ſederunt, qui ob magnitudinem rerum geſtarum Magni omnes ſunt vocati, & diuino viuendi genere illuſtriſſimi fuerunt. At cùm

Michaël Patriarcha est ausus Occidentales excommunicare, Leo Nonus erat Papa, qui & in sanctos relatus est, & Hermannus Contractus æqualis illorum temporum, cæteriq; scriptores miraculis nobilitatum diuinitus narrant. Postremò cùm Andronicus Paleologus iusta sepulturamque patri Michaeli negauit, Græciq; à nostra communione recessierunt, Martinus Quartus Turonensis Pontifex erat; ad cuius sepulchrum multos ægrotos, cæcos, claudos, mutosque sanitati restitutos, tum scriptores illorum temporum, tum Platina in ipsius vita tradit. Atque hæc sint satis, quantum pertinet ad Græcos.

Veniamus ad Protestantes, de quibus quid attinet dicere, quando antesignanus eorum Martinus Lutherus cùm Deo castitatem vouisset inter monachos Augustinianos, mox violata fide, quam Deo dederat, monachæ Catharinæ, quæ & ipsa Deo virginitatem consecrarat, persuasit vt idem faceret, incestasque ac sacrilegas cum illa nuptias contraxit, & scriptis editis euulgauit, idem cunctis licere, nec modò licere, sed maximæ virtutis id esse opus? Quid, quod scriptum reliquit: *Omnia opera bona, etiam optimè facta, sunt peccata, & quidem mortalia secundùm Dei iustitiam, venialia secundùm misericordiam: Quantò sceleratior es* (aduerte impietatem) *tantò citius Deus gratiam infundit, si autem adornes te bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies. Alia via non potest homo conuenire, aut agere, quàm per fidem, opera ille nihil curat. Caueamus à peccatis, multo magis ab operibus bonis, & legibus, solamque Dei promißionem attendamus & fidem: Ipsa enim breuis est perfectio; neque aliqua lex requiritur, nec opus, immo & legem præscindit, & opus?* hæc apertissimus ille Antichristus. Sed quid ego multa? Ipsimet hæresum principes conqueruntur, scriptis editis exclamant, populos ipsis addictos peiores multo esse quàm prius, cùm Papistæ erant (sic illi nos vocant) quin deteriores Sodomitis. & quidni ita sit, quando nullus Dei timor ante oculos ipsorum obuersetur, opera omnia bona nihili fiant? Ad reliqua pergamus.

Impuritas protestantium.

In assert. art 32.

Serm de pisc. Petri.

In prop. vlt de nouo Test. & li de capt Babylon.

SIGNVM VIGESIMVM SEXTVM,

Magni iniquis Ecclesiæ temporibus sancti.

Necesse

Necesse est, Ecclesia Dei, quò maioribus hostium suorum tempestatibus concutitur, eò maioribus fortioribusq; militum copijs diuinitus armetur: atque ita sanctißimi viri difficillimis temporibus dari. In maioribus namque tenebris maior virtutis ac sanctimoniæ splendor elucescere solet, ac debet.

CAP. II.

INter cætera, quæ Dauidi pollicitus est Deus de posteris eius, in quibus Ecclesia, de qua toto hoc opere sumus acturi, stabilienda erat, illud esse præcipuum videtur, fore quidem vt plectat eos, quoties in scelera labantur, attamen nullo modo se obliuioni daturum, quæ promisit, miserationemq; cœlestem numquam illis defuturam. *Visitabo*, inquit Deus, *in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis; & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.* Ob id vt Ecclesiam lamentantem consoletur alibi Deus, quasi illius nulla sit amplius apud eum memoria, sed derelicta fuerit ac neglecta, his verbis alloquitur: *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur puero vteri sui? Sic ego non obliuiscar tui.* rursus adijcit: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, obliuioni detur dextera mea, si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.* Igitur tantum abest vt in ærumnis Ecclesiæ suæ obliuiscatur Deus, vt potius tum maximè illam complexetur, foueat, in sinu & oculis ferat, eam sibi proponat ante oculos, vbi quid ipsi lætum contigerit, ac iucundum. Hoc est enim, *Proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.* Quæ cùm respiceret vates, summamq; Dei temporibus iniquis clementiam in suos intueretur, illud apertè dixit, *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Non enim Deus sic irascitur Ecclesiæ vmquam suę, quin vel in ipsa ira simul etiam misereatur. Testatus est alibi hęc eadem his verbis apud Isaiam Deus populum suum compellans: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Meus es tu: cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus Israel, saluator tuus:* hæc Deus, è quibus omnibus

Psalm. 88.

Isa. 94.

Psalm. 136.

Psalm. 97.

Isa. 43.

bus necessariò fit Ecclesiæ eo præsertim tempore adesse Deum, fortissimosq; illi milites & copias aduersus ingruentes hostium procellas subministrare; cùm potissimum premitur ab hostibus, ac vexari videtur. Id verò proprium Diuinitatis, & eorum, quib. Diuinitas esse præstò solet, vt cùm maximè agitantur, maximè resplendeant, veluti incendium latè spargit vires suas, & obiecta quæq; corripit, cùm vehementioribus ventorum tempestatibus concutitur, & diffunditur: & tamen ijdem venti mediocre lumen exstinguerent, & ad nihilum redigerent. Sit itaq; hoc Ecclesiæ diuinæ euidentissimum signum, in turbulentissimis eius temporibus concessos illi diuinitus fuisse semper illustrissimos sanctimonia, ac rebus integerrimè ad Dei gloriam gestis, viros. Non ita hæreticis contingit; quibus illud à Dauide de impijs omnibus in vniuersum verè dicitur: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*. Veniamus ad rem, diffiniamusque in primis illa esse Ecclesiæ iniquissima tempora, in quibus Principes illi, qui vel omnium, vel maximarum rerum potiuntur in orbe Christiano, pugnant aduersus rectam fidem, vel leges ab Ecclesiasticis Præsulibus promulgatas, ideoque persequuntur Antistites ipsos, & Antistitum summum Antistitem Romanum, vel illi adhærentes. & quò latior quantum ad loca, & acerbior quantum ad vexationes est persecutio, eò maior iniquitas temporis. Ex aduerso illi dicentur sanctiores, quorum propter sanctimoniam maior inter homines auctoritas, & ob id plures ijs adhærent. & quò numerus amplior istorum, maior sanctitatis splendor in Ecclesia fulgebit. Atq; hæc sanè nemo inficiabitur. Recensuimus suprà, vbi egimus de fidei propagatione, turbulenta quædam tempora, quibus Ecclesia diu miserrimeq; est iactata: percurramus nunc & illa, & in illis alia distinctius etiam consideremus. Omittamus autem prima illa sæcula, cùm nondum Imperatores Romani ante Constantinum Christo sese addixerant. De ijs namque nemo ambigit.

Sit itaque prima tempestas, qua maximè est Ecclesia Dei ab impijs hominibus exagitata, quam mouerunt Ariani: ea principio valde Orientem perturbauit; deinde irrumpentibus Ostrogotthis in Italiam, Visigotthis in Hispanias, Vandalis in Africam, Occidens multa passus, cùm

Primi temporis sancti.

tamen

tamen antea intactus ferè magna ex parte fuisset, vt scriptũ reliquit etiam Theodoretus, ab huiusmodi labe. Et viuente quidem Constantino exitialis Arij doctrina multis modis est repressa. sed anno trecentesimo trigesimo septimo, Constantio Imperium in Oriẽtis regionibus administrante, & paulò pòst fratribus eius defunctis in Occidente; tũ verò sæuissimum in Catholicos bellum commotum. Athanasius namque Episcopus Alexandrinus anno trecentesimo quadragesimo secundo sede deiectus, Gregorio Cappadoce Ariano sese intrudente, & illam per annos viginti occupante; similiter Paulus Episcopus Constantinopolitanus anno trecentesimo quadragesimo fugatus, & trecentesimo quinquagesimo occisus. Stephan' item Lybs Arianus anno tercentesimo quadragesimo quarto inuasit Antiochenam sedem, & mox tercentesimo quadragesimo septimo, eo mortuo Leontius Phryx earumdem partium; Auxentius item factionis eiusdem tercentesimo quinquagesimo quarto Mediolanensem; Hilarius eodem modo Pictauis expulsus. Deniq; Liborius ipse Pontifex Romanus, quòd Athanasij condemnationi nollet subscribere, vt Marcellinus testatur, anno tercentesimo quinquagesimo quinto Roma eiectus, & omnia concilijs impiorum, falsisque commentis in Republica Christiana fuêre ab impijs conturbata. Exstincto deinde Constantio sub annum tercentesimum sexagesimum primum, pax est Occidenti restituta; sed in Oriente cùm cœpisset Imperium Valens Arianus anno tercentesimo sexagesimo quarto, & illud gubernasset vsq; ad tercentesimum septuagesimum octauum, nullum non calamitatis genus Catholici subierunt, rapinas, exsilia, proscriptiones, vincula, verbera, cædesq; acerbissimas experti. Videamus nunc quinam sanctimoniæ cælestis laude insignes, miraculisq; illustres viri cælitus Ecclesiæ dati fuerint ab Imperio Constantini, vsq; ad obitum Valentis, qui fuit annò tercentesimo septuagesimo nono. Quis verò ignorat quãtus fuerit Athanasius, Paulus Episcopus Constantinopolitanus, & eius antecessor Alexander? quantus Basilius ille Magnus, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, Iacobus, Nisibenus, Nicolaus Myrrhæus, Cyrillus Hierosolymitanus, Paphnutius Thebæus, Spiridion Cypriensis, denique ferè omnes illi episcopi tercentum, qui synodo Nicænæ interfuerũt, ac postea Catholicas partes sunt tutati, quorum sanctitas præstãtissima

Sigo. libr. de Occid. Imp.

fuit

fuit, & miracula nobilissima? Sequuntur hos Barsan Edessenorum, Moses Sarracenorum, Britannio Scytharũ, Amphilochius Iconiensium, Frumentius Indorum, sanctissimi Episcopi: Hos porrò Episcopos monachi, qui cæleste vitæ genus in terris duxerunt, & miracula prorsus diuina patrarunt. Horum facilè princeps Antonius Magnus, Macarius, Isidorus, Pampus, Beniamin, Scyrio, Helias, Paulus Apeliotes, & alter Focensis, Iosephus, Dydimus, Aphraates, Iulianus, Ephrem Syrus, Abytus, Martianus, Abrahamus, Agapetus, Symeon, Paulus, Publius, Acepsimas, Zeugmaticus, Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Abrahamus, Isaacius, de quorum mirandis operibus Rufinus, Hieronymus, & alij multa scripserunt. Omittimus eos, qui ex occidente profecti Catholicas sunt partes tutati in Oriente, vt Liberius ipse, Hilarius, Eusebius, ac Paulinus. Ac sanè nulla sæcula tulêre tot ac tam cœlesti sanctitate præstantes viros in Oriente, quàm sæculum hoc quartum.

Rufin. Eccl. hist. lib. 2.

Sed quod attinet ad hanc tempestatem; quamuis in Occidente fuerit actus in exsilium Liberius; tamen eo reuocato tranquilliora fuerunt omnia, propter indefessum Catholicorum studium. Nihilominus anno quadringentesimo trigesimo tertio Vandali Africam ceperunt, & tenuerunt vsq; ad annum quingentesimum trigesimum tertiũ, mirisq; modis in Catholicos sæuierũt, rectam doctrinam conati excindere à fundamentis. & initio quidem tantæ cladis in Africa floruit Augustinus; post illum verò Fulgentius Ruspensis, & alij multi, de quibus Victor. in his supremis temporibus fuêre martyres illi, qui excisis linguis loquebantur, de quibus Procopi⁹, & Iustinianus, qui eos viderunt. fuit Africa in potestate Vandalorum circiter annos centum.

Procop l. 1. de bell Vand.

Visigotthi porrò Ariani similiter Hispanias occuparũt sub annum quadringentesimum decimum quartum, vsq; ad quingentesimum nonagesimum quintum, quo scilicet nostram doctrinam sunt amplexati, ex eo regnarunt quidem Visigothi in Hispanijs, sed veræ religionis cultores. Floruerunt autem per ea tempora sanctitatis opinione Pacianus Barchinonensis, Audentius, Thuribius Asturicensis anno quadringentesimo quinquagesimo, & Sabinus Barchinonensis quadringentesimo octuagesimo tertio, & postremis temporibus Leander Hispalensis, Laureanus

Gadi-

Gaditanus, Braulius Cæsar Augustanus; deniq; Hermin-
gildus ille filius Leonigildi, qui martyrio suo fuit in causa
vt Recharedus eius frater cum tota natione ad verũ Chri-
sti cultum se conferret. Tenuerunt & Galliarum partem
Gotthi per aliquod tempus; sed eiecti paulò pòst fuerunt
à Francis, Rege Clodoueo Christiano sub annũ quadrin-
gentesimum quintum.

Ostrogotthi præterea Italiam ceperunt anno quadrin-
gentesimo octuagesimo quarto, & potiti sunt vsq; ad quin
gentesimum quinquagesimum tertium. quibus tempori-
bus miraculis illustres & sanctimoniæ laudibus vixerunt è
Pontificibus Ioannes, quem Theodoricus in vincula con-
iecit, in quibus & obijt; sed & ante ipsum Hormisda; dein-
de Agapetus. Adde his Episcopos sanctissimos, & diuini-
tus miraculis nobilitatos, Germanum Capuanorum, Epi-
phanium Ticinensium, Sabinum Canusinorum, Cassium
Narniensium, Fulgentium Vericulanorum, Cerbonium
Populonij, Herculanum Perusinorum, Marcellinum An-
chonitarum, Bonifacium Ferentinorum, Fortunatum Tu-
dertinorum, Paulinum Nolanorum, Dacium Mediola-
nensium, Frigidianum Lucensium, Sabinum Placentino-
rum, Maximianum Syracusiorum, Redemptum Ferenti-
norum, de quibus Gregorius in dialogis.

Sequũtur hos monachi sanctissimi; in quib. principem
locum meritò tenet Benedictus ille magnus, Maurus, Pla-
cidus, Faustus, & alij innumeri horum sectatores. Non o-
mittendi Honoratus Fundensis, Libertinus, Equitius, No-
nosus, Anastasius, Martyrius, Seuerus, Isaac, Eutychius,
Florentius, Marcius, Quadragesimus, Benedictus iunior,
Stephanus presbyter, Theodorus, & Abundius mansiona-
rij, Menas, Eleutherius, Amantius, Sanctulus, viri omnes
diuinitatis pleni, de quibus idem Gregorius eodem li-
bro. Atque hæc quantum ad primum tempus, quod est
Arianorum.

Sigon. lib. de Occid. Imp.

Secundi tẽporis sancti.

Secunda tempestas aduersus Ecclesiam Catholicam
concitata est ab Eutychianis, qui, cùm conquieuissent in
Oriente Ariani, Ecclesiam nouis opinionibus conturbare
cœperunt asserentes in Christo vnam tamtummodo natu
ram, diuinam scilicet, in quam transisset humana. His ad-
hæsit Imperator Theodosius iunior ab initio; cuius iussu
Synodus Ephesina, à Græcis prædatoria dicta, coacta est
anno quadringentesimo quadragesimo nono; in qua Fla-
uianus

uianus Episcopus Constantinopolitanus occisus, Domnus Antiochenus cum multis Catholicis eiecti è sedibus suis, & acti in exsilium. Ex hæresi eadem fuit Anastasius Dicorus, qui imperauit vsq; ad annum quingentesimum decimum octauum, Flauianumque Episcopum Antiochenum sede sua deiecit, & Macedonium similiter Constantinopolitanum: reliquos porrò Catholicos diuersis iniurijs affecit, & in his Apostolicæ sedis Legatos. Zeno Augustus ex eadem fuit hæresi, vt Zonaras testatur, qui Catholicos variè afflixit. Adhæsit eidem sectæ Theodora Augusta Iustiniani coniux, quæ ob id Syluerium Papam sede expulit, & in exsilium mitti iussit anno quingentesimo trigesimo septimo, quòd Anthimum, qui erat opinionis eiusdem, nollet Constantinopolitanæ sedi restituere. Similiter Vigilium Papam in vinculis habuit ob eamdem causam. Quin ipse Iustinianus anno imperij supremo, is est quingentesimus sexagesimus quintus, in eamdem impietatem lapsus est, vt Paulus Diaconus testatur. Hic verò non est opus enumerare, quinam laude integritatis diuinæ præstiterint in Occidente. Hæresis namq; Ariana nōnullas eius partes hucusq; vexauit: Eutychiana verò nullo modo Occidentē peruasit. Ob id satis erit indicasse, quinā fuerint in Oriēte ab ann. quadringētesimo quadragesimo nono, vsq; ad quingentesimum sexagesimū quintum, sanctitatis laude præstātes. Ex Episcopis fuêre Flauianus, qui martyrium perpessus est, Eutychius & Gennadius Patriarchæ, Marcianus presbyter œconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Studius Romanus institutor Studitarum; è monachis autem Symeon Stylites, Euthymius Magnus, qui fuerunt in causa, vt Eudoxia Imperatrix Theodosij coniux procurante Pulcheria, resipisceret ab huiusmodi opinione: sequuntur hos Daniel Stylita, Olympius Asceta, Olympius Exscholaris, Nilus, Varadatus, Iacobus iunior Nisibenus, Sabas ille Magnus, Theotistus, atque alij, qui multa passi sunt ob rectam fidem, vt inter alia cōstat ex epistolis monachorum Palestinæ ad Hormisdam Papam.

Tertium bellum in Catholicos est à Monothelitis commotum. incidit in hanc hęresim Imperator Heraclius sub annum sexcentesimum trigesimum, & filius eius Cōstans, qui ob id Martinum Papam Constantinopolim duci iussit, qui ablegatus in Chersonem decessit in exsilio anno

Tertij temporis sancti.

sexcentesimo trigesimo tertio; & Iustinianus Imperator, qui Concilio coacto hanc hæresim stabilire conatus est anno sexcẽtesimo nonagesimo secundo, quamuis postea resipuerit: eidem fauerunt Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Episcopi Constantinopolitani, Cyrus Alexandrinus, Macharius Antiochenus, qui Anastasio Iacobitæ successit. & in Alexandria quidem non defecit hæc hæresis, nisi anno Copronymi secundo, qui fuit septingentesimus quinquagesimus secundus. Fuit & Philippicus opinionis eiusdem cum Monothelitis præter eos, qui dicti sunt Imperatores. Multa verò perpessi sunt rectæ fidei studiosi ab hæreticis: in Africa speciatim Constans cunctos adigebat ad hanc doctrinam accipiendam. Igitur his temporibus in Oriente, vbi hæresis hæc vigebat, (Occidentem namque haud attigit, nisi Occidenti adnumeremus Africam,) sanctimonia præstiterunt & miraculis Alipius Cionita, & Maximus, quem Zonaras sanctissimum vocat, cum duobus discipulis Anastasijs.

Ex Episcopis Orientis neminem inuenio his temporibus, qui præcipuum sanctitatis nomen ferat, nisi Sophronium Hierosolymitanum. Sed quod mirum est, cum sederint hac ætate Romani Pontifices sanctissimi Martinus, Adeodatus, Leo Secundus, Benedictus Secundus, Conon, Sergius, Constantinus, ex Oriente sunt Conon Trax, Sergius Antiochenus, Constantinus Syrus: attamen nulla ætas è superioribus, vel pauciores sanctos, vel plura mala in Oriente tulit, quàm hæc: exorti namque hac tempestate Sarraceni Orientem ferè totum redegerunt in potestatem.

Quarti temporis sancti.

Quartum bellum aduersus Ecclesiam commotum est ab hostibus imaginum sacrarum, Philippico Bardane, qui imperare cœpit anno septingentesimo quarto, iuxta Paulum Diaconum. Fauerunt huic impietati Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo Cazara, Leo Armenus, & Theophilus Imperatores. sæuijt hæc hæresis vsq; ad annum septingentesimum octuagesimum nonum, quo coacta est Synodus septima: quinimmo neque sedata anno octingentesimo quinquagesimo octauo. testatur enim Zonaras à Nicolao Magno hac de causa missos Constantinopolim legatos. ab Imperatoribus porrò hæreticis innumeri Catholici occisi, & crudelissimè diuexati. Copronymus enim Studitas omnes domo inclusos, vnà cum celeberrima bibliotheca combussit; Andream Calybitem mi-

raculis clarum, Iulianum & Valentem flagris occidi iusſit, plurimos monachos ſæuiſſimè trucidari. Quod imitatus eſt Leo Cazara. Theophilus autem Lazaro monacho pingenti imagines ſanctas laminis candentibus aduri manus imperauit, quæ diuinitus illi reſtitutę fuerunt; Theophani ac Theodoro ſanctiſſimis viris faciem ſtigmaticis notis compungi; Methodium, qui Patriarcha fuit, miſerrimè exagitari. Præter hos floruerunt ſanctitatis nomine Germanus, Taraſius ac Nicephorus Patriarchæ, Ioannicius & Plato monachi, Ioannes Damaſcenus, & Philomenianus, Athanaſia fœmina ſanctiſſima.

Ad hæc Orientis mala acceſſit in Occidente, quòd impij Reges Hiſpaniarum, Vitiza & Rodericus, ab obedientia Pontificis Romani deficientes, impias leges tulerunt: & licet alij in Occidēte multi ſanctimoniæ operibus excellerent, in Hiſpanijs tamen inuenio nullum, hac quidem tempeſtate, niſi vnum Gundeſicum Toletanum; cùm tamen ab anno ſeptingenteſimo quarto vſque ad octingenteſimum ſexageſimum in alijs Occidentis regionibus vixerint præclara cum laude ſanctitatis, Bonitus Epiſcopus Aruernorum, Eucherius Aurelianenſium, Vulfrannus Senonenſium, Ludgerus Monaſterienſium, Ioannes Eboracenſium, Domnulus Cenomanenſium, Auſtregiſilus Bituricenſium, Althelmus Schireburnenſium, Bonifacius Moguntinorum, Ediltrudis Anglorum Regina, Hubertus Epiſcopus Leodienſium, VVillibrordus Traiectenſium, VVillehadus Bremenſium, Quintianus & Gallus Aruernorum, Radbodus Traiectenſiũ, Fridericus eorumdem, Corbinianus Friſingenſium, Amatus Senonenſium, Leodegarius Auguſtodunenſium, Burchardus Herbipolenſium, Oſvvaldus Anglorum Rex, Lioba Britanna, quę plurima inſtituit monaſteria, inter Germanos Othmarus ſimiliter, qui plurima quoque plurimis in locis. Adde his omnes illos ſocios Bonifacij Epiſcopi Moguntinorum, quos ſuprà recitauimus, vnà cum illo Chriſti doctrinam propagantes inter Germanos. Adde his Pontifices aliquot Romanos, qui Sanctorum nomen meritò tulerunt, Conſtantinum, Gregorium Secundum, Zachariam, Hadrianum, Leonem Quartum, Nicolaum deniq; Magnum.

Quintum in Eccleſiam Catholicã bellum cœperunt indicere Gręci nonnulli, duce Photio aſſerente malè Latinos

Quinti tẽporis ſancti.

decernere Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, ac nefas esse azyma cõsecrare. attamen non sunt ausi à nostra se communione abiungere, nisi sub annum millesimum quinquagesimũ tertium, vt alibi fusiùs est dictum. Num verò fuerint sancti ex hoc tempore inter Græcos, & qua ratione, superiori signo explicauimus, aperientes, si qui fuerunt, eos nobiscum bene sensisse; recensuimus etiam qui fuerunt illustriores è nostris.

Sexti tẽporis sancti.

Sexta in Ecclesiam commota est seditio ab Henrico Tertio Imperatore, & eius filio, qui Pontificibus Romanis subesse ac parère nolebant, sacrorumq; sibi administrationem impudenter arrogabant: incepit anno 1703. vsque ad 1122. eiectique Roma Gregorius Septimus, Victor Tertius, Vrbanus Secundus, Paschalis Secundus, Gelasius Secundus, Calixtus Secundus, creatique aduersus eos falsi Pontifices, ac multis modis Catholici vexati. Qui porrò sanctimonia præstiterint hac ætate è nostris, diximus suprà signo de perpetua sanctorum successione, & enucleatiùs adhuc aperietur suo loco.

Septimi tẽporis sancti.

Septima sit, quam concitauit Fridericus Secundus, ac liberi eius. Friderico namque huic fuit in animo Pontificiam potestatem prorsus excindere, vt ostendimus ex ei versibus ad Gregorium Nonum missis, vbi est actum de spiritu prophetię. Durauit hoc bellum ab anno millesimo ducentesimo decimo quinto, vsque ad millesimum ducentesimum quinquagesimum. Mirum verò quantum sæuierit in Pontificios Fridericus, quàm male in cultum ipsius Christi fuerit animatus, quando magis fauit Sarracenis, quàm Christianis ipsis: quæ si quis perspicere cupit, legat Alberti Crantzij Saxoniam. Testimonium profectò Germanici scriptoris docti, ac diligentis, & qui Pontificibus non satis sit æquus. Accedebat ad hæc mala, quòd in Gallijs Albigensium secta multas vrbes cõtaminarat; quin passim per Europam variæ hæreses exoriebantur. Deniq; numquam magis auctoritas Romani Pontificis, & religio Christiana per Imperatorem vllum, qui se Christum sequi profiteretur, est oppugnata, quam per Fridericum Secundum nobilissimæ Germanicæ nationis dedecus sempiternum. Hoc satis sit dixisse, quòd in cunctis ferè Italiæ ciuitatibus Guelphorum & Gibellinorum factiones ad tollendam Pontificis auctoritatem suscitauit, quæ per annos prope trecentos Italiam miserrimè dilaniarunt, quamuis

Lib. 8. cap. 6.

Papæ incredibili studio & omnibus modis eas adducere ad concordiam studuerint. Pudet referre, quæ priuilegia Saracenis, quos in Siciliam regnumq; Neapolitanum induxit, aduersus Christianos irrogarit: & tamen suos lauda tores habet Fridericus. quid ni? quando Neroni haud defuerunt. Quocirca Deus, vt Ecclesiæ suæ opem ferret hac ætate, diuinissimos, prorsus viros cælitus misit ad illam subleuandam. & sanè hoc sæculum par est cuilibet, si viros sanctos intuearis, quos tulit: multa superat, nulli cedit. Nam qui, & quanti quæso fuerunt Dominicus & Franciscus, quot instituti sui dederunt eodem tempore sanctissimos imitatores? Referre illos esset infinitum, legat qui volet annales eorum, & aliqua diximus superiori signo.

Octauum possumus numerare aduersus Ecclesiam bellum, quod à Protestantibus indictum iam pridem, geri adhuc videmus: id incepit anno millesimo quingentesimo decimo septimo, Luthero homine impurissimo classicum canente. Qui verò sancti hoc tempore excelluerint, à nobis est abundè dictum superiori signo. E quibus omnibus liquidissimò patet, pessimis hisce temporibus illustrissimos sanctos Ecclesiæ diuinitus datos, vt appareat in illa Deum scilicet residere.

Octauï tēporis sancti.

SIGNVM VIGESIMVM SEPTIMVM.

Perpetua martyrum series.

Cùm solummodo in Ecclesia Catholica sit perpetua successio eorum, qui non ob aliam causam cæsi fuerint, nisi quòd nobiscum sentirent, nemini porrò nocerent; manifestum sit Ecclesiam nostram verè esse Ecclesiam Dei, præsertim cùm fuerint occisi, dum Christi cultum disseminant inter gentes.

CAP. III.

TRes sunt, inquit Ioannes, *qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt, & tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*. hæc ille, è quibus habemus sanguinis effusionem

1. Ioan. 3.

(quod quomodo sit intelligendum mox dicetur) esse indubitatum veritatis testimonium. Idcirco, qui vitam pro Christo ponunt, martyres vocabulo Græco dicti sunt, testes Latino, quia nemo verius sit testis, quàm qui mortem pro Christo subit. Hinc Paulus ait, virtutibus cunctis antecellere caritatem, eamq; perpetuò duraturam. Christi verò hoc est pronunciatum: *Maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Id si ita est, vbi virtus hæc erit, ibi erit Ecclesia Dei; & vicissim vbi Ecclesia Dei, necesse est sit huiusmodi virtus, cùm præstantissima quæque sint in Ecclesia Dei. Exclamabunt hæretici, *Et multi è nostris vitam pro doctrina hac, quam Christi esse prædicamus & contendimus, profuderunt.* Verum id quidem, sed hoc interest, fieri potest vt multi animi pertinacia impulsi in mortem amplissimam libentissimè ruant; quales temporibus suis fuisse narrat Augustinus plurimos è Donatistis, quos appellat Circumcelliones. Sed horum non fuisse instinctum diuinum constat ex eo, quòd breuì tandem refrixêre, & ante ipsos ciere non possint vllos, qui posuerint eadem de causa vitam. Atque ita huiusmodi martyrum nulla est continuatio inter ipsos; igitur neq; Ecclesia Dei, quę sine hac excellentissima virtute, sine testimonio sanguinis, sine caritate, quæ numquam excidit, esse non potest. Et sanè in omnibus rebus perpetuitas eiusdem tenoris est illustrissima diuinitatis nota, maximè verò hac in re, quæ nunc est præ manibus nostris. Solus enim Deus animos peruadit; atque is solus potest certò in mentes hominum immittere, vt vltrò se morti offerant, neq; vllum meditētur nocumentum suis homicidis, sed ipsorum causa libentissimè vitam ponant. Dæmon poterit quidem id aggredi impulsibus externis, sed certò rem non assequetur. intima namq; efficaciter mouere nos possunt, extera nequaquam. Idcirco quandoq; dæmon ad hoc pertingit, non autē semper; Deus autem semper. In Ecclesia ergo Dei perpetua martyrum series, in hereticorum factionibus non ita. Adde hereticorum falsos martyres interfectos, non q Christi cultum plerumq; vellent inter eos disseminare, qui Christo primas non deferunt, sed quòd diuersum Christi cultū vellent inducere inter eos, qui Christum in primis secundùm Deum colebant. Hoc autem dictum sit propter hæreticos hodiernos, quos solent principes, vbi in idem crimen fuerint relapsi, vt seditiones coërceant, quæ propter reli-

1. Corint. 12. & 13.

gionis diuersitatem enascuntur, morti subijcere. Stet itaque, certissimum diuinitatis esse signum, perpetuam martyrum successionem, qui non armis pugnando, sed veritatem prędicando pro homicidis ipsis libentissimè morti se deuouent. Hoc nullo modo inter hæreticos. Ostendamus inter nos esse, & ab ætate nostra initium faciamus, elapsa tempora retexentes.

Martyres sæcul. XVI.

Anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio in Indijs Orientalibus ad insulas Salsetanas prope Goam sitas interfecti è Societate Iesu Ridolphus Aquauiua, Alfonsus Paciecus, Antonius Franciscus, Petrus Bernus, Franciscus Aragna; ex alijs verò Dominicus indigena, Alfonsus Franciscus, Rodericus, Paulus Acosta, Gonzalus, Rodericus, quòd rei Christianæ propagandæ in ijs locis studerent. Ante hos eodem sęculo occisi ob eamdem causam Cocini Franciscus Lopezius, Alfonsus Castrius in insulis Maluchi, Antonius Criminalis, & Aloysius Mendes, omnes è Societate Iesu, in ora Comorinensi. Nobilissimum est martyrium pueri Hispani Ioannis, qui ob fidei nostræ constantiam paulatim concisus est à Malauaribus in frusta anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto. Eodem sæculo in insula Ceilani ob eamdem causam cęsus Martinus Guarda, & Aloysius Amaratus ex ordine sancti Francisci. In Occidentalibus verò Indijs Ioannes è Spiritu sancto, Ioannes Padilla, Franciscus Laurentius ex eadem familia, & ab incolis Florydæ Aloysius Cancellus cum quatuor alijs instituti Dominicani, & valle Guaicaclan Franciscus Laurentius. Hierosolymis autem trucidati anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo à Turcis Iuniperus Siculus, & Ioannes Mantuanus Franciscani, & Fessæ in Africa Andreas Spoletinus similiter Franciscanus, qui Rege & Principibus multis præsentibus, vt palàm faceret esse veram, quam prædicabat, Christi doctrinam, flammis vndique est circumdatus, & illæsus in ijs diu permansit anno millesimo quingentesimo trigesimo secundo. Atq; hi, sæculo sexto decimo.

Anna. Dom.

Ann. Franc.

Martyres sæculi XV.

At decimo quinto sub annum millesimum quadringentesimum octuagesimum secundum Hierosolymis occisus à Sarracenis Ioannes Calaber Franciscanus. & anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono Antonius Pedemontanus ex ordine sancti Dominici interfectus Tunetiæ, Mahometanis; & in Oriente triginta duo ex eadem

familia à Turcis flumine submersi; & alio tempore Hadrianus societatis eiusdem, & viginti sex alij palo infixi.

Martyres sæcul. XIV.

Decimo quarto sub annum millesimũ trecentesimum octuagesimum nonum occisi Hierosolymis Nicolaus Sebinicensis, Donatus Aquitanus, Petrus Narbonensis, & Esteuannus in Bethica, Ioannes è Cesina, ac Petrus Duenas à Mahometanis; & millesimum trecentesimũ septuagesimum Bartholomęus, Martinus Memphi, Ioannes Neapolitanus Gazæ, Franciscus, Ioannes, Etheus Memphi, Petrus Hierosolymis ab eisdem; & millesimum trecentesimum sexagesimum septimum duodecim in monte Sion, & sexdecim Damasci; & millesimum trecentesimum quinquagesimum octauum Nicolaus è Monte Coruino, Franciscus Neapolitanus Memphi; millesimum trecentesimum quadragesimum sextum Antonius à Mahumetanis; millesimum trecentesimum quadragesimũ quintum Ioannes Montepolitianensis; millesimum trecentesimum quadragesimum primum Franciscus Alexandrinus, Richardus Burgundus, Raymundus Rufus, Pasqualis Hispanus, Laurentius Alexandrinus, Petrus Marzalis, omnes in Scythia Asiatica interfecti. Eodem tempore in Liuonia occisi sunt Vtricus Athlecouiensis, & Martinus in Vlnacastro, Gulielmus Angel⁹ in Salamastro: anno verò millesimo trecentesimo quinto Liuinius Francus in Babylonia. Atque omnes hi sunt ex ordine diui Francisci.

Anna Frãc.

Martyres sæcul. XIII.

Decimotertio sæculo sub annum millesimum ducentesimum octuagesimum nonum in Oriente à Mahometanis occisi Monaldus Anchonitanus, Franciscus Firman⁹, Antonius Mediolanensis, similiter ab eisdem Iacobus, & Hieremias socius eius, cum septem è familia Franciscanorum de iussu Regis AEgypti, item Conradus cum duob. alijs, & in Prussia Corrandrus, & Boysillus, & multo antea prope montes Caspios in Viueria Cõradus Saxo, & Hesseuannus Hungarus, & Damiatæ Franciscus Spoletanus; Thanæ in India Orientali Thomas Tolentinus, Iacobus Patauinus, Demetrius ac Petrus Senenses: & anno millesimo ducentesimo septuagesimo Christianus Episcopus Antiochenus à Rege Babyloniæ; & millesimo ducentesimo vigesimo primo Daniel, Samuel, Angelus, Domnus, Leo, Nicolaus, & Hugolinus ex ordine sancti Francisci, Septa à Satracenis interfecti: post annum verò millesimum ducentesimum vigesimum primum Sadochus Polonus, cum

quadra-

quadraginta & octo socijs, Bonins: gna Florentinus, Bartholomæus Geruerius, Antonius Pauo, Ioannes & Nicolaus Hungari, Nicolaus Episcopus, omnes pro Christo interfecti in cultu Christi inter Tartaros disseminando in oris Chunnorum, siue Cumanorum. & millesimum ducentesimum quinquagesimum quartum Mindaꝗus Lithuanorum Dux abiecta Christiana religione, quam fictè fuerat professus, Christianos ob fidei constantiam plurimos occidit, & millesimum ducentesimum quadragesimũ Prussi idem fecêre, innumerosq; è Polonis ac Germanis Christi cultores neci dederunt.

Crom.l.8.& 9.

Duodecimo sæculo plurimi Christiani varijs temporibus à Slauis Aldeburgensibus Polabis, & Obotritis interfecti, quòd gentibus istis efferis mos esset aliquem Christianum dijs suis sacrificare, quòd eorum sanguine ipsos delectari maximè sibi persuasissent. Anno autem millesimo centesimo quinquasimo quarto Bonifacius Otthonis Tertij propinquus ob Christianæ fidei professionem in Rhussia occisus; & millesimo centesimo vigesimo Bernardus cum duobus alijs in Hispania à Sarracenis interemptus.

Martyres Sæculi XII.
Helm.l.1.c.53

Vndecimo deinde sæculo sub annum millesimum sexagesimum sextũ innumeri Christiani occisi à Slauis; in his Godescalcus, Eppo presbyter, Ansuerus monachus, Ioannes Episcopus Magnopoleos, Sturmarij, & Holsati omnes interempti: Hammemburgenses, Slesvvichenses contrucidati. Et anno millesimo quadragesimo Gerardus Beztertus, Buldus, & Benetha Episcopi cum plurimis alijs Christianis ab Hungaris obtruncati. & millesimo decimo octauo Bruno in Rhussia ad Euxinum mare. & millesimo quinto Ioannes ac Benedictus in eadem Rhussia, Busclauio regnante. millesimo duodecimo Elphegus Archiepiscopus Cantuariensis à Danis, dum Christi doctrinam prædicat, est occisus. Deniq; anno millesimo primo tot in Slauinia ob germanam pietatem Christiani interfecti, vt martyrũ numerus, ait Helmodus, vix libro comprehendi possit: inter hos Oddar sacerdos cum sexaginta alijs presbyteris crudelissimè trucidatus.

Martyres sæculi XI.
Hel.l.1.c.22.23.24.

Lib.1.c.16.

Decimo sæculo sub annum nongentesimum nonagesimum in Rhussia Albanus neci datus; & nongentesimum octuagesimum secundum Benedictus Nathanaël, Ioannes, Ianus, & Christinus in Polonia interfecti; & nongentesimum nonagesimũ septimum Adalbertus Episcopus Pra-

Martyres sæculi X.

Dub. lib. 6.

gensis a Prussis. Hoc eodem sæculo bis atrocissima diuer-
sis temporibus in Christianos est mota persecutio à Bo-
hemis, multiq; ex ipsis occisi; in quibus Sobieborius, Spi-
timirus, Prebislaus, Borita, Gzaslaus, Adalberti Episcopi
fratres. Atque hæc acciderunt Boleslao Pio regnante. Sed
circiter annum nongentesimum quadragesimum no-
num Boleslaus Sæuus fratrem Venceslaum, qui sanctis
est adscriptus, ob cultum Christi occidit, plurimique vnà
cum Venceslao perempti Christianis. Huius etiam sæculi
initio Danorũ Rex Gormo plurimos Christianos atrocis-
simis supplicijs excruciauit ob veritatis sinceræ constan-
tiam.

Martyres sæculi IX.

Saxo lib. 9.

Nono sæculo idem patratum per Ericum Siuardi fili-
um, Danorumq; Regem, qui religiosissimum quemq; aut
supplicijs insequi, inquit Saxo, aut rebus euexere, aut exsi-
lio multare perseuerauit. Anno præterea octingentesimo
quinquagesimo primo in Hispanijs sæuissimũ edictũ pro-
positum a Regibus Sarracenorum, vt omnes vel Christum
relinquerent, vel interficerentur, plurimiq; ob id occisi.
quin intra decẽnium tres, illæq; maximæ tempestates in
Christianos excitatæ, vt Eulogius, qui in illis occubuit, la-
tè describit. & octingentesimo sexto Bonifacius Episco-
pus Moguntinus cum socijs quinquaginta in Holandia,
seu Batauis, dum Christi doctrinam propagare contendit,
est occisus. Atq; hæc sint satis ad ostendendam martyrum
perpetuam successionem in Ecclesia Catholica, qui san-
guinem profuderũt, dum Christi cultum propagare, aut
retinere inter hostes Christi gentesq; volunt; hoc enim
tempore se à nobis Græci abalienare cœperunt. Edant nũc
vel aliqui Græci, vel Protestantes aliquid hujusmodi. Non
possunt. Ergo Ecclesia Dei esse inter illos haud potest. Nã
sicut in cælo testimonium semper veritati perhibent Pa-
ter, Verbum, & Spiritus sanctus, sic in terra necesse est om-
ni sæculo & ætate sit aliquis, qui sanguine verum Dei cul-
tum testificetur, vt ait Ioannes: neque fieri potest, vt excel-
lentissima virtus ab Ecclesia Dei, qua nihil in terris maius,
absit. Iam verò non modò nostri in Christi cultu propa-
gando inter gentes occubuerunt, sed cunctis ætatibus ali-
qui fuerunt, quos hæreticorum furor sustulit è medio,
quòd pro veritate starent; idque ex quo Constantinus se
nobis adiunxit. Initium ducamus ab hoc æuo, & præteri-
ta relegamus. Proximis annis in Anglia scimus iussu im-

præ Reginæ interfectos ob Catholicam fidem Edmundum Campianum, Ridolphum Servvinum, Alexandrum Briātium, Thomam Fordium, Ioannem Shertum, Robertum Ianſonum, Gulielmum Filbeum, Lucam Chirbeum, Laurentium Richardonum, Thomam Cottanū, Ioannem Painum, Euerardum Haunſeum, Cubertum Mainum, Thomam Shervvodum, Ioannem Helſonum, Gulielmum Laicum, Chiremannum Ionſonum, Gulielmum Hartu. Anno milleſimo quingētesimo ſeptuageſimo, quadraginta è Societate Ieſu cæſi ab hæreticis fuére, dum Braſiliam verſus nauigarent: eorum duces Ignatius Az. bedius, & Dydacus Andradius. Diuerſis porrò tēporibꝰ in Gallijs ſunt ab hæreticis obtruncati ob eandē cauſam Guilermus, Renacus, Betardinus, Motmerius, Iacobus, Gaietus, Paulus Vaſclatorus, Vincentius Fortius, Pontius Regaua, Nicolaus Tricēſis, Petrus Goſſetus, Gulielmus de Monte, Ioannes Lumerus, Ioannes Bunius, Ioannes Liothus, Oliuerius, Petit Monialis, Petrus Coſetus, Guilermus Cantibius, Berardinus Thurga, Bernardus Alenchus, Bernardus Geneſius, Dionyſius Pōtis, Luyſius Grippus, Nicolaus à Lotaringia, Petrus Pichetus, Ioannes Benedictus, Petrus Guceſius, Franciſcus Drubadauies, Frāciſcus Brutus, Petrus Odius, Iulianus Gubieris, Rodulphus Giciameris, Ioannes Guibidrijs, omnes ex ordine S. Franciſci, vt eſt in annalibus ipſorum. Rurſus anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo in Anglia interfecti Antonius Brorbes, Thomas Cortus, Thomas Belchamus, Ioannes Foreſtus: non omittamus illuſtriſſimos Principes Thomam Morum, & Ioannem Roffenſem iuſſu Henrici Octaui occiſos. Innumeri verò ſunt, qui à Lutheranis & Anabaptiſtis, duce Thoma Muntzero, in Germania ſunt interfecti. Refert aliquos eorum Laurentius Surius in hiſtorijs ſuis: & Thomas quidem Muntzerus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, exercitu maximo ruſticorum collecto, totam ferè Germaniam vaſtauit, & ingentem Catholicorum numerum trucidauit. Hoc igitur ſæculo decimo ſexto.

Martyres ab hæreticis occiſi.

Sur. in chro.

At decimo quinto ſub annum milleſimū quadringenteſimum quadrageſimum, vt ſcribit Matthias Micouius, à Rhuſſis occiſus eſt ob Catholicam fidem Cardinalis Iſiodorus Rhutenus. Sed omnium maxima tempeſtas in Catholicos excitata per Huſſitas in Bohemia, q̄ incœpit circiter annū milleſimum quadringenteſimū decimum quintum,

Lib. 2 de Sar.

tum,

tum, & durauit vsq; ad mortem Georgij Podebrachij, quæ contigit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo; & innumeros è nostris absumpsit: multorum verò nomina recensét Dubrauius, nos omittemus, ne simus longiores. Atq; hęc sæculo decimo quinto.

Lib. 23. 24. 25. 26. & se. Annal. Francisc.

Priore autem sub annum millesimum trecentesimum septuagesimum, in Bulgaria cæsi ab hæreticis Græcis Gandida, Antonius Saxo, Gregorius Tragurius Dalmata, Nicolaus Hungarus, Thomas Fulginas, & Ladislaus ex ordine sancti Francisci; & millesimum trecentesimum quadragesimum sextum Petrus instituti eiusdem prope Mediolanum ab hæreticis quibusdam; & millesimum trecentesimum vigesimum secundum Catelanus, & Petrus Pasqualis in Francia.

Sæculo decimo tertio sub annum millesimum ducentesimum septuagesimum septimum Paganus Lucensis propè Bergomum vnà cùm duobus alijs occisus, erat è familia sancti Dominici, sicut & Pontius, qui anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo in Vrgello oppido Hispaniæ est occisus: & anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo Petrus Martyr propè Mediolanum; & millesimo ducentesimo quadragesimo secundo Gulielmus Arnaldus è Montepesulano, Bernardus è Ripaforti, Garzias Auria ex ordine Dominicanorum, duo Franciscani cum plurimis alijs à Raymundo Tholosatium Comite Auenione occisi ob Catholicam fidem; & anno eodem Tholosæ præter alios interfecti Esteuanus, & Raymundus è Societate sancti Francisci.

Lib. 22. c. 12

Duodecimi sæculi anno millesimo centesimo octuagesimo. Græci Alexium Imperatorem, quòd cùm Catholica Ecclesia sentiret, è medio sustulerunt, Catholicos omnes trucidarunt, Ioanni subdiacono legato pontificio caput amputarunt, caudæque canis ad derisionem raptandum ligarunt; mortuorum cadauera sepulchris impiè violatis eruta per vias atrocissimè raptata, ægris qui in sancti Ioannis decumbebant vita ferro ablata, vt auctor est Gulielmus Tyrius. & millesimo centesimo quadragesimo tertio Caloioannes Imperator Constantinopolitanus innumeros eremitas Antiochiæ in Syria, quòd nostram doctrinam sequerentur, è casis eductos truculenter necauit, vt refert Ottho Frisingensis. & millesimo centesimo vigesimo quarto Antuerpiæ hæreticus qui-

quidam Tandemus, asserens ordinem episcopalem & sacerdotalem nihil esse, Eucharistiamq; non prodesse ad salutem, tria millia armatorum sibi adiunxit, quibus multos Catholicos, quòd sibi assentiri nollent, occidit. Tantā verò sibi auctoritatem conciliarat, vt aqua, qua corpus homo impurus, & impudicissimus in omnibus abluisset, in honore à suis sectatoribus haberetur, & maxima cum veneratione biberetur; vt, qui addidit ad Sigeberti annales, scriptum reliquit.

Vndecimum sæculum Nicolaitarum & Simoniacorum maximè tempestatibus est concussum. Nam cùm Græci velint fas esse promoueri ad sacros ordines, qui vxores antea virgines habent, easque in matrimonio retinere; nos autem licere negemus, nisi vxor monacha fiat, & castitatem Deo voueat; fuêre his temporibus, qui assererent sacerdotibus fas esse nouas cōiuges in matrimonio habere, prioribus defunctis. Quocirca Alexander Secundus anno millesimo sexagesimo quinto aduersus huiusmodi homines hæresim Nicolaitarum renouantes decretum promulgauit, quod ante ipsum fecerant Nicolaus Secundus anno 1059. Stephanus Nonus 1058. Leoq; similiter Nonus. Inuenti sunt etiam, qui contenderent licere sacra habere venalia; quibus cum faueret Henricus Tertius Imperator, ob id illi dicti Henriciani, vt adnotarunt scriptores quidam Germani, vel Pontificibus ipsis infensi. Hinc Catholici nonnulli occisi; in his anno millesimo sexagesimo sexto Arialdus Alciatus clericus Mediolanensis: innumeri porrò alij interfecti à militibus Henrici Imperatoris vsque ad annum centesimum sextum, vt latè rem describunt eorum temporum historici Marianus Scotus & Lambertus Schafnaburgensis, nouissimè verò post alios Sigonius, vir spectatæ fidei, diligentiæq;. Studiosos porrò Henrici hæreticos fuisse constat è formula abiurandi, quam Dodechinus, qui non longè abfuit ab ijs temporibus, refert in annū millesimum nonagesimum nonum. Atq; huc sit satis adduxisse, martyrum qui ab hæreticis occisi fuerunt, successionem. Hoc nāque sæculo Græci à nobis palàm desciscere sunt ausi, Michaële Patriarcha tantum facinus aggresso. Nunc si possunt, ostendant, vel nōnulli Græci, vel Protestantes, suorū martyrum, qui vel in propaganda Christi doctrina occubuerint, vel ab hæreticis fuerint interempti, seriem perennem. Non poterunt. Ergo ipsorūcœtus Ecclesiam Dei consti-

Vrspergen.

stituere haud potest, q̄ sine testimonio sanguinis in terris esse nequit, sicut Christi testimonio in cælestibus locis, neq; excellentissima virtute orbari, quæ fieri non potest vt excidat vmquam, deseratq; Ecclesiam Dei.

SIGNVM VIGESIMVM OCTAVVM,

Gentes efferæ ad humanitatem perductæ.

Prædictum est fore, vt per Ecclesiam Christi efferæ gentes ad humanitatis cultum perducerentur: id per nostram effectum est, non per Græcorum, postquam discesserunt à nobis, aut Protestantium factionem.

CAP. IIII.

HVmanitas, ad quam gentes efferæ, & omnis prorsus vrbanitatis expertes informatę, excultęq; sunt beneficio ac studio Ecclesię nostræ, ostẽdit ipsam Ecclesiam Dei. Audi eum, qui sic apud Isaiam loquitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. & delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis; & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo.* hæc Isaias. Quid verò sibi voluit, cùm dixit fore vt agni cum lupis, hædi cum pardis, vrsi cum vitulis, leonis cum bobus simul versentur, comedant, morentur, puer paruulus huiusmodi bestias gubernet, infantes lusitent cum regulis, & aspidibus? An nõ lupi, pardi, vrsi, leones significãt quicumq; ijs sunt similes propter immanes & efferatos mores: sic apud ipsos Poëtas videmus:

Isa. c. 11.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti,
Quæ si cum socijs lætus cupidusq; bibisset,
Vixisset canis immundus, vel amica lutosus.

Et alibi:

Cum ridere voles Epicurei de grege porcum.

Igitur fore ait Isaias, vt homines belluarum more viuentes

tes ad tantam mansuetudinem per Christum perducat, vt quiuis puer sit licet nondum rationis vsum ferè consecutus moderari eos possit. Cecinit alibi Isaias eadem ijs verbis: *Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtiq; cognoscetis ea ponam in deserto viam, & in inuio flumina. glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones.* & rursus: *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas: & serpenti puluis panis eius: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.* Hoc verò nobis aperiendum, quid sit neminem occidendũ in omni monte sancto Dei. An quod Ecclesiasticis viris sit omninò interdictum facere vllo modo, vt vita membrúmve vlli auferatur? An quòd neq; tot sint, neq; tanta modò bella, quot & quanta priscis erant, vt signo de pace apertissimè explicatur? An quòd nefas in templis occidi quẽquam, quin tutissimum cunctis ad illa sit perfugium? Hæc omnia proculdubio complexus est oraculo huiusmodi Isaias. Eadem verò omnia à Sibyllis prædicta vates cecinit ijs carminibus:

Isa 43.19.
Cap. 65.25.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum.

Eclog. 4.

Et paulò ante:

Ipse Deum vitam accipiet, diuisq; videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem:

Et mox:

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Tethym ratibus, quæ cingere muros
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argos
Delectos Heroas, erunt etiam altera bella.

Huc similiter respexit Dauid cùm cecinit: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* &, *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Videamus autem in quo posita sit hæc humanitatis ratio. Non in alio sanè, nisi in scientia diuinarum atq; humanarum rerum, & communium commodorum appetitione, atq; procuratione iusta propter Deum. Agnouerunt hoc aliqua ex parte profani scriptores; vt apud ipsos Pythagoreos videre possumus, Platonem, Aristotelemque. satis nunc attulisse huc Ciceronis verba.

Psal. 71.

Lib. Offi 3.

Inter hominem, inquit ille, & belluam hoc maximè interest; quòd hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum quod adest, quodq́; præsens est, se accommodat, paulum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit principia, & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adiungit atque adnectit futuras; facilè totius vitæ cursum videt, ad eamq́; degendam præparat res necessarias: eademq́; natura rationis hominẽ conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem, ingeneratq́; in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitq́; vt hominum cœtus & celebrari inter se, & à se obiri velit; ob easq́; causas studeat parare ea quæ suppeditẽt & ad cultũ & ad victũ; nec sibi soli sed cõiugi, liberis, cæterisq́; quos caros habeat, tueriq́ue debeat. quæ cura exsuscitat etiã animos, & maiores ad rem gerendam facit. In primisq́; hominis est propria veri inquisitio, & inuestigatio. hæc ille Oratorum princeps, in cuius atq; aliorum sententijs illud plerumq; deest, vt veri cognitio, rectiq; persecutio referatur in primis ad Deum. Idcirco videas de summo bono varias antiquorum opiniones: neq; tamen vllum reperias ferè, qui in Dei amore & contemplatione nostram felicitatem ponat. Enimuerò est adeò diuinum feros homines ad aliquam humanitatem adducere, vt quicumq; id egerint antiquitus, eorum memoriam deorum immortaliũ honore prisci consecrarint. Audi vatem quemdam.

Hor. li. 1. car. Od. 10.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti casus, & decoræ
More palæstræ.
Te canam magni Iouis, & deorum
Nuncium. Et alibi:

Idem epi. lib 2. ep. 1.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras, hominumq́; colunt genus, aspera bella
Componunt, agros adsignant, oppida condunt.

Quid plura? nónne in deorum numero collocarunt, quotquot aliquo huiusmodi insigni beneficio affecissent humanum genus? Hæc enim sunt Ciceronis verba libro de natura deorum: *Deos quosdam ex magnis beneficijs constitutos.* sed illi malè; quando non in vna re, sed in omnium bonorum complexu beatitudo, quæ à solo Deo pendet, & ab illo solo petenda, & ad illum cuncta referenda. Sit interim

fixum

fixum, diuinitatis esse argumentum, ad humanitatem feros homines excoluisse, quod priscis haud contigit, quib. veri Dei cognitio, ad quem cunctis in rebus spectarent, penitus fuit occulta.

Hinc licet Romani nonnullas nationes iactarent se ab aliqua barbarie vindicasse, tamen ad hoc, de quo agimus, haud peruenerunt; quin ipsis nonnulla prorsus effera adhæserunt. Nam quamuis nullo modo barbari dici & haberi vellent, & reuera plurimum differrent ab immanitate stuporeq; multarum gentium, maximam tamen animi in quibusdam retinuerunt attrocitatem. Nam quid atrocius fingi potest, pro ludo, atq; adeò honore existimare spectacula gladiatorum dedisse, quod sępius quotannis fiebat, qui se mutuis vulneribus confoderent, vt alijs essent oblectamento? Laudi Traiano datur, quem vocant optimum Imperatorem, quòd vno munere decem millia gladiatorum populo exhibuisset. Atq; hoc sanè crudelius, q̃ in sacrificijs eos mactare. In ijs enim credo fuisse, qui vicē illorum miserti deplorarent, aut saltem non deriderent, atque animi ducerent oblectationem: at in huiusmodi muneribus, vt esset aliquis qui rei indignitatem stomacharetur, erant etiam proculdubio qui in aliquorum trucidationibus gestirent, risum tollerent, exsultarent. Quòd si immanis, ac barbara, consuetudo hominum immolandorū vocata est à Cicerone; quamnam quæso hanc iure non poterimus vocare? Neq; hoc solum in Romanis barbarum, sed illud amplius, quod spurcissimas impuritates, Venerem, Cupidinem, pudenda etiam membra, cælo dignabantur, diuino honore colebant. Græcis nihili est visum libidine præpostera vti, puerorum amoribus indulgere, & quidem in ipsa Sparta, vbi adolescentes excoli ad omne virtutis genus prædicabantur. In media Roma antiquitus erant publica aperrissimaq; obsoletorum (sic enim vocabant) loca, quæ nonnulli Imperatores, Christianorum mores magis admirati, in quibus Alexander Mammeæ, numquam de medio tollere potuerunt. Aliarum sanè gentium quæ foret impuritas, & immanitas, non est nostrum persequi: legat qui volet Apologias Iustini, Athenagoræ, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Arnobij, Ambrosij, & Prudentij aduersus Symmachū, Nazianzeni in Iulianū; videbitq; q̃ populi oēs abfuerint à verī, in quo maximè vna cū Cicerone, vt suprà ostēdimus, meliores Philosophi humanitatis

Barbaries Romanorum.

Dion in Tra.

Orat. pro Fonteio.

humanitatis præcipuam rationem posuerunt, assecutione semper abfuerint, & à recti persecutione. Nunc aperiamus propositũ, & ostendamus efferatissimos populos ab agresti immaniq; vita ad ciuiliorem viuendi modum per Ecclesiæ nostræ alumnos & antea fuisse perductos, & quotidiè perduci, vt omittamus eos, qui Romano antiquitus imperio subiecti, vnà cum dignitate illius ad Ecclesiam nostram, legesq; & mores concesserunt.

Barbaries Priscorum Germanorum.

Agamus de cæteris; in quibus primi ac viciniores occurrunt nobis Germani, qui numquam benè in potestatẽ Romanorum deuenerunt, & eorum cultus est ijs temporibus propinquior, cùm Græci à nobis se abalienare cœperunt. Igitur Tacitus sic de Germanis scriptum reliquit: *Diem noctemque continuare potando inter Germanos nullum probrum; crebræ, vt inter vinolentos, rixæ, rarò conuitijs, sæpiùs cæde ac vulneribus transiguntur.* & mox: *Nil beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasq; fortunas spe metuq; versare, securi aduersus homines, securi aduersus deos.* Strabo autem sic de Germanis: *Commune est omnibus, qui hunc tractum incolunt, vt aliò facilè migrẽt, & propter victus tenuitatẽ, & propter agrorũ ignauiam colendorum, & propter inopiam pecuniarum. cumq; in tugurijs habitent in diẽ habẽt supellectilem, plurimà in pecorib. trahunt alimoniã. sicut & Nomades; eorumque instar domesticis in carris tollentes instrumenta quocumque sors tulit & opinio, suis cum armentis conuertuntur. Sunt autem & alij Germaniæ populi indigentia magis laborãtes.* hæc de Germanis Tacitus ac Strabo, e quibus agnoscimus quantæ essent olim feritatis, quando conuiuia sæpiùs cæde ac vulneribus transigebant, & in hoc beatitudinem ponebant, suas alienasq; fortunas spe metuq; versare, nullamq; vel hominum, vel Dei habere rationem; hinc fiebat, vt cùm diuisi in plurimas essent gentes, vicinos expellerent populos, ac sese mutuis bellis extruderent aliò commigrantes.

Barbaries Saxonum antiquorum.

Ac ne putes temporibus Caroli Magni Germanos moribus fuisse omninò mutatis; audi quid de ijs scribat Eginarthus Caroli Magni scriba in eius vita: *Saxones sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarij, neq; diuina, neq; humana iura vel polluere, vel transgredi inhonestum arbitrantur.* De Saxonibus quidem sic multo antè Fortunatus lib. 3. ad Felicem Episcopum Nannetensem;

Mitibus alloquijs agrestia corda colendo Mu

Munere Felicis de grege nata seges.
Aspera gens Saxo viuens quasi more ferino
Te medicante sacram belua reddit ouem.

Sed tamen ex quo Franci, qui Germani videntur aliquibus fuisse, in Gallias eruperunt, aliquid humanioris vitæ assumpsêre Germani, vt ex Agathia colligere possum?, maximè qui Gallijs essent viciniores. ob id ille scriptor, & Gallos, Francosq́;, Germanos vocat. Nihilominus nullũ ciere possumus è Germanis populum, qui inter eos, vel doctrinæ alicuius, & artis, vel consuetudinis vrbanioris elegantia excultus esset. Post annum octingentesimum Germania perpoliri cœpit; ex quo, studio Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, quem Gregorius II. eò misit, firmas in intima Germania sedes Christiana religio habere cœpit. Nunc Germani, quantum spectat ad humanitatis cultum, meritò nulli nationi cedunt, plurimas illi vincunt.

Videamus de cæteris gentibus, quæ Germanorum cõfinia cõtingunt. & in vniuersum sanè de Sarmatis sic Tacitus idem: *Sordes omnium, ac torpor procerum connubijs mixtis non nihil in Sarmatarum habitum fœdentur* (loquitur de quibusdam Germaniæ populis.) *Veneti multum ex moribus traxêre. nam quicquid inter Peucinos, Fœmiosque syluarum ac montium erigitur, latrocinijs pererrant. si tamen inter Germanos potiùs referuntur: quia & domos fingunt, & scuta gestant, & peditum vsu ac pernicitate gaudent; quæ omnia diuersa Sarmatis sunt in plaustro equoq́; viuentibus. Fœmijs mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates.* hæc Tacitus de Sarmatis. Procopius temporibus Iustiniani vixit, qui hæc de populis, quos Danubius allueret, scriptum reliquit: *Oritur, ait ille, in Celtarum, qui nunc Galli vocantur, confinio Ister fluuius. Circumfluit autem multas regiones; vt plurimum desertas, alicubi barbaros accolas habens, belluinis moribus, & nulla societate alijs hominibus deuinctos.*

Barbaries Sarmatarũ Episcoporum.

Lib. 4. de ædifi. Iustin.

De Pannonijs quidem sic Dio antea tradidit: *Pannonij*, inquit, *omnium, quos nos quidem nouerimus, hominum fortißimi sunt; nimirum cùm nihil vita honesta dignum habeant, ad iram & cædes propensißimi quod ego non auditu tantùm, aut lectione, sed re ipsa cognitum, cùm præessem videlicet ei nationi, scribo.* In Pannonias Hungari penetrarunt, de quibus ita Rhegino, qui sub annum M. LXXV. vixit: *Viuunt*, inquit, *Hungari non hominum, sed belluarum more; carnibus, vt fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt; corda hominum, quos capiunt, particulatim diuidentes, veluti pro remedio deuorant; nulla*

Lib. 49.

Barbaries Pannoniorum & Hũgarorum Priscorum.

miseratione flectuntur, nullis pietatis visceribus commouentur; capillum vsque ad cutim ferro cædunt super equos ire, meditari, consistere, ac colloqui solent liberos ac seruos suos equitare ac sagittare magna industria docent ingenia illis tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia. quippè eamdem feritatem fœminis quam viris assignant, semper in externos, aut in domesticos motus inquieti; natura taciti, ad faciendum, quàm ad dicendum proniores. Huius igitur nefandissimæ gentis, non solùm memoratæ regiones, verùm etiam Italiæ regnum ex permaxima parte vastatum. hæc Rhegino. Sed quales quæso Hungari, ex quo Christo nomen opera nostrorum dederunt? Planè moribus istis omninò dissimiles.

Barbaries Borealium quorũdam

Radeuicus temporibus Friderici primi, qui iniuit imperium anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio floruit: is visus est mihi haud satis æquus Polonis, quos eo tempore, quo scripsit ipse, humanissimos fuisse scimus, & omnibus rebus, quæ ad vrbanæ societatis cultum pertinẽt, ornatissimos. De finitimis certè populis Polonico imperio hæc verè memoriæ prodidit: *Aiunt eius maris, quod illius terræ littus abluit, tales esse prouinciarum habitatores, qui famis tempore semet deuorent. & cùm perpetuis rigeant algoribus, ideoque nullam possint in quibusdam locis agriculturam exercere, venationibus & mortibus dediti sunt. Omnes autem pyraticam exercent, & insulas Oceani, Hyberniam, & Britanniam, Daniam quoq; inquietant, licet in alio littore reperiantur.* hæc de Prutenis ac Liuonibus, vt reor, Radeuicus, qui moribus postea ad omnem cultum perpolitissimi fuerunt, ex quo per nostros in illas oras Christi doctrina est inducta, vt nemo non ex historijs dignoscere potest, & consuetudine illarum gentium quotidiana.

Diximus suprà Slauorum, siue Slauinorum nomine antiquitus contentas innumeras nationes, his Bohemos, & alios quos videmus eadem nunc vti Slauonica lingua. At quàm barbari, & crudeles essent Slauini, tum possumus è multis cognoscere, tum ex ijs quæ tradiderunt Procopius & Agathias. Temporibus enim Iustiniani cœperunt Slauini inuadere Illyrium, cui postea nomen dederunt, at hi populi nunc, postquam Cyrillus ac Methodius eos, cæterique præsules nostri erudierunt, ad ipsam videntur humanitatem facti ac nati. Mira sunt, quæ prodiderũt ijdem de Erulis, Rugianis, & alijs Borealibus nationibus; quàm forent atroces, & belluis omninò similes: quod etiam scire possumus ex ijs, quæ proprij illarum scriptores,

Proc l. 2. & 3. bell. Gott.

Saxo

Saxo Grammaticus,& Helmodus,memoriæ commendarunt. Quanta verò facta sit morum commutatio, ex quo nomen Christo dederunt labore nostrorum,nemo est qui ignoret. Anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto Christo se adiunxerunt Lithuani,Samogethæ,multęq; aliæ his finitimæ nationes;quæ quidem quam forent agresti & prorsus inculta vita,moribusq; belluinis,qui scire volet,legat Cromerium.Nunc autem nihil illis deest ad omnia humanitatis ac vitæ ciuilioris ornamenta, ita vt nulli hac in re populo ferè sint secundæ. Deniq; vt finem faciamus,regiones illæ,quæ ab anno ferè octingentesimo vsq; ad ætatem nostram per nostros ad humanitatis cultũ sunt perductæ in Europa, duplo superant Europæ reliquas, vt quiuis Geographię paulò peritior colligere potest;& sanè nulla superest ora,nisi eorum qui Lapones vocantur, gradibus decem in Aquilonem protensa vsq; ad Arcticum polum.Atq; hi nondum vel Christo nomen dederunt,vel mores belluinos exuerunt.

Lib.15.

Veniamus in Africam, in qua nobis occurrunt primæ insulæ Canariæ,in quibus indigenę antiquitus nihil aliud humani habebant,nisi effigiem corporis,& asperos quosdam potiùs verborum sonos,quàm verba.De ijs nonnulla Aloysius Mustus Venetus,qui sub annum millesimũ quadringentesimum quinquagesimum quintum circumnauigauit extrema Africæ littora,& maria ad Occidentem spectantia.nunc illæ insulæ cultissimæ, indigenæ ad omnem cultum ciuilem perpoliti.Insula S.Iacobi distat ab Aequinoctiali gradibus quindecim:incolæ illius instar belluarũ prius vitam ducebant,nunc excultissimis sunt moribus.patet hæc in longitudinem circiter gradum vnum,& amplius.Idem dicimus de insula S.Thomæ,quę proprium nunc habet Episcopum,& alijs illis adiacentibus, quæ subiectæ sunt AEquinoctiali. Idem perfectũ ex aliqua parte in amplissimo regno Manicongi, quod abest ab Aequinoctiali gradibus ferè septem; & latissima insula S.Laurentij, quæ subiecta est tropico Capricorni, & quantum liquet,est omnium maxima, quas mare circumfluat, post Taprobanam. Eidem deniq; rei factum est initium in amplissimo regno Benopotamæ,Quiloæ,Mozambicquæ,& Melindæ. Spectant hæ regiones ad Austrum & Orientem in extremis Africæ littoribus.Iam verò vt Asiam lustremus, & Indias Orientales; si quis vult cognoscere quantũ feritatis habe-

Barbaries Indorum Orientaliũ & Occidentalium.

rent pleriq; omnes populi, qui innumeri sunt, legat, qui
volet, vel Osorij historias, vel Fernandi Lopezij Lusitani.
Nam singula recensere nimis esset prolixum: longissimus
est enim tractus, qui à Persico sinu vsq; ad extremos Sinas
excurrit, & innumeræ nationes, moribus, ac vitæ studijs o-
mninò dissimiles, incolunt tum maritimas vrbes à nostris
occupatas, tum sparsas per Oceani vastissima spatia insu-
las. quarum populi excoluntur ad omne humanitatis stu-
diũ per multos è nostris, & maximè per sacerdotes Socie-
tatis Iesu, qui in multis locis egregiã in primis huic rei na
uare operã neq; desinũt, neq; vlla difficultate defatigãtur.

Satis sit nobis aliqua retulisse de Iaponensibus ac Sinis,
qui cultiores habentur, & ad omne humanitatis genus sa-
tis informati: & nihilominus si religionem spectes, & veri
inquisitionem, quam præcipuam in humanitate Cicero &
alij prædicarunt, commune est Iaponensibus ac Sinis, vt
dæmona horribili ac deformissima specie depictum omni
animi demissione seriò colant, & diuinos rei, vt ipsi agno-
scunt, & ostentant, turpissimæ tribuant honores. & vt va-
leant multum vtriq; populi in politicis; in rerum tamen
siue naturalium, siue diuinarum cognitione eò minus va-
lent, quò magis antea posse sibi persuaserant. nunc verò
secus esse agnoscunt, & ob id nostros in maximo omnes
habẽt honore, & admiratione. Illa certè immanissima con
suetudo inter Iaponenses. Quicumque ex ipsis ad pauperta
tem deuenerunt, vt sæpè fit, vbi filios ex vxoribus suscepe-
runt, manibus ipsi iniectis parentes, horribile dictu, pro-
prios filios palàm suffocant, & enecant, ne alendis illis ma
iora paupertatis onera & incommoda subire compellan-
tur, atqui hoc neq; crudelissimæ omnium belluæ faciunt,
vt omnium genera & mores diligentissimè peruestiges &
attendas. & tamen Iaponenses habentur omnium ad ciui-
lia studia cultiores. Quàm verò illud inter Sinas immite,
vt plebeios omnes durissimo imperio oppressos teneãt, &
loco vilissimorum seruorum ducant, neq; spes vlla sit vm-
quam fore, vt fortuna commutetur; quando antiquissima
lege sit cautum, ne quis aliam artem exerceat, quàm acce-
ptam à maioribus suis. Iam verò si quis incidat in graue
æs alienum, neq; sit soluendo, tamdiu cæditur virgis, do-
nec animam edat, nisi quis miseratione ductus illud exsol
uat. Preterea verò cùm quis paulo nobilior sepulturæ mã-
datur, serui & vxores cariores illi enecantur, & vnà sepeli-
untur,

untur, quòd dicant istos defuncto ministraturos: hoc post alios tradit Ignatius in itinerario suo. Atq; hæc Sinæ, qui magis ad societatis communis studium perpoliti videntur.

Omittamus interim regionum Asiaticarum incredibilem multitudinem, per quas in dies magis à nostris humanitatis leges, disseminantur & constituuntur. Accedamus ad Indias Occidētales; quarum si efferos oēs mores in medium producere vellemus, nullus esset dicendi finis. Aliqua sit satis indicasse, vt cætera colligere possimus. In illis concubinas multas habere homines solebant, ex ijs plurimos filios suscipiebant, & huic vni rei dabant operam, vt ij pinguibus alimentis infarcirentur, & adipe repleti ad ætatem paulò adultiorem peruenirent, quam simul atq; attigissent, occidebāt, in frusta discerpebant, & assos crudelissimè comedebant; quæ Petrus Martyr & Ferdinandus Lopezius testantur. Multis hoc nationibus per ea loca erat commune, vt sese mutuò homines ederent, & dijs suis sacrificarent. In vna vrbe Mexicana quotānis hominum septuaginta millia immolabantur sæuissimum in modum. Asseruabantur in plurimis inanium deorum templis, qui præposteræ libidinis vsibus nefandissimis publico, & quidem, vt putabatur, religioso decreto, seruirent: sanctumq; & pium reputabatur tam immane facinus cum ijs admisisse. Litterarum neq; vllus vsus, neq; vlla in illis locis vel tenuis erat cognitio. At nunc populi oēs ad Christi cultum traducti superant vel æquant propè Europeos cunctis humanitatis ac religionis officijs, vt ex ipsis, qui diu per illas regiones vagati sunt, Romæ audiui, & vsu percepi, cùm nouerim nō nullos ex ijs oriundos, & indigenas, eorumque confessiones in vrbe audiuerim.

Incredilis feritas quarundā gentium Indicarum.

Tot igitur ac tanta terrarum spatia nostri à barbaricis institutis ad humanitatis cultum traduxêre, vt illa totius orbis dimidium & amplius etiam conficiant, neq; adhuc finis. Nunc vbi hac in re fructus vester ô Græci, ex quo à nobis discessionem fecistis; vbi vester ô Protestātes? Habetis Lapones vobis conterminos, in quibus potestis vestræ doctrinæ experimentum facere, semina humanitatis vestræ, ne dicam crudelitatis iacere. Habetis hæretici Græci in confinibus Moscouitarum multos populos. Quid cessatis? cur non efficitis, cur non conamini, vt leones cum vitulis, lupi cum hædis, vrsi cum ouibus

habitent? Atqui ostendam vos omni prorsus humanitate spoliatos, ex quo dissuistis initam nobiscum societatem; idque testimonio vestro, re ipsa, quod negare haud potestis. Igitur cuinam conueniunt oracula, quæ adduximus suprà, de efferis populis ad humanitatis studia excolendis? Vobis nequaquam, quando nullos ad Christum traduxistis post factam discessionem. Ad nos verò pertinere, res ipsa quotidiè docet: ac proinde nos ex Ecclesia Dei sumus.

SIGNVM VIGESIMVM NONVM,

Caritas.

In Ecclesia nostra elucescit ardentissima omnium caritas, apertissimum Diuinitatis argumentum, quo concluditur omninò hanc esse Ecclesiam Dei.

CAP. V.

QVi caritatis laudes vellet explicare verbis, aut id conaretur, is proculdubio Soli lumen vellet addere: quando plena sint omnia non modò sacra scripta, sed etiam profana, quibus honestus in Deum mortalesque vniuersos amor commendatur: vt hoc ipso maximè à feris differre videamur, quòd magis inter nos amamus. In Ecclesia certè Dei est necesse hæc virtus latissimè elucescat, & in oẽs partes sui splendoris radios emittat, ita vt obscuret, quasi minores stellas, quæcũq; visi sunt alij hac in re præstitisse; sic enim verè apparebit esse Ecclesiã Dei. Sit itaq; illud primũ cõmune vniuersis Catholicis, ex quo id, de quo agimus, clarissimè liquet: ꝙ nemo Catholicus sibi credit, sed ea tantùm credit, quæcũq; audit ab alijs omnib. credi, paratus communib. scitis stare præsentibus, præteritis, ac futuris. Ex quo fit, vt maxima sit animorum copulatio inter Catholicos vniuersos, quicũq; vmquam fuerunt, aut futuri sunt, quod nos signis ad fidẽ pertinentib. explicauimus; in quibus & illud adiecimus, perinde esse sibi credere, ac sibi ipsi deligere quemquam, quibus habeat fidẽ; sic enim fieret, vt quos vellẽ, & qui mihi adsentirẽtur,

I. Argum.

opta-

optarem. Hinc rectè aiebat sanctus Thomas, hanc esse differentiam inter fidem dæmonum, qua credunt & contremiscunt, & fidem Catholicorum, quòd illi vi veritatis euidenti coacti credunt. Nos non ita: amore impulsi adhibemus fidem, parati ad omnia credenda, quæ ab ijs, quos spiritus sanctus posuit Ecclesiam Dei regere, (hi sunt, iuxta Apostolum Paulum, Episcopi,) diffinientur vmquam: atque ita desciscο hac parte à memetipso, in alios transferor, quod est amoris munus, vt amantem extra seipsum rapiat, & collocet in amato. Ob id aiebat Paulus: *Caritas omnia credit.* Quocirca necessariò fides est vna, quòd in vnũ cunctos Catholicos adducens, sibi semper, & ex omni parte constet. Id verò nulli cœtui contigisse vmquam suprà ostendimus. Hinc tanta inter antiquos & hæreticos dissidia, & inconstantiæ. Hoc igitur maximum, primumque amoris fundamentum.

II. Ex illo exstitit secundum, vt nulla gens vmquam tot martyres protulerit, qui pro suo cultu ac religione vitam posuerint, nullis se armis defendendo, nulla vi, quibus hęc proposita fuerit conditio, vt vel à semetipsis suisque desciscerent, abijcerent obedientiam fidei, vel mortis extrema supplicia perferrent; quot Ecclesia Catholica. Id nos signo de perpetua martyrum successione explicauimus.

III. Sed hîc adijcio quoddam longè mirabilissimum. Roma vna plures martyres Ecclesię dedit piscis illis temporibus, quàm quilibet vel hæreticorum, vel quorumuis cœtus. Numerantur enim plura in vrbe, quàm tercenta martyrũ millia. Edant numerum suorum singulæ hæreticorum factiones, ac videbunt id ita esse vt dicimus.

IIII. Admirabilis comparatio. Quid? num satis hoc? Coëant in vnum greges omnes hæreticorum omnium; coëant cunctæ gentes, ab orbis exordio: pseudo martyres eorum non poterunt vnius Vrbis æquare summam. En quantus nostris amor; en quanta caritas. Audi adhuc: paucissimis maxima, & incredibilia complectemur. Sicut eluxit in vna vrbe Roma potissimùm caritas ardentissima martyrum, ita vt hæc vna vrbs possit stare aduersus impios omnes, & à vero Christi cultu alienos; sic in eius Pontificibus amplissimè resplenduit.

V. Nulla namque sedes tot martyres Episcopos produxit, vt Romana, quæ viginti septem suorũ Pontificum pro Chri-

 sti cul-

sti cultu interfectorum recenset, vt signo de prudentia politica ostendemus infrà.

VI. Hîc verò libet illud adijcere magis mirandum. Si coëat in vnum cunctæ hæreticorũ factiones, ac proferant principes suos, non poterunt omnes æquare istam summam. Vna sedes Ecclesiæ Catholicæ plures Episcopos martyres edidit, quàm conciliabula vniuersa hæreticorum, si de summis eorum præsulibus agatur. Quinimmo vniuersi à vero Christi cultu alieni coëant, siue sint illi hæretici, siue cuiuis addicti superstitioni: non poterunt è suis summis principibus, qui vitam pro suo cultu posuerint, hanc summam conficere vllo modo.

VII. Martyrum mens, & caritas summa.

Sed inspiciamus quæso, quæ fuerit istis omnibus mens; vt sciamus qui fuerit amor illorum in vniuersum genus humanum. Hic illis fuit animus, vt sanguinem profunderent exemplo prorsus Christi, qua mente Christus ipse profudit. Neq; verò refert, quantum ad propositum nostrum, an isti habuerint omnia Christi cogitata, & studia, quibus bene animatus fuit in sua passione, prorsus cognita, & explorata: sat est, si quæcumq; illa forent, ijsdem voluerint progredi ad occumbendam mortem, si voluerint exemplo illius oppetere. Atqui Christus vitam posuit pro totius humani generis salute, vt bene esset hominibus vniuersis, illorũ in se supplicia, pœnasq; ijs debitas in se auertens: & hi similiter, quoquo modo daretur. Atq; hîc aduerte illud, hunc animũ non posse verè cadere, nisi in Catholicos, vt propter aliorum amorem ponant vitam. Nã cùm non sint alij affecti illo primo amore, qui pertinet ad fidẽ, & quo quis non sibi suisq; cogitatis credit, aut ijs, qui fuerunt huiusmodi, & crediderunt sibi, ac suis cogitatis; hinc fit eos vitam ponere, non propter amorem aliorum, sed suimetipsius, aut eius, qui proprio ductus, alijs abrogauit fidem, sibi vni impudenter arrogauit. Quamobrem tota antiquitas ab ipsius mundi constitutione, si loquamur de ijs, qui rectum Dei cultum non sunt secuti, haud potest in medium producere vel vnum martyrem, cùm sint nobis millia innumera eorũ, qui sic occubuerint. Ac multò minus hæretici, quotquot vmquam fuêre, poterunt huiusmodi aliquem producere è suis, quando ipsi ducũt originem ab vno aliquo, qui sui ipsius amore decept⁹, à reliquis desciuit, sua cõmenta & cogitata secutus, quod nos latè persecuti sumus suprà in fine secundi, & principio tertij libri.

Ad

VIII.

Ad hoc signum spectant etiam, quæcumq; ad amicitiam pertinentia congessimus, quæ non est opus huc iterum transferre. Huius sanè loci propria videntur illa, quæ legimus acta à Petro nummulario, vt habetur in vita Ioannis Eleemosynarij edita à Simeone Metaphraste, & quę similiter confecit sanctus Paulinus Episcopus Nolanus. Horum namque vterque semetipsum cum suis omnibus vendidit, vt alijs pretio suæ libertatis benè esset. Idem factum scribit à Ioanne Syndonita Palladius. Huiusmodi virum neque hæretici omnes simul coniuncti producere è suis queunt, neq; prisci vniuersi à vera religione abhorrentes. Tantum verò officium caritatis maximè resplenduit in Paulino, quòd ipse nobilitatis esset eximiæ, amplissimarum opum, ac prętereà Episcopi dignitate & potestate ornatus. Et quamuis pauci videantur qui similia sint ausi, mihi tamen longè durius videtur, si humanam spectes imbecillitatem, quod innumeri è nostris quotidiè factitant, perpetuis se votis paupertatis castitatis, & obedientiæ obstringentes ob amorem Dei. Ab his enim vix est vt quis ita possit absolui, vt liber omninò, perinde ac prius, sit: è seruitute aũt q̃s potest ex omni parte liberari, vt contigit Paulino, & Ioanni Syndonitæ. Verùm solemus nos non nisi illa magni facere, quæ sunt maximè inusitata, & à communi sensu longissimè posita. Vt vt res sit, nullum possunt vniuersi mortales proferre in medium, qui talia patrarit, qualia Paulinus, Ioannes Syndonita, & Petrus Eleemosynarius. Mittamus tamen hos, non enim tanti sunt hæretici, vt cum viris nostris comparari debeant. Veniant in medium virgunculæ quædam, quarum neq; vmbram Philosophi omnes ac sapientes sunt assecuti, nedum res, ac facta prorsus admiranda, & diuina.

Sur. tom. 3. Ianuar. 23.

IX.

Admirabilis caritas Catharinæ Senensis.

Catharina Senensis obijt anno millesimo trecentesimo octuagesimo. Illa aliquando, cùm videret maximam impendere Ecclesię calamitatem ob multorũ peccata, ardentissimè Deum rogauit, vt eorum scelerum pœnas in se trãsferret, reis ignosceret, imminentemq; calamitatem auerteret. Addicta ob id dirissimis cruciatibus, quibus atrocissimè per multum tempus est conflictata. Huiusmodi porrò erant tormenta illa, vt quiuis millies mori potius elegisset, quàm subijci illis. Quocirca si quis vel Curtiũ vel Codrum proferat, qui dicuntur pro patria se morti deuouisse, nihil efficiet. Nam pro bono, inquit sanctus Paulus, iure

qui

quis moriatur, libenter offerat se morti; sed pro flagitiosis non ita. præterea prisci illi pro amicis vitam ponebant contra hostes alios; at martyres, exemplo Christi, pro inimicis ipsis, & quidem scelestis, pro quibus etiam virgunculæ istæ, de quib⁹ est modò sermo, supplicia morti postponenda subibant.

Christinæ. *Surius to. 3. Iun. 23.*

Talis porrò fuit etiam, præter Catharinam Senensem, mirabilis illa Christina, cuius meminit Iacobus Vitriacus in vita Mariæ Ogniacensis. Narrant verò ipsam pro flagitiosioribus quibusque adisse vltrò pœnas acerbissimas ac dirissimas, in quibus nonnisi diuino miraculo persistebat. Conijciebat enim se in ardentissimos clibanos ignem vomentes, & flammis candentes, in ijsq; miris cruciatibus afflictata diutissimè consistebat, per spinas acutissimas se conuolutabat; in niues glaciemque altissimam sese abdebat, & ibi longissimum tempus morabatur. In rotas, quæ aquis circumuoluerentur, se dabat contorquendam, miserimeq; vexandam. Neq; tamē pars vlla corpori decedebat, reseruata in maiores vsq; pœnas. Huius virginis vitam describit Thomas Cantipratensis post annos octo ab ipsius obitu, & innumeros adhuc viuentes aduocat testes tantarum rerum, quippe qui vidissent eas, neq; mendacij potest argui, quasi memoriæ mandarit obscura, & in occulto facta, sed quæ oculis plurimorum tum viuentium fuerint vsurpata.

Catharinæ Raconisię.

Huiusmodi fuit etiam nostra ferè ætate Catharina Raconisia. cuius gesta memoriæ mandauit Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes, vir magnæ doctrinæ, & iudicij. Habitauit aūt virgo hæc in ædibus principis illius. Tradit itaq; eam sibi vltrò cruciamenta incredibilia à Deo poposcisse, quibus diuinæ iustitiæ per merita Christi satisfieret pro reis ac scelestis, quò conuerterentur ad Deum præ cunctis amandum. Istorum verò, qui tanta in humanum genus caritate sunt inflammati, in Ecclesia Dei numerus est propè interminatus; sed, quo sint illi animo, nō prædicant palàm. noui ego multos. In istis virgunculis Deus palàm fieri voluit, quanti essent Catholici ad confundendos alienos ab Ecclesia Dei, vt videant quàm remoti sunt à virtute, quæ maximè omnium Christianos decet, qui cùm Christiani sint, Christo per Christum similes esse debent; ac sicut ipse peccata nostra in corpore suo pertulit pro nobis, sic nos diuina impellente gratia, si

quidem

quidem tales simus, & hucusque pertingere valeamus, vnà cum Paulo dicamus, *Cupio esse anathema pro fratribus meis; sed etsi immolor supra sacrificium*. & alia huiusmodi, quæ tum alibi, tum maximè in epistolis Pauli, & Ignatij sunt frequentia. Producat itaque, si potest, antiquitas tota toto orbe terrarum diffusa ex ijs vnum, qui non sit in Ecclesia nostra, ac tali fuerit animo in vniuersum genus humanũ, in pessimos quosque, non ad acquirenda illis fluxa hæc, & humana, in quæ respiciebant Curtius & Codrus, sed cęlestia, ac diuina. Et hoc namque est aliud discrimen inter istos, ac nostros. Atqui sunt nobis innumerabiles huiusmodi. Tales enim martyres, vt ostendimus; tales tot virgines, quæ sanguinis effusione maximã suam in Deum genusque humanum caritatem consignarunt exẽplo Christi, eadem cum Christo mente. qui vitam pro toto genere humano, pro inimicis, pro flagitiosis, vt æternis sedibus sua crimina detestati aliquando adscriberentur, libentissimè profudit. quid verò si ostendam, cunctos Catholicos esse aliquo modo tanta, qua diximus, caritate inflammatos, vt pro flagitiosissimis quibusque, vt eis æterna salus acquiratur, quamuis illi nihil nos attingant, vitam profundere velint, pœnasque peccatis eorum debitas in se auertere? An non hoc est, vt diuina lex iubet, singulis Catholicis constitutum, vt potius extrema quæque supplicia pati malint, quàm velle alicuius æternam damnationem? Hoc sunt omnes animo, sic nostra lex iubet, sed nonnulli vnà cum Paulo expetunt hæc supplicia, quidam parati sunt excipere, si Deus velit, non expetunt tamen; alij non aliter sunt parati nisi sit omninò necesse, nonnulli excidunt ab altissimo mentis huius proposito, redeunt tamen ad illud aliquando, cùm scilicet confessione expiantes sua peccata, ad omnia iussa diuina obeunda saltem generatim se offerunt paratos, atq; ita rursus hac caritate ex aliqua parte accenduntur. Sic igitur Catholicus nemo tã diuini ardoris est omninò ille expers.

Rom 9.
1. Philip. 2.

X.

Huc etiam spectat indefessum studiũ, quod nostri Pontifice Romano vrgente posuerunt pro Imperio Orientali conseruando, Græcisque ab immani, qua nunc miserrimè opprimuntur, seruitute tuendis; quamuis infensissimi omnium nobis semper fuerint, ita vt è nostra parte beneficijs in illos, ex eorum parte maleficijs in nos certaretur; ac Pontifices Romani nihil tam laborarint, quàm rectam fidem

dem in Oriente maximis laboribus tueri ab anno tercentesimo & quinquagesimo, quo Constantius Imperator maximè Catholicos vexare cœpit, cùm foret ipse Arianus, vsque ad octingentesimum sexagesimum octauũ, quo Hadrianus Secundus curauit haberi Cõcilium in causa Ignatij, & Photij. Ita vt nihil omissum sit à nostris, quod à summa caritate exigi posset; contrà nihil ab illorum plurimis, quod ab inimicis proficisci videatur per annos quingentos & octodecim. Rursus ab anno millesimo nonagesimo, quo nostri in Orientem expeditionem sacram cœperunt adornare, vsque ad annum 1453. quo capta Constantinopolis, per annos tercentum sexaginta tres tantum sanguinis est à nostris profusum pro Orientalium Græcorumq; tuitione aduersus Mahometanos, vt si posset ille in vnum locum cogi, maximos & longè vastos lacus efficeret; cùm Græci contrà nihil in nos maleficij omitterent: quæ abundè nos explicauimus signo de confirmatione fidei, & studio Romani Pontificis in conseruandis Imperijs, ac regnis Catholicorum. Ibi ostendimus tales fuisse nostros hac in re, vt nulli ex antiquis non modò ergo inimicos, sed neq; erga amicos exstiterint tales ab ipsius orbis fabricatione vt apparebit.

XI. Agè verò, rem producamus ante ipsos oculos positam. Quotannis innumeri è nostris patriam sedem relinquunt, diuitias, voluptates omnes, & ad extremos Indos nauigãt, homines incredibili diritate efferatos, nullis armis, nulla re protecti, vt eos doceant haud dixerim religionem Christianam, sed humanitatem ipsam. An non hoc verum? Iaponij, qui excultiores habebantur & magis ad ciuilitatem nati, cùm tamen ijdem forent pugnacissimi, suos filios, quos præ paupertate non satis commodè poterant alere, impunè ac palàm suffocabant, & huiusmodi multa factitabant. hoc satis sit retulisse. Nostri vbi in illas oras appulêre, hospitales ædes prouentibus annuis assignatis excitarunt in alienis terris, quæ nostris principibus haud parerent, vt infantes illi non necarentur, sed in ijs expositi alerentur. Ad eas regiones plurimi è nostris nullo non periculo, summa humanarum rerum despicientia confluunt; iter immensum conficientes amore generis humani. Hem quot acerba subeunt isti, quot aspera, & durissima. Detur vnus è tota antiquitatè, è toto orbe, per tot annorum millia, ex omni hæreticorum, aut à nobis alioquin alienorum

Admirabilis comparatio.

collu-

colluuie, qui hæc patrarit, hæc fuerit aggressus, vide quid dicam, fuerit ausus, saltē cogitarit audere. Atqui Ecclesia nostra singulis annis plurimos huiusmodi producit. Neque ego hîc ago de cultu Christi disseminando, sed ipsamet humanitate, vt ex vno exemplo ostendimus, inter ipsos homines adducenda, & serenda. Nam quid de illis dicemus, qui filios ex ancillis suscipiebant, & non in alios vsus alebant, nisi vt adolescerent, ac pinguescerent, mox occiderentur, coquerentur, &, quod cogitatu horrendum, ab ipsismet genitoribus summa cum voluptate ederentur? Hæc in Indijs Occidentalibus passim factitabantur. sed nos de his non agimus, quòd pleriq; omnes isti sint armis domiti, quamuis non omnes: nam quidam religione & beneficijs nostrorum deliniti ad meliorem viuēdi normam concessere: vt mirum non sit, si cum belluis istis humana effigie contectis Hispani interdum asperius egerint. Nos hîc agimus de Indis illis, ad quos nostri nauigant, nullis humanarum virium præsidijs muniti, quales sunt Indi plerique Orientales. Sed vt finem faciamus, cùm caritas maxima dignoscatur è maxima patientia. Nam quid non feram pro ijs, quos amem ardentissimè? signo autem de patientia, quanto interuallo superent nostri omnes, explicatum sit, dixerimusque infinito: hinc fit vt nihil Catholicis æquari possit in hac virtute. Conijci & in hunc locū possunt, quæ pertinent ad mansuetudinem, pacem, liberalitatem, humilitatem, pietatem, obędientiam; quæ suis signis latè prosecuti sumus, & potissimum proficisci ab ipsa caritate dicuntur. Sed veniamus ad omnium maximarum virtutum chorum, qui sanctitate continetur, ac designatur.

XII.

XIII. XIIII. &c.

SIGNVM TRIGESIMVM,

Summa sanctitas.

Multipliciter ostenditur altißimum culmen sanctitatis, ad quod nostri perueniunt, ita vt qui dicuntur è nostris flagitiosiores, isti tamen meliores sint ijs, qui inter alienos optimi existimantur; quod clarißimè ostendit nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. VI.

Con-

COnuenit semper inter omnes sanæ mentis, virtutes sic esse inter se aptas & connexas, vt cui desit vna, cęteris ille sit destitutus; sic optimi quique philosophi olim dixêre, id latè Aristoteles tradit in Ethicis, Tullius in Tusculanis disputationibus, & alibi, vt omittamus Platonicos, Stoicos, & qui sunt habiti sapientiores. Idem dixêre nostri, inter quos Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Hinc à Christo dictum, *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* &, *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* &, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quocirca nihil esse in nobis debet, quod nos possideam? is & nos id auocet à Deo: & qui soluerit magna mandata, is neque minimus erit in regno cælorum. *Quicumque enim,* scribit Iacobus, *in vno offendit, factus est omnium reus.* Dictum namque nobis à Deo, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* &, *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* Ex omni verò parte Deus perfectus, & sanctitatis nomine virtutum omnium complexus continetur; de qua dictum, *Domum tuam decet sanctitudo.* Hæc autem tanta fuit in nostris, vt mira, sed tamen vera dicturi simus. Summam quidem fuisse constat in primis è perpetua successione martyrum, & sanctorum. Deinde ex alijs omnibus virtutum gratiarumque signis per nos hucusque explicatis. Postremò, vt plurima in vnum colligamus, è subiectis virtutum singularum signis, quibus ostendimus apertissimè nostros ad tantum virtutum culmen ascendisse, vt neq; philosophi, neq; alij potuerint illud assequi sermone, & cogitatione.

Eth. l. 6. c. vl
Cic. 2 Tus. offic. libr. 5. de Or. l. 1 Amb. lib. 5 in Luc
Hier. in c. 16. 56. Isa. & li 1. con. Pelag.
Aug. li 8. de Trin. cap. 4.
Greg. lib. 22. moral. c. 1. vide Thom. 1. 2 qu. 65. art. 1. & Diog. in vita. Zenc,

I. Argumēt.
II.
III.

Hîc aliud adhuc molimur: propositum namque nobis est clarissimè ante oculos ponere, illos qui sunt habiti è nostris flagitiosissimi, si nonnullis credendum, tamen esse meliores ijs, qui sunt optimi existimati, aut existimantur inter alienos à nobis. Sed vt recta sit comparatio, summos summis conferre debemus; cùm non sit eadem conditio principum, & mediocris sortis hominum. Nam qui in humili statu est, plurima non perpetrat, quia non potest, deest occasio, proponitur pœna. Principum vita ex omni parte obsidetur ab occasionibus, quæ præcipites in vitia ducunt. Hinc bene Aristoteles aiebat. *Virum magistratus ostendit.* & in diuina scriptura habetur, *Beatus qui potuit transgredi, & non est transgressus; mala facere, & non fecit.* Similiter

Admirabilis comparatio.

Eccles. 31.

hi ad

haud benè procedet comparatio, si quis conferat eum, qui duobus tribúsve annis præfuerit, cum eo qui decem. Initio namque solent ferè omnes principes esse boni; temporis autem progressu vix est, vt non ad vitia flectantur. Quocirca scitè dicebat Traianus, multos Imperatores distare à quinquennio Neronis. Hoc namque ille spatio temporis benè se in imperio visus est gessisse. Rursus illi inter se cõponendi, quorum gesta, quantum fieri potest, singula litteris fuerint commendata. Atque ita exiguntur ad rectam comparationem tria, similis conditio, tempus æquale, & cognitio similiter æqualis eorum, quæ gesserint ij, quos inter se conferre velimus. His constitutis sumamus aliquos è nostris Ecclesiæ Catholicæ summis viris, hi sunt Romani Pontifices, & ex illis eligamus eos, qui à quibusdam præ cæteris eiusdem dignitatis consortib. vituperentur; & contrà seligamus ex Imperatoribus Romanorum antiquis, qui sunt habiti optimi; similiter ex hæreticis nostri sæculi, qui sunt à suis optimi reputati: & hinc inde collatione facta clarissimum fiet pessimos, vt quidam volunt, è nostris, esse longè meliores ijs, quos cunctis anteponunt hæretici, & antiqui. Inter Pontifices contendunt aliqui hos pessimos, Ioannem Duodecimum, & Alexandrum Sextum: veniam verò mihi Catholici dabunt, si Põtifices nostros quodammodo deprimam, cùm comparationem facio inter illos & alios. Malè id forsan, sed tamen non omninò malè: quando nos vrgent impij arrogantiæ, superbiæque mendacissimæ plenissimi. Minus credo bene id fieret, nisi retundendus esset istorum fastus, ac tumor. despici poterant, sed ne despiciantur facit amor, quo complectimur eos, quibus mentis sanitatem cupimus, & à Deo precamur, & quorum causa suscepimus hunc laborem: neque indignum duximus omninò, nosmetipsos ac nostra nonnihil demittere illorum causa.

Quæ crimina fuerint obiecta Ioanni Duodecimo, non habemus nisi è Luitprando illius ætatis scriptore, quem cæteri deinde in vituperando Ioanne sunt secuti. sed nulla fides habenda Luitprando hac in re. Ipse namq; libri tertij initio profitetur se scribere historiam nõ alia de causa, nisi vt vltionem sumat de inimicis, & remuneret amicos; quocirca vbi descripsit deiectionem Ioannis Duodecimi factam per Otthonem Imperatorem, quasi peruenerit ad id, quod cupiebat, & quod illi erat propositum, finem scri-

bendi facit: se verò bene habitum ab Otthone prodit multis in locis: quin in Francofurto, qui est locus Germanici regni, exsul ab Italia cœpit historiam quæ nunc habetur. Et quidem si Ioannes Duodecimus fuisset, qualis à Luitprando fingitur, excusatus à suis laudatoribus fuisset Ottho ob id, quòd Ioannem sede Pontificia deiecisset de Episcoporum multorum consilio. At VVitichindus Saxo æqualis horum temporum, & ipsius Otthonis gentilis, texit laudes, & refert omnia gesta Otthonis; hoc tamen, quod in Ioannem perpetrauit, silentio præterit, quòd videret haud sine vituperatione Otthonis referri posse, & ficta quę Ioanni sunt attributa pleraq; scelera. Quid? quòd Ottho Frisingensis Germanus, & Friderici primi propinquus, & ęqualis, palàm scribit, durum sibi videri accommodare fidem ijs criminibus, quę Ioanni sunt obiecta, eaq; reperiri à Theutonicis dũtaxat scripta? Huc accedit, quòd Luitprandus ipse narrat ea crimina in Ioannem dicta ab inimicis eius. Quin Ottho Imperator aduersus illum non asserit aliud crimen in sententia pronuncianda, nisi quòd ei iuramentum non seruauerit, seditiones fecerit, Albertum cõtra fidem datam in ipsum fouerit, dux belli sit factus, loricamq; & galeam gestarit: de homicidijs, sacrilegijs, adulterijs nullum verbum facit Imperator in sceleribus Ioannis asserendis in sententiæ pronunciatione. fingamus tamẽ ea vera. Vide, quàm impari causa velim comparationem facere: vt cognoscamus, neque tot vel tanta potuisse fingi mendaciter ab impijs aduersus nostros, quasi ab ipsis admissa scelera, quot & quanta sunt reuera ab optimis suorũ perpetrata. Audiamus, quæ in eum sint dicta. Quòd ordinationes pretio fecerit: quòd annorũ decem Episcopum Tuderti dederit. Vidua Rainerij Stephana patris concubina, & Anna vidua cum sua nepte fuerit abusus. Hoc tamen aiunt se non vidisse, sicut neq; quòd palatium sanctum lupanar, & prostibulum fecerit. Benedictum patrem spiritualem excæcarit, & mox ille sit mortuus. Ioanni Cardinali virilibus amputatis intulerit mortem. publicè sit venatus. Dæmonum opem aduocarit in ludo. In amorem diaboli biberit vinum, incendia fecerit, ense accinctus galeam loricamq; gestarit. Hæc crimina in Ioannem ab inimicis cõficta. Alexandro Sexto hæc vitio dantur: quòd quatuor filios, ac filias duas, dum iuuenis esset, è concubinis susceperit. Pontifex factus malis artibus, vt suos efferret, multis Itali-

Otth. l. 6. c. 23.

Luit. libr. 6. cap. 10.

Italicis Principibus bella intulerit in ditione Ecclesiastica, eo prætextu, quòd inuasissent quæ ad Ecclesiam pertinerent: per summum scelus veneno, viq; aperta multos sustulerit, vt eorum bonis ad fiscum publicumq́ue pertinentibus suos ditaret; Romam sicarijs replerit. Tales igitur duo Pontifices dicuntur exstitisse intra annos mille quingentos quinquaginta & amplius. vt mirum non sit, si per tot sæcula fuerint in illam sedem scelesti aliquando obtrusi.

Nunc producamus in medium duos optimos omnium Imperatores ex antiquis. Eutropius testatur acclamari solium semper cuilibet Imperatori electo, Melior Traiano, felicior Augusto. Traianus igitur opimus existimatus. Hunc sequitur de sententia antiquitatis eiusdem Marcus Antoninus Philosophus. Atqui Traian⁹ dicitur præpostetæ libidini operam publicè dedisse, vt Dion refert, & in conuiuio deorum Iulianus imperator. Hoc autem longè turpius, quàm cum quibusuis mulieribus consuesse. Illud enim peruertit omninò ordinem naturæ, hoc non omninò, sed ex parte. Traianus præterea scribitur fuisse ebrietati deditus: hoc eorum Pontificum nulli est crimini datum. Qui autē de iniustis cædibus dicemus? cùm Traianus Parthis, & Armenis, quibus cum Romanis tum pax erat, nullo iure intulerit bella, vt idem Dion testatur; ex ijs innumeræ cædes exortæ, rapinæ, incendia, & iniuriæ; vt nihil propè sit, quod Alexander Sextus gessit? Idem Traianus, mitissimus scilicet vir, vno munere decem millia gladiatorū dedit Romæ, qui in theatro conclusi mutuis se vulneribus conficerent. An non homines isti erant, & quidem innoxij, vt cæteri omnes? quid igitur eos contrucidandos exhibeas? & hos sanè vno munere; alios enim pòst, alijs muneribus. Quid quereris itaq; sicarios esse in vrbe? A multis, inquies, haud atrox existimabatur, gladiatores dare ac populo exhibere. Hoc longè scelestius, tam immane facinus, nullum reputare, aut ijs qui nullum reputabant sic adsentiri, vt optimus Imperator contenderit in hoc alios Imperatores superare. Quanto igitur interuallo bonitate istum superat Ioannes Duodecimus, quem volunt inter nostros scelestissimum.

Veniamus ad Antoninum Philosophum, qui sibi Imperij consortem adsciuit Luciū Verum fratrem cūctis flagitijs vndiq; coopertū, quod ipse sciebat, ac, vellet, nollet,

Vitia Traiani optimi Imperatoris.

Vitia Antonini optimi Imperatoris.

attamen maximo omnium subiectorum malo tollerabat,
& cùm posset idem, nullum tamen afferebat remedium,
nisi verborum, & insulsæ cuiusdam patientiæ. Qualis ve-
ro fuerit Lucius Verus, ex ipsis scriptoribus profanis infrà
recitauimus. Idem similiter Antoninus Commodum fili-
um sibi successorem reliquit, qui sceleribus ipsis visus est
Neronem superasse, pestis humani generis est habitus, vt
eodem loco ostendimus. Igitur horum turpitudinem, vi-
tamq́; facinorosam cùm probè nosset Antoninus Philoso-
phus, tamen alterum vocauit ad Imperij partem, alterum
verò ad successionem, priuato magis amori suorũ, quàm
publico Reip. concedens. At illi displicebant eorum vitia.
Et cui quæso non displiceant aliena malefacta, præsertim
si dederit potestatem, qua perpetrentur? Stoici istius Im-
peratoris erat, nullo modo istis, quos flagitiosos sciebat,
Imperium communicare, aut si tales haud crediderat, vbi
videbat, illud eis abrogare, publico illos supplicio, vel alia
ratione de medio submouere. Hic solus excusando Anto-
nino philosopho locus est relictus, quòd non ipse ea scele-
ra ediderit, neque de illius iussu fuerint edita. Atqui non
hoc satis: tales videbat futuros; Imperium dedit. quid im-
peret amplius? sat est furioso gladium dederit in manus,
neque amouerit. Quid illud? quòd item sciens multos v-
xoris adulteros amplificabat; & quidem cùm populo v-
niuerso audiente in scena admoneretur, & quodammo-
do obiurgaretur? esto sineret adulterari vxorẽ: quid mœ-
chos ornet? reliquum nihil esse videbatur, nisi vt manu
eos deduceret ad vxoris cubile, & in eodem lecto eosdem
bonus homo collocaret. Idem præterea Antoninus suas
habuit, quamuis ageret Stoicum, concubinas, vt ad finem
vitæ Capitolinus refert. Illud autem crimen, quomodo
pugari potest, quòd coniugi defunctæ ex S. C. decreuerit
honores diuinos, templa statuerit fœminæ impudicissi-
mæ, quam totus orbis ob id infamem sciebat? Iulianus
Imperator hæc crimina Antonini, quantum potest, eleua-
re contendit in conuiuio suo, sed nihil mouet. Quo puta-
mus igitur animo fuisse fœminas Imperio Romano sub-
iectas, cùm viderent à laudatissimo Imperatore ex S. C. de-
cerni diuinos honores & in media Roma ad radices Ca-
pitolij & Palatij, in ipso foro, notissimæ adulteræ templa
cõstitui, annuos honores haberi, sacra fieri, sacerdotes de-
ligi? Taliáne vnquam gessere Ioannes & Alexander? num

sibi socios ac successores tam funestos, tot, totiq; orbi exitiales elegêre? Amauit filios Alexander, multa illi indignissima perpetrarunt: nihil tamen illis cum Commodo, aut Lucio. & tamen Alexander idem laudatur ab omnib⁹, qui cũ vituperant in alijs, quòd in aduersarios lenissimus esset, patientia illos vinceret, & cùm posset dignitatibus & opibus spoliare, nolebat. Erant sanè multa in Marco laudanda; lentitudo tamen eius, & ignauia in coërcendo fratre, & vxore, & ipso filio, per quos in humanum genus plurima mala inuecta, fuit huiusmodi, vt præstet habere principem minoribus virtutibus ornatum, sed minoribus etiã vitijs irretitum: alioquin splendor ille virtutum fucatus facit vt vitia pro virtutibus accipiantur, ac venditentur, atq; ita laqueus imperitis inijciatur. Comparauimus flagitiosissimos, vt quidem scribuntur à nonnullis, & quidẽ non æquis scriptoribus, nostrorum, cum optimis Imperatorũ.

Nunc eosdem summos prçsules conferamus cum summis totius antiquitatis philosophis. Non æqua sanè vtrinque lanx. Nam philosophi vitam priuatam ducentes non fuerunt obnoxij iis periculis in vitia trahentibus, quibus Pontifices isti, qui veluti supremi principes nemini subiecti poterant propè impunè cuiuis sceleri manus dare, ac multos singulis horis habere libidinum suarum obsequẽtissimos seruos. priuatis prætcrea nulla est causa aut potestas vel in alios sęuiendi, vel exercendi vltionem, siue odio ducantur, siue etiam iustitia, & cupiditate simul. Tamen videamus qui sint summi isti inter Latinos & Gręcos philosophi. Nam summis nostris principibus opponimus nunc summos siue principes in imperio, siue in quolibet hæresis alicuius & sectæ studio. Inter Græcos sanè philosophos primas fert omnium iudicio Aristoteles; alij nãq; in aliqua, ipse in omni parte philosophiæ visus est eminuisse, & cuncta ad illam pertinentia scriptis consignasse. Inter Latinos autem, qui doctiùs est antiquis tum moralia tum naturalia tractarit, quàm Seneca nullus est. Inspiciamus vtriusq; mores, & cum moribus Alexandri & Ioannis conferamus. Aristoteles, AEliano teste variæ historiæ lib. V. adolescens factus omnem hæreditatem luxuriosè viuendo consumpsit: Diogenes & Suidas tradunt illum iam maturæ ætatis præposteræ libidini deditum: Hermiam namq; eunuchum in delicijs habuit, cui deinde veluti Apollini pæana cecinit; Pythiadi verò vxori, quasi

Vitia Aristotelis.

Cereri ſacrificauit; quæ Theocritus Chius verſibus nota-
uit. traditum eſt ab eodem Suida, AEſchirione etiam, &
Palephato Abydeno illum abuſum, ac pluribus etiam pu-
eris ea ipſa ætate, qua vita deceſſit. Auaritiæ notant Lyco
tertius eius ſucceſſor, & Ariſtoteles Alexandri Aphrodi-
ſei præceptor, ambo Peripatetici, & ipſius ſectatores. Vi-
tio præterea eſt illi datum, quòd Alexandro Magno ve-
neni acutiſſimi inuentu mortem procurarit; quod Plutar-
chus, Arianus, & Plinius confirmant. In hunc igitur, à
quo tanta acceperat beneficia, ſicut & in Platonem, cru-
delis. Talis itaq; Ariſtoteles. Seneca porrò qualis fuerit,
explicat his verbis Dion: *Nec enim Seneca hac in re ſolum, in-*
quit, ſed in pleriſque alijs, contrà facere viſus eſt, quàm philoſopha-
batur: cùm enim tyrannidem improbaret, Tyranni præceptor erat;
cumque inſultaret ijs, qui cum principibus verſarentur, ipſe à Pala-
tio non diſcedebat. Aſſentatores deteſtabatur, cùm ipſe Reginas cole-
ret, & libertos, & laudationes quorumdam componeret. reprehende-
bat diuites is, cuius facultates erant aureorum tricies centena millia:
quiq; luxum aliorum damnabat, quingentos tripodas habuit de ligno
cedrino, pedibus eburneis, ſimiles & pares inter ſe, in quibus cœna-
bat. ex quibus omnibus ea quæ ſunt ijs conſentanea, quæq; ipſe libidi-
noſè fecit, facilè intelligi poſſunt; nuptias enim cum nobiliſſima atque
illuſtriſſima fœmina contraxit, delectabatur obſoletis; idq; Neronem
facere docuerat, etſi antea tanta fuerat morum ſeueritate, vt ab eo
peteret ne ſe oſcularetur, néve vnà ſecum cœnandi cauſa diſcumberet.
Hucuſq; Dion. Quot igitur partib. ſuperant Alexandrũ &
Ioannem Seneca & Ariſtoteles, libidine, luxu, auaritia, &
improbitate? alter, inquit Dion, cùm tyrannos damnaret,
tyranni præceptor erat, omni turpitudini deditus; alter eo-
dem modo omnem ætatem ſuã traduxit malè vſus omni
tẽpore, & re: illud ſatis, quòd homo doctiſſimus vxori ſa-
crificauit, Cinædo pæana cecinit; quamuis ex aliqua parte
Socrates, Plato, & Stoicorum princeps Zeno præpoſteræ
libidini dederint operam, vt è Diogene Laërtio conſtat.

Quid ad hæc dicemus? An non Eccleſiæ noſtræ ſancti-
tas ſumma, quando qui in ipſa peſſimi, meliores tamẽ ijs,
qui ex alijs optimi ſunt habiti? Veniamus ad hæreticos æ-
tatis noſtæ; inter quos optimi prædicantur, & quaſi cæli-
tus demiſſi, Lutherus, & Caluinus. Ioanni Duodecimo eſt
obiectum ab inimicis, quòd cum tribus mulieribus iuue-
nis rem habuerit. At Lutherus cælo delapſus, credo, vt Sa-
tan, tota vita ſua vſq; ad extremam ſenectam cum mona-
cha,

Senecæ vitia.

Dion in Nerone.

Vitia Lutheri, & Caluini.

cha, quæ perpetuam Deo virginitatẽ vouerat, concubuit. Ioannes id fas esse, quod malè admisit, haud sanxit: Lutherus sanxit, adiecit hic licere ancillas ad thori commercia accersere, si renuat vxor, quin coniugi licere cum leuiris coire, vbi è marito prolem suscipere non possint, quamuis viuat inscius vir tanti probri. Processit adhuc Lutherus, ac dixit, haud se videre, modò sine exemplo malo fiat, cur non sit licitum plures vxores habere, vt signo de turpissimis hæreticorum progressibus apparet. An hæc egerit idẽ Lutherus, & exemplo bonus homo, vt cætera, consignarit, nemo suorum dubitabit, qui iactant illum præbuisse, veluti magistrum, exemplum eorum, quę docuit: horum nihil egit Ioannes, aut Alexander. Ioanni probro datum, quòd dæmona inuocarit. Lutherus gloriatur libro de Missa angulari, summam sic esse sibi cum dæmone consuetudinem, vt amplius quàm salis modium comederit cum illo. quin eo doctore se iactat; eiusq; verbis & à se haberi fidem, & ab alijs habendam scribit. Ioanni est obiectũ, quòd duos occiderit. Quot verò occisi instigante, & impellente Luthero? Scimus anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio per Franciscum Sickingium coactis maximis hæreticorum copijs hortatu OEcolampadii, & Buceri, tũ Lutheri discipulorum, nulla alia occasione innumeras vastitates illatas multis Germaniæ locis, hominum maximã stragem factam. Scimus quantæ clades inuectæ sint Thoma Muncero duce per rusticos ad omnium rerum sacrarum ruinam concitatos, quamuis ignominiam seditionis huius auertere à se postea conatus sit Luther', ex quo Muncerus cũ suis ad internecionem datus est. Tradunt in vna Franconia arcium & monasteriorum ducenta & nonaginta tria fuisse à rusticis illis euersa, monachos & sacerdotes innumeros trucidatos nulla de causa. Quid' ꝙ Luther' idẽ palàm decreuit & scriptis euulgauit, non esse fas Turcis resistere, vbi in nostras regiones exercitib. immissis irrũpãt, suosq; à defendẽdis Christianorum terris auertit; vt quos non possit per se suosq; neci dare, per Turcas interficeret? Accusatus est Ioannes, quòd sacras res surripuerit. At quot, & quanta bona sacris vsibus ex antiquissimo tempore dedicata detinentur etiam nunc à Principibus Lutheranis, & Protestantibus? Vix ac ne vix quidẽ fieri potest, vt illa æstimari possint. Datũ est crimini Ioanni, quòd in Missa non communicarit. Lutherus aũt sic scriptum reliquit:

Coch. in actis Luth. Surius in hist.

Super omnes abominationes teneo ego Missam. quin edidit libellum, quem inscripsit de abominatione Canonis Missæ; in quo sic inter alia: *Ego multum*, inquit, *ac sæpè prædicaui, & scripsi de Papisticis sceleratis Missis, quomodo conandum sit vt ab ea abominatione liberemur.* Iam quid attinet dicere ordinatos à Ioanne per pecuniam Episcopos, aut sacerdotes, cùm neque sacramentorum loco ordines ducat Lutherus? Aut quid boni ab illo exspectes, aut speres, qui omnia bona opera nostra damnauit, ac nullius momenti duxit, ac dixit esse? qui mala omnia à Deo in mentes nostras inspirari, scelera immitti, prouehi, ad exitum perduci iudicauit, ac sanxit? à Deo, à Deo inquam, fonte omnium bonorũ, fonte omnium virtutum, omnia vitia, omnia flagitia in nos deriuari homo flagitiosissimus asseuerauit? atq; is Protestantium iudicio optimus omnium iudicatur.

Sed illo melior, credo, Caluinus, qui cùm Nouioduni daret adolescens operam libidini præposteræ, in vincula coniectus, & publico iudicio flammis vltricibus est adiudicatus, sed potentium quorumdam precibus ex ijs ereptus, & infami stigmatia in humeris notatus, exsilioq; perpetuo multatꝰ è Gallijs Geneuam profugit. Vide principia iuuenis contaminatissimi. fingi potest vlla maior, ac fœdior spurcities, quàm ea, qua iudicij publici nota est condemnatus palàm Caluinus? Quid? nónne idem Geneuæ famulo quodam ad eandem libidinem abutebatur? qui cùm surripuisset ab ipso plurimum pecuniæ, profugit; neque ipse voluit ad illum comprehendendum, & in vincula ducendum mitti vllos, ne scilicet ille quæstionibus subiectus scelera Caluini præ indignatione diuulgaret? Quot verò idem Caluinus fœminas aliorum subagitauit? Illud notum, contendisse persuadere Iollandæ vxori nobilissimi viri Iacobi Bourgongne, vt sineret ægrotum virum suum mori, neque illius vllam curam susciperet, seq; ipsi eo defuncto in matrimonio iungeret: quod illa sic indignè tulit, vt marito recepta iam valetudine persuaserit relicta Geneua in terras Bernensium se conferre: quod egêre illi, & res est omnibus peruulgata. Quanto hæc sunt scelestiora hoc in genere omnibus quæ patrasse dicuntur Alexander & Ioannes; quid egissent, quæso, Lutherus, & Caluinus, si summam nacti essent potestatem? si tot ad malefacta occasionibus vti potuissent, quot abundabant Alexander & Ioannes nostri? Ac sanè Caluinus multo turpior Luthero:

Iacob. Iaing. in vita Calu.

thero: neq; enim legitur Lutherus libidini præposteræ seruisse. Idem porrò Caluinus sub annum millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum coniurationem funestissimam texuit, qua constitutum fuit, vt certa die Galliarum Rex Franciscus Secundus, Regina mater, Regina vxor, cum liberis, proceribus, ac bonis magistratibus è medio tollerentur. Ea detecta, atq;, vt potuit, compressa est. Nihilominus ex illo tempore innumera commissa prælia inter Catholicos & hæreticos innumeri principes, & homines trucidati, innumera templa solo æquata, innumera bona sacris vsibus dedicata ab istis expilata; corpora sanctorum concremata; tot denique, ac tantæ vastitates nobilissimo regno à Caluini sectatoribus illatæ, vt propè neq; tot Sarracenis, qui aliquando in Gallias irruperunt, aut à Northmannis, Gotthis, Hunnis & alijs efferatissimis gentibus fuerint inuectæ. neque adhuc post tot annos, post obitum Caluini furentissimæ pestis tantarum cladium finis. Quid hîc Belgicos tumultus referam per eumdem Caluinum, Caluinique discipulos, toties excitatos? innumeras in Flandria, Brabantia, Phrysia, Hannonia, Holandia, & Selandia strages hominum per tantum tempus factas? templorum, monasteriorum, oppidorum, & vrbium ruinas editas? tot virgines Deo consecratas, ac per huiusmodi scelera ad ignominiam Dei constupratas? En qualis optimus homo Caluinus, vt missa faciamus, quæ in Anglia & cæteris regionibus per ipsum fuerint perfecta, funestissima, ac truculentissima omnia, & tamen optimus iste inter Protestantes. Confer illum, si placet, cum pessimo è nostris, & videbis nostrum respectu istius optimum. Sedêre Ioannes quidem XII. annos propè quinque, at Alexander VI. vndecim: cuncta acta illorum, quæ vt priuati homines egêre (nam quæ vt Petri successores sanxerunt, haud mala fuerunt) cætera inquam, flagitiosa à successoribus damnata, ac rescissa, à cunctis habita nulla. Numquid idem factum de gestis Caluini, & Lutheri? Adhuc ardent bella per huiusmodi furias excitata, incendia peruagantur, templa euertuntur, bona sacra expilantur, virgines Deo dicatæ violantur; sacra, profana, infera, ac supera omnia miscentur post obitum istorum. En vt pessimi è nostris optimi iudicari debeant, si conferantur cum optimis è numero Protestantium, & tamen comparatio non satis æqua.

Nam primo loco Pontifices isti abundabant veluti prin-

Geneb. in chro. Sur.

Admirabilis collatio

cipes omni occasione, qua propellerentur ad vitia. Secundo loco duos Pontifices elegimus post quindecim sæcula propè transacta: neq; enim mirum, si post tanta temporũ spatia duo fuerint huiusmodi, si modò fuerunt, vt quidam volunt. At Lutherus & Caluinus eodem momento exstiterunt, quo sectæ ipsorum; eodem prorsus temporis puncto alter Lutheranorum, alter Caluinianorum antesignanus. igitur quanto interuallo distat momẽtum temporis à mille quadringentis ac quinquaginta nouem annis, tot enim numerantur ab illapsu Spiritus sancti in Apostolos, quo tempore est Ecclesia Christi è populis multis constituta per Petrum, vsq; ad Alexandrum Sextum, tanto interuallo scelera Caluini & Lutheri sunt maiora vitijs Alexandri. Quis verò dimetietur hoc interuallum? Nam quælibet hora in momenta innumera diuidi potest. Tertiò Ioannis & Alexandri acta non sunt habita pro legibus, aut rebus laudabilibus, vel etiam permissis; neq; enim id illi statuerunt, aut nos asserimus. at Lutherus & Caluinus non modò sua, sed omnia peccata permiserunt, dummodo fidas Christo: virgines autem Deo dicatas abstrahere à ꝓposito, à voto, laudabile ac sanctum dixerunt; templa euertere, bona sacra furari, id verò religiosissimum sanxêre. Quantò istorũ Pontificum vitiosa acta post annos ad summum decem rescissa sunt: Lutheri, & Caluini adhuc viuunt, & vigent, & ipsi cupiunt & cupierunt æterna. Pontifices illi labebantur in aliquod erratum, quod mox, aut aliquo tempore agnoscentes, emendatum desiderabant: sic enim mos est cunctis Catholicis, extremis saltem vitæ diebus resipiscere, aliquo saltem tempore auersari & odio summo habere præterita delicta, pudere admissorum. Quocirca siue spectes hominum conditionem; siue tempus, quo fit vt initia rerum sint speciosa, progressusq; interdum reprehendendi; siue opinionem, quam voluerimus haberi de gestis ipsis; siue voluntatem, qua voluerimus nostra crimina vel in modicum, vel in diuturnum tempus durare; infinitis partibus peiores Caluinus & Lutherus, quàm qui è nostris flagitiosissimi post tot annorum sæcula iactantur. Quinto loco adde numerum & naturam delictorum. libido namq; præpostera, & virginum sacrarum violatio sui natura est quauis huiusmodi obscœnitate turpior & grauior. semper verò Lutherus habuit, quandiu vixit, palàm in matrimonio Catharinam monacham, & cuiuis id licere omnino

ni[illegible] dixit; idemq; sensit Caluinus, qui se nefandis mascu lorum constuprationibus fœdauit & adolescens, & iam grandior natu. Ad latrocinia, verò, homicidia, & apertissima sacrilegia, bonorumque sacrorum rapinas cunctos adhortati sunt, & scriptis à se relictis discipulisque adhuc defuncti adhortantur. His verò, quæ diximus, addas licet, cōficta esse, vt ostendimus, quæ crimina aduersus Ioannem sunt obiecta, vel ex omni, vel è maiori parte. Quæ verò aduersus Alexandrum scribuntur; quantum ad illicitos concubitus, ea, dum iuuenis esset, admisit: reliqua ipsius filij perpetrarunt, pleraque vel ipso nō solùm inscio, sed & inuito; quippe qui iam senex timeret ab ipsis filijs omnium rerum publicarum, militariumque summam nactis, & parentem, qui tamen in ipsos nimio amoris æstu ferebatur transuersus, quò volebant, metu sæpè quando aliter non poterant trahentibus; quod & Panvvinus, qui nihil nōn Alexandro criminis admissi exprobrat, adnotauit in vitis, quas addidit ad Platinam.

Nunc autem veniamus ad alia; & ostendamus quemlibet catholicum, modò paratus sit non modò credere ijs quæ credenda proponuntur ab Ecclesia, sed etiam parere illius mandatis, quales sunt necessariò omnes, alioquin contumaces excommunicantur, & eijciuntur ex Ecclesiæ complexu; huiusmodi igitur hominem, sic animatum demonstremus, etiamsi sit aliquando flagitiosissimus, tota etiam vita sua, modò redeat in extremo spiritu ad hanc mentem, vt Ecclesiæ velit parere, esse meliorem quouis alieno, cuius maxima iactetur sanctitudo. Id verò sic colligitur, & apertissimè probatur. Summum namque candorem Catholicæ religionis esse in omnibus operibus virtutum commendandis, ad quem nullius cœtus peruenire potuerit, constat ex eo, quod in quolibet genere virtutis profert homines supra omnem existimationem præstantes, eosque non paucos, sed innumeros, non vnius status, sed omnium, non vnius ætatis ac nationis, sed quarumlibet; quod è superioribus ac subiectis signis apparet. Id etiam liquet ex inuita Protestantium confessione, qui nostræ Ecclesiæ præcepta sic ardua dicunt, vt illa à nobis, quamuis gratiam diuinā prætēdamus, absolui nullo modo posse contendant. Iam verò virtus posita est in animo ad illam capessendam suum studium collocante, non in opere foras prodeunte. Nam potest quiuis opus illud idem

V. Quiuis Catholicus vel scelestissimus melior quouis alieno optimo. E multis probatur Catholicæ Ecclesiæ summus candor.

I. Argum. probans V.

produ

producere, nolens id agere alia mente quam virtutis amore; sicut de malis est dictum:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quocirca, qui paratus est obedire Ecclesiæ præceptis, quæ summam puritatem continent, is iam pertingit aliquo modo ad virtutem, ad quam cæteri non possunt pertingere, quòd in eorum cœtu non sit tantus cādor, qui in Ecclesia nostra elucescit. Iam verò cum suprà, vbi egimus de coniunctione spiritus nostri cum spiritu diuino ad finem, signoque primo, & signo vnius fidei explicauerimus solis hoc esse Catholicis, vt animi ipsorum cōtinuato quodam nexu ab exordio mundi per omnes ætates, vsque ad supremum iudicij diem connectantur inter se, quòd nemo è nostris sit, qui sibi vnquam credere velit, aut eligat quod sequatur, aut adhæreat corū placitis, qui sibi crediderint; Ex hac certè animorum conglutinatione fit, vt opera virtutum communicentur; hæc est enim communio inter alia sanctorum; atq; ita per adiunctionem meum sit, quòd alius è præscripto summæ sanctitatis effecerit. Id alijs non contingit, quòd ijs non adsit hæc intima, & in omne tēpus pertingens animorum copulatio. Præterea verò cùm simus parati obedire iussis Ecclesię, quæ vel grauissima posset præcipere, non potest autem nisi iustissima, & sanctissima, iam deuotione animi perueni ad quodlibet opus virtutis imperatum. Et sanè si verum est illud Christi, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*: & *Qui vos audit, me audit*, cùm soli Catholici omnium sanctissimos viros, vt è signis primæ coniunctionis liquidissimò patet, colant ac venerentur, audientes illis, vt Christo, qui dedit eis eamdem, quæ sibi à Patre data est, claritatem; necessariò concluditur, ex isto cultu & veneratione pertingi magis à quolibet nostrorum ad culmen illarum virtutum, quò ascenderunt sanctissimi illi viri, quàm ab ijs qui vel eos despiciunt, vel nullo loco ducunt. Fieri porrò vix potest, vt ad eorum, quos admiror & colo, virtutes non adspirem; cùm sit hoc natura comparatū, vt nobis optemus id, ex quo aliquis à cunctis in honore habetur, vel à me colitur. igitur animi saltem desiderio, & adspiratione, quæ virtutis intimæ est opus præcipuum, ad virtutem perueni; cùm toties tot virorum sanctissimorum memoriam, factaque propter Deum veneror: quod maximè fit in Ecclesia Catholica, abominantur autem Protestantes impij in primis

II. III. IV. V.

mis in Deum Christumq́; deinde in illos, qui viuētes Deo Christoq́; seruierunt. Postremò necesse est, in ijs qui sunt alieni ab Ecclesia Catholica, non esse vllam solidam virtutem, vt suprà aperuimus, ea nimirum de causa, quòd Catholicorum nemo in officijs virtutum diiudicandis sibi ipsi suoque iudicio innitatur, cæteri ab Ecclesia Catholica alieni aut sibi solis credunt, aut eos sequuntur, qui sibi ipsis soli crediderunt: ex quo factum, vt euenerit in ijs illud:

VI.

Sua cuiq; Deus fit dira cupido:

Ac vitia sæpè pro virtutibus venditarint, falsa pro veris. Quòd si pluris est actio vehemens, quamuis vnica, quàm multæ, sed tamen remissæ, ac frigidiores; & vehementissimus omnium sit istius animus, qui ex animo præterita vitia auersatus, Ecclesiæ præceptis, quæ summam ingenerant animi puritatem, parere ob Deum sit paratus, procul dubio præponderabit Catholici cuiusuis conatus ad virtutem conatibus aliorum, qui neque animo conceperunt, aut habuerunt cognitum, quod est in Ecclesia Catholica, maximum in vnaquaque virtute culmen, & ideo neque adspirarunt ad illud, neque adspirare potuerunt.

VII.

Hinc fieri videmus in Ecclesia Catholica, vt efferatissimæ gentes, eæq́; maxima copia, cùm sese illi subijciunt, humanissimos induant mores. Hoc erat Indis Occidentalibus commune, vt hostes bello captos comederent, quin filios ex ancillis susceptos alerent, vt mox adultiores ac pinguiores effecti occiderentur, coquerentur, & pro cibo essent genitoribus suis. ex hac diritate cætera conijci possunt. Affer si potes è tota antiquitate homunculum vnum, qui tantæ feritatis esset, ac mitis euaserit humanusq́; obiecta virtutum specie per vllum philosophum, per vllum hæreticum, vel alioquin alienum à nobis. Vide quæso, quid dicam. Coëant vniuersi populi quotquot fuēre ab exordio mundi ab Ecclesia Catholica alieni, & statuant in medio, siquidem possunt, vnum homunculum, quem à tanta vitæ atrocitate adduxerint ad aliquem humanitatis gradum. Atqui quintam propè orbis partem tenebant ij, qui prius erant huiusmodi, sic efferi, sic atroces; nūc omnium mansuetissimi. Qui hæc effecerunt, & truculentissimos Indos multitudine innumeros nondum sæculo exacto ad humanitatis cultum perduxerunt, ij fuerunt Papistæ, quos optimi Protestantes omnium pessimos clamant. Isti igitur

VIII. *Argumentū principale.*

Admirabilis comparatio.

pessi-

pessimi in virtutibus inserendis prestant optimis omniū, quicumq; vmquam fuerunt: non igitur pessimi, sed pre ijs, qui ab alijs optimi reputantur, longè optimi.

Audi rursus. Alexander ille Sextus, quem volunt inter alios Papas pessimum, misit omnium primus ad Indias Occidentales Bucil Catelanum cum duodecim socijs, omnes erant ex ordine sancti Benedicti, qui Occidentales Indos ad humanitatem, cultumq; Christi adduceret: quod impigrè & diligentissimè factum ex auctoritate & diligentia Alexandri VI. vt refert Fumus in historia sua Gallica. Hoc igitur longè admirabilissimum, auctoritate flagitiosissimi è nostris tantum boni profectum, quantum neque omnium hæreticorum auctoritate ab orbis constitutione potuit vmquam proficisci; immò tantum boni profectum, vt neque vllam partem ex infinitis ab eo productis assequi potuerint hæretici omnes auctoritate sua. Audi rursus. In Germania quondam nulla erat litterarum cognitio, nulla vllius ciuilioris disciplinæ notitia, nullæ vrbes supra Rhenum & Danubium, nullæ populis certæ sedes; rapto viuebatur, ac venatu Idem de Britannia dicimus. Haud negabunt Protestantes, quæ ipsorum est ingenuitas, Germaniam omni virtutum bonorumq; genere plurimis orbis regionibus præstare, ex quo Gregorius Secundus eò misit Bonifacium monachum ad cultum Christi in Germania propagandum. Idemq; contigit Angliæ, ex quo Gregorius in Angliam misit Augustinum monachum. Qui fieri igitur potest, vt non optimi sint isti, & Papæ, & monachi, quos omnium maximè vituperandos volunt Protestantes; quando per illos effectum, vt tantum boni in Angliam & Germaniam peruenerit, quantum in nullam vmquam prouinciam per vniuersos homines, qui fuère ex quo fuit Adam creatus, potuit emanare? Nondum finem facio. Inter Germaniæ maxima bona annumeratur Imperatoria maiestas; inter humana sanè summum videtur bonum: atqui illa consedit in Germania, ex quo illam dedit Otthoni Primo Ioannes Duodecimus, quem nonnulli etiam Catholici scriptores pessimum volunt. is enim in Italiam vocauit Otthonem, & Imperatorem coronauit, vt Luitprandus eorum temporum scriptor, Rhegino, Sigebertus, ac cæteri omnes tradunt, nemo nisi stolidæ mentis homo, negare potest. Illud itaque admirabilissimum, à scelestissimo (si quidem daremus aliquem mendacijs locum) nostrorum tan-

Beneficia maxima à pessimis nostrorum profecta in alios.

tantum boni in Germaniam profectum, quantum cunctæ gentes à mundi fabricatione Germaniæ haud dederunt. His igitur, vt vidimus, bene perspectis, quomodo non summa sanctitas Ecclesiæ nostræ?

SIGNVM TRIGESIMVM PRIMVM.

Studia & exercitationes vehementissimæ virtutum.

Nullibi magis feruent exercitationes ac studia virtutum, quàm in Ecclesia nostra. hæc igitur Ecclesia Dei.

Cap. VII.

Qualis sit ille qui contendit in Deum, qualis eorum cœtus qui ad illum pertingunt, elegantissimè descripsit Dauid ijs versibus maxima paucissimis cōprehendens. *Beatus vir*, inquit ille, *cuius est auxilium abs te ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion* hæc Dauid, apertissimè designans, eum, qui peruenturus sit ad Deum, necesse habere, vt virtutib. studeat, in ijs se exerceat, & maiores quotidiè quantum fieri potest, progressus faciat. Hinc idem: *Exercebar, & scopebam spiritum meum, & in adinuentionibus tuis exercebor.* rursus: *Seruus tuus exercebatur in iustificationibus tuis.* Huiusce verò studij, harumq; exercitationum plena sunt omnia in sacris libris; in toto propè Euangelio nihil aliud inculcatur, nisi vt vigilemus, stemus succincti lumbos, talentum ne abscondamus, negotiemur, & alia huiusmodi innumera. Hinc Apostolus: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; in omnibus exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in* ne-

Psal. 83. *Psal. 76.* *Psal. 118.* *Rom. 12.* *1. Cor. 15.* *2. Cor. 6.*

necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ, à dextris, & à sinistris. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ seminauerit homo, hæc & metet. quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminauerit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus omni tempore. Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Obsecro itaq; vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate: propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse: sequor autē, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. Vnum autem quæ quidem retro sunt obliuiscens ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauiū supernæ vocationis. Et nos, ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat caritatem in inuicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: quoniam supercrescit fides vestra, & abundat caritas vniuscuiusque vestrum in inuicem. In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in salute. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam; vigila, in omnibus labora. Apparuit enim gratia Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo exspectantes beatam spē, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Consideremus inuicem in prouocationem caritatis, & bonorum operum. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. propter quod remissas manus, & soluta genua debilia erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris; vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. hæc itaque Paulus in singulis propè epistolis suis exhortans & impellens nos ad exercitationes ac studia virtutum, quæ necesse est sint in Ecclesia Dei; atq; ita sint, vt per illa distinguantur à factionibus hæreticorum, &

Gal. vlt.
Gala. 4.
Ephes. 6.
Philip. 3.
Colo. 1.
1. Thess. 3.
2. Thess. 1. 2.
2. Tim. 6.
2. Tim. 4.
Tit. 2.
Heb. 10.

& a veritate aberrantium. Erunt igitur & hæc summa inter nos, ac verè diuina; sic namq; è contentissimo illorum cursu, laboreq; indefesso, & admirabili disciplina dignoscetur Ecclesia Dei.

Atq; hîc primum sit argumentum deductum à fine omnium virtutum, qui est vt voluntas nostra sit eadem cum voluntate diuina, illi adiungatur, & adglutinata cohæreat. hinc dicimus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua.* & Christus ipse dixit: *Non veni voluntatem meam facere, sed eius, qui misit me.* Paulus autem: *Probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* rectè quidem: non enim beati possumus esse, nisi Deo coniungamur. Nisi verò voluntas illi nostra se deuoueat & adiungat, animi vis potissima, à qua cũctæ actiones prodeunt, nullo modo fieri potest vt illi connectamur, ac propterea beati simus. Reliquum est igitur, vt voluntas nostra maximè exerceatur in eo, vt diuinæ voluntati in omnibus satisfaciat; mandata scilicet illius obeat. *Si diligitis me, mandata meá seruate*, inquit Christus. Sed quæ Dei præcepta? Quæ sunt, inquient Christo addicti, in Euangelio. Bene est. Varias adhiberi ad illud, discrepantesque videmus interpretationes, sicut etiam ad reliquas diuinas scripturas. quin potest quiuis ad sua placita peruicaciùs, nè dicamus ingeniosiùs, detorquere sacros libros. Dæmon vsus est eorum dictis aduersus Christum, Iudæi vtuntur adhuc. Hæretici inter se digladiantur, Euangeliumque omnes obtendunt. In Ecclesia solùm Catholica est illud, vt quiuis necesse habeat, siue summus sit ille, siue infirmus, stare explicationibus aliorum ad sacram scripturam, suis non nisi quantum comprobantur à communi cœtu; quod latè explanauimus suprà in principio signorum. Sic itaq; nemo sibi indulget inter nos, neq;, vt ait ille vates:

sua cuiq; Deus fit dira cupido, &
qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Is autem Dei cœtus, in eo Deus, Deiq; voluntas, in quo singuli ex animo volunt idem sapere, & idem sapiunt, omnia sua subijcientes aliorum iudicio Sic enim Paulus: *De cætero fratres gaudete, perfecti estote, idem sapite, pacem habete: & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* Id verò est in sola Ecclesia Catholica, vt nemo sibi credat, nemo sibi fidat, nemo interpretationibus suis stet. Sic quoq;, vt humano more loquamur, difficiliùs in illam possunt irrepere errores, ac vi-

1. *Argument.*

2. *Cor.* 13.

tia pro virtutibus accipi. Nos autem dicimus nullo modo posse. Hinc etiam fit, vt cùm virtus omnis respiciat bonum commune, Ecclesiæ nostræ, siue nostrorum virtutes maximè sint virtutes, propter hoc vnanime cuiusuis sensum. frustra igitur exercētur, si nostra spectes, & compares cum alijs, in virtutibus ij qui sunt extra Ecclesiam Catholicam: imperfecta & manca istorum studia, ac proinde præ nostris frigida & lenta: facillimè ijs contingit, vt scelera virtutes esse credant, falsa pro veris eligant sibi.

II. Nostris virtutum studia concalescunt, non modò ob huiusmodi intimam connexionem diuinitus inspiratam, sed vt ardentissimè ob id properent ad culmen virtutum, sed etiam ob innumeros variosque cœtus hominum, quibus diuersi actus virtutum propositi sunt. Nam quamuis virtutes sint inter se connexæ, vt nemini sit vna, quin eidem sint omnes; idem tamen omnium functiones peragere non potest: quin si vni maximè studeat, remittitur vis eius quo ad opera aliarum; cùm tamen paratus sit, vbi opus est, ad illa efficienda. Hinc fit vt vnus in vna maximè excellat & elucescat; vt iam de vnoquoque dici verè possit: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Iam verò in nullo cœtu mortalium videas tam varios hominum cœtus ad varias virtutum functiones speciatim tendentium, vt in Ecclesia nostra. Hinc innumeræ religiosorum familiæ inter nos, vt signo de religione explicauimus, quibus diuersarum virtutum propositæ exercitationes: hinc maxima vndique incendia in animis amantium, sectantiumque virtutes; dum conspiciunt illas ad summum prouehi per eos, qui speciatim student ijs, ac propterea in admirationem & amorem earum vehementissimè rapiuntur, quo scilicet amore inflammati nihil humile concipiunt, nihil vulgare pariunt.

III. Vniuersis porrò sunt exercitationes communes, vt singulis festis interesse sacratissimæ missæ in ijs vacare diuinis, cessare ab omni opere seruili, bis in die ad sonum campanarum, quas vocant, precari Virginem, semel in nocte; confiteri singula saltem grauia peccata, cum maxima illorum detestatione, & communicare Christi corpori sæpius, ex præcepto sanè semel quotannis adstringi, nisi quis velit excommunicari, ad aliena restituenda, ac resarcienda quæcumque fuerint alijs illata incommoda, veniamque inimicis dandam, tot signa habere passim proposita ante ocu-

oculos,quibus auimus excitatur ad renouandam memoriam Christi crucifixi, qui est exemplar omnium virtutũ; vt signum crucis,quod nobismetipsis manu inducimus ad nosmetipsos impellendos hoc monumento ad vitam pro Deo ponendam Christi exemplo,fidendumq́; sanguini illius in cruce effuso;hac enim mente fit;tot imagines hominum sanctissimorum passim depictæ,qui varijs virtutibus eluxerunt, suaq; nos memoria ad illarum prosecutionem vocant,& adhortantur; tot templa nullo non loco videre erecta magnificẽtissimè.Hæc profectò omnia nullis tot ad sunt,quod nobis:ac proinde nullis tot incitamẽta,& exercitationes ad omne virtutum genus,vt Catholicis vniuersis.

IV. Ad hoc argumentum pertinet, sanctis adscribere illos, quorum diuinæ virtutes enituêre in terris propter innocẽtiam vitæ singularem,miraculisque sunt diuinitus consignatæ. Nam cùm præmio & pœna respublicæ omnes, vt bene aiebat Plato,contineantur; fieri haud potest, vt non maximè inflammer ad illas virtutes capessendas, ob quas video,vel hominum alioquin vilissimorum, qui vita iam defuncti sunt,memoriam coli in terris,eosq́; ad opem nobis ferendam suppliciter inuocari.Nam si potest opem ferre qui in terris degit,non poterit qui in cælo? an non multò magis:forsan haud videbit,vel audiet inuocantem? Potest anima mea corpori huic miserrimo adsociata, vel in extremis cæli oris positas res videre;non poterunt animæ eorum,qui Deo sunt adsociati, Deo, qui cuncta peruadit ac potest,adiuncti? Gentibus itaq;,qui vitia consecrarunt, cæloq; inseruerunt,Venerem,Cupidinem,vel hisce atque alijs sceleribus addictos, aderant incitamenta maxima ad omne flagitij genus,non autem virtutis, atq; ita maximè in facinora ruebant. Nec malè ille eunuchus apud Terentium: Si Iupiter deorum Deus adulter,quidni ego mortalis ita sim? Nullibi verò videas adeò coli sanctos viros,quorum Deus integritatem suo testimonio, miraculis nimirum consignarit,& illa viuentium sit etiam certissimis experimentis comprobata,ne quis sit præstigijs locus, vt in Ecclesia Catholica;atq; ideo nullibi maiora ad virtutes studia. Nisi quis dicat in terris homines vel malos interdum honorandos,vt etiam sępè debent principes,superos verò nequaquam, quod Protestantes homines acutissimi latrant.

V. Quocirca diuini est instituti,vt singulis diebus Martyro

logi jectione, festorumq; celebratione honorentur illi, quos Deus & miraculis honestauit in terris, & vitæ cælestis puritas hominibus commendauit, meritoq; vocentur in vota, veluti cælitibus adscripti, ex quo Christus cæli fores antea clausas hominibus aperuit, Deoq; penitus illos sibique adiunxit, vt per Christum Christique merita diuinam nobis opem supplices implorent. Sic Petrus daturum se operam pollicitus est post mortem suam, vt cælestium monitorum memores simus. Quod cùm multis modis fieri possit, & illum nobis ipse Paulus tradit, vt meminerimus præpositorum nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei, vt intuentes exitum conuersationis illorum, sic imitemur & fidem. Viden' vt Paulus velit à nobis celebrari memoriam defunctorum, quò illorum vitam studiosiùs imitemur. Quocirca benè S. Dionysius, antiquus ille ac venerabilis Pater, vt à Gregorio vocatur, ait in sacratissima Missa recenseri nomina sanctorum, qui in cælo iam constituti Deo penitus adhærent. Id verò fit in Canone, quod patet in omnibus antiquissimis Lyturgijs, Hebraica, Syriaca, AEthiopica, Græca, Latina, è quib. colligitur vetustissimus Ecclesiæ mos à cunctis gentibus toto orbe receptus. Rectè igitur Ecclesia Smyrnensis in epistola, quã dedit ad Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam de Polycarpi, qui fuit Apostoli Ioãnis discipulus, martyrio hæc scripsit, vt est apud Eusebium: *Nos postea ossa eius (Polycarpi) potiora lapillis pretiosis, auroque puriora, è cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusque. Vbi sanè nobis in vnum aliquando coactis Dominus præstabit, vt celebrem eius martyrij diem instar natalis festi, cum exsultatione & gaudio, quantum fieri potest maximo, recolamus idque cùm ad martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerint, tum ad eorum exercitationem, mentisque ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum eo genere mortis ingenuè confessuri sunt.* hæc Ecclesia Smyrnensis ad omnes vbiq; positos Christianos: vt sciamus rectè institutos martyrum, sanctorumque festos dies, vt scilicet eorum cõmemoratio nos excitet ad virtutum studia & exercitationes; quod adnotarunt etiam, scriptisque consignarũt vetustissimi scriptores, Origenes, Tertullianus, Cyprianus. Hinc Eusebius libro de præparatione Euangelica: *Nos, ait, veræ pietatis milites, vt Dei amicos; honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.* hæ-

Hebr. 13
IV
Dion. eccles. hier. ho. 34.
Lib. 4. ca. 14.
Orig. hom. 3. in diuer. Eu.
Tertul. lib. de coron. mil.
Cyp. lib. 3. epi. 6.
Eus. li. 13. c. 7

hæc ille. Conuellunt itaque fundamenta iussu Dei iacta ab Apostolis, & ab omni natione Catholica per oēs ætates perpetuis exercitationibus stabilita, quicumq; festos tot sanctorum dies nolunt, cultumque illis & eorum rebus adhibitum, ac nobilissima Ecclesiarum monumenta nomine ipsorum consecrata altissimo Deo non modò reijciunt ac spernunt, sed quod omnibus est sæculis exsecrādum, tollunt ac demoliuntur. Ac mirum, ni isti simul inducant in orbem, non sanctissimorum virorum cultum, festosq; dies ac monumenta: Sed quos antiquitas venerabatur, spurcissimorum deorum, ad quorum similitudinem proximè accedunt, impias superstitiones. Nunc ad propositum redeamus.

VI.

Illud pertinet maximè ad studium virtutum, celebrasse, & adhuc celebrare, vbi res exigit, tot Concilia, siue in qualibet diœcesi præsidente proprio Episcopo, & in vnū conuenientib. presbyteris, siue in qualibet prouincia cōuocatis ad hoc Episcopis singulis illius ꝓuinciæ, præsidente Archiepiscopo, siue Metropolitano, siue Oecumenico indicto Concilio, accersitisq; ex orbe toto cuiuslibet gentis Episcopis, præsidentibusq; sedis Apostolicæ legatis, non alias ob causas, nisi ad retinendam constituendamq; vnius fidei doctrinam, bonosq; mores componendos. Ab ipsis enim primis Apostolorum temporibus hæc omnia in more posita fuerunt, vt liquet è Concilio Hierosolymitano primo, & conuentibus habitis Antiochiæ; in quorum primo missi ordinatiq; Paulus & Barnabas; in secundo exposuerunt iidem in publico cœtu, quid postquam missi fuerant egissent pro Christi cultu propagando inter Gentes. Exstatque canon, qui ab Apostolis ad nos peruenisse traditur, vt Episcoporum Concilia prouincialia bis quotannis, si fieri potest, celebrentur: idque repetitur in Concilio Nicæno vniuersali ad finem canonis quinti; constatque ex epistolis Cypriani & Eusebij Cæsariensis historia Ecclesiastica moribus vsurpatum. Vniuersalia verò cogi è toto orbe haud potuerunt vsque ad Constantinum, pacemque Christianis omninò confirmatam. Sed loco vniuersalium Conciliorum solebat illud agi, vt acta Conciliorum prouincialium transmitterentur ad Episcopum Romanum, & quid diffinitum fuisset illi significaretur, quò ipsius auctoritate, aliorumque omnium comprobarentur. id colligitur ex epistolis Dionysij Alexandrini ad

Cap. 38.

Lib.7.c.4.

Stephanum Papam, vt est apud Eusebium, & Cypriani literis; & antiquissimo canone, & inueterata consuetudine, qua sancitum, moribusq; comprobatum fuit, ne quid graue ageretur ab vlla Ecclesia inconsulto Pontifice Romano. cuius rei meminerunt Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, alijq;, quos signo de Petri cathedra recensuimus; neque enim sine Metropolitani licentia quidquam gerere vlli poterant, neque isti sine Papa omnium quasi Metropolita. Sed post Ecclesiæ pacem constitutam plurima sunt habita Concilia vniuersalia, ad quæ conuenêre ex omni ferè natione orbis totius aliqui Episcopi vel per se, vel per suos legatos, ad constituendam morum religionisque doctrinam: quod quidem totum nihil est aliud, quàm studium, exercitatioq; virtutum. Sed cùm tot à nostris Concilia vniuersalia per tot ætates sint celebrata, confluentibus ad illa è toto orbe, & è quauis propè natione Episcopis, & doctoribus; ecquando hæretici omnes, qui à Simone Mago innumeri fuerunt per tot annorum sæcula, potuerunt vnquam cogere vnum generale Conciliũ? ecquando coëgerunt? vnum posco pro plurimis nostris. Tot sectæ hæreticorum fuerunt per tot annorum spatia, & numquã tamen ex omni orbe cogere vnum Conciliũ vniuersale valuerũt quamuis potentissimos Reges & Imperatores rerũ suarũ studiosissimos habuerint? Nam quid non moliti sunt Constantius, Valensq; Ariani? quid non Vandali, & Ostrogotthi eiusdem sectæ? Omittamus singulos recensere huiusmodi. In re namq; clara sumus. sed quid nobis cum hæreticis? Tota antiquitas in medium procedat, & proferat vnum conuentum huiusmodi à suis, vel ab vllis habitum, veluti à nostris. vnus mihi satis erit inter tot annorum millia vniuersalis ex orbe toto conuentus. ad alia procedamus.

VII.

Illud etiam facit ad ardentissimum nostrorum studium ad omne virtutis genus, & eius exercitationes, tam diligenter martyrum sanctorumque vitas descripsisse, & tamen adhuc à nostris maiorem desiderari diligentiam. Scimus namque antiquis curæ fuisse, vt gesta martyrum scriptis mandarentur; omnium deinde integritate præstantium virorum vitas monumentis cognoscimus esse commendatas. Surius postremò septem maxima volumina vitarum curauit excudi à se digesta, & ex antiquis collecta. Sed habemus prætereà vitas sanctorum ex ordine SS. Francisci &

Do-

Dominici, aliorumq; separatim descriptas: ita vt si quis imitari in cæteris Surium vellet, totidem præterea colligere posset volumina. Hoc autem totum maximè spectat ad exercitationem studiumq́; virtutis: hoc ipsum namque curare, vt hæc gesta sanctorum posteris traderentur, indicat eorum, qui hæc curarunt, animum virtutis sanctimoniæque Christianæ amantem; habere autem descripta, & ea legere, atq; in manibus habere, pars est ipsius virtutis, quæ iubet vt sciamus qua via nostri maiores ad vera bona perrexerunt, vt nos eodem modo ipsorum exemplo pergere possimus, incitariq; factis & exemplis eorum legendis. A nullo autem cœtu videbis tantum laboris insumptum ad omnia sanctorum acta singillatim describenda; vt à Catholicis: neque certè quidem potuit ab alijs hoc præstari. Nam quem, quæso, habuerunt alij, qui virtutis alicuius diuinæ eximijs laudibus reliquo mortalium generi præstiterit? Ostendimus signo de perpetua sanctorum successione, nullis, nisi nobis cõtingere vt proferre possimus omni sæculo plurimos vitæ cuiusdam cælestis admiratione conspicuos. Quòd sicut scientia conferre aliquid videtur ad instituendos mores, vitamq; virtutibus alijs expoliendam, signo de peritia Catholicorum & ignoratione hæreticorum clarissimè ostendimus quinam forent isti hâc in re, qui sint aut fuerint nostri: vt à nostris innumera fuerint publica omnium disciplinarum excitata gymnasia toto propè orbe terrarũ: quod nullibi ab hæreticis præstitum videmus, à nostris aũt tam magnificè, vt in vna Lutetia numerentur sexaginta quatuor collegia constructa ad alendos publico sumptu iuuenes, qui litteris operam dare volũt: ea porrò sunt pleraque omnia ab Ecclesiasticis viris fundata, vt Genebrardus in chronico suo testatur. Atqui nulla hæretica vmquam natio tale aliquid præstitit, neque vlla gens, immò neque omnes gentes simul ab orbis exordio, vt signo de libertate, & magnificentia apetuimus.

VIII.

Huic aliud succedit, quod propiùs ad virtutes Christianas accedit. Nam tot à nostris templa, tot monasteria condita ad pietatis cultum, virtutumque cælestium studia propaganda per totius orbis terræ non modò vrbes, & vicos, sed agros, & nemora, saltusq; inaccessos; tot similiter opera pia instituta, xenodochia, domusque ad pauperes alendos, ægros curandos, puellas puerosq; parentib. orbatos,

IX.

& periculis plurimis obnoxios quouis modo adiuuãdos, præterea verò expositos suscipiendos, inopiamque & miserias quasuis omnium subleuandas, aut aliorum virtutes prẹmijs propositis promouendas ob collegia sacerdotum constituta, fundosque clericis attributos, qui digni forent quibus hæc darentur, vt horum nullus sit finis. Hæc nos latiùs persecuti sumus signis de liberalitate & magnificentia, vidimusque quanti hac in re fuerint nostri. Esse verò hæc omnia ardentissima incitamenta ad virtutes, vel ipso solo adspectu, & memoria, nedum spe prẹmij alicuius consequendi, vel opis nanciscendæ, nemo sanæ mentis inficiari potest. Eodem pertinet, quod à Concilijs Episcoporum Catholicorum, vel à Pontificibus summis sæpiùs est factitatum, vt Reges & Imperatores ipsos excommunicarent, solióve deijcerent ob scelera perpetrata, cùm iam nihil non tentatum fuisset priùs, vt illi ad mentem redirent, à malefactis iniurijsque inferendis abstinerent, ita vt cunctis, quibus ẹquus foret animus, apertissimè appareret, posterisque testatissimum foret, virtutem colendam, vitia vitanda, horum fugam amplectendam, prosecutionemq; illius laudandam; & tenendam. quæ sanè nos fusiùs explicauimus signo de iustitia. Horum verò vel nihil vmquam simile, vel quod nullo modo sit cum nostris conferendum, videbis ab alijs populis factum, quamuis de Magis, & AEthiopibus olim nescio quid obscurè aliquid gestum quidam scriptores videantur indicare. Si quid autem per factionem seditionésve tentatum fuerit à quoquam, vel ad exitum similiter perductum, id non pertinet ad normam virtutis, quæ non armis, sed iure ante omnia decernit, cuius decretis arma seruire debent, ne more bestiarum præliemur.

XI. Sed hæc sanè omnia nihil sunt quantum pertinet ad exercitationes & studia virtutum, si sumantur in manus vitæ sanctorum, quæ imprompțu sunt, ac consideretur quot illi, & quãta pertulerint ac subierint pro assecutiõe cuiuslibet vel minimæ virtutis, vt in officio cuiusque perstiterint immobiles aduersus omnia repugnãtia, quas sibi multas indixerint, vbi à proposito vel imprudentes excidissent. Nam quis haud obstupescat, quòd totos tres dies fletum duxerit Catharina Senensis, non aliam ob caussam, nisi quòd per imprudentiam mendacium nulli noxium dixisset. Longinqua exempla & obscura nesectemur. lu-

Innumera sunt huiusmodi, quæ argumenti propositi breuitas non sinit nos latiùs explicare; vnica re concludam.

XII.

Sunt multa inter nos millia toto orbe ad Indias vsque extremas dispersa eorum, qui arctissima & prima sancti Francisci instituta sequuntur: hi vocantur nunc Capuccini, Discalciati, aut quouis nomine, nil refert; quãuis multæ sint classes eorum, qui viri diuini leges tenent. De ijs nunc loquimur, qui seuerioribus eius præceptis se obstrinxerunt; quiq; nihil habent commune, vel proprium, quorum singulis vna tantùm tunica, obedientiæq; & castitatis vota seuerissima, vsq; ad extremum vitæ diem tempus omne insumentibus in diuinarum rerum meditatione & tractatione. Peto igitur è tota antiquitate, è quouis populo à vera pietate alieno vnum aliquem, (vnus mihi satis est in toto æuo pro millibus multis) qui pro virtute assequenda quidquam simile præstiterit vnquam, qui in tanta paupertatis duritie perstiterit, in tanta obedientiæ sibi vltro indicta necessitate. Nam de castimonia quid attinet dicere? Numquid hucusq; processit Epictetus ille memorandus antiquis? numquid Zeno Stoicorum pater ac princeps, qui pueris, nedum ancillis, asiuesse dictus est? nũquid Cleanthes horum socius? Quoquò te vertas, nihil reperies, quod vel vmbram sit istorum tenuiter assecutum in exercitatione studioq; cuiuslibet virtutis.

Admirabilis comparatio.

XIII.

Hinc factum, vt apud nullos inuenias tot libros scriptos de singularibus modis, quib⁹ in vnaquaq; virtute aliquis progredi possit, vt apud nos. Prisci illi philosophi vniuersalia quædam præcepta tradiderunt, diffinitionibus ac diuisionibus virtutum scribendis operam dantes; nihil ferè apud illos speciatim de vijs, quibus arceantur vitia, adsciscantur virtutes. De hæreticis porrò quid dicemus, qui neque præstiterunt quod philosophi ipsi? At inter nos, quãtum spectat ad modos singulares acquirendarũ virtutum, tot sunt harum rerum volumina, vt quæ fœminæ scripserunt, superent quidquid omne æuum posteris hac in re commendauit. Atq; vt omittam superiorum ætatum fœminas; proximas maioribus nostris recenseamus. Habes enim dialogos, & epistolas in hoc argumentum præclarissimas, operaq; alia Catharinæ Senensis. Habes præcepta & monita Hildegardis Germanæ, Brigidæ Suecæ, Gertrudis Batauæ, & quæ ante paucos annos decessit, Teresiæ Hispanæ hæ superantur proculdubio à philosophis, & aliis,

quantum ad diffinitiones diuisionesq; virtutum; superantur verborum sententiarumq; lenocinijs & ornatibus, non autem tradendis rationibus, quibus ipsas virtutes speciatim consequemur. An non hoc verum? Clara virgo Assisias scripsit breuissimam quamdam bene sancteq; viuendi regulam, cui nunc parent ducenta ferè virginum millia toto orbe Catholico. Teresia dicitur fundasse sexaginta monasteria in Hispanijs, tum virorum, tum fœminarum sanctissimè viuentium. Idem perfecit Brigida Sueca, cuius adhuc exstant monasteria multa. Atqui hoc neq; vniuersi philosophi, neque homines ante Christum natum, vel etiam post, eorum, qui sunt à nobis alieni, prçstare potuerũt. Quis igitur audeat hac in re se nostræ Ecclesiæ comparare? numquid omnes philosophi, omnes hæretici, omnes scriptores? quid dicam? mortales vniuersi suis exercitationibus, siue scriptis, siue non scriptis, tantum haud potuêre, quantum vna è virgunculis & mulierculis nostris. Quid itaque frustra disputamus? Vniuersi antiqui simul iuncti haud valuerunt tantum, quantũ vna virguncula, vna muliercula è nostris: & tamen fœmineus sexus ingenitæ fragilitatis vitio potissimum notatur, caretq; naturaliter virili quadam contentione ad virtutis altissimum culmen assequendum maximè necessaria, caret animi inconcussa constantia persistentis aduersus vitia quæuis animum pulsantia, cùm verè dictum fuerit ab illo;

—varium, & mutabile semper
Fœmina—

Neq; malè philosophi summi fœminam dixerunt esse animal imperfectum, in quod in primis natura haud respiciat. Illud igitur longè admirabilissimum, quæ sunt inter homines, si naturam spectes, imperfecta & manca, ex ijs vnum nobiscum sentiens in virtutibus capessendis & tradendis esse pluris, ac perfectius, quàm multitudo innumera omnium, qui post orbis creationem fuerunt à nobis alieni.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

DE

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER VIII.

SIGNVM TRIGESIMVM, SECVNDVM, Prudentia politica.

Necesse est, in Ecclesia Dei, quando est diuina, gubernatiotionem optimam florere, si cæteris, aut publicis rebus aut regnis conferatur. Id nostræ Ecclesiæ contingere, apertißimè demonstratur.

CAP. I.

ECCLESIA, de qua nobis est sermo, diuina est. Ecclesiam namque Dei hanc nominamus. Ergo ipsius administratio optima ac diuina; si cæteris, quæ sint in terris, aut fuerunt, conferatur: alioquin certò scimus in terris nihil esse, quod sit ab omni parte, inquit ille, beatum. Ac sanè fieri potest, vt aliqua siue Respub. siue regnum per aliquod tempus cęteris præstare videatur, & eminere; sed nobis haud breuia spectanda, neq; temporis alicuius exigua pars, verùm totus durationis decursus pensandus; ex illo res dijudicandæ. Hinc vates ille: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Audin' vt impiorũ vertex breui extollatur? audin' vt deprimatur & allidatur ad terram, prorsusq; deleatur? Nunc contra inspiciamus Regibus nostris ac principibus esse optimum moderandi genus. Neq; verò hîc de totius Ecclesiæ & vniuersitatis nunc agimus sola rectione, cui nulla labes potest subesse; sed de Christiana quidem, & Catholica, tamen ciuili principum prudentia ac disciplina, Omittimus autem reliquas prudentiæ partes, quæ vel ad sui ipsius, vel ad familiæ institutionẽ rectã pertinent. Nam quãtum spectat ad singulorum

lorum mores, abundè dicetur singulis virtutum signis; quantum ad familias, satis est quod complexi sum⁹ signo de felicitate Catholicarum regiarumq; posteritatum. Hîc persequemur, quæ ad publicas res administrandas referũtur. Qua in re, ne quis effugere valeat veritatem, afferem⁹ in medium mirabilissima, aut euenta, aut priuilegia Occidentalium regnorum & principatuum, qui nobis hucusq; adhæserunt, & omnium maximi sunt: è quibus, quod pręmanibus est, illustrissimum fiet. Atq; exordiamur ab extremis Europæ regionibus à Lusitanico regno, quod incepit anno millesimo centesimo duodecimo & licet post millesimũ quingentesimũ octuagesimũ primũ, proprium suæ nationis Regem non habeat, propria tamen iura tuetur, ac leges, neq; quas oras longissimè positas sibi peperit, & acquisiuit, vllo modo amisit, aut alijs regnis illę attributæ sunt. Huius igitur, quod annos amplius quingentos floret, hoc sit primum, quod nulla natio ab orbe condito præter Lusitanicam reperitur, quæ per tot sæcula ciuilibus bellis minus aduersus Reges suos fuerit commota. Immo numquam commota aduersus Reges communi decreto constitutos. Peruolue omnes historias, quarum scripta ad nos integra peruenerint, neque fabulosa sint, qualia reputantur à doctis, quæ de Assyrijs multa tractantur, & nos ostendimus signo de felici posteritate Regum Catholicorum: & videbis hanc laudem deberi Lusitanicæ genti, vt Regum suorum studiosissima fuerit, pacis ac tranquillitatis quo ad suos obseruantissima. consule facta Regum Medorum, Persarum, Parthorum, Syrorum, Armenorum, Asiaticorum, AEgyptiorum, Græcorum, Cypriorum, Afrorum, Sarracenorum, & quorumuis; & videbis, modò tot ætates perstiterint, ciuilibus bellis ea regna aduersus suos Reges aliquando concitata. Catholicis hoc Lusitanis ab orbis exordio diuinitus est concessum, vt nũquam Reges suos communi decreto constitutos armis petiuerint.

Singularia euenta Lusitanici regni.
Vide hist. Roder. Tolet.
Omnium pax maxima Lusitanici regni cum suis Regibus.

II.
Nauigatio remotissima Lusitanorum.
Vide hist. Petri Maffei.

Secundum sit illud. Nulla vmquam gens, ex quo mundus est productus, tot maria transmisit, ac tam longè dissitas terras obiuit, vt Lusitanica. neq; ego nũc loquor de circumnauigatione totius orbis, quam primus est aggredi ausus Fernandus Magaglianes Lusitanus, & comites ipsius perfecerunt, sed de frequenti ad remotissimas oras, annuaque peregrinatione, in qua cunctis præstant hucusq; Lu-

sitani; à Brasilia namq; vsque ad extremos Sinas & Iaponios perenni cursu vastissima maris ac terrarum spatia ante annos octuaginta peruagantur. quod iter rectà pater in longitudinem gradus circiter ducentos & quinquaginta. Phœnices ab antiquissimis temporibus, vsque ad nostra, hanc laudem merebantur antea, vt cunctis gentibus præstarent, quantum scimus è scriptis Herodoti & Strabonis, adde etiam diuinis libris, in quibus habetur Tyrios, vel adfuisse, vel etiam præfuisse classi Salomonicæ. Nullos his præcelluisse apparet, quamuis Hanno legatur Africam circumnauigasse, nisi Marcus ille Polus Venetus, cuius habemus nauigationes descriptas. At modò Lusitani vniuersos ita superant, vt à nullo superari possint; quando plurimi sint hodie, qui orbem totum circumlustrarint; nec desint, qui quotidiè nauigando circumeant.

III. Coloniæ remotissimę Lusitanorum.

Tertium sit. Nulla vmquam gens ab humani generis exordio in tot ac tam longè positis oris sedes fixit, coloniasque deduxit, vt gens Lusitanica. Videbatur hoc esse Romanorum, vel etiam Macedonum, Phœnicumq;: sed his proculdubio Lusitani superiores. Romani namq; colonias nullibi posuerunt, nisi intra imperij sui confinia, quæ non protendebantur vltra gradus nonaginta ab Occidente in Orientem; Lusitanorum verò sunt vltra gradus ducentos & quinquaginta. Quartum sit. Nulla vmquam natio, tam remota regna, terrasque in suam potestatem redegit, vt Lusitanica. Plures quidem plura, sed non adeò longinqua. Igitur Lusitani non modò remotissimas oras adierunt, & in hoc omnibus præcellunt, sed & in ijs domus posuerunt, amplius etiam subegerunt imperio suo. quæ sanè haud fieri possunt absque optima gubernandi publicas res arte & disciplina.

IIII.

Singularia euenta Hispanici Regni.

I.

Roder. San. Rode. Tolet. Vasæus, Marineus Sicul.

Iam verò si Castellam, vel Hispaniam vniuersam Lusitania adiuncta contempleris, habes admirabilia prorsus, in quibus obstupescas. Ac primum sit illud, quod incredibile videbitur res ipsas ignorantibus. Nullus vmquam populus, aut Rex ab orbis fabricatione tantum terrarum tenuit, vt Hispanicus, qui nunc terrarum tertiam partem imperio suo coercet. Romani olim Europæ non benè tertiam possidebant, Africæ vix sextam, Asiæ neque quadragesimam portionem; at Americæ, Occidentalium Indiarum, & insularum Oceani Meridionalis nihil: & tamen

hoc

hoc totum est orbis totius tertia proculdubio pars. Quocirca si tellurem diuidas in æqualia, quod nos facimus, comperies Hispanorum imperium Romano maius esse viginti ac pluribus etiam partibus. Nam scimus illud à Septentrione Rheno & Danubio, ab Occidente Oceano, à Meridie Atlante monte, & locis Africæ desertis, ab Oriente Tigri fluuio terminatum.

Latissimũ Hispanorũ Imperium.

II. Imperium Hispanorũ circumdãs tellurẽ totam.

Secundum sit Hispanorum diuinitus concessum priuilegium. Nulli vmquam contigit aliquo temporis decursu, vt orbem terrarum circumdederit imperio, quod Hispanis euenit. Oras namq; omnes Africæ, quas alluit Oceanus, ipsi tenent cum plurimis quæ adiacent insulis: ad ostia maris rubri insulam Zacothoram, in sinu Persico Ormutium insulam, regnumq; cum plurimis in Arabia & Persia portubus; prope Indum insulam Dium; Indię verò cis Gangem propè omnes maritimas vrbes & insulas, inde Malachæ nobilissimum regnum, quod est in aurea Chersonesso: mox in conspectu positas Moluchas insulas innumeras: deinde Philippinas, & nouæ Guineę regiones: his amplissimæ Americæ loca vastissima succedunt, quæ Oceanus ambit, interfluitq; ad fretum Magalianis, à quo littora Brasiliæ petuntur, portusque his finitimi, donec Hispaniolam Cubamque insulam inuisas, à quibus si soluas peruenitur ad Canarias, aut etiam si velis Tertieras insulas, ac tandem quos velis Hispaniæ portus: ita vt orbem totum circumdederis, Hispani semper imperij terras pertingens.

III. Innumeræ Gentes ab Hispanis in vnam fidẽ redactæ.

Tertium sit illud. Nulla vmquã gens, ex quo Adamus habuit liberos, tot nationes moribus ac ritibus dissimiles ad vnius religionis cultum, vel earumdem legum studium perduxit, vt Hispana. Vix enim quisquam possit enumerare gentium varietatem, moresque illarum prorsus inter se dissidentes, quas Hispani sub imperium suum miserunt, & ad Christi venerationem perduxerunt, vniusque Dei cultum. Sunt in promptu historiæ: legat qui volet.

IIII. Regia stirps Hispanis vetustissima.

Quartum possumus hoc numerare. Nulli vmquam populo contigit, vt tot Reges, quorum successio litteris aut Græcis aut Latinis singillatim prodita fuerit (de his namque dumtaxat toto hoc tractatu nos agimus) habuerit ex eodem sanguine, atq; Hispana, vt ostendetur signo de felici posteritate Regum Catholicorum. Ex quo namque

Recha-

Recharedus Hispanias est moderatus, eius agnatio perstitit, & regiam potestatem transmisit vsque ad Ferdinandum. adnotauit hoc in historijs suis Rodericus Sanctius. Annus est millesimus, ex quo Recharedus Ecclesiæ Catholicæ se adiunxit: ex illo Hispani Reges habent ex eodem semper natos sanguine. Hæc porrò fieri haud possunt omnia, sine optima gubernandi doctrina.

Hispanico proximum est Gallicum regnum, cui quondam feudi, vt aiunt, nomine, & Flandria & Burgundia subijciebantur, vt inter alios Munsterus homo hæreticus & Germanus haud negat. Certissimum sanè est Galliam terminari Rheno, Francosq́;, & Burgundos omnes vti ferè eadem lingua; quod plerumque ijs accidit, qui regno eidem parent. Ex optima sanè Gallicorum Regum gubernatione, quibus innumeri olim principes subijciebantur, & hodie subijciuntur, contigit, vt nulla natio, cuius gesta scriptis aut Græcis, aut Latinis sint consignata, tot Reges, tot orbis partib' tam diu regnantes dederit, vt Gallica: idq; facillimè cognosces, si omnium regnorum, quæ hucusq; à mundi fabricatione floruerunt, euenta contempleris. Hanc laudem Græci antea sibi assumebāt. Alexandri nāq; Magni duces Græci omnes diu multis Asiæ regionib. imperarunt vsq; ad vltima Parthorum Persarumq; confinia; Indis ne dominarētur, id fuit in causa, quod illi post ipsius obitum cunctis Macedonum præfectis iugulatis Regem sibi suum constituerint. In Europa Alexandri successores vix aliqua sibi Græciæ loca retinuerunt: in Africa nihil ferè habuerunt egregij, nisi si quid AEgypti adnumeratur Africę. Qui supremi omnium ex Alexandri successoribus regnarunt, ij fuère Ptolomæi; qui post annos ferè trecentos ad extremum sublati sunt. Nunc videamus, qui è Gallijs Reges prodierint, & quàm latè diuque imperitarint; & omittimus sanè ipsum Gallię regnum, quod prim' in Gallia Clodoueus Francorum Rex constituit anno quadringentesimo octuagesimo quinto, & quadringentesimo nonagesimo sexto Christo nomē dedit. Igitur amplissimum hoc regnum durat annos iam mille centumq;, & amplius. ex illo prodière Reges, qui Germanię Pannoniæq; dominati sunt. Carolus namq; Magnus has prouincias domuit sub annum septingentesimum octuagesimum octauū, & Ludouicus eius nepos primus se Germaniæ Regem vocauit, & ad posteros transmisit; ac sicut in Ludouico regnum

Singularia euenta Gallici Regni.

Li. 2. de Geor. Paulus Aemilius, Masson' Aimoinus.

Plurimi reges plurimis terrarum partibus à Gallis dati.

Ger-

Rhegino.

Iac. Meyrus
Ioã. Vasæus.

Sigon. de regno ital.

Germaniæ cœpit, sic quantum pertinet ad Caroli familiam desijt in Ludouico Arnulphi filio post annum nongentesimum decimum. ex ijsdem Gallijs exstiterunt Portugalliæ Reges, qui vsque ad extremos Sinas imperium latissimè protenderunt. Henricus enim Bisuntinus Comes primus Portugalliæ Rex fuit, quod nomen assumpsit anno, vt nonnulli scribunt, millesimo centesimo trigesimo nono: perstitit in eadem agnatione vsque ad annum millesimum quingentesimum octuagesimum per annos quadringentos & quadraginta duos; & quemadmodum cœpit in Henrico, sic in Henrico finem sortitur. Similiter è Gallijs profectæ sunt Italiæ Reges. Instituit illud regnum Carolus Magnus anno, vt quidam produnt, septingentesimo septuagesimo quarto; & in Carolo Crasso, qui è stirpe Caroli Magni fuit, anno octingentesimo octuagesimo octauo terminatur quantum ad eius gentem. Et Galliæ dederunt etiã Constantinopoli Imperatores. Anno namque millesimo ducentesimo Balduinus Constantinopoli capta, Constantinopolitanum Imperium transmisit ad suos nepotes, quod iuniori Balduino postea, anno millesimo ducẽtes. quinquages. octauo, à Michaële Paleologo est ereptum. Galli fuerunt aliquando Hierosolymitani & Syriaci Reges. anno etenim millesimo nonagesimo nono Gotfifredus Hierosolymorum Rex est coronatus; sed millesimo centesimo octuagesimo septimo expulsi Hierosolymis Christiani. Lusignani origine Pictones diu Cypri imperium tenuerunt; sub annum namq; millesimũ centesimum nonagesimũ primũ. Richardus Angliæ Rex insulam Guidoni Lusiniano donauit. Henricus Secundus Angliæ Rex, cuius adhuc posteri eam potiuntur, anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto in illa insula imperare cœpit; is fuit natione Gallus, & Comes Andegauensis. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto Carolus S. Ludouici Francorum Regis frater Neapolitanum, Siculumq; regnũm sibi suisque acquisiuit, Manfredo profligato. Ex huius Caroli liberis fuit Carolus, qui circiter annum millesimum tercentesimum duodecimum consecutus est Hungariæ regnum, cuius progenies Ludouicus anno millesimo tercentesimo quadragesimo secũdo, non modò Hungariæ, sed & Poloniæ Rex fuit. E quibus omnibus apparet, quot ac quanti Reges diuersis orbis regionibus dati sint ex vnis Gallijs, ita vt hac in re, quantum scire possu-

possumus, cunctas nationes Galli meritò superare dici possint.

De Gallijs similiter illud secundo loco occurrit admirandum; quòd nulla natio ab orbis exordio tot Reges habuit, quorum nemo fuerit ab hoste occisus; de Regibus illis hic loquimur, qui totis Gallijs imperarint; quocirca eximimus Sigibertum & Chilpericũ. Anno centesimo millesimo octuagesimo septimo in Gallia regnare cœpit Hugo Capetus, & eius adhuc familia sexcẽtos annos regnat; & nemo tamen ex eius nepotibus, quorum viginti sex in Gallia imperarunt, vel ab hoste, vel à perduelle vllo est interfectus vsq; ad hoc tempus, quo hæc primum scribebamus. Henricus enim Secundus, qui nostra ætate decessit, à nolente vulneratus, & occisus est; quinimmo quinquaginta Reges, aut etiam plures à Clodoueo numerantur, qui aut toti Galliæ, aut maiori parti præfuerunt: ex his nemo ab inimicis interfectus.

II. Pacificè defuncti Gallorum Reges.

Tertium, quod Galliarum optimum regnum potest commendare, est illud. Nulla hucusque gens ab ortu Christi, & lege Christiana disseminata, præsulum sacrorum, summique ipsorum antistitis, qui est Pontifex Romanus, studiosior fuit, quàm Gallica, & Gallici Reges. Quinimmo in vniuersum statuimus: nullus vmquam populus Pontificis maximi sui, quicumque is fuerit, & quamcumq; fuerit amplexatus religionem, fuit fortior & constantior propugnator, ab ipsius orbis constitutione, vt Gallicus cum Regibus suis. prolixior longè forem, si cuncta euenta recensere vellem; res est apertissima. Gallorum Reges iniurias Longobardorum, Romanorum, Italicorum, Germanorum, Sarracenorumq; aduersus Pontifices Romanos acerrimè sunt vlti. Atqui hoc à maximo, intimeq; insito, in Deum, cuius personam sustinẽt sacerdotes, amore, quo cunctis quodammodo Galli præcellant, proficisci est necesse. Laus igitur hæc Gallis debetur præ gentibus vniuersis.

III. Religiosissimi Gallorũ Reges.

Quartum iure ijsdem videtur adscribendum; sed quia commune est ipsis cũ Anglis; idcirco infrà ponetur, quod pertinet ad sanationem strumarum.

IIII.

In Angliam modò nauigemus; cuius est illud admirabile. Ex quo vnus in Anglia Rex imperare cœpit, nũquam vel diu insigni ex parte est illud regnum discerptum: quod alijs regnis nobilioribus, quæcumq; ex antiquis temporibus in orbe sunt, non ita euenisse facilè dignosces. Sub

I. Singularia euenta Anglici regni.

Polydorus, Virgil. Gulie. Neub.

Indiuisum Angliç Regnum.

annum tamen centesimum millesimum octuagesimũ per exiguum tempus in duas partes insula est diuisa, Canuto Daniæ Rege aduersus Etheldredum & Edmundum Reges bella gerente; alioquin semper insula ab vno possessa. Id verò accidisse videtur ab anno octingentesimo, ex quo Egbertus Occidentalium Anglorum Rex à Cerdicio decimus septimus imperauit. is nomen insulæ Angliæ dedit, cum priùs Britannia diceretur. Fortissimæ verò nationis est signum, non nisi ab vno Rege gubernari: fortissimorum similiter est Regum, gentem eamdem, cui dominetur, non sinere ab alijs in potestatem adduci. Per octingentos igitur fermè annos est hoc Angliæ datum, vt habuerit Regem proprium, atque vnum. Aliæ gentes sæpè non vnos, sæpè non proprios, sed qui aliarum se regionum Reges in primis nominarent, habuerunt, & de quorum prouincia cui regio nomine præerant, sæpè sit ab alijs non mediocriter imminutum; quod accidit Parthis, Medis, Persis, Assyrijs, Græcis, Sarracenisque Regibus, vt omittamus nostros. nam Parthi, verbi gratia, sæpè in potestate eorum fuerunt, qui se non Parthorum in primis, sed Medorum Reges nominabant, aut Persarum, aut Assyriorum; & idem contigit Medis, Persis, atq; Assyrijs. Otthomanorum nepotes nondum trecentos annos dominantur, neq; se alicuius gentis aut regionis nomine Reges speciatim appellant. attamen scimus à Tamerlane Tartarorum Imperatore Baiazetem regnis omnibus vitaq; exutum, nec nisi post longũ tempus ad eius liberos aliqua loca redijsse, non omnia. Itaque sit hoc Angliæ proprium, vt Reges semper suos habuerit post Egbertum, qui toti Angliæ præfuerint per annos octingentos, paulò minus. quamquam Scotia proximè accedat hac in re ad Angliam; nisi quòd sæpè Angli, diuque Scotiam sunt magna ex parte, quantum constat è Polydoro Virgilio, potiti.

II. Sancti Anglorum reges plurimi.

Secundo loco est illud Angliæ mirandum; quòd nulla gens protulerit tot Reges sanctimonia & miraculis illustres, atque Anglia. Ex illa profecti Ethelbertus Cantianorum Rex, alter Ethelbertus Orientalium Anglorum, & eorumdem Edmundus, Chenelmus Merciorum, Osvvaldus Northumbrorum; post hos Angliæ totius Reges Eduardus Secundus ac Tertius, viri pleni diuinitatis, & operum prorsus cælestium.

III.

Ex his tertio loco exstitit, vt Angliæ Regibus diuinitus fuerint

fuerint concessa duo maximè admiranda. Nam post Eduardi obitum, annum scilicet millesimum sexagesimum sextum, ex illo deriuata potestas in successores, qua manuum suarum tactu precibus quibusdam cæremonijsq; adhibitis strumas sanent. Similiter annulus quidam Eduardi Tertij in templo Vestmonasteriensi seruatur, cuius contactu Reges posteri certa die Parasceues alios annulos cōsecrant; quos qui induerint, neque membrorum stupori, neque morbo comitiali sunt obnoxij. hoc Polydorus in vita Eduardi sancti refert. Commune est hoc Galliæ Regibus, vt manuum tactu strumas sanent, sed ampliùs Anglici possunt aduersus comitialem morbum. Gallici assecuti sunt strumarum sanationem multo antè quàm Angli, Clodoueo scilicet regnante: quocirca hac Galli superant Anglos, illa parte Angli Gallos. Atq; hæc regni huius priuilegia, quæ ab optima diuinaq; suorum Regum gubernandi ratione sunt profecta.

Reges Galliæ & Angliæ miraculorū hæreditarij patratores.

Scoticum superiori contiguum est regnum. Scoticę verò nationis proprium videtur illud. Nulla gens, cuius res vel Græcis vel Latinis sint scriptis illustratæ, è tanto tempore semper indigenas habuit Reges, vt Scotica. Anno namq; tercentesimo sexagesimo, vt ex Ammiano Marcellino colligimus, Britannias inuasit, ac duce Reuda, inquit Beda, ex parte illas occupauit. Ex eo Scoti semper indigenas Reges per annos mille ducentos & viginti septem habuêre. Altiùs nonnulli scriptores Scotici repetunt successionem Regum suorum. sed multis ea videntur conficta; nobis verò est religio, non nisi certissima afferre. Prudentiæ porrò, concordiæq; singularis est hoc, tamdiu indigenas Reges imperasse suis Scotis. Qui post Merouingos in Gallijs regnarunt, ambiguum, Francine fuerint, an Galli. Germania, Tacito teste, in plurimos olim diuisa populos erat, qui sese inuicē expellebāt, & Hunni aliquādo Germanis imperarunt, vt omittamus Caroli Magni nepotes, q̃ è Gallijs in Germaniam concesserunt, & illi iura dederunt.

I.
Singularia euēta Scotici regni.

Ioā. Lesleus.
Scotis semper indigenæ Reges prę cūctis.

Secundum sit Scoticæ nationis admirandū. Nulla gens è Borealibus tamdiu perstitit in vnanimi religionis vnius consensu, vt Scotica. constat ex annalibus Prosperi anno quadringentesimo trigesimo quarto missum à Cælestino Pontifice Palladiū Episcopum ad Scotos, sed adijcit Prosper, iam credentes in Christum. Quocirca tradunt, in Scotia, quæ tunc erat Hybernia, Christi cultum dissemi-

II.
Scoti in religione Catholica cōstantes omnium maximè & exteris.
Lesleus li. 3.

natum eodem tempore, quo in Britannia, sub annum scilicet ducentesimum tertium, Victore sedente. Agitur itaq; annus millesimus tercentesimus & quinquagesimus, ex quo Scoti Christi cultum sunt amplexati, & in eo constantes fuere. at hoc nulli alij genti è Borealibus euenit. Excurrit Hybernia in Septentrionem à gradu, iuxta recentiores scriptores, (labitur enim, vt in plurimis alijs, Ptolomeus) quinquagesimo quarto vsque ad quinquagesimum octauum: quocirca est in eodem cæli tractu, quo suprema Germaniæ & Sarmatiæ loca. Britannia Pelagij opinionem, & alias hæreses adeò est secuta, vt quo tempore Augustinus missus est à Gregorio Magno, nullus in ea Catholicus esset, vt ex eius vita apud Bedam liquet. missus est Augustinus anno quingentesimo nonagesimo sexto. non ita in Hybernia, in qua tum Scoti degebant. In ea nō modò semper Catholica religio perstitit, quamuis nondum è tota insula antiquarum superstitionum falsitas esset exstirpata omninò, vt ex illa viri sanctitatis illustrissimæ prodierint; in his Columbanus, Gallusq; Columbani discipulus, à quibus in Gallia Loxouiense monasterium, in Alemania sancti Galli, in Italia Bobiense exstructa fuerūt antè accessum Augustini in Britannias. Similiter quidquid est regionis vltra Rhenum & Danubium, quod antiquis temporibus Christo fuerit adiunctum, id Ariana labe, qua Vandali, Gotthi, Longobardi, Heruli, Thurcilingique infecti fuerunt, postea contaminatum fuit. Quocirca, quantum colligimus ex historijs, nulla è Borealibus gentibus constantior Scotica fuit in eodem cultus vnius sensu.

III. Scoti numquam Domiti ab vllis alienis à fide Catholica.

Ex his tertium prouenit multo admirabilius. Nulla est natio, cuius gesta monumentis fuerint consignata, quæ non fuerit adducta in potestatem gentis diuersam contrariamque religionem professæ, præter vnam Scotiam. Scimus Persiam, Mediam, & Mesopotamiam priscis temporibus in Mahometanorum diuersa sentientium omninò, deinde Tartarorum tyrannidem incidisse. Scimus Orientem & Africam, Monothelitis & Iconomachis imperantibus, in Arabum potestatem venisse. Nemo ignorat Græciam, & finitima Græciæ loca, ex quo à nobis desciuere, sub iugum Turcarum missa. Franci Gallias, Angli Britannias ceperunt, cùm Pelagiana hæresis prouincias illas inuasisset: Ostrogotthi Italiam, cùm Zeno hæreticus imperaret; Visigotthi Hispanias, cùm Priscillianistæ illas

infe-

infecissent; Vandali Africam, cùm Donatistæ omnia conturbarent. Scotia dumtaxat à barbaricis irruptionibus vnà cum matre sua Hybernia hucusque immunis. Nam quid ego de Germanijs loquar, quarum populis sese in dies expellentibus nullæ erant certæ sedes, inquit Tacitus, quas Hunni diu tenuerunt, quas Galli occuparunt, contrariæ religionis auctores & asseclæ? Ac sicut Germaniarum gentes diuersæ, diuersarumque superstitionum sese armis inuicem è proprijs sedibus eijciebant, sic de cunctis Borealibus idem dicendum cognoscet is, qui antiquorum scriptorum monumenta peruoluet. Neq; verò putet aliquis non tentatam à Barbaris olim nationibus irruptionem in Scotiam. Nam sub annum Christi octingentesimum sexagesimum, Dani, qui sunt ijdem cum Northmannis, vt Eghinartus Caroli Magni scriba in vita ipsius tradit, antequam Christo se dederent, Constantino Secundo, Etho, & Gregorio in Scotia regnantibus, nihil non contenderunt, vt Scotiam subigerent; sed non contigit ijs idem, quod in ea Galliarum parte, quam ceperunt, & de se Northmanniam vocarunt. Sit igitur hoc Scotiæ præcipuum, vt numquam succubuerit barbaricis irruptionibus: iure. Nam quæ hæreticis opinionibus locum numquam dedit, populo, ac Rege Catholica sentiente, neque par erat vt barbaris cederet vllo modo.

De Prudentia politica Regum Germaniæ, & aliorum Septentrionis regnorum.

CAP. II.

I. Diuturnũ in Germania imperium. Singularia euenta Germanici regni.

VEniamus in Germaniam, cuius nobilissima natio illud habet insigne, vt Occidentale Imperium nullibi steterit diutiùs, quàm in ipsa. in Italia, Romęq; permansit annos quingentos, decem & octo; totidẽ namque à primo Octauiani anno vsque ad vltimum Momylli Augustuli numerantur. At in Germania ab anno noningentesimo sexagesimo secundo, quo fuit Ottho Magnus creatus & coronatus Romæ Imperator à Ioanne Duodecimo, vsque ad ætatem nostram Imperium semper absq; vlla propè interruptione consedit per annos sexcentos viginti quinque.

II.

Rhegino. Sigebertus. Vrspergensis. Ottho Frisin. Contractus. Cranizius. Nauclerus.

Indigenæ Germanis Imperatores.

Hinc etiam secundum proficiscitur. Neque in Occidentali, neque in Orientali Imperio contigit, vt semper fuerint Imperatores indigenæ; quod fuit hucusque ab Otthone Magno ad nostra tempora in Germania: cui datum, vt alibi nati numquam fuerint in ea Imperatores. Non enim defuerunt illi hactenus domi fortissimi & optimi Reges, quos eligerent, & haberent, neque adeò inter se fuêre discordes, vt suis exteros præponerent. tres quidem Bohemici sanguinis Imperio sunt potiti in Germania: sed vel aliqua ex parte Bohemia Germaniæ adnumeratur, vel illi è Germanis originem traxêre. Carolus namque Bohemiæ Rex, & Imperator, è Comitibus Lutzenburgensibus erat prognatus.

III.

Omniũ maximè quieta electio Impe. Germaniæ.

Tertium sit huic proximum. Neque Occidentali, neq; Orientali Imperio datum fuit aliàs, vt minus per vim, militaresque factiones, eligerentur Imperatores, quàm cùm translatum est ad Germanos. si inspicias cùm Romæ & in Italia mansit Imperium, videbis Imperatores ferè omnes à militibus occisos, iisque substitutos alios per seditiones. Idem plerumque contingebat Constantinopolitanis: non ita Germanis, quibus æquitas in primis & iustitia hac in re cordi fuit.

IIII.

Plurimi eiusdẽ stirpis Germanis imperatores.

Quarto loco occurrit illud. Neque Occidentali, neque Orientali Imperio contigit, vt ex eadem familia tot habuerit Imperatores, vt Germania: in qua ex vna familia Austriaca decẽ Imperatores numerantur, duo Rodulphi, duo Friderici, duo Alberti, duo Maximiliani, vnus Carolus, & vnus Ferdinandus. Id verò signum maximæ moderationis; siue subiectos respicias, quòd non fastidiant ex eadem agnatione semper aliquem creare, cùm possint ex alia, siue Imperatores agnationis eiusdem, quòd non se efferant, & insolenter agant, cùm videant alijs se præponi.

V.

Paucissimi Germanis Imperatores hæretici aut schismatici.

Quintum sit. Neq; Occidentali, neq; Orientali Imperio contigit, vel cùm fuit in Italia, vel cùm fuit in Græcia (quæ ambæ prouinciæ se omnibus audent regionibus præferre,) vt tam longam Imperatorum seriem successionemque habuerit per tot annos, & pauciores habuerit Imperatores aut hæreticos, aut schismaticos. Anno tercentesimo trigesimo, vt quidã volunt, cùm Cõstantin' nomen Christo dedisset, in Græciam transtulit Imperium, & Constan-

tius eius successor hæreticus fuit, at Iulianus apostata. denique Gręcia intra annos sexcentos & viginti quinque, tot enim numerauimus stetisse in Germania Imperatoriam potestatem ac dignitatem, mirum quot habuerit Imperatores hæreticos, Valentem, Anastasium, Zenonem, suprema vita Iustinianum, Heraclium, Constantem, Philippicum, Leonem Isauricum, Constantinum Copronymum, Leonem huius filium, Leonem Armenium, Michaëlem Balbum, Theophilū, qui anno octingentesimo quadragesimo primo vita migrauit. In Italia, vt omittamus Constantium, & Iulianum, qui vtrumque Imperium tenuêre, Valentinianus secundus à principio hæreticus Arianus fuit, sicuti & Momyllus Augustulus. quo regnante, anno quadringentesimo septuagesimo sexto, in Italia & Occidente Imperium est interruptum vsque ad Carolum Magnum. At in Germania Henricus tertius, Fridericus secundus, & Ludouicus Bauarus schismatici potiùs quàm hæretici fuêre per tot annorum spatia.

Inaccessa barbaris Germania.

Sextum sit Germaniæ maximè admirandam. ex quo in illa consedit imperium, nunquam barbaræ nationes eius limites potuerunt perrumpere, & in loca illi subiecta inuadere. id verò ob hoc etiam mirabilius, quòd Germania iam tum cùm translatum fuit in illam Imperium continens erat barbaris & bellicosissimis gentibus Hungaris, innumeris Slauinorum populis, fortissimis Regibus, ac potentissimis Daniæ, Noruegiæ, Suetiæ, Gotthiæ, qui omnes populi nondum Christo nomen dederant, ac nihil aliud, quàm bella, & crudelitatem spirabant: & ab illis breuis erat excursio in Germaniæ regiones, non aliquo latiori maris aut montium repagulo remotas, quod verbi gratia contingit Scotiæ, inter quam & Daniam, littoraq; Saxoniæ, Phrysiæ, & Galliæ Belgicæ, Oceanus interiacet; & quam flumina haud parua, arduiq; montes aduersus Anglos protegunt, sicut Italiam, à Germanis Alpes altissimę, imperiumq; Romanū à Borealibus populis maxima Rheni & Danubij flumina molib. impositis munita. & tamen tantum abfuit, vt gentes illæ fortissimæ in Germaniam irruperint, & aliquid illius occuparint, vt potiùs Germani ex aliqua parte illas in potestatē suā adduxerint, imperioque suo adiecerint post Magni Otthonis ętatē. Non ita Orientali imperio contigit, quod anno, vt diximus, tercentesimo trigesimo per Cōstantinum cœpit. Scimus enim q̃

fœdè fuerit discerptum ab Hunnis, Hungaris, Slauis, Rhussis, & Bulgaris, mox post obitum Heraclij à Sarracenis, ita vt nepotibus eius regnantibus ferè tota fuerit Asia ab illis occupata, Africaq; amissa vix intra annos quadringentos, ex quo imperium Constantinopolim peruenit. Quid verò de Occidentali dicam? quod omninò est euersum anno quadringentesimo septuagesimo sexto; ex quo diuisum est ab Orientali, centesimo quadragesimo sexto; ita vt exiguo tempore solum steterit. At Germani vbi acceperunt, semper inter efferatissimas gentes positi, & ab illis vndiq; obsessi hucusque amplificarunt: iure. Nam si ab hæresibus magis intacti fuerũt Imperatores Germani, quàm cęteri, conueniens erat vt à cęteris hostibus etiam diuinitus illęsi protegerentur. Quocirca nunc maximè Germanis timendum, quibus licet Imperatores sint Catholici, tamen ipsi magna ex parte sunt hæretici, quod diffiteri haud possunt, ob multas inter eos disseminatas hæresum sectas. faxit Deus, ne quos Vandali, Gotthiq;, à quibus est excisum imperium Romanum, nulla ex parte lædere vmquam potuerunt, quamuis sibi finitimos, Turcæ, Mahometaniq; ob hæreses enatas miserrimè, vt Græcos, perdant. Quin potiùs, veluti Germania Slauinos domuit, Hungaros coërcuit, Vandalos, Danos, Northmannos, Gotthos obsequentes sibi reddidit, ita Turcas, Sarracenos, & omnes barbaras gentes, vt Ecclesia Catholica precibus ad hoc nominatim conceptis semper Deum solet orare, sibi subijciat.

VII. Castissim' Germanis Imperator

Deniq; solis Germanis est datum, vt primi hubuerint Imperatorem, qui primus omniũ Regum, nedum Imperatorum, virginitatẽ ab ipsis incunabulis vsq; ad extremum vitæ, quamuis haberet in matrimonio pulcherrimã virginem, seruauerit inuiolatã. Hic est Henricus I. qui Germaniæ regnum iniuit anno millesimo secundo, imperium verò millesimo decimo quarto, cuius deinde exemplum secuti sunt Eduardus secundus Anglię Rex, Emericus Hungariæ Princeps, & alij de quibus egimus loco suo. fœminæ id nonnullæ prius auspicatæ fuerãt, vt sanctissima illa virgo Pulcheria Augusta, & Ediltrudis Anglię Regina, sed in Regibus aut Imperatoribus nondum fuerat ab orbe condito auditum virginitatem semper intactã vel in ipso coniugio ab ipsis conseruatã. Primas tantæ virtutis, tantæ laudis sibi assumit Henricus I. è Germanis Imperator, meritò superis ob id & alia eius diuinissima facta adscriptus.

Et

Et quamuis hæc virtus ad publicarum rerum curationem propriè haud pertineat, propter insigne tamen exemplũ, & clarissima illius documenta, proculdubio spectat. Continentia namque supremi Principis in officio continet subiectos. & ex hoc intelligimus, quales fuerint reliqui Imperatores Catholici in Germania, cùm pluris sit hic vnus Henricus ad bonum, quàm si qui fuerunt flagitiosi in Germania ad malum. Hi namque habent plurimos alios Imperatores, à quibus scelere superentur; ille neminem omninò è tota antiquitate, qui sit illi par in hac pudicitiæ laude.

Nunc progrediamur ad Bohemiæ Reges, à quibus tres euecti sunt inter Germanos ad imperij dignitatem; Carolus, Venceslaus, Sigismundus. At hoc nullis alijs Regibus vmquam contigit; quamuis finitimi sint & proximi, Germaniæ Danorum, Polonorum, Hungarorum, Francorumque Reges. Hoc vnum Bohemis datum. Id verò non in mediocri laude fortitudinis aut prudentiæ ponendum, vt Germani, qui abundabant Principibus omni laudum genere excellentibus, Bohemos alijs prætulerint, quamuis alterius sint quodammodo nationis, ac linguę non minus, quàm cæteri omnes. Quòd si Venceslaus potius ob paternas virtutes, quam suas, est Imperator creatus; Carolus certè quidem, Sigismundusq; non ita. Aut si nonnullis hoc non ita magnum Bohemicæ virtutis signum videtur, maximè quòd prædicti reges è Germanico sanguine, Comitibus scilicet Lutzenburgensibus, essent prognati.

I. Singularia euenta Bohemici regni.

Aene. Syl. Dubra.

Bohemici sanguinis Imperatores.

Afferamus secundum Bohemici regni illustissimum euentum. Ex quo Bohemi nomen Christo dedere, quin ex quo sunt in Bohemia, siue aliunde aduenerint, siue in illa sint orti haud curo, numquam barbaræ nationes in Bohemiam fecêre irruptionem. Barbaras gentes voco, quę cùm sint à Christi cultu alienæ, nullas nõ vastitates illis regionibus inferre solent, omnia ferro igniqùe miscentes, in quas aliquando inuadunt. Bohemi Christo se adiunxerunt anno octingentesimo nonagesimo quinto, vt vult AEneas Syluius, imperante in Germania Arnulpho, in Bohemia Boriuorio decimo Bohemorum Duce: & tamen post annum octingentesimum nonagesimum quintum Hungari, qui nondum Christiani erant, multas crebris irruptionibus Germanię, Galliæ, Italiæque clades misertimè intulerũt, nullum crudelitatis genus omittentes, vt è Rheginone

II. Bohemia Barbaris inaccessa.

constat,& alijs scriptoribus, at proximos Bohemos numquam sunt ausi attingere. Ante Hungaros Northmāni, qui sunt ijdem cum Danis, & Suedis, vt ex Eghinardo & Helmoldo patet, varijs incursionibus Germaniæ bonam partem Galliæq; fœdarunt. Bohemis damni nihil est per eos illatum. Post hos Tartari Poloniam, & Hungariam crudelissimè vastarūt, & aliquot annos incursarunt; in Bohemiā, nullo modo peruadere potuerunt. Igitur Bohemi è mediterraneis populis soli esse videntur ab orbe cōdito, qui barbaricis irruptionibus hucusq; haud patuerint. Id Scotis suprà attribuebamus. Sed illi obiectu vastissimi maris facillimè proteguntur. Bohemi non ita.

I. Singularia euenta Hūgarici regni. *Bonfinius.*

Bohemos Hungari attingunt, quorum modò regnum maiori ex parte à Turcis est occupatum, reliquum paret suo Regi, qui nunc est Rodulphus Imperator. Huius autem proprium est illud, ex quo se adiunxit Christo, vt nullum è Borealibus regnis tāto temporis spatio pauciores Reges habuerit, qui fuerint à suis occisi: quod est argumentum clarissimum sapientissimæ gubernationis, subiectorumq; bene in Principes suos animatorum. anno millesimo decimo, vt quidā volunt, Geyza Hungarorum Rex nomen Christo dedit. Agitur itaq; annus quingentesimus septuagesimus ac septimus, ex quo Hungaria Christo est conciliata, ac suos semper Reges habuit & nemo ex illis est à suis occisus, nisi Andreas à militibus Belæ fratris, anno millesimo sexagesimo secundo: id verò iure factum, si scriptoribus est credendum. Conuenerat namque inter Andreā & Belam, vt Andreæ defuncto succederet omninò in regno Belas: at ille cōtra pactiones ad filium suum Salomonem regnum auertere volebat, secus atq; publicis conuentis fuerat statutum. Ladislaus quidem, & ipse Hungariæ Rex, veneno sublatus fuisse creditur, non ab Hungaris suis, sed à Bohemis quibusdam hæreticis. Quòd si animum conuertas ad cætera Aquilonis regna, videbis multò plures à suis interfectos Reges, quàm contigerit Hungaris. Verbi gratia inter Noruegos Olauus, q sanctis est adscriptus; Magnus, Haraldus. Inter Danos Canutus, qui sanctis adnumeratur, Nicolaus Ericus, Sueno, Ericus alter. è Suedis, Ericus Stenchillus, duo Ingones, Ragualdus, Magnus, Suercherus, Ericus sanctus, Suercherus alter. A Bohemis interfecti Reges sui (vt omittamus Venceslaum sanctum, quem frater Boleslaus occidit, & aliquot interreges) Venceslaus Rex septimus,

Maximè culti à suis Hungarici reges.

&

& Ladislaus. Ab ipsis Germanis Fridericus secundus manibus Manfredi filij strangulatus, & eodem modo Conradus eius filius, Albertus à nepote interemptus, Philippus similiter, vt omittamus Henricum Lantgrauium Thuringiæ, & Adolphum. Quid de Scotis dicemus, à quibus post annum millesimum necati è suis Reges Duncanus primus, Iacobus primus, ac tertius? Ab Anglis verò veneno sublatus, vt creditum est à multis, Ioannes; Eduardus secundus per insidias necatus; Richardus secundus, Eduardus quartus, & Richardus eius frater occisi: neque veneni suspicio abfuit in morte Eduardi vltimi Regis. Quocirca Hungaricum regnum sibi hanc laudem deposcit, vt in suos Reges, minus quàm cætera regna Septentrionis, quorum nationes magis ad arma & cædes pronæ videntur, fuerit iniurium.

Singularia euenta Polonici regni.

Cromerius.

Ad illud proximè accedit Polonicum, & nisi me fallit, illi par esse potest; quādo è Polonicis Regibus nemo à suis interemptus nisi Cazimirus anno millesimo centesimo nonagesimo quarto. eum muliercula dicitur veneno dato sustulisse. Lescus autem, qui Ducis, haud Regis nomen sumpsit, à Suentopulco rebelle Pomeraniæ Duce trucidatus circiter annum millesimum ducentesimum sextū. Quòd si Petrum Alemannum numeres inter legitimos Hungariæ Reges, qualem non esse puto, Polonia Hungariam superabit hac in re. Petrus nanq; Alemannus ab Hungaris in acie interfectus.

Poloni, & Hungari aduersus Tartaros maximè inuicti.

Sed tam Polonico quàm Hungarico illud insigne contigit, vt Tartari illa non potuerint armis & imperio tenere, aut tributo subijcere. Potuerint illi Moscouitas ita subijcere olim sub suam iurisdictionem, vt non modò superioribus annis eorum Dux Tartaris tributum penderet, sed etiam legatos eorum stans nudo capite alloqueretur, & ijs aduenientibus obuiam procederet. Notissimæ namque sunt irruptiones Tartarorum, quæ inceperunt anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, & occuparunt per multos annorum decursus omnia regna Turcarum, Sinarum, Indorum, Persarum, Medorum, Armenorum, Assyriorum, Cappadocum, Pontique in Asia: in Europa verò Russorum, & Bulgarorum, vt latè tradunt Marcus Polus, Hayto Armenus, Ioannes Villaneus, Nicephorus Gregoras libro tertio & quarto, & qui de regno Cynæ siue Synarum postremus historiam scripsit Ioannes Gonzales

Celeberrima est illa irruptio Tamerlanis, qua sibi Asiam penè totam subegit, capto etiam Turcarum Rege Baiazete, & omnibus eius ditionibus in potestatem adductis. Igitur cùm Tartari non modò finitimas, sed longè etiam positas regiones sub imperium suum miserint, ac diu tenuerint; Poloniam tamen, & Hungariam, quamuis per tres ferè annos excursionibus factis populati fuerint, ac vastarint, tenere eas haud potuerunt, sed omnes exacti, & ad internecionem cæsi: quod non nisi maximæ Polonorum & Hungarorum fortitudini est adscribendum, qua præstiterunt omnibus gentibus Asiæ totius, quæ innumeræ sunt, præstiterunt etiam cunctis Europæ populis, qui cum Tartaris bella gessêre.

Maximè Catholici Polonorũ reges.

Porrò illud maximè insigne Polonici regni, vt ex quo se Christo deuouêre illius aut Duces, aut principes, numquam deflexerint à pietate Catholica. Inter Hungaricos Reges Ladislaus Chunnus à Christi cultu defecit, inter Bohemicos Gregorius Podebrachius. Danicos, Sueticos, vt omittamus antiqua, videmus Lutheranorum decretis adhæsisse. idem contigit Anglicis, & forsan Stoicis. In Gallijs Chilpericus Sabellianus fuit: quamuis hic non toti Galliæ præfuerit, neq; illum nos Galliarum Regibus adnumerare soleamus. In Hispanijs à principio Visigothi Ariani fuerunt. In Imperio Romano, siue Orientali, siue Occidentali, scimus olim nonnullos fuisse hæreticos. Igitur omniũ nationum Reges, quorum nobis euenta sint perspecta, & scriptis memoriæque posterorum prodita, abiecerunt aliquando Christi religionem à patribus traditam, (non loquimur de regnis, q̃ sint à Christianis principibus fundata, quale, verbi gratia, Lusitanicum, Germanicum, aut aliud huiusmodi) soli hoc Poloni iure vendicare videntur, vt eorum Reges ac Duces in eodem religionis sensu hucusq; persliterint, ex quo primùm cum suis populis Christum secuti sunt annos iam sexcentos viginti duos. Miesco namque anno nongẽtesimo sexagesimo quinto nomẽ Christo dedit, vt Cromerius notauit. quòd si Chilpericum Galliarum Regibus non adnumeremus more nostro, commune erit Polonico & Francico Regno hoc, vt ex eorum regibus, qui toti genti præfuerit, nemo hæreticus exstiterit eo, quo diximus, modo.

Nunc in Daniam nauigemus; cuius sit illud eximium. Nulli vnquã Reges ab orbe condito tã latè in Aquilonaribus

bus Europæ regionibus imperitarunt, vt Daniæ Reges. Canutus namque Magnus Daniam, Noruegiam, Gotthiam, Suetiam, Normaniamque in Gallijs possedit. Addunt Danici scriptores & Angliam; sed hoc Anglici pernegant omninò. Et sanè multis Daniæ Regibus contigit vt Noruegiam, Gotthiã, Suetiamq; & adiacentes his insulas ac regiones vsque ad ipsum ferè polum tenuerint. At magnæ fortitudinis est hoc signum, prudentiæq; haud mediocris, imperare bellicosissimis nationibus; quales proculdubio semper habitæ sunt Aquilonares in Europa, & maximè quæ Scandinauiam colunt, officinam, Iornandes inquit, vaginamq; gẽtium. Porrò regnorum Gotthiæ, Noruegiæ, Suetiæq; sit illud singulare. Ex quo Christianam religionem sunt illorũ populi amplexati, nullæ tam propinquæ polo Boreali nationes sic ad omne humanitatis genus excultæ ad omnem litteraturam, virtutemque, vt Gotthi, Noruegi, Suetique. circumspice subiectos eidem climati populos, eorum mores perdisce, ac scies nihil inter illos omninò doctrinæ, nihil vrbanitatis. Videbis homines ad feritatem, vastitatemque natos, quales proculdubio erant ante pietatem Christianam Gotthi, Noruegi, & Sueti, facti olim Tartarorum instar, ad mala dumtaxat inferenda, clades inuehendas, omnia bona deformanda, imminuenda, perdenda.

Singularia euenta Danici regni.

Saxo Gram.
Crantzius.

Danici reges latissimè in Septentrione dominantes.

Singularia euẽta Suetici regni.

Ioannes Magnus.

Hinc secundum proficiscitur tribus hisce regnis commune, vt nullæ regiones tam vicinæ polo Aquilonari sint adeò excultæ, oppidis, vrbibusq; celebres, ac frequentes, vt Gotthiæ, Noruegiæ, ac Suetiæ. Videbis oras eidem climati subiectas miris solitudinibus horrentes, incultas, ac desertas: fœda vbiq; barbaries, ac vastitas incredibilis. protenditur totus hic tract⁹ à sexagesimo in septuagesimũ gradum, in quo sanè sunt loca quędam Poloniæ & Moscouiæ Regibus subiecta, sed quæ Suetiam cultu non æquent. Nouogardia antiquitus forsan superabat; ex quo tamen adducta est in potestatem Moscouitici Ducis, amisit pristinum decus, ac nobilitatem, translatis maxima ex parte indigenis in interiora Moscouiæ.

II.
Danorum, Suecorũ, Noruegiensiumq; regiones excultissimæ omnium in Septentrione.

Sed quando nobis abundè dictum est de omnibus Occidentis regnis, ac præcipuis principatibus, restat vt de Italicis aliqua dicamus. In Italia duo sunt, Resp. Veneta, & Pontificia potestas; in quibus an sit optima gubernandi ratio videamus ex apertissimis euentis. Igitur nobilissimæ Vene-

to-

I. Singularia euenta Reipub. Venetæ. *Bembus.* *Iustinianus.* Omnium maximè intacta Venetorum libertas.

torum Reip. sit hoc primum. Nulli principatui, qui fuerit paulo celebrior, aut saltem qualis Venetus, adhuc contigit ab orbe condito, qui tanto tempore steterit, neq; in exterorum potestatem venerit; anno siquidem quadringentesimo quinquagesimo primo iacta sunt prima Venetiarum fundamenta; & paulatim, qui ab irruptionibus barbaricis in æstuaria proxima, vbi nunc Venetiæ sunt, confugerant in vnum coire, & Rempublicam constituere cœperunt: ita vt iam simus supra millesimum centesimum annum, ex quo constituta est, neq; tamen vnquam principatus eius ad exteros vllos est translatus.

II.

Secundum sit illud. Non modò Venetiæ in potestatem exterorum non sunt adductæ, sed per tot annorum spatia à primis ipsis incunabulis numquam propriæ libertatis, quam forsan aliquando è suis aliquis illi ademerit, est passa omninò iacturam. id verò nulli Reipublicæ, quæ tot sæcula perstiterit, & in aliquo dignitatis illustri loco posita fuerit, hucusque ab orbis exordio legimus contigisse.

III. Quietissima omniũ Resp. Venetorum.

Tertium est illud. Inter Venetos numquam fuêre ciuilia bella. ab ipsis Venetiarum principijs fuêre inter ciues inimicitiæ priuatæ, fuêre coniurationes aduersus Duces, fuerunt aduersus eosdem seditiones: numquam tamen mutuis inter se bellis exarserunt, qualibus exempli gratia pugnarunt inter se Marius ac Sylla, Pompeius & Cæsar, Octauianus, Marcus Antonius, & Cassius, Brutusq;, aut rursus Octauianus, & Marcus Antonius, ac post amissam libertatem Galba, Ottho, Vitellius, ac Vespasianus, alijque plurimi Imperatores. Ad summam Veneta Respublica numquam per annos mille centumque & amplius sic in duas factiones tota est diuisa, vt inter se armis ciues depugnarint. Id nulli Reipublicæ, quę tantam potestatem nacta tamdiu steterit, à mundi constitutione legimus euenisse. Quocirca concludimus Venetos in sua Republica moderanda cunctis populis, qui se in libertate viuere professi sunt aliquando, sapientia gubernationis hactenus præstare. Atque hæc ex historijs Petri Iustiniani facillimè colliguntur.

IV.

Illud verò magis admirabile in Rep. Veneta, quòd quò maiora incrementa accepit, eò minus vel priuatis ciuium discordijs, vel factiosorum aliquorum seditionibus est

perturbata-quod secus euenire solet in omnibus principatibus, vt magis agitentur, cùm maiores euadũt. Id liquidò apparet in Rep. Romana, quæ tum cœpit maximè intestinis malis labefactari, domesticisq; bellis dilacerari, cũ maximè cœpit amplificari. Quocirca nescio quid diuinũ in Veneta elucescere videtur, ita vt hoc loco quarti priuilegij diuinitus concessi meritò reponi posset. Atq; hæc satis de sapientissima & optima Venetorum gubernatione. Nunc ad Pontificiam potestatem transeamus, quæ quoniã longiorem tractationem requirit, sequenti capite fusiùs explicabitur, vt decet.

De Pontificum Romanorum gubernatione.

CAP. III.

NON pigebit illud sæpiùs repetere, quod dicimus optimam Catholicorum esse gubernationem, ita intelligendum, si cæteris, quæ sunt, aut fuerunt, conferatur: quod & in Pontificia Romani Antistitis potestate euenire ostendemus; alioquin in terris optimum nihil. Nunc quod propositum nobis est, explicemus, & ex apertissimis gestis aperiamus optimam Romani Pontificis gubernationem: ita vt nulla aliorum Pontificum potestas illi ex vlla parte comparari possit. Romanæ sedis itaque primum sit illud diuinitus ei concessum, vt nulla sedes Præsulum reperiatur ab orbe condito, quæ tot martyres protulerit, qui pro ea, quam profitebantur, doctrina pietatis, aut iustitiæ, vitam posuerint. Quòd si Christus eam maximè ob causam benè præfuit suis, quòd pro illis & assertione veritatis sanguinem profudit, illum præ cæteris vniuersitas Pontificum Romanorum, quæ ipsius est benignitas, est imitata, ideoque optimè præfuit; Viginti septem numerantur ab omnibus martyres è Pontificibus Romanis, Petrus, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexander, Sixtus, Thelesphorus, Aninus, Calistus, Vrbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus Secundus, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Ioannes, Siluerius, Martinus. At si martyres sunt etiam, quicumque acti in exsilium, propter ærumnas inflictasq; iniurias, quasi cruciatibus quibusdam confecti moriuntur,

Singularia priuilegia & euenta Pontificis Romani.

Plurimi è Papis martyres.

longè plures è Pontificibus Romanis martyres erunt censendi. Nos autē ijs, quos enumerauimus, contenti simus. Nam post Christi cultum latè propagatum, vix est vt quisquam sit ausus Pontificem Romanum necare. Stephanus tamen octauus vir optimus, Alberici Consulis Romani factione, multis deformatus vulneribus, animi mœrore est exstinctus. Benedictus item sextus vitæ integerrimæ à Cincio in carcere mori est coactus. Igitur liquet è supradictis, quàm benè præfuerint suis Episcopi Romani, quando Christi exemplo haud timuerint mortem subire pro ea quam profitebantur religione; qua in re tot fuère, vt nulla sedes eorum numerum potuerit hucusq; æquare, nedum superare.

II. Plurimi è Papis sancti.

Secundum sit Romanorum Præsulum priuilegium. è nulla sede tot prodierunt Antistites, quibus eximiæ spectatæq; sanctitatis testimonium dederit vniuersitas omnis Catholicorum, quot è Romana. Nam vsq; ad Gregorium primum numerantur sexaginta Pontifices sanctorum numero adscripti, quorum notissima omnibus exstitit admirabilis integritas. Post hos fuère & alij multi: sed quoniam contigit vt in numero sanctorum haud referrentur, nisi quorum maxima innocentia miraculis consignaretur; & miracula haud fieri soleant, nisi, inquit Paulus, infidelibus, ijs scilicet, qui nullum Christo cultum fidemque habeant; Christi verò cultus maximè esset ex eo tempore amplificatus in proximis locis, hinc factum vt paucior fuerit habita sanctorum multitudo è Pontificibus Romanis. Nihilominus Deusdedit, Martinus, Agatho, Leo Secundus, Constantinus, Leo Quartus, Leo Nonus, Stephanus Nonus, Alexander Secundus, Martinus Quartus, Cælestinus Secundus, Benedictus Decimus miraculis diuinitus illustrati fuerunt; ita vt septuaginta duo è Pontificibus Romanis diuino testimonio sancti omninò vocari possint, ac debeant. Cùm verò tantum sanctimoniæ splendorem dæmon haud ferre posset, mirum quanta machinatus semper fuerit, & machinetur adhuc, vt illum quando exstinguere non potest, falsis criminum tenebris offusis obscuret. Nam quis ignorat quæ crimina olim per summum mendacium fuerint obiecta & imposita Cornelio? de quo, inquit Cyprianus, inhonesta & maligna iactabantur à Nouatianis, Liberio ab Arianis, Damaso ab Vrsicini sectatoribus, Symmacho à maleuolis, Syluerio à Theodoræ Augu-

stæ sectatoribus, Vigilio ab ijsdem, Gregorio Magno ab Imperatore Mauritio, Honorio à Græcis, Leoni Tertio, & Paschali Primo à factiosis, Gregorio Quarto à Ludouico Rege, & ipsius filio Lothario, Ioanni Octauo, Formoso, plurimisq; istorum successoribus à seditiosis quibusdam Romanis, Alexandro Secundo, & Gregorio Septimo ab Henrico Tertio & suis obtrectatoribus: Sed si vellem singula recensere, prolixior forem. Nam quis nunc homo sanæ mentis non deridet illas fabellas Ioannis Papissæ, & quas aduersus Syluestrum Secundum nonnulli haud erubuerunt scriptis mandare, aut impudentissimè quidam iactant aduersus Gregorium Septimum; quarum tum vanitatem, tum procacissimam falsitatem viri docti detexêre? Quis item non stomachetur aduersus illa commenta, quæ Luitprandus refert de Formosi cadauere, & Germani quidam tradidêre de litteris à Papa scriptis ad Soldanum in Fridericum Imperatorem, de malè administrata tutela Friderici II. ab Innocentio III. aut expetitis nuptijs per eundẽ suo nepoti, de Bonifacio in carcerem coniecto; quæ nos clarissimè refellimus signo de studio Romani Pontificis in conseruãdis Imperijs Catholicis? Quis non videat mendacissima somnia ebriosorum hominum Caluini, Lutheri, & aliorũ in plurimos Pontifices, de quibus vbi loquuntur, cõtinuò mendacia fabricantur? Theodoricus Nien habetur à quibusdam sincerus scriptor in narrandis Vrbani VI. gestis. At si legant Crantzium Metropolis suæ libro decimo, comperient Theodoricum peruersissimæ mentis. Quocirca nebulonibus istis contemptis stet nulli sedi tot Episcopos sanctos obtigisse, vt Romanæ.

Cypr. Ep. 52. vel 2. lib. 4.

III. Innumeræ gentes Papis subiectæ.

Haud igitur mirum, si Deus, à quo superiora sunt profecta, & tertium dederit huic sedi; vt scilicet nulli contigerit ab orbe condito, quæ tot nationes, tam varias, tam longè positas, tum barbaras, per suos ministros ac studiosos vel ad Christi cultum, vel ad eiusdem religionis iura adduxerit, vt Romana sedes. Ab anno sexcentesimo conati sunt ferè semper Imperatores Orientis euehere ad summum Patriarchas Constantinopolitanos, deprimere Romanos. quid illi in cultu Christi propagando effecerunt, quid Romani præstiterunt? subiecerunt illi suæ potestati Alexandrinos, Antiochenos, & Hierosolymitanos Patriarchas, vt omni auxilio Antistitem Romanum nudarent & tamen maxima Christianæ religionis detrimenta cunctis in locis

ita fecerunt, vt propemodum nihil superesse videatur Christianæ religionis in eorum regionibus. Eant nunc, & conspirent Orientales vniuersi cum Constantinopolitano Episcopo aduersus Romanum; inspiciant, quem retulerint fructum optimæ gubernationis. In Europa nihil reliqui factum, quod Christo nomen per nostros haud dederit, nisi angulus quidam Laponiorum in extremis Septentrionis oris. Numquid idem præstiterunt in Asia & Africa tres isti supremi Patriarchæ, qui vnà cum Imperatoribus Constantinopolitanis aduersus præsules Romanos coniurarunt? Atqui longè secus euenit. In ipsa Asia, in ipsa Africa, quid non isti amiserunt, quantū Rom. Pontifices Christo acquisiuerunt? Igitur cuius optima gubernatio in Christi doctrina disseminanda in suis legibus dilatandis? Quis erit excors adeò, vt Romano Pontifici optimæ gubernationis primas deferre nolit? Ac sicut illi laus debetur præcunctis in Christi cultu constituendo, suisq; legibus sanciendis, sic in confirmandis ac retinendis, vt è supradictis apertissimè colligi potest.

IV. Oppugnatissima Pōtificia potestas.

Quartum sit admirabile huius sedis. Nulla est ab orbis fabricatione, quæ tamdiu perstiterit, & tot tantosque oppugnatores habuerit. Hoc ostendimus suprà, vt Imperatores ipsi Romani per annos quasi trecentos Pontificiam potestatem in primis excindere conarentur, & ab ipsis Episcopis Romanis quasi à capite cædem populi Christiani auspicarētur, perinde atq; eo trūcato totū corpus dissiparetur. Deinde hos secuti sunt Imperatores hæretici, Iulianus, Constantius, Valens, Zeno, Anastasius, & cæteri propè omnes vsque ad annum septingentesimum, & eodem tempore Reges Herulorum, Ostrogotthorum, & Longobardorum, quorum vexationes attigerunt ferè annum octingentesimum. Inde Romani, Italici, Germanicique Principes, & Imperatores hi vsque ad Ludouicum Bauarum, illi vsque ad Eugenium Quartum. Oppugnatoribus hisce adnumerantur hæreticæ factiones, quibus aut Reges & Imperatores fauere, aut etiam si forent ij nulli, tamen à semetipsis hoc enitebantur summis viribus, Pontificis Romani potestatem, dignitatemque funditus omnibus modis euertere; & vt omittamus exempla ignobiliora, satis sit attulisse quæ Græci per annos septingentos moliti sunt, à Photij scilicet discessione vsque ad nostra tempora, donec ipsis euenit quod in Pontifices Romanos machi

chinabantur. Et nunc quid Protestantes contendunt iidem proculdubio, quod Græci: & tamen explicauimus suprà, illi magis adiectum cælitus, ob eius optimam gubernationem diuinitus inspiratam, quàm detractum ab hostibus. Igitur nulla sedes tamdiu floruit, & tot ac tantos habuit hostes, vt Romana. Hoc verò qui fieri potest absq; sapientissima moderandi ratione? Agitur annus millesimus ac quingentesimus, ex quo nunc illa inter tot bella, tot tantasq; procellas, durat, ac floret, pugnantibus aduersus illã, a quibus veluti ducibus omne erat exspectandum auxiliũ, summis Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano.

V. Inimicissimi regibus scelestis Papæ.

Quintum sit. Nulla sedes aut potestas magis obstitit scelestorum Regum, Imperatorum, nationumque malis conatibus, vt Romana, ita vt ausa sit vel iniquissimis temporibus Imperatores, Regesque omnium potentissimos communione priuare, regnoque, & Imperio deijcere. Persecuti sumus hoc vbi egimus de magnitudine animi, flagitijsque hæreticorum Regum. Nunc producamus in medium admirabile prorsus exemplum tantæ rei. Anno millesimo octuagesimo nono, Vrbanus Secundus sedit. Duo in Occidente summam rerum tenebant ante alios, Henricus Tertius Imperator, cui Germania, & cunctæ boreales oræ, bonaque Italiæ pars obediebant, & Philippus Rex, cui Galliæ. Henricus excommunicatus, Imperioque, quantum pertinet ad ius, fuerat à Romano Pontifice priuatus: sed quando Henricus armis rem trastabat, Pontificem Italia exegit, petit ille Gallias, & audet Philippum Regem ob incestas nuptias cœtu Christiano depellere, & quodammodo à se abalienare eodem tempore omnium supremos Principes: & tamen tanti animi fuit, vt exsul, ac profugus Occidentem totum commouerit aduersus Sarracenos Asiam, Palæstinamque tenentes; & peditum tercentum, equitum centum millia in Orientem concitarit, ac miserit, per quos Asia Palæstinaque recepta. Igitur Pontifices Romani nullo vmquam periculo exterriti sunt, quo minus flagitia Principum coërcerent, & illos in officio continerent: & adfuit illis semper Deus eorumque conatus promouit. Atqui hoc non est humanæ sapientiæ, sed omninò diuinæ, nullis armis aduersus tantos Reges pugnare, ac vincere. Numquid

Sigo de regno Ital.

hoc alicui sedi contigit? Nihil vllibi simile apparet. Igitur huius prudentissima moderatio.

VI. Honoratissimi regibus Papæ.

Sextum sit. Nulla vmquam pontificia sedes ab orbe cõdito tot ac tantos Reges ac Principes sui tam studiosos & cultores habuit, vt Romana. Atqui quorum malis cupiditatibus obsistere solemus, eorum semper iram in nos commouemus. Nulla magis sedes est aduersata libidinib. Principum; & tamen nulla magis sedes eos habuit obsequentes. hoc necesse est à maxima sapientia procedat. Quòd nulla æquè repugnarit malis Principum studijs, ostendimus: quòd nulla æquè habuerit habeatq; sui obseruantes Reges, ecquis ignorat? An non vidimus nos anno superiori ab extremis Iaponiorum regionibus amplissimorũ regum legatos Romam missos, vt Pontifici Romano obedientiam perpetuam pollicerentur, iurarent, ac præstarent? Quibus contigit hoc vmquam vel præsulibus, vel Imperatoribus? Huic potestati per tot sæcula paruerunt Reges Galliarum, Hispaniarum, Anglorum, omnium denique Europæ regionum, paucis quibusdam ignobilibus exceptis, qui Græcos secuti sunt, à quibus non idem præstitus honor & obedientia Constantinopolitanis Patriarchis, qui fuit à nostris Episcopo Romano. AEthiopiæ Rex multum detulit Alexandrinis Patriarchis; atqui non tantum, quantum Romanis. Scimus enim à Dauide AEthiopiæ Rege missos ad Clementem Septimum legatos, per quos illi se subiecit, obedientiamque pollicitus est, haud secus, vt ex eius litteris apparet, ac Reges Europæ. Atqui vt tot Imperatores, potentissimiq; Principes per tot sæcula Pontificibus Romanis dicto audientes fuerint, haud fieri potuit absq; sapientissima ipsorum gubernatione. Nam cur non idem Constantinopolitanis, Alexandrinis, & Antiochenis exhibitum? cur maximè Romanis Episcopis ipsos Imperatores ac Reges acriter persequentibus ob crimina, quibus inuoluebantur? quæ in suis Orientales dissimulare cõsueuerunt.

VII. Vnanimes maximè inter se Papę.

Sed ad septimum veniamus. Nulli sedi cõtigit, quæ successores adeò vnanimes in decretis, quibus æternorum veritas sancitur, ac sua natura variari non possunt, sit sortita, vt Romana. Negare non possunt Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani plurimos è suis Episcopis non modò hæreticos fuisse, sed etiam hæresiarchas. Quinimmo supra ostendimus Constantinopoli plu-

tes post Constantinum vsq; ad Photium sedisse hæreticos, quàm Catholicos: quod Græci inficiari non possunt; hoc enim constat ex historijs ipsorum. & tamen per tot sæcula ne vnus quidem fuit Episcopus Rom. qui decreuerit contraria ijs, quæ forsan aliquis è superioribus, decreuit in ijs quæ sunt æternæ veritatis. Nam de ijs quæ spectant ad mores, illa pro temporum atque hominum varietate meritò variari solent, ac debent. Id verò multò magis in Episcopis Rom. est mirum, quòd longè plures fuerint ipsi, quàm cuiusuis sedis antistites. in more namque positum videmus semper fuisse, vt Pontifex Roma. plerumq; senex eligatur, idcirco nemo ex illis viginti quatuor annos in Pontificia dignitate exegit: & tamē cùm tot fuerint, nemo in ijs, quæ diximus, à superioribus discessit contraria sanciendo. Quî verò hoc fieri potuit absq; sapientia diuina? Humani non est hoc ingenij. Sciendum porrò est multis modis aliquid decerni posse tamquam veritati æternæ consonum. Ac primo, si lex promulgetur, qua iubeatur vt omnes Christiani ita credant: & hoc pertinet ad vniuersale Concilium, cui Pontifex Romanus adsistit, vel ad Episcopum ipsum Romanum. atq; ita neq; vniuersalium Cōciliorum, neq; Pontificum Rom. sanctiones vllæ repugnantes inueniuntur in ijs, quæ non nisi vniusmodi, & immutabilia sunt. Atque hoc est, quod dicimus Ecclesiam labi non posse. Atq; hac parte Constantinopolitani Patriarchæ haud sibi constiterunt. Exempli gratia, consenserunt multi ex ipsis huic sanctioni editæ in Concilio Florentino, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere; in his Iosephus, & Gennadius; at alij dissenserunt, ita vt secus credendum lege lata sanxerint. Similiter in synodo Nicæna constitutum fuit, Filium esse eiusdem naturæ cum Patre: subscripsêre Episcopi Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus; mox tamen in Concilijs Antiocheno, Seleuciensi, & alijs nonnullis secus edixerunt, & ita credendum præceperunt. Idē contigit in ijs, quæ pertinent ad Concilium Chalcedonense. Huiusmodi numquam euenit in Pontificibus Romanis. Secundo potest aliquid decerni non lege promulgata, sed si quis credat aliquid adeò pertinaciter, vt statuat decernatque secum contrarium omninò esse hæreticum, neque paratus sit mutare sententiam, etiam si secus lege promulgata vel à Concilio vniuersali, cui successor Petri siue Episcopus Rom. adsistat, vel ab ipso Pontifice Roma. statuere-

 tur:

tur: neque hoc etiam modo Pontifices Romani inter se discreparunt. Non ita Constantinopolitani Patriarchæ, è quibus hæretici pertinaces fuerunt, Macedonius, Nestorius, Anthimus, Acacius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anastasius, & plurimi Iconomachi: non ita Alexandrini, Georgius, Sergius Cappadox, Lucius, Dioscorus, Timotheus, Eluius, Moggus: similiter Antiocheni, Paulus Samosatenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes Domnus, Petrus Gnapheus, Macarius; denique Hierosolymitani, Ioannes Origenista, Salustius, Arsenius, Heraclius, Hilarius, qui omnes ab vniuersalibus Concilijs veluti contumaces hæresum assertores sunt condemnati. Tertio modo potest aliquid decerni hæreticum, si quis opinetur aliquid esse huiusmodi, non ita tamen asseueranter, vt sententiam mutare non sit paratus, vbi secus definietur vel à Concilijs vniuersalibus, vel à Pontifice Rom. Atque hic re ipsa non est hæreticus, cùm magis Ecclesiæ, quam referunt vniuersalia Concilia & præsul Romanus, deferat & credat, quàm sibi ipsi: ac talis profectò Cyprianus vir sanctissimus, & alij multi tum docti, tum sancti viri. In horum numero quidā ponunt Honorium I. quem tradunt nonnulli in causa Monothelitarum fuisse ancipitem, magis tamen ad Monothelitas declinasse, licet huiusmodi quæstiones amputandas censeret: multi tamen periti à Græcis id confictum aduersus Papam contendunt, & hanc sententiam plurimis & quidem maximis argumentis confirmant, vt Onuphrius in additionibus ad Platinam, Albertus Pighius lib. de Ecclesiastica hierarchia, & postremò Robertus Bellarminus. Vt vt res sit, illud est euidentissimum, ex ipsa epistola propter quam condemnatum volunt Honorium iam defunctum, quæ in sexta synodo adducitur, ipsum neque id lege lata sanxisse, neque contrarium hæreticum omninò definisse, quæ pertinent ad duos superiores modos; sed, modò vera sit illa epistola, in opinionem potius Monothelitarum deflexisse. illud cunctis proponentem huiusmodi contentiosas disceptiones de medio tollendas. Ad summam Pontifices Romani numquam contrarijs sanctionibus inter se in rebus fidei constituendis, vel primo, vel secundo modo discreparunt, neque etiam tertio, si quorumdam sententiam sequamur. Primo haud posse Catholici determinant, asserentes Pontificem Romanum posse credere hæretica, scribere, prædicare, sed lege promulgata sen-

sancire nequaquam. Nos addimus neque secundo modo præsules Romanos ab vnanimi consensu per annos mille quingentos & amplius recessisse, quod nulli sedi per tot sæcula contigit. De tertio, si quis vult esse contentiosus, vt placet, digladietur. næuus erit, qualis Cypriani. Mirum verò, quantum torqueant ingenia sua hæretici, vt exprimere aliquid commenticium possint hac in re aduersus Papas; sed risum mouent. Nos ea referre, aut refellere, superuacaneum putamus. si quis ea videre cupit, consulat doctissimi viri Roberti Bellarmini disputationes aduersus hereticos. Nos ad octauum veniamus.

VIII. Reges potentissimi omnium Pontificib⁹ Romanis subiecti.

Nulli sedi contigit, cuius subiecti per tot sæcula sic floruerint potentissima omnium, & amplissima regna nacti, vt Romanæ. An non hoc verum? Catholica natio, quæ Pontifici Romano paruit semper tamquam Petri successori, iam mille quingentos & quinquaginta tres annos durat, tot enim numerantur, ex quo Spiritus sanctus in corda Apostolorum illapsus Ecclesiam constituit Petro præsidente. Ad eam peruenit propter victorias vexillo crucis à Constantino partas imperium Romanum, omnium quę fuerint potentissimum, anno ab ortu Christi trecentesimo decimo quarto, vt ecclesiasticæ historię peritissimus Cæsar Baronius in Annalib. suis tradit, & ab illapsu Spiritus sancti ducentesimo octuagesimo, cum scilicet Siluester Papa Constantinum baptizauit. Imperio Romano Catholica natio potita est plurimos annos, & in Occidente, & in Oriente. Nunc autem tenet omnium quæ fuerint vnquam ab orbe condito amplissimum regnum per Catholicos, vt meritò vocantur, Hispaniarum Reges. Quocirca si omnia antiquorum monumenta sedulò inuestiges, nullam reperies nationem, quæ sit eamdem religionem modò secuta, vniq; antistiti paruerit, ac tamdiu steterit. atq; adeò præstiterit, vt ea, quæ Pontifici Romano obtemperat. Anno millesimo & sexagesimo sexto ab Vrbe condita, vt quidam numerant, Constantinus sacris est aquis more Christiano ablutus. ex eo desiêre gentes à cultu Christiano alienæ, quæ imperio Romano subijciebantur, habere Pontificem summum Romæ. ex eo desiêrunt Imperatores Romani se Pontifices maximos appellare, vt idem Cæsar doctissimè adnotauit in Martyrologio. quamquam qui à Numa Pompilio, vt auctor est Liuius, Romæ institutus est Pontifex

August. 22.

maximus, & cuius functionem sibi arripuerunt Imperatores, non omnibus gentibus imperio Romano subiectis, quantum pertinet ad sacra, leges præscriberet, vt omnes periti norunt. Mahometes conatus est vniuersitati successorum suorum sectatorem Pontificem summum præficere; ideoq; cauit, nequis posset esse Rex, aut Princeps suorum, qui non esset pariter maximus antistes, quem statuit esse vnum totius factionis, vt testatur post alios Ioannes Leo in Africæ descriptione. sed haud multo post eius obitũ summi Pontificis potestatem plures sibi arrogarunt: & quando Mahometes constituerat, vt præsul iste electionis non hæreditatis iure suis præficeretur, contra huiusmodi legẽ factum est, vt Rex neq; Pontifex esset, & ad suos liberos regnum transmitteret. Quamquam Mahometis sectatores nondum mille annos durarint; cùm Christi Ecclesia iam mille quingentos & amplius persistat, & longè ampliora terrarum spatia teneat, quàm colluuies Mahometis. Stet igitur, nulli antistitum successioni hucusq; obtigisse, vt imperia regnaq; habuerit tanto tẽporis spatio sibi obsequentia, quæ omnium potentissima & amplissima meritò dici possint. At hoc necesse est dicamus à maxima sapientia diuinitus indita, qualis ab ipso Adamo hactenus non extitit in terris, neq; tales ob id est euentus sortita, proficisci. Quocirca Prosper Aquitanicus, qui sub annum quadrigẽtesimum quadragesimum floruit, rectè cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quicquid non poßidet armis
Relligione tenet

Cùm verò Pontificia hęc potestas in tam sublimi tamq; diuino loco fuerit collocata, & priuilegijs hisce cælestib. honestata, hinc factum vt dæmon eius splendorem cunctis modis obscurare semper fuerit conatus, vt eius auctoritas ac potestas ad nihilum redigeretur. In primis autem cùm nil æque fidem conciliet, ac sanctitas, inuidiæ, maleuolentiæq; veneno corda quorumdam, qui Christianos se professi sunt, sed longissimè à Christi modestia, spirituque demissa & humilia sentiente abessent, semper adspergere, & inficere summis viribus contendit. Tales cuncti ambitiosi, & elati, qui ad sua peccata nullo modo respicientes, antistitum siqua sunt vitia diligentissimè rimantur: quòd si vllum crimen vel tenue inuenerint, amplificant, extollũt, exaggerant; vbi nullum fuerit, actiones omnes illorum in

peio-

peiorem semper partem accipiunt, & interpretantur; & quod in re non apparet, in animo intus occlusum dicunt: argumenta conquirunt, concinnant, dilatant, vt verisimile appareat quod asseueranter affirmant. Hinc impetu facto abrogare omnem ipsius potestatem conantur. Sed omnia, vt vidimus, frustra contendunt. Illa namq; potentior ac splendidior apparet, & elucescit, quod illustrius fiet, vbi de tertia coniunctione agemus, in qua de bonis externis tractabimus. Hunc ad propositum redeuntes cætera persequamur.

IX. Quietissime præ cæteris Pontificũ Rom. electiones.

Nonum sit illud. Cùm Pontifices Romani iure electionis euehantur ad tantam potestatem, ac per tot secula fuerint euecti semper, tamen illud admirabilissimũ est, quòd si cõparetur hæc summa sedes Pontificia cum cæteris summis principatibus, quæ in orbe hucusque fuerunt, & ad quos iure electionis Principes sint electi, Pontificatus hic præ illis paucissima passus est schismata: quod facillimum est videre, si compares schismata, quæ contigerunt in Imperio Romano vsque ad Constantinum, vel quæ in Occidentali & Orientali euenerunt, vel quæ deniq; ex quo in Germania scribitur Imperium consedisse; sumendo hinc inde totidem annos, vel temporum, quæ vtrinq; pacatissima fuerunt, vel quæ ambabus partibus, quas inter se cõpares, turbulentissima obtigerunt, vt signo de pace abundè explicauimus. Id verò non nisi à maxima gubernandi prudentia proficisci potest.

X.

Decimum sit huic sedi diuinitus concessum, quòd cùm multa fuerint in illa præteritis temporibus schismata, nullus tamen Pontifex ritè electus, est ab inimica factione in ipso schismate interfectus.

XI. Null⁹ schismatic⁹ Papa occisus.

Sed huic vndecimum longè admirabilius succedit: nam neque Pontifex vitio creatus, vel Pseudopapa est interemptus à contraria factione, quamuis venerit in potestatem veri Pontificis, quæ nos latiùs persecuti sumus signo de mansuetudine.

XII. Maximum Põtificum Rom. Studiũ in subiectos.

Duodecimum. Nullus Pastor & Princeps exstitit ab orbis exordio, qui tanta cura & studio Regum suæ fidei cõmissorum sit Imperia tutatus, eorumq; pacem, & concordiam, & amplificationem procurarit, vt Pontifex Romanus: quod clarissimè suo signo apparebit.

XIII. Maximi cõsilij Pontifices Rom:

Decimum tertium. Nullus Princeps adeò suæ potestatis publicas res adeò communi consilio moderatus est

semper, vt Pontifex Romanus. Hoc liquet è multis. Nam decem & octo vniuersalia Concilia, ad quæ conuocati ex orbe Catholico omnes cuiusuis nationis Episcopi adfuerunt, vel ipse coëgit, vel cogenda curauit. Primum, Nicænum, anno Domini trecentesimo vigesimo septimo. Secundum quidam numerant Sardicense, trecentesimo quinquagesimo primo, quòd alij idem quo ad decreta faciunt cum Nicæno, ac secundum ponunt Constantinopolitanum anno trecentesimo octuagesimo tertio. Tertium, Ephesinum, quadringentesimo trigesimo quarto. Quartum, Chalcedonense, quadringentesimo quinquagesimo quarto. Quintum, Constantinopolitanum secundum, quingentesimo quinquagesimo tertio, vel quingentesimo quinquagesimo sexto. Sextum, Constantinopolitanum tertium, sexcentesimo octuagesimo primo, vel sexcentesimo octuagesimo quinto. Septimum, Nicænum secũdum, septingentesimo octuagesimo primo, vel septingentesimo octuagesimo sexto. Octauũ, Constantinopolitanum quartum, octingentesimo septuagesimo. Nonum, Lateranense primum, millesimo centesimo vigesimo tertio. Decimum, Lateranense secundum, millesimo centesimo trigesimo octauo. Vndecimum, Lateranense tertium contra VValdenses, millesimo centesimo octuagesimo. Duodecimum, Lateranense quartum, millesimo centesimo decimoquinto. Decimum tertium, Lugdunense I. millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. Decimũ quartum, Lugdunense secundum, millesimo ducentesimo septuagesimo quarto. Decimum quintum. Viennense millesimo trecentesimo vndecimo. Decimum sextum, Florentinum, millesimo quadringentesimo trigesimonono. Decimum septimum, Lateranense quintum, anno millesimo quingentesimo duodecimo. Decimũ octauum, Tridentinum, quod millesimo quingentesimo quadragesimo quinto incepit, finitum millesimo quingentesimo sexagesimo tertio. Quæ omnia è chronico Genebrardi & horum temporum scriptoribus apparent. Sed quando vniuersalia cogere difficillimum, innumera ex Episcopis plurimis Pontifex idem Romanus est solitus semper habere, ita vt vnus Leo Nonus cùm sederit annos tantùm quinque, synodos tamen octo diuersis in locis celebrarit, vt ex Hermanno Contracto scriptore horum temporum liquet. Rursus idem Pontifex Romæ semper à primis tem-

poribus habuit ex omni natione presbyteros, quibus titulos & Ecclesias vrbis assignabat, quos passim nunc vocamus Cardinales, quibus semper consultis res publicas solitus est expedire. Quocirca nullus Princeps vnquam maiore cum consilio res administrauit, vt Pontifex Romanus. Nam si omnes simul Principes ab orbis exordio ante oculos tibi mentis ponas, inuenies nullum, qui vel vnum concilium generale celebrarit absque Pontifice Romano: nullorum successionem Principum reperies, qui tamdiu tanto cum consilio adhibitis omnium gentium viris tractarit. Annon igitur hîc prudentia summa?

Idem probatur generalibus argumentis pertinentibus ad causas efficientes gubernationis, materiam, finemq; illius.

CAP. IIII.

Collegimus quinquaginta euenta maximorũ regnorum, & principatuum, quæ admirabilissima sunt, & nulli vnquam nationi contigerunt vlla ex illis: è quibus fit apertissimè Catholicæ Ecclesiæ esse optimam gubernationẽ Sed adhuc idem ex alijs aperiamus: & quãdo cuncti consentiunt Romanos olim cunctis præstitisse in administratione rerum publicarum, hinc ducamus LI. argumentum, Catholicos hac in re Romanis præcelluisse, & ideo cæteris vniuersis. Hoc esse verum constat è pessima ac flagitiosissima Imperatorum vita, qua subiectos sibi contaminabant, diripiebant, occidebant; vt signo de flagitiosa vita eorum qui fuerunt, hostes Ecclesiæ, testimonijs antiquorum scriptorum, qui nobis haud æqui fuerunt, abundè est ostensum. Quocirca Romanus orbis olim nihil aliud erat, nisi impurorum hominũ, latronum, sicariorumque sentina. Quinquaginta & octo Imperatores numerauimus, qui Christi nomen haud coluêre, & ex ijs ne octo quidem bonos dicere aliquo modo possumus; alios scelestissimos, mõstra potius voces, quàm homines, ad huiusmodi etiã subiectos fuisse oportet, ab ijs namq; eligebantur, ac fieri haud potest, vt illi crearẽtur, quorum vita nõ ipsis probaretur, vt omittamus subditos vt plurimũ se conformare ad exemplum sui Regis; cum verũ sit illud.

Catholici principes optimi omnium.

Totus ad exemplar Regis conuertitur orbis. Alios porrò aliorum populorum Reges fuisse scelestissimos liquet è duodecimi libri signis. Hinc existit quinquagesimum secundum argumentum. Nam plerique omnes Imperatores Romanorum fuêre à suis occisi, quod etiam suprà aperuimus; idem constat de aliarum gentium Regibus, è signo de pietate, & intestinis alienorum cędibus. Igitur vel subditi mali, vel principes. Numquid enim boni illi? malos itaque, non bonos interficiebant. At si boni, cur malos euehebât, quos deinde necarent? omnes itaque scelesti. A militibus, inquies, plerumque eligebantur. Nil refert. In potestate namque facinorosorum fuit Imperij summa. Quòd si obijcias rebus bellicis plurimum valuisse, quinquagesimum tertium proponimus, ex quo nostros ijs maiores ostendamus, (quod tamen latius explicabitur signo sequenti.) Aduersus alios Romani Imperatores potuére, non aduersus Imperatores Christianos. Quocirca vbi pugnatum est inter duos de Imperio Romano, è quibus alter è nostris fuerit, alter ex hostibus Christi, nos quamuis numero haud pares, victoriam tamen retulimus, vt Constantinus de Maxentio & Licinio, Theodosius de Eugenio. Vbi Romanis Imperatoribus à Christo alienis exstitit bellum aduersus vel alias gentes idolorum cultrices, earumque Reges, vel aduersus alios Imperatores Tyrannósve benè illis omnia processere, non ita quoties illis fuit res cum nostris Imperatoribus, ventumque ad pugnam, quamuis multitudine præstarent: quod maximè in Eugenio apparuit, qui se falsorum numinum vindicem profitebatur, ac iactabat; & innumeras secum gentes è toto Occidentali Imperio collectas trahebat; iamque res Theodosij videbatur in angustum redegisse, sed omnis eius conatus irritus fuit. Quòd si Imperium Romanum semper incidisset in Imperatores Catholicos, quales maximè fuerunt Cõstantinus & Theodosius, Pontificum Romanorum studiosissimi, numquam proculdubio neque in Occidente corruisset, neque in Oriente. In Occidente namque regnantibus Zenone, & Momyllo Augustulo hæreticis Imperium concidit. Imperatores similiter Orientis quamdiu nobiscum senserunt, quamque ab obedientia Pontificis Romani desciuerunt, quamuis agitati maximis procellis, steterunt illi tamen, & Imperium permansit. quicquid vmquam iacturæ insignis factũ est vsquam, vel principibus hæreticis [illegible] Illis in

Omniũ maximè in pace viuẽtes.

Omniũ fortissimi Catholici reges.

Sig. de occid Imp. l. 3. & 9

hære-

hæresim lapsis id contigisse ostendimus suprà signo suo, vbi actum de interitu Christianæ religionis, & infrà apparebit, vbi actum de ignauia hæreticorum principum aduersus hostes. Ac meo quidem iudicio frustra Catholici pugnant pro nationibus ac locis hęresi aliqua contaminatis, frustra tandem pro Græcanicis regionibus, vt aliquando Deus adsistat, plerumq; à nobis abscedet. maiore Deus habet odio hæreticos, quàm cæteras nationes ipsi infensas. Illi fidem fregerunt, hi non ita. Sed vt ad ipsos Romanos redeamus; nullo modo negandum superatos ab illis nostros longa perpetuaque armorum tractatione, & vsu. Romanis namque à teneris vnguiculis nihil aliud erat cordi, quàm pugna, & acies; contrà Catholicis pax, & tranquillitas. Sed à nostris illi vincuntur, quod nemo inficiabitur, bellicorum instrumentorum apparatuumque inuentione, animi robore, omniumque aduersorum tolerantia. sed hac de re tota suo loco. Nam si de amplitudine locorum, quæ nostri armis adduxerunt in potestatem, agatur, & ex hoc bellica virtus æstimanda, certum est viginti ac pluribus etiam partibus maiora loca à nostris vi armorum subacta fuisse, quàm fuerint olim à Romanis. Atque illi septingentis annis id assecuti sunt, tot enim numerari possunt ab vrbe condita, vsq; ad Iul. Cæs. At nostri hæc nondum sæculo exacto transegerunt in Indijs Orientalib. & Occidẽtalibus. Neq; verò res nostris fuit cum gentibus, vt quidam putant, imbellibus. legat qui volet res ab Alfonso Albuquercio in Indijs Orientalibus gestas, qui ab ostio maris Erythrei, vsque ad auream Chersonessum, loca omnia terrore armorum repleuit, atque Arabas, Turcas, Persas, Indosq; vniuersos cis & vltra Gangem in sui admirationem traxit: legat quę bella confecerit etiam Ferdinandus Cortesius in amplissimis imperij Mexicani regionibus; ac videbit non fuisse Catholicis ducibus bellum cum viris huiusmodi, quales in Asia & Oriente nacti sunt Lucullus, Pompeius, ac Cæsar, qui de illis scriptum reliquit: Veni, vidi, vici: aut quales Alexander in Persia effœminatos, atque animi peritięque nullius. Quòd si bellica virtus pensanda non ex amplitudine locorum, quæ fuerint adducta in potestatem, sed è ferocia, & indomita fortitudine nationum, quales erant Galli ætate Cæsaris; nobis sit satis ea quæ sunt ante oculos posita exempla adduxisse. Germaniæ sunt latissima confinia, populi fortissimi,

quos numquam Romani vincere potuerunt, & terras eorum potiri; expauit Alexander Magnus, neque ausus est attingere: Carolus Magnus subegit, & nobilissimum inter eos imperium fundauit. Quocirca siue respicias Imperatores Romanos priscis superstitionibus addictos, Maxentium, Licinium, Eugeniumq; quos Catholici deuicerunt, siue vastissimas regiones à nostris bello partas, vel bellica instrumenta, & apparatus, vel deniq; in domitas olim gentes; tantum nostri hac parte præstant alijs ad extremū, quantum tormenta militaria à nostris inuenta arietibus & catapultis antiquis. Nobis itaque optima tandem gubernatio domi bellique. Sed quando quæ dicta sunt argumenta hucusque, deriuauimus omnia ab ijs, qui præsunt, Regibus, Imperatoribus, Rebuspublicis; operæ pretium fuerit expendere qualis sit Catholicæ nationis vniuersæ principatus; qui cùm patuerit optimus, optima ipsius etiam meritò gubernatio dicatur, quod erit argumentum.

Resp. Catholica optima ob monarchiam perfectam.

Quinquagesimum quartum. Conuenit itaq; inter omnes sapientes, vnius dominatum, quem Græci monarchiam vocāt, præstare optimatium vel populi gubernationi. Tradidere id Philosophorum summi Plato & Aristoteles. Stobæus multos colligit ex antiquis, qui idem docuerint, sermone quadragesimo quinto: idem scripsêre Seneca & Plutarchus, viri veritatis satis acuti inuestigatores. notum illud Homeri:

Plat. in Poli. vltra mediū Arist. l. 8. Ethic. c. 10. Senec. l. 2. de benef. Plutarch. de monarch. Iust. orat. ad gentes Cyp. de Ido van. Iren. lib. 1. c. 10 Hiero. ep. ad rust. Deut. ca. 17.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς

Refert Herodotus agitatam fuisse hanc olim quæstionem inter principes Persarum, cùm Magi cæde perpetrata illud regnum occupassent, conclusumq; ab omnibus, vno excepto monarchiam cunctis præcellere. Eiusdem sententiæ nostri fuerunt, in quibus Iustinus, Cyprianus, Irenæus, Athenagoras, Lactantius, Tertullianus, Hieronymus, & alij. Hinc Deus Iudæis vnum præfecit; is erat summus sacerdos, cuius imperio qui non obediret, morti adiudicabatur, vt est apertissimè constitutum in Deuteronomio: ne verò hic prophanis negotijs animum nimis adijceret, ac sacra negligerentur; extraordinarium ad bella gerēda, & prophana, Deus excitare solebat iudicem, antequam Reges constituerentur, vt Iudicum libro habetur; sed prima potestas, ac summa erat penes ipsum sacerdotem, atq;

ideò primum iubet illum adiri Deus, vt apparet è loco adducto Deuteronomij: neq; pœna capitis in eum, qui iudicis imperio haud auscultarit, irrogatur, quod fit, vbi sacerdotis iussa violantur. Diuino iussu adnumerabatur huic sacerdotio collegium septuaginta duorũ, quod constituit Deus precibus quodammodo querelisque Moysis adductus, vt apparet libro Numerorum. Ac proculdubio si humana & terrena eatenus bona sunt, quoad imitantur & exprimunt cælestia & diuina; in cælo autem princeps vnus Deus: in terris etiam princeps erit vnus loco Dei. At Ecclesia Dei optima quæq; habet; ergo vnus illi præsidebit: quod nostræ semper obtigit per Pontificem Romanum Petri successorem, cuius potestas annos iam 1500. ac plures durat toti Catholicæ nationi leges prescribens, sine vlla interruptione; quod nulli genti vsuuenit, quæ secuta fuerit eiusdem religionis scita. Optima itaq; gubernatio illius.

Num. cap. 11.

Quinquagesimo quinto deinde loco proponatur illud, quod viderunt omnes ferè populi, tentarunt assequi, sed à proposito multis de causis exciderunt. Ordo exigit, ac ratio, vt prophana sacris subijciantur ac postponantur, sicuti terrena cælestibus, humana diuinis: alioquin rerũ summa esset inuersio. & sacra igitur potestas, ac principatus in Ecclesia Dei, prophanæ præponetur, legesq; præscribet, hæc ab illius nutu pendebit. Hinc Pontifex Romanus imperia ac regna dedit, abstulit, hodie dare inter Catholicos, & auferre potest, vbi res exigit. Id semper factũ suo loco aperietur. Non ita inter hæreticos, & alios populos; quamuis id faciendum statuissent à principio. Maxima erat potestas summi sacerdotis inter Romanos, Athenienses, AEgyptios, Persas. sed quis vmquam summã rerum illi delatam audiuit aliqua in re insigni? Inter Gallos Druydæ primas obtinebant: ab eorum tamen vel principe, vel vniuersitate, quis vmquam legit, aut principatus ademptos, aut collatos? Mahometes sanxit, vt à Califa suo (sic enim vocauit Pontificem maximum) cuncta penderent, eius arbitratu singula constituerentur, vt Ioannes Leo adnotauit; aliquo tempore id seruatum; paulò pòst nihil minus. Quid plura? Deus Pontificem maximum Iudæis præesse voluit, vt diximus: & tamen illi Samuele præsidẽte Regem vel inuito Deo voluerunt. Quocirca indignatus edixit eis per Samuelem, qui tum summos erat sacerdos,

Monarchia Catholica maximè omnium sacris subiecta.

1. Reg. 8.

Non

Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsq; ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiā tibi. hæc iratus Deus, multa deinde illis obuentura mala comminatus ob huiusmodi factum. Quamobrem cùm summa fuerit semper in Ecclesia nostra summi Pōtificis potestas, atque hodie sit, necesse est illius optima sit gubernatio. Græci ad Imperatorem cuncta olim transtulêre, vt suprà ostendimus, qui arbitratu suo Patriarchas Constantinopolitanos eligebat, ac deijciebat, quod etiam fit hodie à Turcarum Rege, cuius est loco mouere & euehere eosdē, quod numquam Pontificibus Romanis accidit, vel imperantibus olim Romanis. Inter Protestantes autem res cō redacta, vt in Anglia nunc Elisabetha Regina, lupa versipellis, sit Ecclesiæ Anglicanæ caput, dignū patella operculum, ac turpissimi monstri venustissimum caput. Sed cùm sint principaruum genera tria, vnius, optimatum, & populi, & in quolibet aliquid esse boni possit; nullo modo id ab Ecclesia tollendum. Sit igitur in illa vnius in primis gubernatio, penes quem sit rerum summa, isq; sacrorum sit præfectus: non excludantur tamen optimates vnquam, neque populus omninò arceatur. licet enim Deus toti rerum præsit vniuersitati vnus, attamen in cælo cælitum sunt ordines, ac præstantiores præsident ijs qui minus sunt nobiles: ijs adscribuntur ex humano genere, quasi ex humiliori populo, qui purè vixerint: & omnes sanè intuentur absque vllo intermedio Deum, rerum tamen aliarum, vel gerendarum ministeria, vel noscendarum notiones à superioribus inferiores accipere solent. vt Dionysius ille Areopagita diuinitus tradit. *Alia claritas*, inquit Paulus, *Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum.* & quamuis à Sole claritas omnis emanet, syderum tamen alijs alia & altiora, & splendidiora, & inferorū motus orbium superorum motibus, illustrationesque idcirco illustrationibus obsecundare prorsus est certum. Sic etiam videmus in ipso corpore, cui sæpè Ecclesiam comparat Paulus, capitis vnius esse summam rectionem, atque ab illo vis inspiratur cunctis membris sentiendi ac mouēdi; quędam tamen, velit nolit caput ac voluntas nostra, sentiunt ac mouentur, vt cor ac genitalia interdum. quin non potest ipsum caput omninò sibi membra præcidere, eorumque loco sufficere quæ liberet. Quocirca est quædam temperatio

1. Cor. 15.

peratio in Ecclesia optimatum. Nam licet vnus præsit, adiunguntur illi tamen Episcopi necessariò, adesse etiam solent Imperatores, Reges, ac Principes, quos nullo modo solet gradu suo deturbare Pontifex Romanus, quasi mutabiles quosdam magistratus, quod Turcarum Sinarumque Rex facit, quorum sunt amplissima regna post nostra. deturbare tantùm meritò solet, vbi emergunt grauissimæ causæ, à quibus maximè cauendum ac timendum; sicuti etiam membrum quandoque amputamus, vbi foret periculum, ne totum corpus inficeretur. At Turcarum Sinarumque Reges ad arbitrium cuncta suum reduxêre, quales tyranni sunt, & quales fuêre plerique omnes Imperatores Romani, qui nullam Senatus habuerunt rationem: suntque Reges hodie Turcarum & Sinarum, qui solo metu, non amore imperia administrant; hinc ille cunctos agnatos interneccioni semper dat, hic carcere quodam liberiori ad omne libidinum genus apparato & instructo inclusos toto vitę tempore tenet, quod etiam facit AEthiopum Rex. Habet præterea nostra Ecclesia temperamentum quoddam populare. nam quilibet ex infima plebe nō modò Episcopus creari potest, sed etiam Pontifex summus: idcirco semper suus est virtutibus locus. Atque hac in re peccat maximè imperium Sinarum alioquin nobilissimum, in quo nulla spes est infimæ sortis hominib⁹ asscendendi ad vllum nobilitatis ac dignitatis locum. omnia hęc temperamenta habuit imperium Romanum, cùm Senatui sua potestas haud adimebatur, in quem cooptabantur qui virtute excellebant; sed quando is vno loco coarctabatur, neque ciuitatum prouinciarúmve administrationes perpetuò adsignabantur, hinc eueniebat vt vnius principatus in tyrannidem degeneraret, quod plerumq; euenit. nonnulli tamen exstitêre, qui sua iura Senatui relinquentes, optimos ex Imperatoribus illis vocare meritò possis, quales fuêre ante omnes Titus, Traiānus, Antoninus Philosophus, Alexander, Probus, & si qui sunt alij. ob id proculdubio nobilius imperium Romanum Turcico, & Sinetico. Hinc etiam fuêre ipsius latiora confinia, & maiores vires. Reliquum est, quod ab euentu futuro pendet, vt videamus quodnam stabilius erit. Romanum namque permansit à Caio Iulio Cæsare, vsque ad Momyllum Augustulum, quingentos ac viginti duos annos: at illorum neutrum peruenit adhuc ad annos tercentos. Non annu-

mero imperio Romano annos Reipublicæ, qui fuere quadringenti sexaginta duo; tot namque intercedunt ab exactis Regibus ad Iulium Cæsarem. Atq; ita imperium Romanum diuturnius fuit vno imperante, quàm pluribus: adde etiam potentius. Ac bene quidem in Republica Veneta videmus esse temperationem quamdam, quæ cōstet ex vnius principatu, optimatum, & populi, magis tamen vergit ad optimatum gubernationem. quocirca optima ex omnibus, quæ vmquā fuerunt, ac diutius etiam persistit, & tranquillior, vt suprà dicebamus, ob hanc temperationem, de qua elegantissimè Gaspar Contarenus Cardinalis pulcherrimo de Republica Veneta libello. Ad summā cùm sit longè optimum illud, à quo delibatur & colligitur quidquid est boni in vnaquaque re, & in omnibus trium gubernationum formis, vnius, optimatum, & populi, sit aliquid boni; Ecclesiæ nostræ est excellentissima moderatio, quando ex omnibus quodcumque habent boni decerpsit, & in ea modus ille præcellit, qui ex tribus est nobilior. sic enim superis, quibus vnus quidem præest, sed volentibus, nullo metu perculsis, quasi perpetuò optimatum consessui, & ordini similis euadit. Eadē porrò similitudo in cælestibus luminibus ac motibus conspicitur, & in corporis etiā nostri conformatione. Idcirco imperium Romanum Turcico & Sinetico præcellit hucusque amplitudine locorum, viribus, diuturnitate, doctrinarū cognitione, & inter Respub. insignes Veneta vetustior, & tranquillior. Sed quando Romana res, quāuis ex omnibus aliquid haberet, ex illo tamen vnius principatu, qui est optimus, magis quā è reliquis constabat; ideò Venetæ præstat viribus, & regionū domitarū latitudine: quod euenit etiā Turcico & Sinetico, quæ inferiora sunt imperio Romano, cùm nullum sit in eis ferè temperamentum. omnibus his Venetum præstat sedatione, ac diuturnitate. Retulimus hucusque hoc capite sex argumenta generalia, quæ spectant ad ipsos cuiuslibet gentis gubernatores, è quibus apparet optima nostræ Ecclesiæ moderatio. Neq; verò solùm nostra Ecclesia temperata est ex gubernatione vnius, quæ præcellit, optimatumque, & populi; quia munus Episcoporum est perpetuum, neq; amoueri possunt ab administratione vrbium suarum, nisi grauia ob crimina, & ad vnius Episcoporum principatum quilibet è populo adsumi potest; sed & ob eam causam, quòd Pontifex Romanus,

nus, si sit hæreticus, deijci potest gradu suo ab vniuersali Episcoporum Concilio, illique palàm potest obsisti.

Argumenta generalia ducta à subiectis.

CAP. V.

NVnc à subiectis aliqua ducamus, & quinquagesimum sextum sit illud, quod à multitudine non hominum modò, sed innumerarum gentium conficitur. Tanta namq; vis huius gubernationis, vt apertè inter hostes ipsos dominetur. quocirca inter ipsos Turcas & Persas sunt qui pareant Ecclesiæ nostræ decretis: plurimi sunt inter eos Catholici, qui palàm fidem nostrã sequuntur, Episcopi nostri illis psunt. Non modò igitur Ecclesia Catholica continet Hispanicũ imperium latissimum, Gallicum, Germanicum, Polonicum, & Italicum, verùm pertingit hostium loca & regiones, in quibus plurimi è nostris degunt, vt sit Ecclesiæ amplissima latitudo, qualis nulli vnquam contigit, si omnia quæ diximus complectaris. Hinc existit 57. diuturnitas tam latæ ditionis, quæ tot populis iura dederit religionis. Nam trigesimo quarto anno ab ortu Christi cùm Spiritus sanctus se in Discipulorũ corda insinuasset, prima illa sua cõcione Petrus plurimos sibi ex ipsis Parthis, Medis, AElamitis, Chaldęis, Asiaticis, AEgyptijs, Cyrenensibus, Cretensibus, Arabibus, Romanis, qui priùs Iudaica sequebantur, adiunxit. mox vbi per eumdem Petrum gentibus alijs aditus est patefactus, Cornelio Centurione baptizato, Apostoli totius orbis cõfinia peruagati, Catholicæ gubernationis imperium propagarunt, ita vt Tertullianus antiquissimus scriptor iure dixerit imperij Christiani pomeria longè ampliora suo tempore fuisse, quàm regni, quo potitus est Alexãder, Cęsar, aut si quis est alius his potentior. omnes verò Ecclesias toto orbe disseminatas, oportebat, vt Tertulliano antiquior Irenæus scripsit, *ad Ecclesiam Romanã conuenire, à cuius Pontifice cæteri Episcopi profluunt*, ait Cyprianus libro de simplicitate Prælatorum, *veluti rami ab arbore, riui à flumine, radij à Sole*: hinc Ignatius scripsit initio epistolæ ad Romanã Ecclesiã, habere illã patris nomen, quasi cęterę essent loco filiorũ. Iure.nã Paulus etiã dixit, *Romanorũ fidẽ annunciatam*

Resp. Catholica dominatur omniũ latissimè vel inter hostes.

Res. Catholica ex antiquissimo tempore latissimè dominatur.

Libr. contra Iudæos

Lib.3.cap 3.

Roman c.1.

in vniuerso mundo. Ac ne quis adhuc putet hæc à Christianis per amplificationem prolata, legat epistolam Plinij Secundi ad Traianum, in qua testatur tantum fuisse numerum Christianorum, vt templa nemo adiret, & victimarum nullus emptor inueniretur in ciuitatibus, vicis, ac pagis: & Traianus tamen iniuit imperium anno à morte Christi sexagesimo quinto. Haud itaque leuiter illud pronunciauit Cyprianus, Imperatorem Romanum fuisse æmulum Cornelij Papæ. Ex his colligitur fieri nullo modo posse, vt Ecclesiæ nostræ non fuerit optima semper gubernatio; quando tantam suæ potestatis ab ipso exordio per omnes mūdi partes amplitudinem nacta, illam sit inter ipsos hostes etiā tutata suprà annos iam mille & quingentos.

Li.10.ep.97

Quinquagesimum octauum sit illud. Quę plures ac magis efferatos populos ad humanitatis studia & cultū perduxit, ea gens proculdubio cæteris excellentia rectionis præstat. At Catholica est huiusmodi, vt suprà vidimus. Nulli ergo dubitationi locus est relictus, quin Ecclesiæ Catholicæ leges ac mores sint omnium pręstantiores. Atque hîc multa obseruanda; quorum primum est, ab ipsa Romana ditione multa effera fuisse depulsa in moribus apud omnes imperio Romano subiectos posita: crudelitas in debitores, atrocitas in gladiatorijs ludis. Secūdum, disciplinas & artes omnes ad summum euectas inter gentes, quæ barbaræ ab antiquis nominabantur. Verbi gratia, Græcis & Italis exceptis, non videbantur alij populi doctrina & arte vlla admodum valere. In Hispania & Gallia fuêre nonnulli oratores ac poëtæ: Philosophia, Mathematicis, cæterisque artibus, quæ liberales vocantur, haud multum pręstabant. At nunc è Christianis summos nobis viros dedit non modò Hispania, & Gallia, sed quæ minus humanæ videbantur Europæ regiones. Nam qui quantiq; philosophi Albertus Magnus Germanus, Alexander Halensis Anglus, Ioannes Scotus? Nulli cedunt ex antiquis, plurimos vincunt. Quantus in Mathematicis Nicolaus Copernicus, Gemma Phrysius, Ioannes è Monte regio Germanus, Stoflerinus, Ioannes è Sacro bosco Anglus? mitto innumeros alios in qualibet scientia & arte excellentissimos. Tertium est, in Europa dumtaxat duas è tribus eius partibus à nostris ad humanitatem perpolitas, quæcumque scilicet sunt supra Rhenum & Danubium, magnā

Resp. Catholica omnium maximè efferatas Gentes ad humanitatem perduxit.

Britanniæ partem, insulasque illi adiacētes, & Oceano Septentrionali circumfusas. Iam verò quis enumeret tot nationes in Africa, Asia, Indiisque Orientalibus & Occidentalibus? vt illæ nihil habebant plerumque nisi humanam figuram? nam cætera belluina omnia. Quocirca necesse fuit Hispanis interdum facere, quod illis agricolis, qui locum aliquem vepribus obsitum, dumetis vndique implexum & obseptum, arboribus infructuosis & venenatis abundantem excolendū suscepêre, ferro & igni terram purgare. Ac sanè nunc illi populi mansuetudine, docilitate, religione, ac bonis moribus nos superāt. Veniamus ad quartum, quod est mirabilissimum. Tantum potuit Catholicæ nationis optima gubernatio, vt non modò ad suas leges moresque veræ humanitatis populos transtulerit, quos armis Principes ac Reges Catholici subegerunt, sed & eos quibus ipsa interdum subiecta fuit. Ita vt si qua in regione Episcopis Catholicis subiecti magis detulerūt, Pontificique Romano paruêre, ac plures deniq; Catholici fuerint, quàm hæretici, necesse ad extremum fuerit Principes illos barbararum nationum cum suis Christo se adiungere, Pontifici Romano colla submittere, efferos mores deponere, humaniora sectari. An non hoc verum? Totus orbis Romanus, cuius gentes barbaræ haud dici & haberi volebant, ad hoc venit imperante Constantino, hoc egit. Idem contigit Sueuis, Alanis, & Visigotthis, qui Hispanias occuparant olim, Francis, qui Gallias, Burgundionibus, Northmannisque, qui Galliarum loca diuersa, Longobardis, qui bonam Italiæ partem, populis maiori ex parte efferis, qui cùm victores essent ac domini, tantū abfuit, vt Catholicos ad inhumanitatem suam compulerint, & agreste inconditumque viuendi & regendi genus, vt ipsi potiùs feritatem ingenitam deposuerint, & ad nos concesserint. Quænam quæso est hæc ars, vt capti capiant, victi vincant? Numquid idem Græcis contigit, numquid cæteris Orientalibus, quos Sarraceni & Turcæ in suam potestatem adduxerunt? Ad tantam iam cuncti Orientales & Græci barbariem deuenêre, vt non modò disciplinas omnes, quarum meritò olim sibi magisterium vendicare videbantur amiserint, & obliti sint; sed ipsam linguam si velint addiscere, ad nos cōfugiant, est necesse. En qualis Gręcorum gubernatio, en qualis Orientalium, en qualis hęreticorum. Quòd si Africa, impellente Constantio Hera-

clij nepote, hęresim Monothelitarum non omninò vel ex maiori parte esset amplexa, si loca quædã Græcorum Latinis subiecta non magis Græcanicæ hæresi adhæsissent, quàm nobis, si Hungaria & oræ quædam finitimæ pestiferas opiniones Protestantium non admisissent; vel Sarraceni Turcæq; expulsi fuissent, vt ex Hispania, Sardinia, Sicilia, locisque nonnullis Apuliæ & Africæ sunt à nostris exturbati, nonnulliq; ex ipsis nomen Christo dedêre, aut necesse fuisset omninò ab illis mores nostros ac leges humanitatis plenissimas admitti, vt fecêre Sueui, Alani, Visigotthiq; in Hispanijs, Franci, Burgundiones, Nordimanniq; in Gallijs, Longobardi in Italia, populi barbari & efferati, domini licet, ac victores. Igitur tãta est efficacitas gubernationis nostræ, vt non modò compulerimus penè ad studia humanitatis gentes, quas armis domuimus, vt Saxonas olim Carolo imperante, Prutenos & Liuonas à Theutonicis deuictos, nonnullosq; alios Borealium partiũ populos, & multas ex Indijs nationes Africanis & Asiaticis, & non modò adduxerimus, quæ nostro imperio haud parebant, Hungaros, Bohemos, Polonos, Anglos, Scotos, Danos, Noruegos, Suetos, & Gotthos, Septentrionales gentes feritati addictas, sed & illas, quę nos durissimo ditionis suę iugo premebant, priscos Romanos, & imperij Romani incolas, Sueuos, Alanos, Visigotthos, Francos, Burgundiones, Northmannos, Longobardos, vt suprà ostendimus. Cùm verò hæreticæ factiones tot fuerint, vt earum non sit numerus ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, mirum profectò nulli ex istis vmquam contigisse, vt vllo modo ad humanitatis cultum perduxerit vllas gentes, ex quo se à nobis abiunxerunt, neque ex ijs, quibus subiecti fuerint eorum sectatores, neque ex ijs, quibus pares erant, neq; tandẽ ex ijs, quos armis subegerint: quæ omnia præstita sunt à nostris. Quin Græci, qui cæteros omnes barbaros vocabant, ita vt Paulus dixerit, *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*, ad extremam barbariem deuenerint. Igitur est optimæ gubernationis signum, tot gentes ab efferis moribus ad humanitatem traduxisse; præcipuè verò illas, quibus nostri erant subiecti. Quorum nihil alijs vmquam contigit nationibus.

Resp. Catholica omnium ma-

Veniamus ad quinquagesimum nonum, quod pertinet ad barbaricas oppressiones: sed vt rem probè teneamus, earum plura genera distinguamus. Ac primum sit, cùm

gens ita facit irruptionem, vt ciuitates deleat, & incolas det ad interneccionem. Id verò numquam perpetratum ferè, nisi in aliquibus vrbibus, non in vniuersis regionibus. Secundum cùm populo alicui auferuntur iura libertatis, aut vniuersa, aut grauiora. Tertium cùm libertas relinquitur, sed auferuntur bona, iuraq́; , & magistratus. Quartum cùm nulla bona vel pauca eripiuntur, sed iura ac magistratus haud permittuntur. Harum porrò oppressionũ primæ atrociores; quæ sequuntur, semper mitiores. Ad primam & secundam pertinent Sarracenicæ Turcicæq́; irruptiones in regiones Christianorum, quas vi subigunt. Talis etiam fuit Gallorum, cùm Romam subuerterunt, excepto Capitolio anno ab vrbe condita tercentesimo septuagesimo secundo, cæsis omnibus, qui venerunt in eorum manus, Romanis. Huiusmodi fuêre Tartaricæ, quibus maiorum nostrorum memoria Turcis subiectas in Asia regiones, duce Tamerlane, cũ multis alijs vicinis prouincijs ceperunt; & multò antè, vt ex historijs Marci Poli & Haytonis Armeni, cum non modò Turcis subditas in Asia terras, sed Mediã, Persiam, Parthiam, Armeniam maiorem, deniq; Oriẽtem totũ, vsq; ad extremos Sinas domuêre, ac plurimos annos durissimo imperio rexerunt. Erant eiusdẽ generis clades, quibus populi Germaniæ sese mutuò, inquit Tacitus, expellebant è sedibus suis, ita vt indigenæ vel seruire amissis omnibus cogerentur, vel aliò cõmigrare; quæ clades durarunt in Borealibus regionibus vsq; ad tempora Caroli Magni inter Germanos, inter alios vsq; ad religionẽ Christi per eorum loca propagatam. Ad has spectabant, quas Vmbri, Piceni, Galli, Lydi, Tyrrheni, Sabini, populiq; alij innumeri faciebant in Italia aduersus finitimos, antequã Romani imperium suum latiùs amplificassent, vt è Strabonis descriptione habetur. id accidit anno ab vrbe condita quadringentesimo septuagesimo, cùm prorsus sunt in Etruria deleti Galli illi. qui Romam subuerterant, excepto Capitolio, & per annos nonaginta & octo in propinquis vrbi locis considentes Romanæ Reipublicæ infesti fuêre. His porrò irruptionibus haud annumeramus direptiones excursiones, & bella quamuis diuturna inter populos diuersos vario euẽtu gesta, quamuis multæ vastitates per ea fuerint illatę, occupatęq́; ac receptę hinc inde vrbes; vt accidit, exempli gratia, cùm Pœni Annibale duce totos annos sexdecim Italiam cum fortissimis copijs peruagantes,

ximè irruptionibus barbaricis in accessa.

illam miserrimè diuexarût. De illis irruptionibus agimus, quibus efferę gêtes totum tractum latę alicuius & illustris regionis occupantes in ea sedes figunt, & multo tempore, quanta est ætas hominis habent. Hæ namque acerbissimę, si quæ supra adduximus habeant adiuncta. His positis supra aperuimus, vbi actum de interitu Christianæ religionis, nullas vnquam factas irruptiones à barbaris & efferis nationibus in prouincias Christianorum, nisi quas hæreses priùs magna ex parte contaminarunt: id ex historijs probatissimis apertè docuimus. Quocirca necesse est dicamus diuinam Catholicæ Ecclesiæ, cui Pontifex Romanus præest, esse gubernationē, quando eam Deus ipse sic protegit, & illæsam conseruat. Vis hoc apertissimè adhuc videre, totamq; rem prorsus admirari? Anno quadringentesimo septuagesimo sexto, imperāte in Oriente Zenone, in Occidente Momyllo Augustulo, hæreticis ambobus, omnium malorum scilicet auctoribus, Odoacer Herulorū, Rugorum, Turcilingorumque Rex Italiam cepit, finemq; posuit imperio Occidentali; pauci erant in Italia hæretici, neque illi Itali, Ariani dumtaxat quidam Gotthi milites, è quibus ille Momyllus, à quibus Roma fuerat antè direpta, nobilissima prouincia vexata. & tamen quid effecerus iste Odoacer, in Catholica regione, quæ tamen hæreticis Imperatoribus (id summa mali totius) parebat? Audi quid Iornandes, & Paulus Diaconus, Procopiusq; scribant: *Odoacer in primis Gotthos, qui in Italiam erant iampridem à Valentiniano aduersus terrores Hunnicos aduocati, ad studium suum conuertit, tertia agrorum parte, quam promissam ab Oreste obtinere non potuerant, persoluta. Italis noua tributa ad propulsandos nouos hostes imposita. Romanis Senatus auctoritas, & Consulum dignitas ad feroces contudendos spiritus dempta. Reliquis in rebus vetera Reipub. instituta, & magistratuum iura, nominaque retenta: ecclesijs atque Episcopis suus honor seruatus.* hæc illi. Non igitur hæc irruptio adscribi potest vlli ex illis, quas distinximus suprà, maximè atroces: & tamen quia ad quartam proximè accedit, factum diuinitus, vt anno quadringentesimo nonagesimo tertio, post decimum septimum scilicet, ex quo Italia ab isto occupata, Theodoricus Ostrogotthorū Rex cum necarit, & Italiæ regnū inierit; Dalmatia, Rhętia, Sicilia, mox etiam Pannonijs, & Galliarum parte sibi adiunctis. Hic autem longe humanior Odoacre nullū Romanum institutum mutauit; Senatū, Consules, patricios,

& ceteros magistratus seruauit: inter Gotthos à Gottho, inter Romanos à Romano iudice, inter vtrosque ab vtroque ius dici voluit; & quamuis Arianus, mirificè Catholicos sacerdotes, eorumque iura & templa coluit, vt è Cassiodori epistolis liquidissimò patet; ita vt multi sint principes Catholici, qui neque Pontifici Romano, neque Episcopis & sacerdotibus tantum tribuant honoris, quantum Theodoricus tribuit: legat qui volet prædicta Cassiodori scripta, & quæ dicimus verissima discet. nonnihil à semetipso desciuit hic anno quingẽtesimo vigesimo sexto, quo & exstinctus, substituto Athalarico, & Ammalasuenta matre, optimis & clementissimis principibus. Quòd nisi exarsissent bella inter Iustinianum & Ostrogotthos, non modò isti nihil abstulissent Italiæ decoris, sed & multum adiecissent, quod Panuinus etiam notauit. Nos autem ne actum agamus, asserimus id, quod est verissimum, nullas irruptiones in Christianorum terras ab efferis nationibus factas eius generis, de quibus tamquam sæuis diximus, nisi terræ illæ fuerint hæresibus contaminatæ ex magna parte. Idq;, vt appareat optimam Catholicorum rectionem, quæ tantum præstantiæ habet, quantum Catholicæ pietatis, cui quidquid detrahis, id totum est bonæ moderationis detrimentum. Quocirca si expendas irruptionum gradus, quos considerauimus, videbis respondere grauitati hæresum, quæ prouincias à barbaris occupatas inquinarint. Britannia olim prorsus defecit à Catholica veritate, & Romani Pontificis obedientia: Angli sic illam inuaserunt, vt omnes Britannos delerint. Beda testatur vtrumq; in vita Augustini, quem Gregorius eò misit. Saluianus Massiliensis, qui vixit eo tempore quo Vandali Africam ceperunt, scribit omnium pessimos fuisse Afros, & adhuc superstitionibus antiquis addictos; inter eos porrò sic poterant Donatistæ, vt in omnibus ferè locis Episcopos suos haberẽt: ideo post Britannos nulla sæuior tempestas percussit Imperij Occidentalis nationes, quàm Afros, vt è Victoris Africani historijs constat. mitiùs actum cum Gallis, quos Franci in suam potestatem adduxerunt. apertissimè hoc Saluianus tradit, Gallos peiore loco fuisse, cùm Romanis parebant, quàm cum Francis. Idem cõstat de Visigotthis, qui Hispanias tenuerunt: à Francis namque & Visigotthis nullis modis barbaricis est in indigenas sæuitum; neque ab illis quidquam perpetratum ex eis, quæ irruptionibus

enumeratis sunt à nobis adscripta. Aperiemus loco suo à Regibus Ostrogotthis magis delatum Pontificibus Romanis, quàm ab ipsis Imperatoribus, qui se Catholicos nominabant. Longobardi crudelitatis aliquid exercuerunt in Galliæ Cisalpinæ gentes, cùm plerique omnes Episcopi, vt suprà ostendimus, à fide Romani Pontificis se abiunxissent. Ideoque imperium Longobardorum pertinet ad tertium genus inuasionum barbaricarum, aut etiam secundum, cùm scilicet triginta duces creati sunt à Longobardis anno D LXXV. nam plerosque nobiles sustulerunt, cæteros grauissimis tributis onerarunt, populares omnes oppidis eiecerunt, vt post alios Sigonius notauit. Igitur si velimus inter se comparare mala ab hisce gentibus illata, verissimè apparebit pessimè actum cum Britannis, qui ferè omnes ab Anglis cæsi, cùm nemo inter eos Catholicus extiterit, vt Beda testis est vtriusque rei in vita Augustini. Secundum locum tenent Orientales Græci, & eorum studiosi à Turcis miserrimè oppressi, inter quos paucissimi Catholici. eamdem vicem subierunt ad extremum Afri, cùm Constantius, Zonara teste, nullum inter eos Catholicum permisit esse, Monothelitis fauens, & à Sarracenis mox Africa occupata. eamdem similiter calamitatem subierunt Hispani, Vitiza & Rodericus omninò à Pontifice Romano, & Catholica veritate se alienarunt; subierunt Hungari, cùm Protestantibus se addixerunt isti namque haud omnes trucidati, vt Britanni. Tertium locum tenent Galli Cisalpini, & Afri, cum fuerunt illi à Lōgobardis, hi à Vandalis subacti, & inter quos erant multi Catholici. Bene prorsus actum quondam cum Gallis & Hispanis, quorum regna florentissima sunt excitata, neque atrocioris quidquam tum passi, cùm Franci Visigotthi in eorum regiones inuaserunt, pontificiæ potestati conduxit imperium Occidentale, vt erat antiquitus, euerti; exemplo sit, quod euenit Orientali, dum Græci Imperatores Pontificis Romani auctoritatem non modò effugere, sed prorsus excindere sunt conati. Quòd si Ostrogotthi visi sunt aliquid vastitatis inferre Italiæ, non id accidit, cùm illi imperarent, sed cùm vrbium Italicarum dominatu expulsi, duce Totila, bella gesserunt cum Iustiniano: neque id pertinet ad præsens argumentum. Quin tum Iustinianus sibi iam dissimilis Sylucrium Papam in vincula coniecerat, quod & in Vigilium Syluerij successorē commisit. Quocirca haud

mi-

mirum si quid cladis Italia illi subiecta pertulit. quamquam si de Roma agatur, cuius Totila partem tertiam, vt Procopius testatur, incendit; imperante Nerone maius illa damnum ex eius conflagratione est passa. Ad summum constat, regiones aliquas tunc à barbaris nationibus & efferatis oppressas, cùm Catholicæ pietati, Romanique Pontificis obedientiæ nuncium remiserunt; & quò maiore se scelere hac in re obstrinxére, eò durius iugum tyrannidis subiêrunt. Idq; vt sciamus esse optimam Catholicorum gubernationem. Sed adhuc aliqua ad præsens institutum spectantia subijciamus. Secundo itaque loco sit illud obseruatione dignum, agi nunc annum vigesimum primum supra millesimum, ex quo Italia nullius efferæ nationis tyrannide est oppressa, nullas eruptiones earum de quibus est actum supra, vel ipsa, vel eius insignior pars est perpessa, post aduentum scilicet Longobardorum, qui contigit anno Christi D. LXVIII. At Roma, cuius interdum splendor oculos mentium nostrarum perstringit, animosque stupore defixos tenet, quasi nihil antiquo illius populo ad dignitatem vel sublimius, vel aptius fingi possit, anno tercentesimo & sexagesimo tertio, ex quo condita fuit, tota prorsus à Gallis excisa, Capitolij, qui collis est, vt intuentibus apparet, angustus, arce dumtaxat excepta; populus ferè omnis aut interfectus, aut captus; nisi qui in finitimarum gentium terras effugisset. Profuit illi habere exsulem Camillum in vicina ciuitate Ardeæ, qui post septem mensium obsidionem collecto exercitu, dolo Gallos aggressus, nobilissima victoria Capitolium liberauit, patriamque miserrimè euersam recepit. Numerentur anni rursus ab hac euersione, barbaricaq; oppressione, vsque ad Odoacris aduentum, qui Romam cepit, non euertit, nullius crudelitatis signa in Romanos & Italos edidit: & colligentur octingenti sexaginta quinque. Anno namque ab vrbe condita M.CC.XXVIII. Odoacris ingressus contigit. Quòd si producas vsque ad illud tempus, quo Totilas ira inflammatus tertiam Romæ partem demolitus est, quod euenit ab vrbe condita M.CC.XCVIII. colligentur nongenti sexaginta quinque. si vsque ad ingressum Longobardorum in Italia, cùm neque Roma capta, neq; Italia tota, Galliæ tantùm Cisalpinæ regiones, quod contigit ab vrbe condita anno M.CCC.XX. conficientur anni nongēti septuaginta septem. Quamcunq; igitur ineas rationem, numq̃ tanto

tem

tempore Italia à barbararum nationum iugo & oppressione illæsa permansit, vt ex eo tempore, quo Pontificis Romani auctoritatem est sequuta. At multis est bellis conflictata. quasi verò nō multo maioribus, diuturnioribus, atrocioribusq; ante Pontificis Romani auctoritatem constitutam; aut fingi possint diriores hostiū oppressiones, quàm quas suprà distinximus. Quid, quòd ipsa Repub florente, ipso imperio vigente, Italici populi delebantur, agris, domibus, omniq; iure spoliabantur? Dionysius tradit à Romulo primum institutum, vt coloniæ deducerentur: nam simulatq; ciuitas aliqua, aut populus parum fidus amicusque Romanis videbatur, vrbe domibusq; suis expellebatur, ager assignabatur militib. Romanis; bene cum illo agebatur, si libertas relinqueretur. Hic mos cōtinuatus, ita vt postea bellis ciuilibus erumpentibus in media Italia sæpè populi delerentur à contrariæ victricisque factionis ducibus, vrbes agriq; eorum exercitui amico distribuerentur. Salustius tradit libro suo de coniuratione Catilinæ Hetruriam totam à Sylla militibus suis diuisam, constat etiam Latium Campaniamq; magna ex parte. Idem postea Cæsar vsurpauit. Appianus & Dion testantur Italiam propè vniuersam ab Octauiano distributam: nam cùm colonias decem & octo decreto Triumuirali deduxisset, mox duodetriginta post Antonium deuictum populis etiam deletis constituit. Neq; dumtaxat ager inimicorum, sed & aliorum militibus assignabatur. notum namq; illud:

Dio. li. 51.
Infelicissima Italiæ tempora regnantib⁹ Imperatoribus Romæ.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ. &,
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?

Eadem Suetonius, Flaccus, Hyginus, Plutarchus, Paterculus, & alij tradūt. Ab istis oppressionibus Catholicæ regiones omninò immunes. Satis namq; nostris Principibus arces vrbibus suspectis imponere, perduellium principes primarios capite multare. Atq; vt videas adhuc qualis esset dominatus & gubernatio Imperatorum Romanorum, qui optimi existimabantur, quàm grauiter Italia opprimeretur à suis, audi Suetonium de Octauio loquentem: *Perusia capta, etiam dirutam tradunt alijs in plurimos animaduertit, orare veniam, vel excusare se conantibus, vna voce occurrens, moriendum esse. Scribūt quidam trecentos ex dedititijs electos vtriusq; ordinis ad aram diuo Iulio exstructam idibus Martijs hostiarum more mactatos. Exstiterunt, qui traderent, consultò eum ad arma isse, vt occulti aduersarij, & quos metus magis quàm voluntas contineret, faculta-*

te L. Antonij ducis præbita detegerentur, deuictisq́; his, & confiscatis promissa veteranis præmia soluerentur. hæc de Octauio Suetonius aduersus eos gesta tradit, qui semel in ipsum ceperant arma, & deditionem fecerant, inaudita causa crudeliter occisos. Constat itaque è dictis, Italiam nunquam magis aut diutiùs à barbaricis oppressionibus securam fuisse, vt postquam Pontifici Romano, vt ius erat, auctoritas sua restituta; nam si cùm maximè visa est florere Augusto imperante, omnibus eius ferè incolis propriæ domus & agri adempti, populique multi ipsius nouis colonis inductis deleti: quid de alijs existimandum? Quòd si Italia loco tã infelici olim fuit, quid de cæteris prouincijs dicẽdum? Sed quæ foret Italiæ, & omnium prouinciarũ Romano Imperio subiectarum calamitas imperio Romano vigente, constat apertissimè signo de flagitiosa alienorum vita capite de Romanis Imperatoribus, & signo de horrendis prodigiis & cladibus. E Tacito suprà recitabamus id moris fuisse apud Germanos in plurimas gentes diuisos, vt sese illi inuicem sedibus suis exturbarẽt. At ab anno octingentesimo vsque ad ætatem nostram per annos ferè octingentos à barbaricis istis oppressionibus Germania illæsa, fecêre incursiones in illam Hungari aliquando, Northmanni, aut si qui alij: numquam tamen populi deleti, quod ab Octauiano in Italia factum Dion tradit, numquã regiones sedibus fixis occupatæ. Quod de nobilissima Germania dicimus, idem Poloniæ, quamuis Tartaricas irruptiones sæpiùs passæ, per annos ferè 600 contigit; multo aũt plures Daniæ, Noruegiæ, Gotthiæ, ac Sueuiæ. Ante annos sexcentos Galliæ minima pars Northmannorum inuasione est oppressa. Agitur annus ferè millesimus, ex quo nulla gens Angliam modo vllo ex ijs, quos suprà enumerauimus, occupauit. Atqui illam non tenuêre Imperatores Romani annos quadringentos, & Angli oppresserunt? Stet itaq́; terras, quæ Pontificis Romani auctoritatem sequantur, nil timere à barbaricis oppressionibus. Quod tertio loco etiam manifestum fit ex eo, quòd è Dania, Noruegia, Gotthia, & Suetia, quas nomine Scandinauiæ Paulus Diaconus & Iornandes appellant, officinasq́; gentium, & vaginas vocant, egressi olim Visigotthi, Ostrogotthi, Cymerij, priscis adeò scriptoribus noti, Cymbri, Daci, Gepidæ, Suedi, Longobardi, Turcilingi, Auares, Heruli, Hunni, Vinuli, Bulgari, Slaui, Rugi, Alani, Burgundi, Northmanni,

Tẽpora ex quibus Catholicæ regiones à barbaris non sunt occupatæ.

ni, alijque innumeri, de quibus Iordanus, siue Iornandes. Ab istis populis cæteri, in quos inuadebant, sedibus patrijs expellebantur ac delebantur. Sexcentesimus nunc est annus, ex quo nulla ab illis eruptio facta. Patiatur orbis Catholicus incursiones, direptiones, bella: nihil æquè acerbum, nihil æquæ funestum contingit, vt quas suprà enumerauimus oppressiones populorum; quod nemo nisi sensus omnis expers inficiari potest. Ab illis minus est illatum damni nostris terris, vt apparet. Ergo optima gubernatio nostrorum, siue modos oppressionum, siue tempora irruptionum factarum, siue loca vnde irruptiones antiquitus fiebant, contempleris. Quòd si aliquibus imperium Papæ non placet, si qui exhorrescunt, videant ne quemadmodum, Valens Arianus in Catholicos fuit iniurius, & Gotthicis inuasionibus, à quibus est crematus, aditum patefecit; aut veluti Zeno edicta pontificia contempsit, & Italiam Rege Odoacre occupante amisit, vel vt Constantius Heraclij nepos in Martinum manus iniecit, Catholicosq; Africa exterminauit, Monothelitis adhærēs, & Sarraceni Africam ceperunt; siue vt Vitiza & Rodericus Hispanorum Reges potestatem cunctis etiam sacerdotibus fecerunt ducendi plures vxores, vetueruntq; ne quis appellaret ad Episcopum Romanum, & Hispaniæ ab Arabibus oppressæ; aut exemplo Orientalium, Græcorumque aucersentur Romanum Pontificem, detrahant illi, & ex illo Oriens & Græcia post Sarracenos in Turcarum potestatem venit, cum regionibus huic contumaciæ addictis, aut veluti Hungari Protestantium sectatores, quibus iidem Turcæ dominantur, sic ipsi eorumdem Turcorum tyrannidi crudelissimè subijciantur, à quibus exemplo Britannorum Pelagianorum, quos Angli trucidarunt propè vniuersos, ad nihilum redigantur, aut quasi Africani Donatistæ & impij à Vandalis miserrimè opprimantur, siue tamquam Galli Cisalpini à Longobardis vexentur: & tunc certissimò experientur an optima sit gubernatio Catholicorum, an grauia sint Romani Pontificis edicta. Allata sunt hucusq; nonnulla argumenta pertinentia ad id, in quo gubernatio versari solet.

Regiones à barbaris occupatæ ob contemptum Papam.

Nunc finem cuiuslibet principatus inspiciamus, & ea quæ proximum hunc finem contingunt. Ab illo namq; in rimis nostræ actiones, & singulæ res dijudicari solent ac debent. Id in confesso est apud omnes, & hoc sit argumentum

Religiosissima omnium Catholica Resp.

tum sexagesimum. Ac nemo inficiabitur, modò sanæ sit mentis, optima esse, quæ referuntur ad Deum totius bonitatis fontem, ex istis præstantiora, quę proprius ipsum spectabunt. Omnes hîc cœtus clamabunt, à suis omninò Deũ veluti finem respici, ac propinquius etiam cæteris attingi, Cui dabimus primas? at si rectè expendãtur superiora, nullus dubitationi locus est relictus: nihilominus hîc aliqua speciatim ponderemus: nostræq́; Ecclesiæ dandas primas apertissimè ostendamus. Illius respectus in qualibet hominis actione cunctis præponderat, cuius ille causa vitam ponere est paratus, ac re ipsa ponit. At nulli vmquam cœtui contigit, vt tanta hominum multitudo pro vno Dei cultu propagando, nulla opum deliciarum honorúmue spe proposita, occumberet, vt nostro: ergo potissimus eius finis Deus. An non vera quæ dicimus? Si antiqua scruteris, in vna vrbe Roma numerant quidam martyrum tercenta millia, quibus si diuitiæ, voluptates, & honores, si deniq; vita Deo priora fuissent, illo repudiato, hęc tueri potuissent. Libẽtissimè omnium fecêre iacturam. Quod si maiorum nostrorum tempora spectes, narrat Helmoldus tot Christianos à Slauinis olim, quod suprà retulimus, ob Christi vnius cultum trucidatos, vt eorum numerus scriptis comprehẽdi haud possit. Iam verò nostra memoria quot è nostris in Indijs Orientalibus & Occidentalibus interfecti? Proferant hæreticæ factiones singillatim suos; nihil inter illas vmquam simile. Quòd si secundo loco intuemur quantæ sint copiæ nostrorum, qui pro eadem religione tuenda subire necem voluerint, comperiemus, vt suprà adnotauimus. Manifestum namq; est, in eo poni finem ab vnoquoq;, cuius gratia velit alia, & à quo ne excidat, cuncta dimittit. Liquet idem tertio loco è tot hominum religiosorum familijs, qui cuncta posthabentes, huic vni rei dant operam, vt Dei memoriam reuerentiamq́ue corde insculptam gestent; à qua re ne illecebris vllis auocentur, de Pauli consilio, neque nuptijs alligari volunt, neque terrenarum rerum procurationi. toti sunt, quoad eius fieri potest, in contemplatione & amore diuinorum. At sunt alijs etiam. Sed neque tot, neque tantæ pro ingeniorum diuersitate; è sola namque Sancti Francisci familia numerantur virorum centum triginta millia, virginum verò duplo plura. Quocirca verius nos in Deum tendimus, quàm reliqui cœtus. Ex his mirabilia illa, quę suprà obseruauimus signo

de

de religione, nobis dumtaxat peculiaria profecta ex ordinibus religiosis. Sed qui quæso homines vnquam, quod quarto loco ponendum, tot ex vllo populo fuere, qui summos honores, amplissimas opes, regna nobilissima, imperia potentissima spontè dimiserint, vt se in occultos secessus abderent, & longè ab humanarum curarum tumultibus positi cælestia captarent, & assequerentur, vt è Catholicis? Nónne hoc disseruimus signo de paupertate? atqui expeditiores ab impedimentis propositum magis attingunt: & ardentiùs amãt, qui maiora ob amatam rem prudentes relinquunt. amoris porrò est coniungere & cõglutinare amantes homines Deo. Hinc occurrit quintum. Videas in vrbibus nostris, oppidis, vicis, agris, templa à Catholicis exstructa; vt quiuis admoneatur officij sui, facilè homines in vnum conueniant ad Dei laudes concinẽdas, munia exsoluenda. His rebus certi homines præpositi, per quos hæc speciatim curentur omnibus in locis. Neque tot, neque tanta inter hæreticos contemplaberis. scilicet illis non adeò cordi Deus, non hic eorum primarius finis: reuera negligunt illi potiùs huiusmodi res, templa demoliuntur diuino cultui consecrata. Adde his sextum, tot agros ac fundos, amplissimosque cuiusuis generis prouentus solis rerum sacrarum religiosorumque hominum necessitatibus & vsibus destinatos. Hæc hæretici Protestantes, homines nimirum pietatis plenissimi, abominantur. Enimuerò solet hoc esse præcipui finis omnia ad se trahere, cuncta sibi deuouere, & speciatim dedicare. Septimum sequitur: Maximus honor, qui hominibus sanctis ac sacris exhiberi solet à nostris, vt tantus à nullis: vt pateat in omnibus nos Deum spectare, Deum quærere, Deum venerari; quippè quibus illud cordi sit infixum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*, excipiẽtes Dei ministros, quod ait Paulus, sicuti Angelos, sicuti Iesum Christum. Hinc octauũ profectũ, vt hominibꝰ sacris primæ in Ecclesia Catholica semper sint delatæ, summa Catholicæ Reipub. penes illos semper fuerit, illis Reges, illis Imperatores potentissimi obsecundarint. Finis namque hoc est, vt proxima ipsius instrumenta sint primaria, principem locum teneant, cętera illis obsequantur, veluti cerebro capitique seruiunt oculi, aures, & reliqui sensus, nobiliores corporis partes, & loco sublimiori sitæ. Neque his absimile nonum: quod enim vicinius est proposito fini, minus ab illo solet aberrare;

tare; ſicuti orbes cæleſtes, quò primo propinquiores, eò magis circumuectioni illius ſubiecti, motuq; proprio tardiores. In Catholica verò Eccleſia videas, quod ſemel fuerit certò definitum, iuſſumq; vt credatur, veluti diuinitus ſcitum, in eo poſtea numquam variatum. Varietas namq; immutabili Deo diſſidet, ſummæ veritati diſſonat. Abeũt ad alia, qui mutantur. principia oportet eſſe fixa: alioquin fundamento concuſſo & conuulſo, totius ædificij compages labefactatur, & corruit. finis agenti principium, licet aſſequenti poſtremum. His decimum ſuccedit; antiquitas ac perpetuitas. Noua & interrupta nullo modo diuinitatẽ præſeferunt, qua nihil vetuſtius, nihil magis eiuſdem tenoris & conſtantiæ. Viden' vt ſyderum motus continuentur, nihil illos impediat, nihil retardet, quin iugi impulſu ſemper cieantur, corpora nimirum quodammodo diuina? ita mentium, quæ ſtultè ſæpius mutantur, quæ diuinè ſibi cõſtant, & eodem ſemper tendunt iiſdem tramitibus inſiſtẽtes. Quid poſtremò, vt finem faciamus, tot homines, quolibet ſæculo, qualibet ætate miraculis, quæ non niſi diuinitus fieri poſſunt, illuſtriſſimi teſtificantur; niſi Eccleſiæ noſtræ ineſſe diuinitatem, Deum penitus illi inſidere; miracula namq; vi diuina præcipuè eduntur, cætera actionis quadam ſpecie & ſimulachro famulantur? Deus vnus illa in primis operatur. Reliquis efficientibus nulla tantæ efficacitatis forma ingenita & inhærens. Quamquam ſi perſequi ſingula vellemus, è quibus apparet gubernationis noſtræ præcipuum finem, proximumq; Deum, nullus eſſet dicendi finis; & quæ nos ſigna Eccleſiæ colligimus toto hoc opere idem clariſſimè teſtantur; hæreticos ſcilicet aliud reuera ſpectare, quàm Dei cultum; cæteras verò gentes hũc in poſtremis habere, cùm vel imperij amplificationẽ quærant in primis, & armis ob id ſtudeant potiſſimum, veluti ſectatores Mahometis, qui in leges retulit, ferro controuerſias religionis diffiniendas, non diſputationibus, non miraculis; quo in numero fuerunt olim Romani, ac reliquæ nationes ferè omnes: vel voluptates, & omnem deliciarum copiam conſectentur, vel honores, famæq; claritatem & ſplendorem non diuinæ, ſed propriæ. verùm nos cætera proſequamur. Satis enim videtur manifeſtum, nobis eſſe primarium finem Deum; & idcirco gubernationem noſtram maximè diuinam, longeq; optimam; ſi cuncta rectè expendantur.

Idem demonstratur generalibus argumentis pertinentibus ad virtutes, studiaqúe, & exercitatio-nes earum.

CAP. VII.

VIribus pugnare, & arte quadam vincere, voluptate ad aliquid impelli, metuve abduci, nobis est commune cum belluis. Non est igitur optima guberna-tio, quæ in armorum tractatione, bellicave præstantia, vel in bonorum, quę spectant ad corpus, affluentia compa-rāda versatur. Felices illæ respublicę, beatissima regna, aie-bat Plato, quibus aut philosophi præessent, aut philoso-phorum studiosi, sapientum scilicet aut sapientiæ ama-tores. Quòd si virtus, addebat idem, oculis corporis conspi-ci posset, sensibus eius subijceretur; quos illa, & quantos a-mores sui mirabiliter excitaret? Hominis est ratione duci, quæ diuinitus deriuata diuinitatem respiciat, inquirat, ca-pessat: hoc illum distinguit à reliquis animantibus, non robur excellens, aut dulcedo titillans. Præstent Romani illi prisci, recentes Mahometani viribus Catholicæ & Chri-stianæ nationi: prestent antiqui Persæ, Assyrijq;, & qui nūc celebrantur Sinæ nobis abundātia iucundissimarū rerum. Detur nobis cunctos superare mentis nobilitate, non quā-uis, sed qua diuinitas hauritur, imbibitur, & intimis animi fibris tenetur. Quocirca præstent adhuc Græci Christianis humanarum rerum scientia, naturalium causarum & ef-fectuum cognitione. Diuinorum nobis amorem, peritiamque summam relinquant. Apellis imagunculam con-templari satius est, quàm simulachra innumera aliorum. paruulæ gemmæ vastissimis montibus pretiosiores. Sta-tus itaque quæstionis, à quo ducitur argumentum sexage-simum primum, est in præstantia religionis, quæ nos Deo coniūgat: in qua sanè videntur elephātes Romanis & Græ-cis plerisq; omnibus præcelluisse. ab istis namque Venus, Cupido, Priapus, Cloacina, Febris, & alia huiusmodi por-tenta colebantur. Nam quid ego AEgyptios referam, qui boues, allia, & cœpas dijs adscribebant? vt merito ille irri-serit:

> *O fortunati, quorum nascuntur in hortis*
> *Numina.*

Quid de Persis dicemus, qui inter alia, & igni diuinitatem tri-

tribuebant? quid de cæteris, qui simulachra suis ipsorum manibus effecta deos ipsos existimabant? Hominum sunt omnia ista vel stolidorum, vel obscœnorum. Verum est ab elephantibus Lunam cæleste sydus nobilissimum & potentissimum summa cum religione coli certis cæremonijs, statis diebus: idque cùm fuerint illa animalia à sordibus cunctis post coitum forsan contractis, à quo abstinent propè festos ipsis dies, viuo flumine abluta. & tu Venerem, febrem, cœpe, ignem, effigiémve aliquam, veluti Deum, cùm sis homo, venereris, neque te tantæ stultitiæ pudeat aliquando? Atqui isto modo conducebat, nullum Deum coluisse, sed instar apum rempublicam constituere, Regem præficere, illi parere, illum venerari, suum locum seruare, sua munia obire, suauia quæque delibare, opusque dulcissimum conficere, & summa in tranquillitate vitam traducere, vel in acie occumbere aduersus ignauos fucos. Istis proculdubio, qui mētem suam ex altissimo gradu deturbant, ac turpibus colendis, atque inanimis subijciunt, apes præcellunt, quas non modò scribunt ordinem mirificum toto ætatis suæ tempore seruare, sed etiam castitate, ac virginitate, vehementer affici & delectari. Non est itaque nobis disputatio cum huiusmodi hominibus, sed cum illis, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, inquit Paulus, philosophis quibusdam sapientibus, aut hæreticorum factionibus. Quod si ita est, expedita res est. Nam quam quæso vnquam Rempub. regnúmve philosophi instituerunt, quod eorum placitis steterit, & in terris apparuerit? Res, vt constat, inter eos redacta ad opiniones ac verba. Hominum, qui cætum nullum reuera formarint, gubernatio nulla, nisi commenticia. Non est igitur disputandum, numquid Ecclesiæ nostræ rerectio potior illa, quam finxerunt isti, & nostri tamen re sunt assecuti, quod isti mente haud potuerunt. ac si quis ex ijs visus est eminentior, longè nostris inferior apparebit. Nam cùm religionis sit munus actiones nostras, quibus attingamus Deum, siue intimas, siue extraneas, in eum veluti finem referre, optima erit illius religionis gubernatio, quæ sic eò diriget totas, etiam si nulla adesset præmiorum spes, aut pœnarum metus. Magis namque est addictus ille Deo, qui se illi ita deuouet, vt nullo modo reuocare propositū velit, aut refrigescere, quamuis certò

sciret, nihil inde emolumenti sibi obuenturum, aut ex mutatione pœnæ aliquid accessurum, quàm qui secus esset animatus. Ac licet possimus secundo loco post Deum præmia ipsius amatoribus debita expetere, & contrà post eius offensam fugere ac respuere pœnas reis constitutas, tamē ardentiùs amat, magisque se illi deuouet, qui vult ei seruire, vel nulla proposita remuneratione benefactorum, vel maleficiorum vindicta. Sed cùm certò credamus diuinitus hæc esse præfixa, bonis quidem bona, malis verò mala, idque haud negarint vlli philosophi, vllæ gentes, vlli hæretici, quibus aliquid sanæ mentis reliquum fuit, eò res redigitur, vt id totum, quod dicimus esse maximè deuotionis, positum sit in mentis purissimo ac sincerissimo intuitu Deum solum spectantis, ad illum dumtaxat adspirantis, cætera longissimè à tergo relinquentis, quasi abducat se prorsus à cunctis rebus creatis, quæcumq; illæ sint, auoletq; hinc, & intimè in Deum se insinuet & abstrudat. Hic cuncti, quibus sua placent, neq; vera sint necne perpendūt, exclamabant suos ita fuisse Deo addictos, vt parati fuerint ei morem gerere in omnibus, quamuis tanto amori nullū premiū proponeretur, aut nullum supplicium diuinis monitis non audientem sequeretur. Hoc sibi omnes decretū vindicabunt, Deum præ cunctis amandum, respiciendum, omnia præ illo contemnenda, nihil omnino facięda. Hæc enim maxima animi in Deum tendentis deuotio, quæ à religione proficiscatur, atq; eliciatur. At nos huiusmodi mendacia refellamus.

Ob id asserimus nullius cœtus legem pauciocribus illecebris, quæ sensus moueant, inuitare & allicere homines ad sua, vti Catholici populi doctrinam. Hæc namque omnes ansas cupidinum circumcidit, omnes libidinis fibras stirpitus euellit. Lege aliorum decreta, lege nostra, atque ita vt dicimus esse videbis. Protestantes omnia ieiuniorum scita tollunt, omnes corporis castigationes, quibus mens ab ipsius amplexu abducitur, & ad cælestia contemplanda & habenda sensim vocatur & euehitur, irrident; in monachis arctissimam seuerioris vitæ disciplinam abominantur, & insectantur. Quid? fas esse aiūt, homines puri, omnibus sceleribus nos implicari, & constringi voluntatem, cuius est in omnes animi nostri vires imperium summum, ad omnem turpitudinem deliberato propensum, ad omnem turpitudinem deliberato propendere, flagitia omnia amplecti, facinoribus cunctis adglutina-

tinari. Addidit impius Caluinus non oportere homines esse paratos Deo parere in omnibus quæ iubet, aut etiam iuberet; nihil referre, si quis vnquam nolit illi parere. Sat est, inquit, si certissimo sibi persuadeat se propter Christi merita beatitudinem consecuturum. Sed quî fieri potest, homo acutissimè, vt aliquis Deo in omnibus copuletur (hæc enim beatitudo) & in omnibus Deo parere nolit, in omnibus illi repugnet? Quomodo quæ dissident, inter se cohærebunt? Fixum nobis est illud, Christi gratia diuinitus in nos bona cuncta deriuari. In his verò bonis & hoc adnumeramus, vt nostra voluntas omninò in Deum feratur: quamuis dum viuimus corpus obluctetur inuitis nobis, nō obnixurū, cùm resurgemus. Interim voluntati deliberatum constitutumq; est potius emori, omnes pati cruciatus, quàm titillationi vlli manum dare, assensum præstare. Hoc nobiscum sentiunt Græci; sed adhuc eorum doctrina quibusdam voluptatum terrenarum blandimentis effœminatur, à recto tramite, quo pergamus in Deum, deflectit; passim repudium quauis ex causa admittunt; eiecta prima vxore licentiam dant aliam ducēdi; ex quo campus latissimus sit illis, in quo excurrat eorum libido, ruptis indissolubilis coniugij vinculis. quid quòd inter eos nonnulli fornicationem, quam vocant simplicem, peccatum negant, vt è Moscouia Posseuini apparet? At nos vel illi consultò assentiri, quamuis non sit in animo moliri aliquid, vel delectationi, quæ ex eius cogitatione turpibusque simulacris mentem pulsantibus excitatur, volentem prudentemq; admisceri, mortiferum crimen ducimus; veniale, quod aiunt, & leue, nisi simulatq; aduertimus, & nihil impediat alijs forsan occupatos, imagines istas scelerum quorumlibet mentem concutientium obscœnas auersemur. Auersari est hominis temperati, qualem purgato esse animo asserebat Plotinus ille Platonicorum summus; cuius intelligentiæ diuina sanctaq; semper meditanti nulla criminis facies appingatur, nota nulla inuratur.

Stoicorum sunt ista, dices, qui verbis, haud rebus cum Peripateticis pugnare videntur. Ego verò, quid senserint Stoici, haud curo. Illud esse Christiani affirmo, cum Stoicis, non dumtaxat eum ducere felicem, modò sit virtutum cælestium donis ornatus, qui nullo doloris sensu tangatur, quod indolentiam vocarunt, sed & illum, qui summis tormentis excrucietur. Hoc Stoici haud viderunt, longè inquā

ille beatior, qui maximis vndique erit tormentis pro Deum conficitur. *Beati estis*, inquit Christus Deus, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti fuerint vos propter me: gaudete, & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Stoici cruciamenta dicebant esse intericcta quædam; Christiani autem magna bona, si incidant in aliquem diuino amore inflammatum. Ecquis ignorat quantis desideriorum flagrent incendijs optimi Catholicorum, dari sibi diuinitus cælesti fortitudine armatis, Christo robur intimum suppeditante, vt in omni cruciatuum genere cruci affigantur, bestijs deuorandi obijciantur, in frusta conscindantur, minuatim conterantur, flammis ardentissimis paulatim summo cum dolore absumantur? Antiquorum sunt ista, dices, Apostolorum, Ignatij, Martyrumque plurimorum, quos prisca ætas tulit. Atqui ego innumeros in qualibet ætate è Catholicis huiusmodi fuisse ex indubitatis monumentis ostendere apertissimè possum. Fuerit vnus è tota antiquitate Socrates per tot annorum sæcula inter philosophos, qui pro diuinæ veritatis assertione, si quibusdam credimus, libens occubuerit. Quis multitudinem nostrorum cum suis ætatis, sexus, generis, status, nationis, populi enumerare possit, qui pro nostræ pietatis cultu vitam lætissimi quolibet sæculo posuerunt, pueri, adolescentes, viri, senes, virgunculæ, puellæ, nuptæ, innuptæ mulieres, viduæ, nobiles, ignobiles, diuites, inopes, liberi, serui, barbari, vitæ humanioris homines? ita vt dignosci haud possit, quanto simus hac in re cunctis cœtibus præstantiores, nedum philosophorum cateruis, quæ in facto tam præclaro per tot annorum spatia vnum Socratem ciere possunt, qui mortem pro vnius Dei cultu subierit, quamuis reuera non appareat obiisse illum pro Dei vnius cultu, vt quidam contendunt, sed pro nouorum dæmonum cultu, si Diogeni Laërtio credendum.

Sed quando hæretici habere videntur aliquos, quibus dent hanc laudem; licet suo loco suprà dixerimus eorum factionibus pseudomartyrum suorum successionē perpetuam non fuisse; præsens tamen argumentum postulat, vt aliquid ei speciatim conueniens in medium adducamus. Omittamus verò & illud, quod modò attulimus, nullo modo tantum pseudomartyrum suorum numerum hæreticis vllis esse: adijcimus aūt Catholicos martyres incredibilia tormenta mirabiliter passos; atq; ideò fortitudinem, quā re-

religio nostra illis præscripsit & imperauit vti vere diuinam, sic præstare cæteris, vt cælestia terrenis: quæ signo de fortitudine, siue patientia clarissimè apparet. collegimus, hucusq; optimam nostrorũ esse gubernationem in ijs quæ spectant ad religionem: tum quia illorum decreta diuinitus accepta nemini necessitatẽ, nisi qui velit adstringi, imponentia, longissimè nos ab illecebris omnibus abducunt, vt illis expediti ad cælestium contemplationem, fructusq; degustandos, auolare possimus (qua in re quanti sint nostri è sequentib. apparebit, maximè vbi agemus de signis secundæ coniunctionis,) tum quia fortissimos reddũt homines ad sæuissima quæq; animo inuicto pro diuino cultu tolleranda. Virtus aũt quælibet ex his duobus, quanta sit, maximè perspicitur, si quis illa sit adeò instructus, vt neq; iucundis deliniatur, neq; asperis ac duris vllo modo frangatur. Et ex his conficitur argumentum sexagesimum primum.

Veniamus nunc ad sexagesimum secundum, ad omniũ virtutum chorum. Nam cùm suprà statuerimus optimam gubernationem in eo positam, vt populus virtutibus excellat; quod si fiat, satis est, quamuis cætera omnia deesse videantur, actumque sit de religione, quòd illi virtutes omnes morales seruire debeant, quantum pertinent ad actionum moderationem; palamque fecerimus Catholicos optimè institutos, ideoque in ea retinenda cunctis præcellere: in reliquis ostendimus signo de summa sanctitate pessimosè nostris esse meliores optimis antiquorum, & hæreticorum. Nunc quod est argumenti propositi proprium, producamus fœminas ipsas tanta morum præstantia ex omni parte ornatas, vt nullos vmquam mares tota antiquitas, qui possint eis comparari, proferre possit. Neq; verò hîc ago de virginibus Deo dicatis, quarum numerus inter Christianos est infinitus; sed de illis verba facio, quæ non modò semetipsas instituere optimè nouerunt in quadam vitæ simplicitate viuentes, aut aliquam familiam sanctissimis legibus moderari, sed regna & imperia amplissima gubernare, totique orbi iura verè cælestia dare potuerunt. agimus namque hîc de complexu omniũ virtutum, siue priuatam, siue publicis rebus seruientem vitam spectent; in quibus vel ipsæ fœminæ nostræ priscos omnes, si omnium virtutum chorum simul consideres, vincunt. An non hoc verum? Audi an ita sit; ac disce quid virgines nostræ valuerint in virtutib⁹, quas Greci nominãt

Ethicas, OEconomicas, Politicas, quæ à prudentia, cuius est virtutes omnes ad suum finem perducere, nascuntur. Anno quadringentesimo octauo vita decessit Arcadius Occidentis Imperator, relicto Imperij successore Theodosio propè infante, filiabus preterea tribus, Pulcheria, Arcadia, Marina. Ex his Pulcheria nondum annos quindecim trãsegerat, & Imperij Orientalis gubernacula suscepit, ac tractauit annos ferè quadraginta quinq; tam sapienter, ac feliciter, vt satis admirari nequeamus. Videamus autem qua ratione & artibus. In primis virginitatem Deo vouit supplicans ob id vt fratrem Imperiumq; eius tueretur; ad idẽ sorores induxit, ne si maritos adiungerent, eorum dissidijs & æmulatione Imperium labefactaretur. hæc altari aureo, quod Ecclesiæ Constantinopolitanæ donauit, inscripta consignari voluit. Bis in hebdomada de more Christiano vnà cum fratre & sororibus ieiunia seruauit; simulq; de nocte surgebant, & alternis choris laudes diuinas canebãt: fratrẽ iussit doceri omnia quę Imperatorẽ decent, pacis belliq; munia obiturum. Latinè & Græcè calluit: & tamẽ ipsa ac sorores peritia texendi, Theodosius aũt scribendi, poterant sibi victum comparare. Nulla Pulcheriam fratremque liberalis doctrina fugit. scientissimi ambo. à precibus diuinis omnia auspicabantur. Nil non rerum grauiorum futurorumq; euentuum Pulcheriæ diuinitus pandebatur. Hinc omnia singulari prudentia & celeritate transigebat. cùm peruenisset Theodosius ad pubertatem, nullo modo passus est sororem recedere à publicarum rerum administratione, sed Imperij totius cõsortem fecit, & Augustam creauit: quocirca Cyrillus Alexandrinus ad Theodosium scribens, ait, ipsius sororem curas Imperij suscepisse. Et sanè pro illis, Imperioq; Occidentali Deus pugnauit. Nam cùm Vandali, Ostrogotthi, Visigotthi, Hunni, Alani, Sueui, & aliæ innumeræ nationes essent in ipsis Gręciæ confinibus, & possent facilè irruptiones facere; & ætas pueri Theodosij, sexusq; Pulcheriæ expediendis humanarum rerum grauiumq; negotiorum consilijs, haud satis apta inuitarent omnes conatus, tamen omnes eorum Deus auertit auxilio prorsus cælesti. Tum Radagaisus cum ducentis Gotthorũ millibus in Italiam penetrauit; tum cum Vandalorum copijs efferatissimis Alaricus; tum similiter Attila cum suis Hũnis, Gepidis, Auaribus, & innumeris alijs populis, quorum incursationibus vastitates plurimæ illatæ toti Imperio Occi-

Soz. lib. 6. Niceph. lib. 14 & 15.

Admirabilis comparatio Pulcheriæ Augustæ.

Occidentali, quod hac ætate dilacerari cœpit, quamuis illud Honorius ætate iam matura vir, cùm Theodosius & Pulcheria imperare cœperunt, administraret. Tentarunt Scythæ quidem Roila Duce Orientale Imperium redigere in suam potestatem, iamque nonnullis locis captis pactiones omnes auersati prope Constantinopolim castra posuerunt; sed non multò pòst Deus immissis fulminibus Ducem quidem redegit in cineres, copiarum verò partim concisæ, partim versæ in fugam. Vldas etiam quidam, cuius tam magnus erat exercitus, vt & se posse orbem terrarum, & quidquid Sol circumlustraret euertere palàm iactaret, mirabiliter profligatus, desciscentibus ab eo primarijs ducibus, nō aliam ob causam, nisi quòd Orientale Imperium sapientissimè gubernari audierunt. Persæ etiam rupto fœdere prouincias Imperij Orientalis inuaserant, sed ad sua reuerti coëgit eos Deus immensa grandinis imbriumque vi, in eorum copias adeò decidente, vt progredi nullo modo possent. Quid plura? cùm iam penè concidisset Imperium Occidētale à varijs nationibus discerptum, tamen Theodosio & Pulcheria imperantibus vtrumq; sustentatū: nam cùm defuncto Honorio Ioannes illud arripuisset Valentiniano expulso, reduxêre hūc & cœpêre illum Theodosij duces, consilio modoq; non humano, sed prorsus diuino, quę nimis esset longum enarrare. Interim tamen Pulcheria suo nomine nihil, inquit Sozomenus illorum temporum scriptor, qui Constantinopoli est versatus, omnia fratris expediri mandabat, cùm tamen omnia de consilio ipsius, ac sententia gererentur. Theodosius namque paulo remissior fuit, ac negligentior in rebus publicis administrandis. Hinc sæpius libellis supplicib. haud quaquam visis, aut consideratis subscribebat. Quod animaduertens Pulcheria haud desistebat admonere, vt petita legeret, & examinaret: cumque se parum proficere, & fratrem nō resipiscere videret, astu illum pulcherrimè elusit. Syngrapham cōficit, in qua Theodosius asserebat se Eudoxiam vxorem suam Pulcheriæ sorori vendere, ita vt sui iuris amplius non esset, tota verò in potestate Pulcheriæ: oblatæ à quodam syngraphę Imperator more suo per incuriam subscribit, redditaq; mox illa sorori. Accidit paulò pòst vt Eudoxia ad multam noctem cum Pulcheria in cubiculo ipsius de industria detineretur. Imperator mandat accersiri; sæpius vocatam, neq; venientem iubet ad-

Soz. lib. 6. Niceph. lib. 14. c. 15.

Admirabilis comparatio Pulcheriæ Augustæ.

duci. Ibi soror mittit, qui diceret se mirari valde hæc ab ipso fieri, quando sciret quid inter vtrumque per cautionem non ita pridem fuisset transactum. demiranti verò, & hærenti, An nõ, inquit, hoc tuum chirographum? Nonne tua coniux mihi abs te vendita? Negare non potes: inspice scriptum, agnosce manum. Hîc Imperator erubuit, placideq; admonitus post hac se cautiorem fore seriò promisit. & sanè nisi Pulcheria prouidisset, Theodosius in hæresim Nestorij iam iam propendens incidisset: obstitit hæc illi animo excelso, Cyrilli Alexandrini scriptis adiuta. Eò namq; Imperator processerat, vt dixerit a Cyrillo seri dissensiones inter ipsum & sororem: qua de re pugat se illi Cyrillus in Apologia. tum Pulcheriæ studio synodus Ephesina conuocata. Ac vide rem mirandam: fratri adiunxit vxorem Pulcheria Athenaidem puellam, quam postea Christo conciliauit, & Eudoxiam dici voluit. Ea Cōstantinopolim concesserat, quod à patre exhæredata fuisset. conspicata virginem Pulcheria formosissimã, simul & doctissimam, cui nihil ad honestatem deesset, ad Christi cultũ traduxit, & fratri in matrimonio collocauit. Tanti illa beneficij memor Pulcheriæ diu obsequentissima fuit. mox Imperij dulcedine allecta, vllius æqualis impatiens, vt erat ardenti ingenio, clam per insidias procurauit arceri à publicis negotijs tantorum beneficiorum matrem. Vidit hoc Pulcheria, & sponte secessit. quid interea? corruit vnà cum coniuge in hæresim Euthychianam Theodosius, conciliabulumq; illud Ephesinum, quod prædatorium Græci vocant, in quo occisus Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, plurimaq; indigna perpetrata, cogi mandauit. Nicephorus scribit Theodosiũ resipuisse. Vt vt res sit, paulò pòst obijt, & Pulcheria sola Imperij gubernacula suscepit, Martianumq; coniugem sibi adsciuit, inito prius pacto, vt illa suam virginitatem seruaret, Chalcedonenseque Concilium celebrari procurauit, in quo Catholica veritas suo loco dignitatiq; restituta. neq; illa longè pòst vita decessit, cùm circiter annos quadraginta quinq; sapientissimè ac felicissimè administrasset Imperium Orientale, cuius exercitus nullo vnquam tempore fuêre ab hostib⁹ victi, cuius nullam partem cœperunt illi, quamuis Occidentalis Imperij copias sæpius fudissent, prouincias occupassent eadem tempestate, & multo vicinius terras Imperij Orientalis armis circumsonarent, & militibus vndiq; circumsta-

cumsta-

cumstarent, duo omnium maxima Concilia, Ephesinum, & Chalcedonense, congregasset. Quocirca ob primum sic ad eam Cyrillus: *Quantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in vestra clementia præparauit, multis sæpè probauimus documentis: & quidquid nostris temporibus contra impugnatores Catholicæ veritatis industria sacerdotalis obtinuit, ad vestram maximè gloriam redundauit, dum sicut Spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subijcitis, cuius munere & protectione regnatis.* & ob vtrumq; sic ad eamdem Leo Magnus, *Gaudeo fidei clementiæ vestræ, quod religiosum studium dignanter impenditis, vt pax ecclesiastica renouetur, quæ quorumdam dissensionibus videbatur esse turbata: debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, vt ablatis omnibus scandalis, quæ contra Catholicam fidem inimicus excitauerat, vna eademq; sit per totum mundum confessio veritatis.* & iterum ad eamdem, Martiano imperante, post multas laudes: *Libet,* inquit, *igitur exsultare cum gaudio, & pro vestræ clementiæ prosperitate digna Deo vota persoluere: qui sibi per omnes mundi partes, in quibus Domini Euangelium prædicatur, duplicis gloriæ palmam contulit, & coronam.* Haud itaq; immeritò sic Cyrillus ad Reginas de recta fide: *Iure, ait, religiosissimæ, & Dei amantissimæ Reginæ, vos sanctas, & castissimas Christi sponsas dixerit quis, orbis totius celebre præconium, & sanctarum nostri omniū Saluatoris Ecclesiarum gloriationem. Omnis enim variarum virtutum pulchritudo* (alludit ad nomen Pulcheriæ) *diuinis oculis gratissima & notissima in vobis radiat; exercitatio autem, ac studium strenuū vobis est, vt fides vestra recta sit, & nullo modo vacillans ornetur.* Atque hæc satis de Pulcheria Augusta. Quæro igitur, nūquid vllæ gentes, (non hic hæreticos duntaxat appello,) habuerint vmquam, non fœminam dico, sed vllum Regem, vel Imperatorem, qui fuerit insignis tot tantisq; virtutib. quæ quidem disiungi inter se non possunt, vt altera sit sine alterius societate virtutis, tamdiuq; & tam nobile regnum gubernarit, ac quod caput est, tam sapienter, ac feliciter, vt Pulcheria Augusta Imperium Orientale; quæ bis totius orbis antistites, haud curo Christiani fuerint, vel alterius religionis, in vnius doctrinæ consensionem congregarit. *Nam referre,* inquit Sozomenus illorum temporum scriptor, *longum foret, apud quos & quot templa magnificè illa construxerit, quotque pauperum diuersoria, monachorum conuentus instituerit, perennes his ipsis largita sumptus ad suppeditandum incolentibus alimentum.* M. Aurelius Antoninus Philosophus, quem iure omnium vocant optimum,

& imperauit annos tantùm decem & nouẽ cum suis consortibus, non quadraginta, numquid Pulcheriæ par dici potest? confer vtriusque virtutes, & videbis nihil esse simile. Nam cæteros Imperatores omittamus, agimus enim de illis, quibus adfuerint virtutes, quarum nulla sine aliarum complexu esse potest, vt alibi de sententia omnium philosophorum, & Christianorum vidimus. Vnum satis sit adduxisse ad cætera dignoscenda. Imperij hic sibi socium viuens, futurum defuncto successorem delegit Comodum filium, quem sciebat non hominem, sed monstrum, vitijs omnibus contaminatum. Pulcheria quemnam? poterat Valentinianum consobrinum, qui Occidenti tunc imperabat. Noluit, quòd cum sciret, quamuis non malum, negligentiorem tamen, optimum diceres omninò collatum Commodo. Vicit sanguinis coniunctionem vtilitas communis in viragine præclara. Marciano Imperium communicauit viro, cui nihil ad imperatorias laudes deesset. Quòd si adfuit Antonino Deus prœlianti aduersus Marcomannos, & Quados, hostilemque exercitum fulminibus contriuit: ter adfuit Pulcheriæ ducibus eodẽ modo idem Deus, bis aduersus Scythas pugnantibus, semel aduersus Persas. AEdificia publica construxit Aurelius Antoninus magnificè? Verum, sed ad oblectamenta voluptuaria; Pulcheria ad honorem Dei, egentium alleuationem, sanctorumque sacerdotum tuitionem. Quid his illa similia dici possunt? Ille ætate matura & confirmata Imperium suscepit, hæc puella; neque tamen vllis deliciarum blandimẽtis, vel irretiri, vel deliniri potuit. Ille Imperium florens propugnaculis vndique munitum ad impetus barbarorũ propulsandos exercitibus fortissimis armatum intuit; hęc irruptionibus efferatissimarum nationum, quas alibi Hieronymus deplorat, maxima ex parte labefactatum, & vndique circumseptum, cui tenderet insidias ipse etiam patruus Honorius Imperator.

Epist.15.

Atqui nec iste optimus Antoninus par vllo modo Blanchæ Francorum Reginæ. Hæc anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto à marito Ludouico Leone tutrix ob ipsius spectatissimam prudentiam sanctissimosque mores relicta Ludouici, aliorumq; liberorum, illustrissima Christianæ sapientiæ documenta posteris reliquit: sic enim filios in primis erudijt, vt Ludouicus in sanctos sit post obitum relatus, Carolus verò mirificis omnium virtutũ laudibus

P. AEmili. Massonus.

Admirabilis comparatio blanche Reginę Galliarum

dibus excelluerit. & quidem Ludouicus matri fuit obsequentissimus, ita vt Sordellus Mantuanus poëta illorum temporum satyricus suis eum versibus sæpè perstinxerit, quòd iniussu matris nihil facere, aut tentare auderet. Quocirca regnum illa Francorum administrauit sapientissimè circiter annos viginti nouem. & anno quidem secundo hæresim Albigensium, quæ multas Gallijs per annos ferè viginti octo clades intulerat, neque armis vllis potuerat coerceri, quòd fautores haberet potentissimos Principes, & aliquos etiam Reges, ipsa omninò felicissimis auspiciis exstinxit; proceres nobilissimos, in quibus erat Philippus Bononiæ Comes Ludouici pueri Regis patruus, muliebre imperium detrectantes, ad officium redegit. Ex eo nulla bella fuêre aduersus Regem mota, nisi anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo ab Hugone Marchiæ comite, & Henrico tertio Anglorum Rege, quorum copijs vnico prœlio fusis postea regnum in maxima tranquillitate permansit vsq; ad obitum Reginæ Blanchæ, qua inuita & ægre ferente, vt Papyrius Massonus post alios testatur, Rex expeditionem Hierosolymitanã suscepit, quæ illi haud satis feliciter processit, soluit anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, cùm regni totius administrationem liberam matri omninò reliquisset: captus à Sarracenis millesimo ducentesimo quinquagesimo. post annos deinde quinque cùm matrem defunctam audisset, est reuersus, vt Gaufridus è Belloloco in eius vita scribit. Longum esset enumerare quot ægris, egenis, aduenisque excipiendis ædes Ludouicus de matris consilio exstruxerit, quot templa, & monasteria. Tunc Sorbonicũ collegium institutum. denique Parisius historicus fuisse eo tempore Lutetiam philosophiæ nutricem tradit; cuius quidẽ nonnullos deprauatores potiùs quàm amatores eadem Blancha anno millesimo ducentessimo trigesimo Parisijs exegit, quòd videret illos opiniones quasdam pestilentes contra sincera puraque ipsius philosophiæ decreta disseminare. Refert Guafridus inhæsisse semper animo Ludouici sententiam quamdam verè sanctissimam matris sępicùs dicentis, malle se illum mortuum, quàm mortiferi peccati reum, & id ipsi fuisse maximum ad sanctimoniam incitamentum. Proximus porrò illi fuit innocentia vitæ Carolus frater, cuius insignes virtutes enumerat, ac meritò extollit Ioãnes Villaneus, & è Græcis Gregoras lib. quinto.

Lib. 7. cap. 1.

Is tantæ matris proles Neapolitanum regnum sibi armis comparauit, eiusq; posteri illud per multos annos tenuerunt, ac mox etiam Hungaricum, & Polonicum, vsque ad Eugenij Quarti tempora; cùm Poloniæ Regina Heduigis è Caroli progenie nupsit Ladislao Iagellono. Francorum verò Reges è virili stirpe imperant etiamnum regno Gallicano. Ad summam si conferas virtutes morales, siue illæ ad sui ipsius institutionem, siue ad familiæ, siue ad regni pertineant, Reginæ Blanchæ cum virtutibus Antonini Philosophi nihil simile videbis. Hoc vno inferior Blancha, id autem virtutis non est, quòd tam latum imperium non administrauit: quod si obtigisset, quantò splendidius eius virtutes enituissent? quantò illustriores ex se radios emisissent? Atque ille quidem Imperium florentissimum iniuit, hæc bellis Albigensium conquassatum. Sed qualis ille in educatione Commodi filij, qualis hæc in suorum? Num similiter vterque animatus aduersus vitia, & natos suos? quando hæc mortuum mallet filium, quàm graui crimine irretitum, ille portentum funestissimum reliquerit orbi terrarum? Quas Antoninus pietatis aut misericordiæ tuendæ ædes construxit, quæ collegia litteratorum fundauit, quæ doctorum, religiosorumq; domicilia? Sed alicui forsan hæc nimis antiqua videbuntur. Recentiora inspiciamus.

Admirabilis comparatio Isabellæ Reginæ Hisp.

Isabella maiorum nostrorum vixit ætate, & Castellæ in Hispania imperauit, vxor deinde Ferdinandi Aragonensium Regis, ita tamen vt suis ipsa regnis præfuerit semper quamdiu vixit. Res eius gestas perscripsere Lucius Marinæus Siculus, & Antonius Nebrissensis. & Lucius quidem tradit eam fuisse ingenio acutiori, animoque splendidiori, quàm fuerit eius vir Ferdinandus, qui habitus est omnium ætatis illius Regum prudentissimus. Latinè sciebat hæc Regina, & quamuis eam Marinęus dicat contemplationi magis deditam fuisse, quàm actioni, mirum tamen quàm magna ipsius consilio & auspicijs fuerint confecta. Ipsi in primis attribuitur, quòd Arabes prorsus è Bethico regno Hispaniaque post annos tandem septingentos fuerint exacti. Quocirca Bethica prouincia Castellanæ est ditionis, non Aragonensis. Ipsa toti bello vnà cum coniuge die noctuque equitans inter militaria signa interfuit. Illi debentur Indiæ Occidentales. Nam cùm Christophorus Columbus plures adijsset Reges, vt adornare ope illorum

posset

posset expeditionem illam, à cunctis est eiectus, & irrisus, ab ipso etiam Ferdinando; non ita ab eius vxore Isabella, quæ naues illi dedit, arma, milites, annonam, nummos, quibus Indiæ patefactæ in Occidente, & mox à nostris deuictæ. Istius denique mulieris tot ac tantæ fuêre virtutes, vt si Antonino eam compares, videas hanc Solis, illum lucernæ alicuius imaginem præseferre. Nolumus esse longiores in rebus claris. Obijt hæc anno millesimo quingentesimo quarto.

Quid verò si producam ex vltimis Boreæ partibus sapientissimam Reginam, cunctisque virtutibus ornatam, cui cedat omninò Antoninus ipse Philosophus? Hæc est Margareta, quæ post annum millesimũ quadringentesimum amplissimas trium regnorum prouincias, Danici, Noruegici, & Suetici, quamdiu vixit, tam prudenter annos triginta sex gubernauit, vt omnibus esset admirationi. Albertum Suetiæ Regem cum filio cæpit in bello, Suetiamq; suis ditionibus adiunxit, qui laudes eius, ac res gestas scire cupit, & quanto interuallo superet Aureliũ Antoninum omni virtutum genere, legat Albertum Crantzium: nam quàm laudandus optimus iste Antoninus, qui multos vxoris adulteros sciens prouexerit, eidemque defunctæ templum & diuinos decreuerit honores, vt Capitolinus testatur. His igitur fœminis opponent credo hęretici quamdam suam, quę cùm terenixa fuerit, vult tamẽ virgo mirabiliter haberi, cùm noluerit alligari viro, vt licentius & effrenatius quibuslibet copularetur. sed istis nostris quos quæso viros ex omni antiquitate obijcere possunt, quib aliena placet, Catholica fastidiunt? Alias credo mulieres depromẽt, quæ regna antiquitus administrarint. Numquid Semiramidem vitijs omnibus contaminatam, quę deinde à filio, quod Iustinus scribit, est occisa? nũquid Cleopatram, quę Cęsari & Marco Antonio sui copiam fecit, exituq; infelici vitam conclusit? opponerem Mammææam, nisi auaritiæ notaretur, falsò forsan, quãuis vnà cum filio Alexandro Christũ, non quidem perinde ac nos, aliquo tamen modo coluit. Sed in regendis militibus prudẽtiam maiorem non iniuria in Alexandro & Mammæa desiderabimus: ab illis namque obtruncati ambo. Zanobia maximè excellit laudibus omnium virtutum celebris, quę Gallienis Imperatoribus Palmyrenos & Assyrios Orientales gubernauit, belli pacisque artibus supra fœmineam naturam

Admirabilis comparatio Margaretæ Reginæ Danicæ.

Daniæ lib. 8. cap. 40. Suetiæ, lib. 5. cap 32.

naturam præstans, litterarum non ignara, castitatis studiosa, ita vt à coitu abstineret, vbi se prægnantem cognouisset, neque amplexus mariti ferret. minuit tamen eius prudentiam, quòd Imperatoribus Romanis ausa se æquiparare, ab Aureliano Imperatore est deuicta, & in triumpho ducta. Quid igitur fabulosas Amazonas proferemus, quas meritò vt cõmenticias irridet Strabo? Ad summam cùm dixerimus eumdem virtutum complexum, neque illas disiungi abs se posse, ipsis mulieribus nostris non sunt è viris, quos æquent vlli antiqui in ijs etiam virtutum muneribus obeundis, quæ viros maximè tangunt. Quid igitur de cæteris dicemus?

Strab. lib. 11.

SIGNVM TRIGESIMVM, TERTIVM,

Prudentia, & fortitudo militaris.

Prædictum fuerat, Catholicos futuros bellicis factis aliquando præstantissimos: id nostris contigisse, certissimò demonstratur.

CAP. VII.

QVamuis incredibilem pacem temporibus Christi futuram cuncta oracula prædicent, tamen eadem vaticinantur fore suum bellis aliquibus locum, neque defuturos è Christi sectatorib⁹, qui bellica laude cunctis præcellant. Quamobrem neque Sibyllæ id omisere indictum. Sic enim vates ille è carminibus earum:

——erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Et Dauid ipse cùm velit Christum regnare specie, & pulchritudine sua, accinctum tamen vult esse gladio, & sagittas habere acutas, quibus populi transfixi cadant. *Accingere*, inquit ille ad Christum, *gladio tuo super femur tuum potentissime; specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna. sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.* & Isaias vbi dixit futurum vt Christi nomen colatur ab extremis terris, & insulis subiicit: *Ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nunciabunt. Dominus sicut fortis.*

Psal. 44.

Cap. 42.

tis egreditur; ficut vir prœliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui; ſicut parturiens loquar, diſsipabo, & abſorbebo ſimul. hæc ille, e quibus intelligimus tum demum Chriſtianos bellicis laudibus futuros excellẽtes, cùm iam Chriſti nomen à remotiſſimis populis coleretur, atque ipſe diù patiens ſilenſque exſtitiſſet. Videamus itaq; Catholicos, hos enim Chriſtianos dicimus, cunctis hac virtute, ſicut alijs, præſtitiſſe.

Et quidem ſuprà docuimus, ſi agatur de bellicis machinis, adeò noſtros ſuperiores antiquis, vt iſtorum prœlia nugæ ſint præ noſtris. Nam quid habent arietes, & catapultæ quod conferatur igneis noſtrorum tormentis? Cuniculi, quos agebat Cæſar ad inuadendas vrbes, & ſuffodiendas numquid comparandi cum ijs, quos Petrus Nauarra dicitur inueniſſe, quique igneo puluere replentur, atque vbi inieceris ignem, continuò videas maxima propugnacula, totas arces à fundamẽtis conuelli, in aëra ſublimes diſijci, omniaque ſurſum deorſum ferri? In admiratione erat Archimedes, quòd vitrea quædam ſpecula inueniſſet, quæ cùm Sol percuſſiſſet, flammas concipiebant, & naues procul poſitas adurebant. Nunc haud opus Sole; è tormentis noſtrorum globi emittuntur, ac longiſſimè proijciuntur, qui continuò attollant incẽdia, vbi inſederint, & omnia latè corripiant, & exurant; ita vt Stephanus Battorius Poloniæ Rex plurimas vrbes & arces Moſcouitici imperij, quib. erãt mœnia firmiſſima, vallis, ac propugnaculis optimè munita, facilè tamen ceperit, quòd domus intra ambitum murorum poſitæ ligneæ eſſent. Riſum moueat, ſi quis antiqua his noſtris auſit opponere. Quantò præſtant itaque hæc noſtra priſcis illis, tantò nos præſtamus antiquis, militari prudentia & fortitudine.

I. Argumẽt.

Eodem capite diximus, à noſtris, vbi ad arma ventum, Imperium Romanum debellatum, Imperatores multos à Chriſto alienos à noſtris deuictos, ac tunc Imperiũ Romanum ruinam feciſſe, cùm venit in manus hæreticorum. Zenone namque in Oriente, & Momyllo in Occidente hæreticis ambobus imperantibus corruit Occidentale Imperium, oppugnante illud Odoacre Herulo. Quocirca fortiſſimi fuere Imperatores ac Reges à Chriſto alieni, vbi res illis fuit cum ijs, qui & ipſi à vero Chriſti cultu fuerunt alieni: at vbi res illis fuit cum noſtris, non ita. Sic Con-

II. Noſtri imperatores paganis fortiores.

stantinus vicit Maxentium, Licinium, Theodosius Eugenium Christiani cultus inimicos, sic alios alij.

III. Inter Christianos ab alienis nihil occupatũ nisi hæresibus repletum.

Hinc apparet ab hostibus Christi nullas vmquam prouincias omninò adductas in potestatem, nisi ex quo illæ sunt hæresibus repletæ, atq; ita res fuit non cum Christianis & Catholicis, Ecclesiæque sanctæ alumnis, sed cũ impijs. Hoc argumentum nos latè persecuti sumus signo de Christi cultus interitu, & de eodem per nostros raparato. Quin addidim⁹ Catholicos frustra pugnare pro hereticis. Vis namque & prudentia nostra in rebus militaribus tota est à Deo: at pugnare pro hæreticis, est pugnare pro inimicis Dei. Est igitur apertissimum signum diuinæ fortitudinis Catholicorum prouincias nullas vmquam fuisse prorsus ab hostibus adductas in potestatem, sed eas tantùm, quæ vel hæreticis parebant, vel hæresum plenæ erant.

IIII. Fortissimæ gentes domitæ à nostris.

Q. Cur. lib. 2. Rhegino Eginhartus in vita Aimoinus.

Huc spectat etiam fuisse à Catholicis armis domitas ferocissimas ac celeberrimas nationes, quas nulli vmquam valuêre, quibus in re militari primæ dantur. Germanos sic expauit Alexander Magnus, vt eos attingere non sit ausus. Romani sępiùs armis fractos, tamen adijcere Imperio nũquam potuêre. Vnus id Carolus Magnus potuit, ac perfecit. Germaniam totam latissimè pertinentem, finitimasq; illi regiones ita deuicit, vt semper armis in officio continuerit, Regnumque in illa nobilissimum, quod habemus, fundarit.

V. Catholici omniũ latissimè dominantur.

Iam verò, si de Imperij amplitudine loquaris, ac terrarum latitudine, quæ pareant vni, pluribusve vni subiectis, respiciasque Indiarum Occidentalium & Orientalium loca amplissima nostrorum armis domita, necesse est fateâris nihil esse nostris simile. Ab orbe namque condito numquam contigit, vt bello tanta terrarum spatia sub vnius Imperium redigerentur, quanta videmus obedire Hispaniarum Regi, quæ viginti partibus superant, quidquid Imperium Romanum complectabatur, quod fuit omnium latissimum, vt è Dionysio Halicarnasseo liquet.

VI. Latissimũ vetustissimumq; Catholicorũ imperium.

Huic aliud simile adijcimus, in Oriente nullum vmquã imperium regnúmve fuisse, quod adeò fuerit diffusum, simulque tamdiu durarit, vt Constantinopolitanũ à Catholicis fundatum, & à pluribus Catholicis possessum; quod nisi ad hæreticos peruenisset, staret adhuc illud. Anno Christi tercentesimo trigesimo Constantinopolis est dedica-

dicata, & millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta à Turcis, finisq; impositus imperio nobilissimo, quod stetit annos mille ducentos viginti tres, & cum Occidentali erat coniunctum: ac licet & huic, & illi suus foret Imperator, tamen ijsdem legibus vtebantur ambo; & quoties Occidentis Imperator obijsset absq; successore, Constantinopolitanus, vt omnes norunt, Imperatorem dare solebat Occidenti. Igitur ecquod fuit Imperium regnumq; in Oriente eiusdem formæ, successionis, ac nominis, quod armis tamdiu, ac tam lata imperij confinia protexerit? Dionysius Halicarnasseus historiarum suarũ principio maxima quæq; Imperia antiquorum recenset, & eorum tempora, ac latitudinem. Nihil in Constantinopolitano simile videbis. Sed quando hoc plures habuit hæreticos Imperatores, qui illud adduxerunt ad interitum, sicuti est periculum ne cadat Occidentale, quod in Germania consedit, siquãdo in huiusmodi hæreticorum manus, quod Deus auertat, ceciderit.

Sigo. de Imp. Occi. lib. 4.

VII.

Idcirco subijcimus, nullam fuisse Rempublicam, Regnum, vel Imperium in Occidente quod tam latè ac tamdiu imperitarit, vt Carolus Magnus, & qui post eum fuêre Imperatores. Romani postquam, Pompeius Magnus Asiam cœpit, Cæsar Gallias, circiter annum ab vrbe condita septingentesimum, latè sunt dominati. Hinc vsq; ad Constantinum numerantur anni plus minus tercentum sexaginta. Hucusque Imperij Romani amplitudinem nacti veræ religionis inimici. Ante Cæsarem & Pompeium Romani per annos propè tercentum solius vrbis agro ferè continebantur. Inde vsque ad quingentos, neque Italiam sunt egressi: quin iam tum tulêre arma trans Padum. Carolus Magnus imperauit anno octingentesimo primo, Galliasque, Hispaniarum, & Italiæ magnam partem tenuit, Pannonias, Dalmatiam, Illyrium, Daciam, & Germaniæ, quæ numquam paruêre Romanis, latissimas oras. Ductumq; ab illo Imperium consistit adhuc annos septingentos octuaginta & octo. Romani sanè tercentum sexaginta annos latius sunt dominati. Neq; enim Germania sola tanta est, quantum quod Romani potiri sunt, neq; Carolus Magnus est potitus, qui Germaniæ præfuit, cui dominati non sunt Romani. Sed quamuis latius tot annos imperitarint Romani, non tamen tãdiu tanto Imperio? Ac licet post Ludouicum Pium, qui decessit anno

octingentesimo quadragesimo, sequentes Imperatores non tot regiones Imperio continuerint; plures tamen cõtinuerunt plerumq; quàm Romani vsq; ad annum quingentesimum ab vrbe condita. Carolus namq; Caluus Galliarum, Crassusq; Germaniæ Reges amplissimis ditionibus ius dabant; donec anno nongentesimo sexagesimo secundo Ottho Magnus Imperij dignitate decoratus à Ioanne XII. in antiquam potentiam restituit Imperium Romanum: adiecit namque illi magnam Galliarum, & Italiæ maximam partem. Ex eo successores plerią; tributarios scribuntur habuisse Reges Danorum, Polonorum, Hungarorum, & Bohemorum, si credimus Rheginoni, Hermanno Contracto, Sigeberto, Otthoni Frisingẽsi, Helmoldo, negant ilarum gentium patrij scriptores, & alij. Illud certum, Theutonicos milites, quantũ spectat ad iura prophana Prussiæ, & Liuoniæ, ex magna parte Imperio Romano paruisse. & nunc quando per hæreticos ipsi Germaniæ Reges attẽuatissimis sunt viribus, tamen imperio suo continent magna ex parte, non modò Germaniam, sed etiam iure feudi non ignobiles Italiæ partes. Atque ita licet Romani latius imperarint olim per annos tercentum sexaginta plus minus, nostri non ita latè; nihilominus, quia nostri diutiùs per annos septingentos octuaginta & octo regnant latissimè, & adhuc durant amplissimas regiones armis in officio continentes, iure colligi potest, in Occidente nullam Remp. Regnum, vel Imperium tamdiu, ac tam latè imperitasse, vt Imperium Catholicorum.

Quocirca in vniuersum decerni illud potest, fuisse quidem qui latiùs armis imperitarint continuata eorumdem Regum vel Imperatorum successione per aliquot sæcula, quam nostri; sed illi non ita diu, ac latè simul, vt nostri. Similiter fuerint, qui diutiùs forsan, quàm nostri, non tamen ita latè. Et nihilominus modò nostri propter Indias Orientales & Occidentales tam latè regnant, armis partas amplissimas regiones potiti, vt nulla gens hucusq; regnarit tam latè ab orbis constitutione.

VIII.

Atque, vt videas nostrorum in bellicis armis præstantiam, reuoca in memoriam à Tartaris fuisse deuictos omnes Asiæ Reges, ac populos, Turcas, Persas, Medos, Sinas, Indos, ac sub imperium durissimũ missos circiter annum millesimum tercentesimum, nullo modo tamen valuerũt ijdẽ Tartari aduersus nostros Reges ac nationes, quod effecere

IX. Tartari cũctas Gentes domuerũt Catholicis exceptis.

fecêre in Asia aduersus Persas, Turcas, cunctasque Asiaticas gentes vsque ad extremos Sinas: in Persia namq;, Asia, & Sinis amplissima & potentissima regna excitarũt, quod liquet ex Aytonis Armeni, Marci Poli, & Gregoræ historijs, & nos signo de felicitate Catholicarum nationum persecuti sumus. Cùm verò in Hungariam Poloniamque eodem tempore, quasi armis orbem totum domituri, irrupissent, triennium sanè terras illas incursationibus ac prædationibus fædarunt: sed ad extremum victi omnes, ac deleti. Eodem modo Mahometani ac Turcæ hæreticos & impios varijs cladibus afflixerunt, tandemq; oppresserunt. Tantum verò abest, vt idem perfecerint aduersus nostros, vt potiùs nostri in Hispanijs, & insulis adiacẽtibus, Sardinia, Sicilia, regno Neapolitano, Creta, tantum Mahometanis, abstulerint, quantum Mahometani hæreticis in Græcia, & finitimis oris vix abstulerunt, quod explicauimus signo de infelicitate hæreticarum nationum. Igitur neque Tartarorum Reges, neque Mahometanorum, sicuti neq; Imperatores Romanorũ, quamuis cuncta sub imperium suum miserint, potuerunt nostros superare, & adducere in potestatem, nisi cùm pugnatum est pro hæreticis, quibus vel inuito Deo Catholici interdum fauerũt, & miseros sæpè exitus sunt sortiti.

Catholici plus abstulerunt Mahometanis quã Mahometani abstulerint hæreticis.

X.

Persæ magis valuerunt aduersus imperatores paganos, quã catholicos.

Illud adijciamus. Persæ Parthiq; Romanis illis antiquis formidabiles Valerianum Imperatorem ceperunt, in seruitutemque miserrimè abduxerunt, Iulianum verò interfecerunt intra annos ad summum quadringentos, ex quo bella gerere cœperunt cum Romanis. quid porrò est, quod ijdem Persæ siue Parthi à dedicatione Constantinopolis vsque ad Monomachum, quo imperante primùm se Græci à nobis abiunxerunt, ab anno scilicet trecentesimo trigesimo, vsq; ad millesimum quinquagesimum primum, per annos septingentos viginti tres, nullum ceperũt è nostris Imperatoribus aut necarunt? Postea Diogenes (qui fuerit necne è nostris incertum) à Turcis perfidia suorum captus est in Asia; qui verò è Græcis Imperatoribus à Mahometanis spoliati fuerunt nobilissimis Imperij locis, vt alias vidimus signo de interitu Christianæ religionis, ij fuêre hæretici omnes. Quòd igitur nostris Imperatoribus haud contigerit id cladis, vt neque caperentur, neq; occiderentur à Persis, quod alienis à cultu Christi contigit, nõ nisi à prudentia fortitudineque militari euenire potest.

Nam quòd postea Persæ vel alij terras Imperij Orientalis occuparint, id euenit hæreticis imperantibus, sicut imperante Iuliano accidit vt ijdem nõnullas regiones ceperint, exercitumque Romanum, necato Imperatore, adduxerint in extremum discrimen, ex quo coactus est Iouinianus eas illis relinquere, quas tamen priùs viuo Iuliano ceperant: vt videas gentilium scriptorum peruersitatem, qui cùm fateantur viuo Iuliano regiones illas à Persis adductas in potestatem, tamen id vitio vertunt Iouiniano, quòd scilicet ex pacto eas Persis reliquerit, vt incolumis cum exercitu ad extrema omnia per Iuliani imprudẽtiam redacto dimitteretur.

XI. Catholici Imperatores bis Persiæ Regem dederunt, non ita pagani.

Niceph l.18. cap.20.

Ex illo etiam colligitur bellica Catholicorũ laus, quòd numquam Romani Imperatores à Christo alieni, sunt id assecuti per annos quadringentos ex quo cum Persis bella gessere, vt illis bello deuictis Regem darent, nisi semel imperante Traiano. Sed nostri intra annos trecentos bis dederunt Regem Persis bello domitis. Mauritius enim Chosroëm Narsete duce armis in Persiam reduxit, & in paterno solio collocauit, sic inquiens ad illum; Memor sis Chosroë præsentis diei: Romani tibi regnum donant: vt Paulus Diaconus, ac Nicephorus testantur, quamuis hic Chosroëm sibi hæc verba dixisse scribat. Heraclius deinde cùm nobiscum benè sentiret, neque vel Laterani ædes Romæ spoliari mandasset, vel incidisset in hæresim, Persas multis prælijs debellauit, eorumque omnia adduxit in potestatem, vt latè Paulus Diaconus tradit, Syroëmque eis, capto & interfecto Chosroë, Regem dedit, atque non exactis trecentis annis, ex quo à nostris Constantinopolim translatum est Imperium, Persæ victi à nostris Reges bis acceperunt, quod antea Romanis à nostra religione auersis intra annos quadringentos semel tãtum contigit.

Paul. Diac. lib. 18.

XII. Fortissimè singulis regionib. Reges Catholici quales antea ex ijs non exstiterunt.

Sed ex alio colligi adhuc potest quæ sit nostrorum vis in armis. Nam si complectaris animo antiqua euenta Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, Britanniæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, quæ Sarmatiæ antiquitùs adscribebatur, haud inuenies ex istis principijs prodijsse tam fortes ac sapientes militum duces, vt prodierunt ex quo Christi cultum sunt secutæ. Nam quos quæso prisci Hispani opponerẽt Alfonsis, Ferdinandis Regibus, quos Friderico Siciliæ, & Alfonso Neapolis, quos Consaluo Ma-

gno, Petro Nauarræ, Antonio Leiuæ, Ferdinando Duci Albæ, copiarum ducibus præstantissimis? Lusitani autem prisci numquid habuēre similes Emanueli, Henricis, & Alfonsis Regibus, numquid Vasquio Gamæ, Alfonso Alburquecio? De Gallis autem quid dicemus? Habuitne antiquitas vllum parem Clodoueo, Dagoberto, Pipino, Carolo Magno, Roberto, Philippo Augusto, Henrico Secundo, aut Carolo Neapolis, Gottifredo Hierosolymorũ Regibus? Quid hîc referamus tot duces, in quibus Carolus Martellus Pipini Regis pater principem locum tenet? Illud, quantum pertinet ad Britannos & Scotos, est certum, ante Christi religionem à Britannis susceptam nullũ fuisse inter eos militem, qui præcipuam quamdam sibi laudem vindicare possit, nisi forsan fabulas quasdam sequi velim⁹. Iam verò Germanica vetustas quem comparabit Otthonibus, Henricis, Lotharijs, Fridericis, Carolis, Rodulphis, Maximilianis, Lotharijs, Conradis, Ludouicis? At Bohemia quos conferet Otthocaris, Boleslais, Venceslais? De Polonis, Hungaris non est quòd verba faciamus. Horum namque nomina prisci neque cognouerunt. Nunc qualis quantúsque fuit Stephanus primus, Ludouicus, & Matthias Coruinus in Hungaria? quales in Polonia Cazimiri Boleslai, VVladislaus primus, Stephanus Battorius? Sed omittemúsne Noruegiam Daniamque, è qua profecti Northmanni non modò in Anglia, & Gallia, ex quo Christo se adiunxerunt, latè diuque sunt dominati, sed è Sicilia, regnoque Neapolitano depulsis Græcis ac Sarracenis Tunetenses in Africa Reges, plurimasque in Græcia vrbes sibi subiecerunt, multoque tempore præclarissima gesserunt, nobilissimumq; in Italia regnum Neapolis, ac Siciliæ constituerunt. An non Danici sanguinis illa Margareta, quæ ductauit exercitus, & quatuor sibi regna adiunxit: an non Canutus ille Magnus? Quid hîc silebimus Suetiam, Gotthiamq;, è qua prodiēre Visigotthi, quorũ stirps regia durauit vsq; ad Ferdinandum V. quique tot ac tanta præstitēre aduersus Mahometanos in Hispania, & quorũ auspicijs ad Indias Orientales & Occidentales est aditus apertus nostris? Sed aliquis dicet, Italia, & Græcia haud dedit vllos vnquam Romanis ducibus æquales, vel Alexandro illi Magno. Haud diffitemur, in Italis elanguisse vires bellicas, prudentiamq; militarem, neque Græciam protulisse Alexandro Magno vllum parem. In Italia namque

tractari arma ab Italici sanguinis hominibus, nõ nisi auorum nostrorum ætate cœperunt, Attendulo Cotignola, Francisco Sfortia, Nicolao Picinino, & alijs huiusmodi desuetos prælijs animos ad antiquum militaris gloriæ decus exsuscitantibus.

XIIII. Itali Catholici laude nauali prę stant antiquis in bello.

Non abroganda tamen Italis est laus militiæ naualis; qua priscis nostros præstitisse, nemo dubitare potest, qui scierit quanta Veneti ac Genuenses præstiterint; ita vt illi Marcum Polum dederint, qui à Tartarorum Sinarumque Rege maximo classi præpositis, ab extremis Indis vsque ad Persicum propè sinum cuncta circũnauigans, dimidium propè orbis terrarum, multas regiones Regi suo subiecit, multas armis perterruit. Idemque Nicolaus Zenus egit in supremis Boreæ regionibus sub annum millesimum tercentesimum octuagesimum, quas nauibus circumlustrauit, quibus fuerat à Tichimno aliquot insularum Septentrionaliũ Principe datus præfectus. Hæc constant ex ipsorum met Marci & Nicolai scriptis, quæ circumferuntur. At ex alia parte Aloysius Mustus anno millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo quinto, Henrici Infantis nomine, plurimas Africæ terras vsq; ad æquinoctialem circulum instructa militibus classe primus explorasse legitur. Quòd si cui videantur hi potiùs optimi nautæ, quàm bellatores fuisse; hic secum reputet nullam Remp. regnúmve tamdiu floruisse in libertate, & imperij simul tanta magnitudine, vt Venetam, quæ non alijs sanè armis sese tutata est, quàm maritimis. Romani Venetis pręstãt amplitudine imperij, non tamen diuturnitate libertatis; cuius conseruatio debetur à Venetis, post sapientissimum gubernandi genus, militiæ potissimùm nauali. Hac aduersus efferatas gentes, quibus Occidentale Imperium regnantibus hæreticis est discerptum, sese illi defenderunt. Hac aduersus Imperatores Orientis, & Occidentis, aduersus æmulorum vires, aduersus Mahometanorum potentissimas classes pugnarũt, latissimamq; & nobilissimam ditionem per tot annorum sæcula singulari prorsus exemplo conseruarunt. Verè igitur in vniuersum possumus asserere, maritimis armis Venetos omnibus hucusque præcelluisse, si bene singula circumspiciãtur, ac pensentur. Hanc illis gloriam Genuenses eripuissent, si tamdiu libertatẽ seruare intactam, magnitudinemq; imperij tueri potuissent. Et sanè, quanti sint hac in re Veneti non modò perspici potest è dictis, euentisque

Laus bellica naualis Genuensiũ & Venetorum.

illor-

illorum perspectis, sed ex antiquissimo illo nauali, cui nullum par in terris, & è varijs nauium generibus, quæ in singulos dies excogitant, ac producunt aduersus hostes, vt superioribus annis apparuit, cùm iuncti Hispanis Selimi Turcarum Regis longè maiorem classem ad Echinadas superarunt; cuius victoriæ magna pars fuit in oblongis quibusdam magnisque nauibus, quæ in fronte classis innumera tormenta inimicis perpendis obiecerunt. Sed redeamus ad argumentum propositum. Caruit Italia præstantissimis illis copiarum ducibus, quibus antiquitas meritò se iactat: caruit etiam Græcia, ex quo Christo se adiunxêre. Non omnino tamen. Audemus enim Venetos cunctis antiquis in militiæ naualis excellentia præferre. Ac toto hoc signo non agimus nos de vna prouincia vel gente, sed de tota natione Catholica. Quocirca sumantur ex antiquis prudentissimi quiq; ac fortissimi copiarum duces, & nostros contra huiusmodi comparemus illis: ac videbimus, quodcumque spectes, à nostris longo interuallo priscos ipsos superari.

XIV.

Alexandro Magno, ac Cæsare in primis tota antiquitas haud immeritò gloriatur. At lõgè maiores istis fuêre Constantinus ac Theodosius, ambo Magni ob rerum gestarũ magnitudinẽ vocati. Idq; verum, siue imperij amplitudinem spectes, quã sibi armis isti pepererũt, siue pugnacissimas gentes, exercitus maximos, Regesque deuictos consideres. Sed male agitur nobiscum, quando res est cum nonnullis sciolis, quibus nulla alia re caput est plenum, nisi externarum rerum lectione, ac doctrina. Age verò, vt vetusta omittamus, & Carolum Magnum prætereamus, an tibi videtur vlli Regi aut Imperatori postponendus Carolus V. qui Germaniam totam, principesq; illius bellicosissimos in potestatem redegit, qui primarias vrbes Italiæ cunctas Venetijs exceptis bello cepit, qui Hispanos rebellantes domuit, Gallorum verò fortissimũ Regem Franciscum prælio superatum per suos duces adduxit in potestatem, Solymanum cum potentissimo exercitu ex incredibili armatorum multitudine conflato in Germanias venientem fugauit, & profligatis Afrorum Turcarumq; copijs innumeris regnum Tunetense cepit, in Indijs porrò Occidentalibus per Franciscum Pizzarum, & Ferdinandum Cortesium admiranda gessit, imperijq; confinia tam latè per o-

mnes mundi partes protendit, vt nemo hucusque tam late protendisse vmquam legatur?

Quod si Reges & Imperatores nolis, sed homines quidem priuatos, publicos tamē copiarum duces, qualis Annibal fuit, aut Pompeius cognomento Magnus, vt priscos nostrorum prætereamus, offerunt se ætate ipsa nostra prudentissimi duces Alfonsus Daualus, Ferdinandus Gonzaga, Franciscus Maria Ruerius Vrbini Dux, auus huius sapientissimi & integerrimi Ducis, qui nunc eiusdem nominis præest, militaremq; peritiam coniunxit cum omni excellentissimarum doctrinarū scientia singulari: hos sequitur Franciscus Ghisius, Ferdinandus Albæ Dux, & alij, qui si occasiones facultatesque easdem bellorum gerendorū nacti essent, quas vel Pompeius, vel Annibal ad extremum turpiter victi habuerunt; nihil illis comparari posset. Sed horum gesta non habentur pręmanibus, vt Annibalis, Pōpeii Magni, & aliorū, quod scilicet Latinos scriptores pueri antiquos, haud recentes legamus, resque istorum Latinis litteris mādatæ continuò soleant à nobis haberi in admiratione, cęteraque præ illis contemni. Quòd si non modò horum, sed Alfonsi Alburquecij Lusitani, & Fernandi Cortesij bella fortiter ac prudenter administrata legeremus, & cum priscis compararemus, nullo loco antiqui haberentur. Ferdinandus enim Cortesius neque mille Hispanis instructus plures in Indijs Occidentalibus prouincias, oppidaq;, & vrbes innumeras, & quidem celeberrimas aggredi, & oppugnare ausus est, aggressus autem plurimis maximisque periculis superatis expugnauit; resq; illi fuit non cum inermibus, & imbecillibus, sed armatis, ac fortibus viris. Vrbes multæ natura & arte munitæ capiendæ illi fuerunt; varia fœdera cum populis alijs aduersus alios ineunda: neque enim mille hominibus, aut etiam paucioribus suorum perficere tot ac tanta potuisset, quamuis pauciores his habens acie dimicarit aduersus armatorum centum millia. Deniq; paucissimis annis tantum terrarum spatium omni opum genere abundantissimum suo subiecit imperio, vt penè æquet quidquid Alexander ille Magnus deuicit. At Alfonsus Alburquecius eodem modo vix mille armatos sub signis habens multas Arabiæ vrbes Armuzijque regnum, cui multæ in Arabia & Persia regiones obediebant, expugnauit, similiter Goæ, finitimarumq; vrbium, & insularum ditiones, & incredibili ausu vsque ad

Laudes bellicę Alburquecij Lusitani, & Ferdinandi Cortesij.

au-

auream Chersonesum penetrans Malachæ amplissimum regnum cepit, emensus tantum telluris tractum longitudine quidem pari, non latitudine, quantum propè Alexāder ipse, vel eius duces. cum Persis verò ipsis congressus est acie, & Indis Alburquecius, quibus cum res olim fuit Alexandro. Armuzium namq; Persici sinus est insula, & vrbs. Quocirca Ismael ille Sophus Persarum potentissimus Rex ipsum missa legatione & muneribus maximo in honore & existimatione semper habuit. Quòd si istis eadem, quæ Alexandro ac Cæsari, vis & opes fuissent, quid non præstitissent? & tamen apud nos nō magnæ sunt existimationis. Adeò potest anticipata opinio, & fama quædam. Imbelles erant hostes istorum? & quales quæso Alexandri, & Cæsaris? Effœminatissimos enim Persas Alexander est nactus, Cæsar autem, cùm res illi fuit cum Asiaticis, tales, vt ad Senatum rescripserit, Veni, vidi, vici; deriseritq; Pompei laudes, quas è populis illis deuictis collegerat. Quòd si Galli, quos domuit Cæsar, erant bellicosi: si cuncta penses, haud minus erant bellicosi populi, quos Ferdinandus Cortesius & Alburquecius domuerunt; si cuncta, inquam, penses. Istis namque ducibus paucissimi milites erant, auxilium nullum sociorum, terræ prorsus incognitæ, ijsdem multa suorum dissidia fuerunt superanda, plurimæ insidiæ inimicorum. Vt igitur non conferamus Alexandro & Cæsari fortissimos è nostris Reges & Imperatores, Constantinum, Theodosiumq; Magnos, Carolum similiter Magnū, & qui nostra ætate floruit Carolum Quintum, opponemus omnibus antiquis exercituum ductoribus duos istos Ferdinandum Cortesium, & Alfonsum Alburquecium priuatæ sortis homines. Et Alburquecij quidem gesta scriptis mandarunt elegantissimè Hieronymus Osorius, Lopezius, ac Petrus Maffeius; Cortesij verò Lopezius alter, aliiq;, quorum scripta habentur inter libros Indicarum nauigationum.

XVI. A nostris paucissimis innumeri sæpius victi.

Sed veniamus ad aliud argumenti genus, ex quo quanti sint Catholici in bellica fortitudine apparebit. Exiguę namque sæpius nostrorum militum alæ innumeras hostium copias internecioni dederunt. haud negamus id diuinitus factum, sed ita res est: quidquid nostri virtutis habent, id esse diuinum, toto hoc opere demonstramus. Antoninus Pius litteris, quas recitant multi è scriptoribus nostris, testatur Christianorum militum precibus contigisse, vt ipsi

fuderit Borealium populorum nongenta septuaginta quinq; millia, quæ aduersus eius tenuissimas copias constiterant. Tantum sanè hominum numquam Romani cū tam paucis vicêre. Id Christianorum diuina virtute quomodo perfectum fuerit, explicat latè Imperator ille. Sed postquam crux Christi cœpit imperante Constantino nostris esse pro militari vexillo, nostriq; Duces ipsi copiarū pro Christo aduersus impios dimicare cœperunt, mirum quàm sæpè, quamq; exiguus nostrorum numerus innumeras hostium copias prostrauerit.

Constantini bellica facta.
Lib.1.de vita Const.c.31.

Eusebius, qui Constantini temporibus vixit, in vita ipsius narrat creditas fuisse fabulas ea quæ in sacris litteris narrantur, ab Hebræis paucissimis ingentes exercitus hostium profligatos, Pharaonemque mari demersum. Vbi tamen Maxentius est victus à Constantino, apparuisse prisca illa euenta Hebræorum verissima fuisse: *Nam Maxentius omnem Italiæ locum ingenti armatorum multitudine*, inquit Eusebius, *& infinitis copijs munierat: Imperator autem Constantinus, Dei auxilio nixus, primam, secundā, & tertiam Tyranni aciē adortus, oēs primo impetu perfacilè subegit*. hæc Euseb. Traditū est à Zosimo, fuisse Constantino tendenti aduersus Maxentium nonaginta peditum millia, & octuaginta equitum, Maxentio autem centum septuaginta millia peditum, & octodecim equitum. Sed hæc de Constantino Zosimus falsa: ex Eusebio namque liquet non ita magnas hominum fuisse copias reuera Constantino. & Eusebius quidem hoc tempore vixit, Zosimus longè post: & hic, quantum potest, extenuat & carpit res à Christianis confectas. Sed tamen iactatum vulgo fuit, cęlitus missos fuisse exercitus armatorum, qui Constantino opem ferrent. Sic enim Nazarius in oratione ad ipsum: *In ore est omnium Galliarum exercitus visos, qui se diuinitus missos præ se ferrebant, flagrabant horrendum nescio quid vmbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur. hæc ipsorum sermocinatio, hæc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Illi cælo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur, quò tibi militabant*. hæc ad ipsum Constantinum Nazarius. Quin adhuc cernitur Romæ in arcu Constantini scriptum, Diuinitatis instinctu Constantinum hæc ausum, victoriamq; assecutum. & quidem res est omnium scriptorum litteris consignata, mirabiles à Constantino partas victorias non militum copijs, sed ipso crucis vexillo.

Idem contigit Theodosio Maiori, vt diuinitus bellica virtute Eugenium Tyrannum superaret cum paucis suorum: paucis, inquam, respectu aduersariorum. Nam Tyrannus ille infinitas copias instructas paratasque habuit, inquit Socrates, qui his temporibus vixit. simile euenit Honorio Theodosij filio, cuius dux Stilicho cum paruo exercitu ducenta Gotthorum millia in montibus Fesulanis vicit, ac multò antè tanta per eumdem strages edita Borealium populorum ad Polentiam, vt Prudentius cecinerit:

——mirabere seris
Posteritas seclis, inhumata cadauera late,
Quæ Polentino texerunt ossibus agros.

Multo maiora accidêre Iuniore Theodosio imperante, vt nos retulimus signo de auxilio cælitum in bellis. Memorabilis illa victoria Aëtij in campis Catalaunicis, cùm ex innumeris Attilæ copijs occidit hostium centum sexaginta duo millia, è quibus adhuc nonaginta millia, dimicantibus inter se Francis ac Gepidis ceciderant anno, vt quidam volunt, quadringentesimo quinquagesimo primo. Quid hîc Belisarij gesta aduersus Vandalos in Africa, Ostrogotthos in Italia, Persas in Armenia, populosq; Septentrionis in Mysia narremus? An non ille, cum quinque suorum millibus, Vandalorum quinquaginta millia deleuit? Hæc omnia Procopius refert. Sed plurima nos huiusmodi, signo de auxilio cælitum scripsimus. Hîc paucula quędam, omissa ibi referemus, non adeò antiqua. Mahometani incredibili multitudine Theodórico Secundo, Francorum Rege, in Gallias se effúderant. Aduersus eos imparibus omninò copijs tendunt Eudo & Carolus Martellus, Francorum duces, hostiumque interficiunt tercenta septuaginta quinque millia; vt è litteris Eudonis ad Gregorium Secundum datis apparet. Rursus eorumdem strages eadem facta à Carolo Martello exiguas copias ducente. Verùm ne nimium cunctis recensendis prolixi simus, satis habeamus videre, quanta fuerit Hispanorum paucissimorum bellica virtus in Mahometanos. Igitur cùm Sarraceni latè Hispanias occupassent, Pelagius collectis mille hominibus cœpit aduersus eos pugnare. Tendentibus verò illorum copijs innumeris in ipsum, abdidit se cum suis in specum; in quam cùm iacularentur Mahometani, tela in ipsos diuinitus retorta viginti millibus homi-

Theodosij bellica facta.
Soc. l 5. c. 24

A Etij bellica facta.

Belisarij virtus militaris.

Maximæ Mahometanorum strages editę à nostris.
A Carolo Martello.

A Pelagio Reg.
Vide Rodericum Toletanum.

minum vitam abstulere. Qua percepta re Pelagius cum suis egressus incredibiles illorum strages edidit. Post annũ deinde septingentesimum quinquagesimum septimum Froila non ita multis stipatus hominibus cecidit Arabum quinquaginta quatuor millia. Aldefonsus aũt Castus post annum septingẽtesimum nonagesimum primum exiguo exercitu suorum prodiens in aciem Mahometanorum septuaginta millia interfecit, & alio prælio quinquaginta millia. At Ranimirus post annũ octingentesimum vigesimũ quintum, cùm Mahometanorum maximos exercitus obuiam habuisset, paucis omninò militib. ipse instructus, seq; in editum collem recepisset, pugnam fugiens, q̃ temeritatis esse ei videretur paucos cum tam multis cõgredi, in somnis admonitus est à S. Iacobo, vt prælium committeret: commisit, & hostium septuaginta millia interfecta; ac tum primùm visus S. Iacobus equo albo insidens pro Hispanis pugnare. Sed & alter Ranimirus anno nongentesimo quinto, vt quidam volunt, ad Septimaneas Arabum octuaginta millia cum multo minoribus copijs cecidit. Anno autem nongentesimo decimo quarto Ferdinãdus Gundisaluus Castellæ Comes Almansorem vicit, & cùm non nisi trecentos milites haberet, diuino monitu in eius maximas copias irruens, sic eas profligauit, vt vix Almansor incolumis euaserit. Et anno nongẽtesimo trigesimo primo, idem Comes non habens sub signis nisi quadringentos quinquaginta equites, peditum verò quindecim millia, tribus diebus continuato prelio exercitũ multitudine incredibili Almansoris eiusdem cecidit. Postremo die S. Iacobus in acie visus Christianis laborantibus opem fetulit. Sed omnium fuit admirabilissimum prælium, cui Rodericus Toletanus interfuit, & in quo cæsa Mahometanorum ducenta millia; è nostris, quod incredibile videatur, desiderati tãtum viginti quinq;, vt idem Rodericus testatur, haud scripturus falsa, cùm multi superessent, qui bello interfuerant. accidit hoc anno millesimo ducẽtesimo duodecimo. In ea pugna crux Christi dicitur apparuisse in aëre. accidit in loco qui nominabatur nauium Tholosæ, Alfonso Octauo Castellæ Rege. Memorabilis etiam narratur illa pugna fuisse, in qua Alfonsus XI. iuncto sibi alio Alfonso Portugalliæ Rege, Mahometanorum millia plurima similiter occidit, suorũ paucis interfectis. Atq; hæc sanè ostendunt maximam nostris aduersus inimicos esse bellicam

Marginalia: A Froila Reg. — A Aldefõso Reg. — A Ranimiro Reg. — A Ferdinãdo Gundisaluo. *Vasæus.* — Ab Alfonso XI.

fortitudinem. Nam quis tam crebras victorias audiuit ex hostibus relatas vmquam ab vllo tam paucis militibus instructo, tam paucis suorum necatis, ac tanta inimicorum strage, vt à Catholicis Hispaniarum Regibus?

Admirabilis comparatio & euentum Hispanorum & Græcorum.

Quæ vt magis admirere, considera illud. Anno Domini 716. Pelagius cum mille Hispanis tantùm delitescebat intra specum propter metum Mahometanorum. Res Hispanicæ prorsus accisæ, atq; vt apparet, sepultæ erant; omnia in manu Mahometanorū. Eodem tempore Imperatores Constantinopolitani tenebant imperio Italiæ magnam partē, exarchatum Rauennæ, Romam, Ducatumq; eius, Apuliā, Calabriam, Sardiniam, Siciliam, Græciam, minoremque Asiam cum suis insulis, & finitimis multis locis. Desciuêre Græci à nobis. Hispani cùm desciuissent regnantibus Viciza & Roderico, redierunt ad nos. Nunc adspice, quò peruenerint bellica fortitudine Hispani illi mille intra specum conclusi, vt nunc orbis terrarum tertiam propè partem cōtineant imperio. Contra nunc adspice, quantam fecerint hæretici Græci ruinam, quò sint depressi ex illo altissimo imperij gradu. & tamen, vt alibi hoc opere ostendimus nihil magis contendebant Mahometani, quàm vt Hispanias tenerent. Et nos nihil magis conati sumus, quàm vt Græciæ labenti opem ferremus, atq; Hispanos præ Græcis in ope ferenda nullo propè loco duxerimus. Nimirum nulla vis hæreticis: ac frustra Catholici ferunt illis opem, quos Deo fixum funditus euertere. Catholicorum verò vis quidem maxima in bellis, sed à Deo tota. Nam quis nō obstupescat ad incredibilia gesta Ioannis Huniadæ, aut Matthiæ Coruini Hungaricorum principum aduersus Turcas? Sed vbi Hungariam peruasit hæreticum virus, elanguit omne robur Hungarorum, paret Hungaria Turcis. Georgius Castriotus quanta gessit aduersus Turcas, nemo ignorat: ea nos omittimus, quòd in promptu sint. in iis sæpius id contigisse legitur, vt ille fortissimus vir exigua militum manu maximas Turcarum copias profligarit. sed quando regiones illius potestati subiectæ hæresum plenæ erant, hinc factum, vt eo Catholicæ pietatis studiosissimo defuncto adductæ sint in potestatem Turcarum.

Mira olim fortitudo Cruciferorum.

Nunc rem sum narraturus admirandā, ne simus prolixiores. Teutonici milites Cruciferi habebant olim Prussiā Liuoniam, subiectas, & incredibilia gessêre aduersus Moscouitas, ac finitimos Ruthenos. Illud admirabile euenit

anno millesimo quingentesimo: Moscouiæ Dux irrupit in fines Liuoniæ, sub signis habens millia Moscouitarum centum, Tartarorum triginta. procedit in illum VValterus à Plettemburg summus Magister, Germanorum equitum millia septem, Liuonum quinq; habens. Pugna commissa, è Moscouitarum militibus cæsa centum millia, è Teutonicis vnus desideratus. Hæc Tilmannus Bredenbachius lib. de bello Liuonicõ. Quid igitur est in causa, quòd paulò pòst milites isti Teutonici vires amiserunt, Lutheranam perfidiam amplexati? Quid est in causa, quòd mox victi sæpiùs à Moscouitis amisere Liuoniam? Cur eamdem postea Stephanus Poloniæ Rex Catholicæ fidei studiosissimus cepit? Audi aliud. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Moscouitarum Dux misit aduersus Lithuanos armatorum ducenta millia. Lithuani neque millia triginta in aciem producunt. ventum ad pugnam. cæsa è Moscouitis nonaginta millia; è Lithuanis viginti homines tantùm necati. Hæc idem scriptor. Multas eorumdem Moscouitarum strages à Polonis eodem modo editas refert Cromerius oratiõe funebri habita in obitu Sigismundi Primi. Inter alia narrat, apud Orsam Basilium Moscouitarum summum Ducem sub signis habuisse bellatorum octuaginta millia. Polonorum tam tenues erant copiæ, vt noluerint Moscouitę impedire quò minus illi amnem tranarent, quòd se eos flagris abacturos peculi dum more in Moscouiam iactarent. collata signa: interfectaque è Moscouitis quadraginta millia, capta verò quinque, reliqui in fugam turpiter conuersi. E nostris qui fuerit occisus, haud scribit auctor. Certè neque inermes, neque imbelles Moscouitæ, aut Tartari. Illi namque superioribus annis Turcarum quadraginta millia ad amnem Borysthenem trucidarunt, & ex illo Turcis ipsis tremendi; Tartaros verò, qui Orientem totum subegère, adduxerunt in potestatem. An non igitur Catholici maximæ fortitudinis, ac prudentiæ in bellis? Ita sanè, nisi pro hæreticis, aut pro hæreticorum locis pugnent.

Lithuanorum, Polonorumque mira fortitudo.

XVII. *Ioannes Tullensis incredibilia & admirãda facta.*

Audi nunc aliud. Anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, cùm Carolus Sextus Francorum Rex obiisset, Angli omnia Gallicani regni munita ac pręcipua loca occuparant, iamque actum de rebus Gallicis omninò erat. Carolus namque Septimus bis acie fusus in summam suæ fortunæ desperationem venerat. Sed Ioanna puella

annorum non amplius octodecim ad Carolum venit, prædicans se à Deo missam, vt Aureliam obsidione liberaret, vtque eum Rhemis ad vnctionem sacram perduceret. examinata à præstantissimis Theologis, sanctissimè respondit ac prudentissimè. Idcirco ad Aureliam obsidione soluendam, commeatumque importandum cum exigua manu militum ire iussa, armis fulgens, equoque insidens, signum militare candidi coloris, in quo Christi imago lilium manu gestantis conspiciebatur, tulit, & spectantibus hostium copijs vrbem cum commeatu intrepidè est ingressa: Anglosq; vt ab obsidione recederent priùs monitos, neq; obsequentes, 6. Kal. Iun. millesimo quadringētesimo vigesimo nono adorta profligauit. in ipso ardore pugnæ ictu sagittæ vulnerata inter humeros ac collū, neque pedē retulit neq; obligari vulnus est passa, quin acerrimè prælians hasta gladioq; multos hostiū prostrauit. Multas deinde vrbes bello eadem felicitate ac fortitudine recepit, atque Anglos pluribus prælijs fudit, Regemque Rhemos ad sacram inaugurationem suscipiendam per medios hostes viriliter perduxit. & Gallorum res omninò accisas, oppressas, ac perditas subleuauit, erexit, & in pristinum robur ac statum restituit. Post quæ, cunctis res ex omnibus sæculis haud visas vel auditas demirantibus, fortè in manus hostium venit; qui liuore suffusi, odioque iniquissimo inflammati, fortitudinem puellæ diuinam magicis artibus attribuentes, atrocissimo crudelitatis exemplo puellam concremarunt. Sed anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, è rescripto Callixti Romani Pontificis, causę cognitores constituti Ioannes Archiepiscopus Rhemensis, & Gulielmus Parisiensis innumeros testes omni exceptione maiores super eius innocentia, modestia, castitate, & religionis puritate examinarunt, eamque innocentissimam compererunt ac pronunciarunt. actaque seruantur adhuc in scrinio Parisiensis Ecclesiæ, quod testatur Papyrius Massonus. Eadem scribunt Alanus, qui res Caroli Septimi Gallico sermone scripsit; Gerson Theologus ætatis illius, Leonicus Chalcondilas libro secundo de rebus Turcicis, AEneas Syluius, qui hac ætate fuit, Fulgosius libro tertio, sanctus Antoninus, Corius Mediolanensis, Paulus AEmilius. eius etiam gesta latè narrat Polydorus Virgilius in vita Henrici Sexti; sententiamque latam

in illam longè lateque post homines natos durissimam vocat. Vt igitur antiquitatem totam peruestiges, exemplum simile Ioannæ puellæ non inuenies. Virgo nulla se offerret, quæ ensem strinxerit, in acies armatas hasta incurrerit, (hoc tamen commune illis cum multis,) adde illud exercitus duxerit, (& hoc etiam fœminæ aliquot egêre:) sed quæ cum rebus hisce simul regnum aliàs inter alia totius orbis regna florentissimum, mox penè euersum restituerit manu consilioque suo in antiquum celebreque decus, id sanè solius est Ioannæ Tullensis. Potuit Tomyris Scytharum Regina, siue suo, siue suorum consilio, incertum, pertrahere in insidias Cyrum, profligare ipsius exercitum: sed an sua id industria perfectum sit, ignotum. Neque tamen ensem strinxisse legitur, neque regnum nacta est rebus omninò desperatis: sicuti neque Zanobia illustrissima Palmyrenorum Regina, quam deuictam duxit Aurelianus in triumpho. Amazonum verò narrationes meritò vt fabulosas deridet Strabo. Quòd si Valaschæ Bohemicæ gesta sunt vera, laudes quodammodo Ioannæ Tullensis assequeretur, si vel tot vrbes cepisset, vel aduersus bellicosissimam, nec minus armis, quàm consilio & opibus instructissimam tunc Anglorum gentem pugnasset; non autem aduersus gentis suæ homines ferocia potius quàm belli consilijs valentes; aut denique Bohemicum regnum tanti tunc fuisset, quanti Francorum, & Galliæ totius. Ioannam Tullensem longo interuallo consequuntur Maria Puteolana virgo, cuius meminit Petrarcha, laudesque recenset libro quarto epistolarum; Vrsina Taurella, Montisfortis Comitissa, Orietta Auria; quæ omnes armis ipsæ in acie steterunt, hostes feriendo, fugando, occidendo; meminitque illarum Baptista Fulgosius. Quid verò dicemus de fœminis Alemannis, quæ ad expeditionem Hierosolymitanam sunt profectæ? Audi, quid de eis Nicetas Choniata Græcus illorum temporum scriptor dicat, qui exercitus ipsos vidit. *Inter quos* (Alemannos) inquit, *& mulieres erant non coniunctis pedibus, sed virorum instar diuisis, super pallijs equitantes, hastatæ, atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores: inter quas vna excelluit, quasi altera Penthesilea, quæ ob fastigia, & limbum vestium auro intertextum, Auripes vocabatur.* hæc ille. Sed hæc communia nobis cum multis; illud singulare, vt exstiterit è

Strabo lib. 11.

Lib. 3. c. 2.

nobis

nobis tantæ fortitudinis ac prudentiæ virago in prælijs Ioanna Tullensis, quantæ antiquitas tota nullam proferre possit. E quibus omnibus fit Catholicis esse fortitudinem prudentiamque in bellicis rebus maximè diuinam, qua cunctis nationibus præstent, si vniuersa simul spectes, totiusque Ecclesiæ decursum, non aliqua & paucissima euenta. Sed hoc quosdam fallit, vel quòd temporis alicuius in Ecclesia spatium solummodò respiciunt, quo interdum non illa bellicis rebus floruit: vel quòd clamēt imperium Romanum post Christi fidem propagatam subuersum, nec vident hæreticis imperantibus id contigisse. Vel denique quod conqueruntur à Turcis tot terras occupari, neque animaduertunt, eas dumtaxat occupatas, quæ sint hæreticorum plenæ, frustraque pro iis pugnari, quos summoperè exosos Deus habet. Fatendum tamen, nihil minus à Catholicis curari, quàm bellica; & cunctis nos esse propè inferiores in exercitationibus rerum militarium; quippe quibus sit in primis cordi pax, tranquillitas, studiumque patientiæ summum & singulare. Fatendum similiter nos bello vincendos ab Antichristo; sed tum palàm Christus veniet, ad nos adcurret, illumque interficiet spiritu oris sui.

FINIS LIBRI OCTAVI.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER IX.

SIGNVM TRIGESIMVM QVARTVM.

Iustitia.

Cum nostri cunctis præcellant in iustitiæ functionibus, necesse est nos esse ex Ecclesia Dei. Præcellere autem plurimis argumentis clarissimè demonstratur.

CAP. I.

IVstitiæ nomen vel complectitur omnes virtutes, earumq; fūctiones, & ob id nos dicimur iusti, & in iustitia Theognis aiebat inesse collectim omnem virtutem; vel continet eā tantùm, quæ rerum commutationem, publicorumque distributionem spectat. Et quidem, quod pertinet ad vniuersalem iustitiam, diximus signo de sanctitate, qua stabilem, perpetuamq;, & ad summum perductam omniū virtutum functionem designamus. Hic igitur agemus de iustitia, quæ leges commercijs, & rebus publicis distribuendis præscribit: in qua, sicut in omnibus, necesse est Catholicos cunctis omninò præcellere. Hinc illa admirabilissima iustitiæ præconia in diuinis libris omnem iustitiæ vim respicientia, & ad Ecclesiam Catholicam relata, quæ non est opus hîc repetere; in promptu namque sunt, & necesse est maximè sit in sacris scriptis peregrinus, qui ignorat illa. Videamus itaque, qui sint hac parte nostri. & sanè priuata quædam non adeò sunt illustria, vt publica: atque idcircò difficile est explicare quanta in rerum commutatione iustitia sit nostrorum; sed tamen, quando & regna, quatenus hæreditaria sunt, ac similiter quatenus iura quædam parētibus ad liberos deferuntur, ad hanc iustitiæ partem in cōmu-

mutationibus positam referuntur, ob id etiam non deerũt exempla maximè clara huc facientia.

Sit igitur illud primum, quòd si omnium regnorũ, quæ fuerint ab orbis exordio, consideres euenta, & in quibus illud statutum fuerit, vt iure hæreditario ad liberos ea deferantur, non videbis huiusmodi ius magis obseruatum, quàm inter Catholicos, quod nos latè explicamus signo de felicitate regiarum posteritatum, infelicitate hæreticarum, & intestinis hæreticorum cædibus. Hinc tam longa regiarum gentium series inter nostros: quod neque inter hæreticos, neq; inter alios videbis; quòd scilicet alieni ab Ecclesia Catholia, negligant iure agere, sed eo contempto, ambitionis æstu concitati regna inuadant, & ad se transferant, vi ferroque cuncta tractantes. inter quas enim gentes est aliquando vllum regnum è consanguineo in consanguineum tam longa successorum serie translatum, vt Hispanicum, quod à Recharedo deductum peruenit ad eum, qui nunc latissimè regnat, Philippum, non alio quàm cognationis iure, post annos iam plures, quàm mille? quamuis aliquando fuerit successionis continuatio per aliquos interrupta, vt per Vitizam & Rodericum, ac si qui fuerunt huiusmodi; mox tamen ad cognationem factus reditus. sic ad eumdem Philippum Lusitanici regni ditio iure consanguinitatis potissimum peruenit. Idem verò dicimus de Anglico regno, quod in plura diuisum, coijt in vnum Egbertum circiter annum DCCC. Egbertus hic ab antiquissimis & ipse Regibus, qui Christo nomen olim primi dederant, originem trahebat, familiamq; suam seruauit vsq; ad Northmannos, è quibus Gulielmus Primus Angliæ regnum, iure affinitatis præcipuè sibi vendicauit; & eodem iure ab istius posteris est ad Henricum, cuius adhuc posteritas rerum potitur, deuolutum. Idem verò Scotico regno contigisse liquet ex historia Leslei. Galliæ regnum visum nonnihil hæc iura conturbasse. A Clodouci namq; stirpe ad Pipinum, & à Pipini posteris ad Hugonis familiã transitum est non iure cognationis. Verùm Pipinus, etsi non cognationis lege, iustitiæ tamen cunctis gentibus communi nactus est Galliarum regnum. Quis enim mentis compos neget, eum qui mentis sit impos à regni gubernaculis amouendum, dandaq; illa idoneo ad ea regẽda viro? Childericus cognomento ac re Stupidus à maximi regni rectione est amotus, quod omninò impar esset tantæ potestati:

Iura heredi taria cognationum maximè inter Catholicos cõseruata.

Galliarumq; moderatio Pipino tradita temporibus turbulentissimis. Non iustitiæ leges violatæ in hac translatione regni, neq; etiam, quod maius videatur, legitimę successionis: Childericus enim sponte regnum dimisit adductus consilijs ac persuasu Bonifacij legati Apostolici. Quamquam decesserit ille mox, neq; vllus superfuerit ex ipsius agnatione, cui regnum deberetur. Quòd si Hugo Capetus regnum Galliarum est adeptus superstitibus adhuc nepotibus Caroli Magni, seu Pipini, nimirum Carolo Lotharingiæ duce, ac patruo Ludouici Regis defuncti; ad quem quidem Carolum regnum Galliarum pertinere videbatur: tamen illud assecutus est Hugo ex donatione Regis Ludouici, si Odoranno illorum temporum scriptori est credendum, cuius verba refert Papyrius Massonus, anno nongentesimo octuagesimo septimo. Neque tamen Hugoni quies fuit, quamdiu mas aliquis superstes fuit è Caroli Magni progenie. Ottho namq; Caroli filius, obijt anno millesimo quinto. Neq; ex hac familia superfuit vllus, teste Sigeberto, nisi Gerberga Caroli filia, cui Galliarum regnum, propter Salycam, vt volunt scriptores, legem, nullo modo debebatur. Post hæc regna, quæcumq; sunt alia in Occidente, plerumque non hæreditario, sed electionis iure deferuntur. Et tamen Hungaricum à Geyzæ posteris ad Carolum deuenit lege affinitatis, vt è Riccio cognoscimus, cuius extincta posteritate, electioni locus est factus. Ad summam, videas, in quibus regnis mos fuit vt consanguinei succederent, quando mos est pro lege, nullam iniuriam ad extremum iustitiæ huiusmodi factam, quamuis hoc ius ipsi Reges aduersus eos, qui illud violare conabantur, armis sint tutati.

II. Argumẽ. Iura electionum maximè inter Catholicos seruata.

Ac sicuti videmus iustitiæ præscripta seruata in regnis hæreditarijs, ita vt nihil nobis conferri hac in re possit è tota antiquitate, sic in alijs regnis, quæ iure electionis data sunt ex institutis gentium priscis, nihil cognosces ijs ablatum, quibus eligendi potestas erat, sed omnem facultatem reseruatam: in Germanico, exempli gratia, Bohemico, Hungarico, Polonico, & alijs regnis. Eodem modo in Veneta Republ. facultas eligendi Ducem non est erepta vmquam ijs quorum fuit. Id non ita fuisse in alienis à Christo, vel vno exemplo apparet, quod Imperatores Romani militaribus plerumque factionibus euehebantur, nulla ratio Se-

na-

natus habebatur, nulla eorũ, ad quos id in primis spectabat. Eodem modo Mahometes sanxit, vt vnus præesset vniuersitati suorum, qui non iure sanguinis, sed electionis hoc haberet, vt Ioannes Leo tradit. Id obseruatum paucis annis. Distractum deinde imperium Mahometanorum in plures, qui ad suos illud liberos transmitti contra propriæ legis præscripta curarunt; vt è Paulo Diacono, & eodem Leone liquet, ac nos alibi ostendimus. Vt igitur violata fuerint aliquando decreta iustitiæ inter Catholicos, quibus hæreditario vel electionis nomine deberetur alicui regnum, vel principatus: tamen, si cum alienis comparatio fiat, minimum per nostros hac in re iustitiæ detractũ; vt è signis de intestinis hæreticorum cædibus, infelicitate hæreticarum posteritatum, felicitateque nostrarum latè est patefactum. Vt autem regna sint hæreditaria, quando hæreditates commutationum legibus temperantur, iure hæc exempla ad iustitiam, quæ in commutationibus versatur, referuntur. Idemque dicendum de facultate eligendi.

III. Iusta commercia in Septentrione instituta.

Sed tamen propiùs intueri possumus, quàm iusti fuerint in rerum commercijs nostri. In Gallia Belgica, Britannia, Germania, & Borealibus terris nulla olim publica rerum commercia exercebantur, nulla erant emporia; quòd scilicet populi nullis iustitiæ certis legibus adstringerẽtur, rapto viuerent omnes, vt Cornelius Tacitus scribit, cæterique post eum, Procopius, Helmoldus, Radeuicus, quicumque ex illis olim iuxta mare sedes habebant, ij pyraticam exercebant. Postquam verò Christi cultus in ijs locis per nostros est propagatus, longè secus contigit, emporia nobilissima excitata, ad quæ tutus cunctis est aditus, nulli fit iniuria. Nam quale quæso Antuerpiæ emporium, quale Londini, Middelburgi, Lubecæ, Gedani, Rigæ, & alia, quæ recensere nimis sanè longum foret. Sed quænam iustitiæ facies erat in Indijs Occidentalibus, quarum populi, quoscumque extraneos capere potuissent, & in suam redigere potestatem, plerumque in frusta discerptos comedebant; quin ex ancillis susceptos filios ad hoc alebant, vt eosdem mox adultiores ac pinguiores effectos ipsi parentes, dictu nefas, eodem modo comederent? Quot igitur, & quanta terrarum spatia nostri iustissimis iustitiæ sanctionib. insti-

IV.

fuerunt, ad communia generis humani commercia sanctissimis decretis excitanda? Si coëant omnes populi, quicumq; ab orbis exordio fuerunt, neq; centesimam nostrorum partem sunt adsecuti.

V. Quocirca nullum fuisse cognosces antiquitati omni per tot annorum spatia emporium tam celebre, & ad quod cuilibet genti tutus foret accessus, iurisq; dictio æquabilis, vt nostris multa esse experimur. Atq; vt alia omittamus; ante oculos sunt Venetiæ, ad quas è vetustissimis temporibus liber est aditus, & ab omni iniuria securus cuiuis generis cuiuslibet mercatori.

VI. Et sanè opus est Catholicos esse longè iustissimos plerumq; in contractibus, quando nulla gens tantæ sit cōstantiæ in credendis suæ religionis decretis, vt nostros esse inde cognoscimus, quod innumeri è nostris vitam ponunt singulis ætatibus pro nostri cultus assertione, quòd signo de perpetua martyrum successione aperuimus. Illud verò

VII. est præcipuum nostræ doctrinæ præceptum, non remitti peccatum, nisi ablata restituātur: & idcirco necesse est hoc maximè sit nostrorum cordibus infixum, & hac in re superent omnes gentes.

Similiter docuimus signo de paupertate, toti humano generi non accidisse, vt tot haberet magnos Principes, Reges, & Imperatores, qui nulla necessitate adacti, nulla rerū desperatione, & aduersis casibus fracti opulētissimos principatus, regna amplissima, & imperia sponte deposuerint, magnamq; sint pauperiem professi, vt Catholici, siue nostri. Quod sanè est apertissimo argumento nostros nō modò non inhiare alienis rebus, sed alijs sua vel maxima dimittere.

VIII. Eodem referuntur quæcumque signo de liberalitate retulimus. Nam qui de suo largissimè dat alijs, quî fiet, vt aliena rapiat? Nostros verò cunctis pręstitisse liberalitate, & munificentia, latè suo signo persecuti sumus.

IX. Hinc apud nullos populos id esse in more positum cognosces, quod apud nos, vt si quis aliena retinet, caueat in vltima sua voluntate, vt id, si quidē certus est dominus, ei reddatur omninò; quòd si incertus, illud in vsus pauperum distribuatur. Hoc neq; fando in antiquorum testamentis auditum. sic vsuræ à nullis gentibus seueriùs cohibitæ, vt à nostris: contractus eodem modo inæquales, & alia huiusmodi infinita rescissa habita nulla. rebusq; omnibus ha-

ben-

bendis, fruendis, possidendis, vtendis per omnia constitutæ leges, quibus humana cupiditas coërceatur: denique & religionis timore intimo, & pœnis extrinsecus adiectis animi mortalium per nostros ad iustitiæ metas reuocati, & intra illius confinia conclusi, vt heretici non alia re magis ad se pertrahant impios, Ecclesiamq; nostram discerpere conentur, quàm hac vna re prædicãda, vt bona sacra, & sacris vsibus destinata diripiant, expilent, in suosque & prophanos cõuertant. Quod sanè est iniustitiæ summum genus. Nam quod Catholicos aliquos vociferantur hac in re peccare, quod sacris fructibus aliquando abutantur, ne committant pestes istæ, vt illos ad peiora sui conuertãt in æternum tempus, quo ebrietati, abdomini, desidiæ, & omni libidinis generi, quod à suis fieri conqueruntur ipsimet magistri, seruire possint.

Illud tamen hac in re non omittendum, quòd cùm apud omnes olim gentes, & nunc apud alienos à verò Christi cultu sit positum in more, vt bello capti amittant libertatem, tota vita seruiant, siue eodem, siue alio modo de religione sentiant illi; inter Catholicos tamen non ita: si Christianus bello Christianum capiat, hac ad summum re multatur, nisi aliud crimen accedat, vt aliquid pecuniæ exsoluat, interim non serui loco, sed liberi modo habetur in custodia. Iniustissimum namque visum nostris, eidem Deo seruientes eadem religione, si quidem statu sint ingenuo, redigere in seruitutem, & mancipiorum loco habere, nullumque ponere discrimen inter eiusdem religionis professores, & alienos. Quocirca non malè huc spectant, quæcumque differimus de virtutibus annexis iustitiæ, & ad res pertinentibus, vt infrà dicetur. Atq; hæc satis, quantum ad rerum commercia & contractus.

X.

Ostenditur ex alijs ad iustitiam pertinentibus gestis, nostros cunctis præcellere gentibus in illa seruanda & colenda.

CAP. II.

NVnc ad illam iustitiæ partem veniamus, quæ posita est in remunerando ac puniendo, in muneribus, honoribusque, & oneribus distribuendis.

XI. Iustitia Catholicorũ in decernẽdis honoribus sacris.

Qua in re illud vnum protulisse, mihi satis videtur, quòd antiqui cęlestes honores decreuerũt impudicissimis ac flagitiosissimis hominibus, vilissimis rebus; quod nos libro secundo ad finem fusiùs persecuti sumus. Ecclesia verò Catholica, neque opes, neque formam, neque humanas vllas res ante oculos habens, sed innocentiam verè diuinam, vitam non hominum, sed cælitum moribus transactam, diuinis hominibus cælestes iure honores decreuit. Quid enim Senatum Romanum mouit, vt Floram meretricem, Liuiam, Faustinamque impurissimas fœminas, Antonoúmve spurcissimum catamitum superis adscriberet? Pudet dicere, quod pudenda, cœpe, serpentes, arbores, ac semicanes deos cælo inseruerint. An hoc iustitiæ dicemus? Non isti Deum diuinaq; respiciebant, sed humi serpentia, quibus mentes humanas dedecorabant. Quid verò potuit Ecclesiam mouere, vt Franciscum virum pauperculum, nullis opibus, nulla nobilitate, robore litteratura, formáve præstantem in sanctos retulerit, nisi sincerissimus amor iustitiæ diuinæ? Quod de Francisco Assisiate diximus, idem dici de Paulano potest, & innumeris alijs vitæ innocentia & puritate excellentissimis viris. His non habent vlli hæretici quos æquare possint vllo virtutis alicuius genere, atq; idcirco cælo nullos possunt adscribere, neque adscribunt.

XII. Iustitia Catholicorũ in Pontificatibus cõferẽdis.

Sed ab re est hisce de rebus cũ hæreticis disputare. Rem tamen dicam contra illos admirabilissimam, & omninò veram. Qui diceret dignos esse vllos potestate Romanorũ Pontificum, qui Christi Vicarium gerunt in terris, is absurdè ac falsò loqueretur. Nam quilibet Pontifex asserit in suis litteris publicis se imparem tantæ dignitati. Et reuera sine dubio id ita est. Amplius assero vsuuenire, vt ad illud summæ maiestatis fastigiũ quandoq; illi euehantur, quibus multi reputantur è Catholicorum numero digniores: & nihilominus subijcio illud, magis seruatas, minusque violatas à Catholicis electoribus iustitiæ leges in hoc summo inter Catholicos honore & munere mandãdo, quàm vel ab vllis gentibus, vel ab hæreticis in committendo maximo inter suos principatu. Id sic esse apparet ex eo, quod signo de summa sanctitate explicauimus, nimirum flagitiosissimos è nostris summis principibus, qui sunt Pontifices Romani, esse meliores ijs summis principibus, quos vel hæretici vel alienæ à nobis gẽtes optimos esse suorum con-

contendunt. Secundò constat ex eo, quòd nulla principũ præsulúmve aliorum continuata successio ab orbis fabricatione tot suorum nominare potest, qui vltrò vitam posuerint pro suorum felicitate suæque doctrinæ assertione, vt sedes Romana, in qua numerantur martyres viginti septem. Tertiò, quia neque alij similiter proferre possunt è suis summis principibus eiusdem sedis ac potestatis tot viros vitæ innocẽtia & miraculis diuinitus editis illustres, vt Romana sedes, quæ septuaginta duos Pontifices recenset, quos Deus sanctimonia præcellentes plurimis miraculis posteritati commendauit. Atque hæc nos latiùs cõplexi sumus signo de prudentia politica, vbi actũ de Pontificis Romani gubernatione. Quartò, nulla summorum principum series vel inter hæreticos, vel inter alienas gentes protulit tot è suis summis principibus, quibus adeò curæ fuerit principum sibi subiectorum securitas & incolumitas; quod constat è signo de summo studio Pontificis Romani in conseruandis imperijs ac regnis Catholicorũ. Quintò, vt finem faciamus, nulla principum successio summorum tot è suis dedit, quibus adfuerint illa tredecim diuinitus cõcessa priuilegia in populis gubernandis, & amplificanda sua potestate, quæ Pontificibus Romanis adfuerunt. immo neque vnum ex illis tredecim priuilegijs vlli adfuit, immo neque vniuersis, quotquot ab orbis exordio fuerunt. Enumerauimus nos illa signo de prudentia politica capite de Pontificis Romani gubernatione: cò reijcimus lectorem. E quibus constat in mandandis honoribus publicis magis ab Ecclesia Catholica seruari iustitiæ leges, quàm ab vllo populo.

XIIII. Id liquet adhuc ex alio: quia si sumas quamlibet antiquam Episcoporum vrbis alicuius priscę & Catholicæ successionem, videbis in ea multos esse plerumq; ex Episcopis Catholicis martyres, qui pro suorum scilicet beatitudine comparanda, suaq; religione & Christi cultu asserendo, mortem vltrò oppetierint. Quòd si contrà sumas hæreticorum, vel alienorum à nobis prẹsulum successionem, non esse ita cognosces. Ex quo conficitur in committenda hac dignitate nostros longè iustiores alijs.

XIIII. Illud etiam perspicies clarissimè in eisdem nostrorum successionibus esse plerumque multos vita diuinissimè acta, & innocentissimè, miraculisque præterea maximè cęlestibus illustres. Id verò cæteris omninò pernegatum.

quod

quod est apertissimo argumento, nos in mandandis publicis muneribus, cuiuis nationi ac cœtui præstare.

XV. Iustitia Catholicorũ in clericis eligendis.

Similiter innumeros possumus recensere, qui clerici fuerunt, ijdemq; martyres, & sanctimoniæ laudibus, miraculisque diuinitus patratis eminentissimi è nostris, vt docemus signo de religione: quod alij nulli cœtui contingit. Quin nullus status, hominumque conditio specialis, tot martyres ac sanctos viros miraculis illustres produxit, vt clericorum, quod nos eodem signo aperimus. Id autem certissimos nos facit, etiamsi plurimi è clericis sint scelesti, reliquos tamen esse vt plurimum scelestiores, ac minus idoneos ad clericale munus; similiterque nos magis iustitiæ præscriptis obedire, quàm cæteros, qui nullos huiusmodi è suis nominare possunt, etiamsi coëant vniuersi à nobis alieni in vnum, quotquot fuerunt, ex quo Adamus liberos procreauit.

XVI. Iustitia Catholicorũ in imperio cõferendo.

At sicut in sacris dignitatibus conferendis summa nostrorum iustitia præ cunctis elucescit, sic in prophanis. Nam si nostrorum Imperatorum Regumque vitas conferas cum vitis hæreticorum, vel à nobis alienorum vitis, cognosces nostros præ illis sanctissimos viros. Hoc autem facile erit cognoscere, è signis vltimis huius primæ coniunctionis, quibus agimus de flagitiosa vita eorum, qui à nobis alieni fuerunt: patet etiam signis illis tertiæ cõiunctionis, quibus agitur de felicitate Catholicorum Regum, gentium regiarum, nationumque nostrarum, & de infelicitate Regum, gentium, nationumque hæreticarum.

XVII.

Sed adhuc pressiùs agamus. si quidem prudentiam vel is politicam in Regibus, suprà patefecimus nostros cunctis præstare in regnis & imperijs gubernandis, siue singulos spectes principes, siue vniuersum eorum cœtum, siue quæcumq; ad rerum publicarum moderationem spectant diligenter circumspicias & perpendas.

XVIII.

Quòd si militarem fortitudinem mireris, id etiam signo suo complexi sumus. Quamobrẽ necesse est nostros Reges ac principes optimos esse omniũ, ac proinde à nostris rectè ijs commissas administrãdæ Reipublicæ partes, & ob id maximè seruatas hac in re iustitiæ leges.

XIX. Illustriora Catholicorum regna

Denique, vt magis id teneas, nullum non regnum paulò illustrius è nostris exstitit, cui non fuerit aliquis è Regibus vir tantæ sanctimoniæ, vt illum Deus cœlestibus miraculis dignatus fuerit illustrare. Hinc Hispania meritò se

iactat Alfonso Casto, & Ferdinando Tertio; Gallia Sigiberto, & Ludouico; Anglia duobus Eduardis, totidem Ethelbertis, Chenelmo, Osvvaldo, Edmundo; Burgundia Sigismundo; Germania Henrico Imperatore huius nominis Primo; Austria Lupoldo; Bohemia duobus Venceslais; Hungaria Stephano, & Ladislao; Polonia Cazimiro, & Boleslao Pudico I. & tertij filio; Dania Canuto; Suecia Henrico; Noruegia Olauo. Quamcumq; igitur virtutem spectes, videbis quàm iustè nostri fuerint dominati.

queslibet ediderunt aliquē Regē sanctū.

XX.

Haud igitur mirum, si respectu hæreticorum, & à nobis alienorum, paucissimi è nostris Reges à suis fuerint interfecti: atque ita, sicut ex parte principum seruata iustitia, sic ex parte etiam subiectorum, quod signis de felici & glorioso exitu Regum nostrorum, & infelici alienorum, sumus complexi.

XXI.

Quocirca & sanctissimus Papa & Episcopi, cùm viderunt Reges flagitijs inuolutos haud resipiscere, omni illos potestate priùs quidem diuque monitos exuerunt, nō per factionem, sed maturam sententiam, post multa consilia, conatumque omnem; quibus contenderunt vt scelesti principes ad mentem redirent. Hinc primi Episcopi Hispaniarum Suintillam, & Rechinirum, regia potestate, quòd hæretici essent, exuerunt; in Anglia Eduinus; in Germania Henricus Tertius, Ottho Quartus, Fridericus Secūdus, in Sicilia Manfredus, & alij alibi: sed & ob ignauiam nonnulli regio iure priuati, vt in Lusitania Sanctio, in Gallia Chilperico Stupido, in Germania Carolo Crasso, Athaulpho, Venceslaoque contigisse ostendimus signo de admirando progressu sacræ potestatis.

XXII.

Iam verò si Catholicorum leges consideres, nihil vmquam in illis turpe, nihil iniquum constitutum videbis. de cęteris gentibus an idem dici possit, ex eo vel vno colligi apertissimè potest; quòd qui spurcissimos eorum deos Priapum, Cupidinem, Venerem, & inuolutos omnibus flagitijs Saturnum, Iouem, Martem, Mercuriumque haud coluisset, is erat impietatis.

XXIII.

Illud verò vnum maximè iustitiam Catholicæ Ecclesiæ commendat, qua ius æquabile inter omnes mirabiliter conseruatur; quòd nemini, siue ille sit summus Pontifex, siue infimæ omnium conditionis homo, fas est credere quod libuerit, sed cuilibet est necesse id credere, & eo modo credere, quod vniuersi, & quomodo vniuersi credunt,

neque

neque ab eo aut ei cōsonis fas est recedere, vt primo signo explicauimus. Illud igitur iustum, & illud verum, quod non ab hoc illóve tale dicitur, sed quod ab vniuersis per omne tempus reputatur. Hæc ἰσονομία & iuris æquabilitas facit, vt quando Ecclesia constat ex omnibus cogniti orbis populis, & per omne tempus diffunditur, vt nemo sit ex Ecclesiæ corpore, cui non tribuatur suum ius omni tempore, & illud tamen suum sit vniuscuiusque. Nam quamuis alicui nihil omninò sit; hoc tamen est ei, quòd si ipse sit ex Ecclesia, nemo credat, aut credere velit, quod non ipse credit rectum, verumque. Atque ita, quòd maximum est, singulis datur, vt sint ex Ecclesia Dei hoc ipso, quod suum ius hac in rē singulis tribuatur. Hæc itaque habet ad maximam iustitiam pertinentia quilibet Catholicus ab Ecclesia Catholica. Primum, vt id tantùm credat, & eo modo credat, quod audit ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa credi: id nos signo primo, quale sit, ostendimus. Secundum, vt nemo possit ab homine isto, quicumque ille sit, sic animato dissentire, & ab eius fide vnguem latum recedere, etiamsi sit Pontifex ipse summus. Tertium, hoc Ecclesiæ Catholicæ fundamentum. Nam fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quamobrem in eo, quod est omnium maximū, iustitiæ æquabilitas summa per Ecclesiam Catholicam diuinitus excogitata, & inter Catholicos mirabiliter inducta: de qua nos fusius & ad finem primę coniunctionis, & initio signorum eiusdem.

SIGNVM TRIGESIMVM QVINTVM,

Religio.

Cùm religio nullibi magis efflorescat, quàm inter nostros; hinc fit nos esse ex Ecclesia Dei, in qua religio maximè spectari debet.

CAP. III.

RELIGIO, quæ à fonte iustitiæ prima inter alias virtutes illi adnexas deriuatur & cuius est in primis speciales actus intimè & extrinsecus constituere, quibus

bus Deum colamus, & diuino cultui mortales potissimùm dedicare, necesse est maxima sit inter Catholicos, & maximè inter illos elucescat. Quocirca laudantur illi viri, qui conuenerant ex omni natione in Hierusalem ad festa celebranda, tamquam religiosi: laudatur Cornelius Centurio, quod religiosus esset, & religio munda prædicatur, qua nos immaculatos ab hoc sæculo custodimus. Hac verò nos omnibus præstare apertissimè colligitur è multis.

Actor. 2.
Actor. 10.
Iacob 2.

Ac primo loco, quòd innumeri è nostris sunt interfecti per omnes ætates hanc ob rem dumtaxat, quòd nullum signum facere vellent, quo Christum spernere viderentur, vel impiorum superstitionibus adhærere. Non ego hîc ago solùm de vniuersis martyribus, qui propter assertionẽ religionis nostræ vitam profuderunt, & quorum multitudo est infinita, ita vt ex vna Roma numerentur supra ter centum millia martyrum; quantum suorum pseudomartyrum, quotquot hæreticorum, gentiumq; aliarum factiones fuêre ab orbe condito numerare non possunt. Sed hîc agimus de martyribus illis, quibus vita concedebatur, si quid egissent, quod per se quidem non erat aduersus nostram religionem; sed tamen alij volebant id accipi in eam partem, quasi per illud nostræ religioni renunciaretur: exempli gratia, Licinius in gelidum stagnum conie-cit quadraginta martyres in Cappadocia, ꝓpè aderat balneum tepidum, in quod si desiluisset ex illis vllus propter nimiam frigoris impatientiam, intelligebatur Christum repudiasse. & tamen immobiles cuncti perstitêre, vno excepto. Similiter aliàs multorum manus inuersæ ponebantur, & alligabantur supra aras carbonum candentium, in palmis thus dabatur hac mente, vt illi manum voluerent, atque ita dicerentur thus dedisse idolis: & nihilominus ij, ne quam significationem desertæ religionis darent, elegerunt manus concremari potiùs, quàm inuertere. Quamquam commune erat olim cunctis Christianis, vt vitam ponerent; licet ab ijs nihil aliud exigeretur, vt eo propè momento idolis sacrificarent, aut eorum sacrificijs interessent. Quod temporis momentum à magistratu exactum simul ac præterijsset, nemo erat penè, qui obseruaret quid ab illis ageretur, nisi ex quo rursus edicta renouarentur. Hinc Antoninus Imperator in vita sua Christianos vocat obstinatos; & idem Galenus scribit; quòd

I.

II.

Basil. orat. in XL Mart.

scilicet vitam nollent redimere breui simulatæ religionis mendacio.

III. Sed certè nostris adhuc temporibus, cuncti propè martyres, si vel ad horam voluissent hæreticis subscribere, ac tempori seruire mortem proculdubio in Anglia & Gallijs euasissent. Impius namque ille Henricus Octauus, & Elisabetha lupa hucusque versipellis, nihil aliud exigebant à Catholicis, nisi vt tum consentirent eorum decretis. ob id negatum interfecti ac trucidati Carthusiani, Franciscani, & omnes illi quos enumerauimus multos signis de perpetua martyrum successione, de patientia, & de mansuetudine. Quòd si isti haud recusassent agere quod impij volebant, effugiebant mortem; liberique dimissi, quò voluissent, poterant se conferre, ac religioni se Catholicæ restituere.

IIII. Quamquam summa religionis obseruantia constantiaque in nostris perspicitur è tot ac tantis laboribus, periculisque, quæ singulis ætatibus ac diebus suscipiunt, & vltrò adeunt in disseminanda religione Catholica inter exteras, remotissimas, atque efferatas gentes; quod signis de propagata fide, & gentibus innumeris efferis ad humanitatem perductis aperuimus. Non enim nostri, exemplo hæreticorum, domi desides & otiosi commorantur, huic vni rei dantes operam, vt seditiones intra domesticos suorum parietes commoueant, vnanimemque Catholicorũ consensum discordijs à se disseminatis diuidant; sed patria relicta, contemptis opibus auitis, spretis delicijs, & commodis, longinquas adeunt regiones, itinera obeunt periculorum plenissima, maria importuosa, incognita, ac turbulentissima traijciunt, seque gentibus credunt, quarum quidem facies humana, sed mores omninò belluini. Id verò vt efficiant, nihil aliud efficit, nisi maximus amor religionis. Ex quo factum videmus, vt sola Catholica doctrina perpetuò fuerit inter gentes propagata, & quò magis est illi ex aliqua parte detractum, eò magis est illi adiectum ex alia per nostros, vt suprà apertissimè est explicatum.

V. *Plures martyres clericorũ, quã laicorum.* Illud porrò Catholicæ religionis tum puritatem, tum incredibile inter nostros studium ostendit, quòd cùm clerici & monachi speciatim se deuoueant religioni, & ob id religiosi vocentur, hinc contigit, vt è nullo hominum statu plures vltrò oppetierint mortem pro religione Catholica,

lica, martyresque fuerint effecti, quàm clerici & monachi, si exiguum scilicet eorum numerum respectu aliorũ contempleris. Ponamus enim plures esse martyres in Ecclesia Catholica ex aliqua hominum conditione; si tamen postea bene inspicias, videbis ob id esse plures, quòd eorum in vnaquaq; ciuitate & natione sit ingens numerus, & exiguus clericorum. Quòd si numerum numero compares, pro ratione multitudinis, comperies è clericis esse plures martyres, quàm è quauis hominum conditione. Id verò est cognitu facillimum, si vel sumas in manus Calendarium Romanum, videas, qui, & ex quo vitæ genere sint martyres in Calendario adnotati. Idem cognosces è Martyrologij lectione. quòd si neque his acquiescas, perlege signũ de perpetua martyrum successione, ac videbis plerosque martyres esse clericos, aut monachos. Ac licet verbi gratia totus aliquis populus fuerit aliquando è Catholicis interfectus pro cultu Christi, proculdubio plures erunt è laicis martyres: sed si distribuas inter eos vitæ genera, & multitudinem multitudini conferas, cognosces longè plures è clericis ac monachis propter eorum paucitatem perstitisse in Catholicæ veritatis confessione, quàm è quauis hominum conditione, propter ipsorum multitudinem. Ex quo colligitur longè præstantiores ac meliores esse diuinæ gratiæ munere clericos, quàm laicos.

VI. Plures sancti clericorum, quàm laicorum.

Quod autem de clericis martyribus asserimus, idẽ contendimus de ijsdem, si vitæ puritatem & sanctimoniam miraculis etiã cælestibus declaratam cõsideremus, quamuis martyrium non subierint. Nam longè plures exstiterunt vitæ innocenter actæ, ac rebus diuinitus gestis præclarè laudibus illustres clerici, quàm laici. Vt scilicet agnoscamus religionis progressus in Ecclesia Catholica non temerè factos, sed cælitus inductos; & inter nos reuera florere religionem, quando qui eam profitentur, licet habeant aliquos flagitiosos, & multos malos, attamen habent etiam qui vniuersis vitæ integritate, & quadam diuinitate præstent; idque omni ætate.

VII. Plures ex Episcopis, martyres, ac sancti, quam è reliquis.

Rursus è clericis si sumas Episcopos, videbis pensatá Episcoporum paucitate, & clericorum, aut etiam monachorum multitudine (in vna namq; ciuitate vnus Episcopus, clerici verò aut monachi plures) longè plures ex Episcopis sanctos, & martyres, quã è clericis & monachis. Ac ratio facillimè initur. Cùm nulla sit vrbs paulo antiquior,

quæ non habeat plures Episcopos & martyres, & sanctos, (quos è tabulis Democharis, qui recenset omnium propè Episcoporum successiones libro de Missæ sacrificio, dinumerare possumus) quàm laicos, qui è quauis hominũ conditione fuerint in eadem vrbe, conferendo semper, vt diximus, numerò numerum; ita vt si ex Episcopis vigesimus aut trigesimus quisq; vel martyr fuit, vel alioquin maximè sanctus, necesse sit eodem modo ex alterius conditionis hominibus vigesimum quemque aut trigesimum esse vel martyrem, vel alioquin maximè sanctũ. perspiciemusque ita ex Episcopis lõge plures esse martyres, aut sanctos, quàm è reliquis clericis, aut alterius conditionis hominibus. Ac ne remota consectemur; Romæ exstiterunt viginti septem, vel etiã triginta martyres è Papis, septuaginta autem duo sanctimonia cælestibus miraculis declarata illustres, vt signo de prudẽtia politica capite de Pontificis Romani gubernatione recensuimus singillatim. atqui non fuerunt in vrbe eadem tot sancti, multitudinem multitudini conferendo, ex vlla hominum conditione.

VIII. Plures è Papis sancti, ac martyres, quam è reliquis.

Ex quo sequitur etiam è nullo mortalium statu plures effloruisse sanctos, quàm è Pontificibus Romanis, ac proinde meritò vocari illos sanctissimos. Vnus namque Papa in toto orbe terrarum, qui superiorem non agnoscit vllũ; ex alterius conditionis hominibus innumeri. Quocirca sicut in orbe Catholico nulla sedes est, nulla principũ præsulúmve quorumuis successio, quæ Papæ non subijciatur; sic etiam nulla est, quæ tot martyres ac sanctos producat. Igitur Papæ meritò sanctissimi vocantur, ac nullibi magis religio floret, vt inter Catholicos, inter quos præstantissimi quiq; religiosi, & qui inter religiosos dignitate ac sanctitate præcellunt, ijs est sanctitas præcipua, atq; eminentissima; non quidem si respicias singulos, sed si vniuersos. Non enim potest aut debet negari, è clericis, monachis, Episcopis, Papis esse aliquos scelestos. Sed hîc non agimus de aliquibus, verùm de vniuersitate tota religiosorum: alioquin & ex Angelis nonnulli mali, & ex Apostolis Iudas. Veniant itaq; in medium nunc hæretici, vel aliæ gentes, ac videant num præsules eorum summi, principesque, aut religiosi comparari nostris possint. Accedamus ad rem propiùs. Coëant omnes hæretici, coëant cunctæ nationes, quæcumq; fuerunt ab orbe condito; ac si possunt,

non

non ex vna vrbe, sed è toto orbe terrarum producant tres aut quatuor è suis summis antistitibus, aut principib⁹, qui à nobis dissenserint, & sanguinem pro sua doctrina profuderint, pro suæ religionis assertione. Haud possunt. Inter nos igitur maximum religionis studium, maximus amor. Rursus edant, si possunt, ex iisdem primarijs suis præsulibus, & principibus, qui à nostra Ecclesia discreparint, & singulari fuerint vitæ puritate, & sanctimonia admirabili, quam Deus ipse miraculis consignarit. Non habent.

IX.

Iam verò ex alijs colligi potest, quantum religioni tribuatur à nostris, quòd sola Ecclesia Catholica est, quę primas omninò tribuat viris religioni addictis. Pontifex nāque summus, idemque ob sacerdotium religiosissimus, cunctis Regibus & Imperatoribus ex omni parte & præest, & imperat. Inter hæreticos & alias gentes non ita. speciem forsan inter ipsos primæ dignitatis ac potestatis Episcopi habebunt, ac religiosi, sed rem vimque nulla ex parte. Patriarchis Constantinopolitanis imperabant omninò Imperatores olim, deijciebantque eos, & euchebant pro arbitrio, ex quo desciuerunt à nobis, vt signo de fide confirmata ostendimus. Nunc verò summouentur & eliguntur iidem à principibus Turcarum. Quid verò de Protestantibus hæreticis dicemus, inter quos ipsæ fœminæ, & quidem lupæ, atque è lupis natæ, (talis enim Elisabetha Angla, filia Annæ Boleniæ, cui publico iudicio in platea Londini ob adulteria caput est amputatum,) Episcopos creant, abigunt, leges religionis figunt ac refigūt. Enimuerò necesse est, vt tali eorum religioni talis sit princeps, quæ cùm virgo velit haberi ter fuerit enixa, & maritum noluerit certum, vt cum pluribus coniungi licentiùs posset. Iidem verò Protestantes templa ac monasteria, qui est ipsorum amor in religionem, vel diruunt, vel in prophanos vsus conuertunt, cùm sint tamen sacris vsibus ac religiosis dedicata: monachos, clericos, & virgines Deo consecratas abominantur. Nos contrà, vt ostendamus maximum nobis esse amorem in religionem, dicimus & ostendimus nulli populo esse tot templa, tot monasteria, tot bona religioni, ac religiosis viris ac fœminis, qui totos se Deo deuouerunt, dedicata, vt nobis.

X.

Proponuntur euenta mirabilia Ecclesiæ Catholicæ quoad hominum religiosorum cœtus.

CAP. IIII.

ATQVE vt videant omnes quanta sit ordinum religiosorum in orbe Christiano laus & vtilitas, nonnullas obseruationes, quæ iucundissimam possint habere diuini consilij contemplationem subijciemus.

XI. Prima sit igitur; quoties Ecclesia magnis impiorũ tempestatibus est agitata, Deus non modò viros insigni sanctimonia præstantes cælitus ad illam iuuandam misit ex illa potissimum parte, qua volebat illi opem ferre, & in ea loca, quibus incolumitatem salutemque summam cupiebat, sed huiusmodi misit, qui religiosos ordines instituerent, vnde acies multæ sanctorum pro recta doctrina & pietate pugnantium temporibus ijs turbulentis prodierunt. Verbi gratia, cùm pestis Ariana peruasisset Orientem, Deus extulit in lucem Antonium illum Magnum in AEgypto, vnde erupit Ariana lues, & Basilium in Cappadocia, ambos non modò cælestis innocentiæ, & puritatis viros, sed auctores ordinum religiosorum, è quibus monachi innumeri pro vero Dei cultu præliaturi postea sunt exorti.

Religiosorum cœtus excitati turbulentis Ecclesiæ temporibus.

At cùm tabes eadem sese effudit in Occidentem, Vandalis Africam, Ostrogotthis Italiam occupantibus, Africæ quidem Deus Augustinum, Italiæ Benedictũ largitus est, vtrumque plurimorum sanctitate summa excellentium patrem.

Eutychianorum verò tempestate, quæ maximè conturbauit Orientem, Cõstantinopoli florebat Studius auctor Studitarum; in Palæstina autem Sabas ille magnus, & Euthymius, qui plurima monasteria construxerunt. Quod autem memorabile sit, temporibus Monothelitarum Heraclij, & aliquot eius liberorum, cùm Mahometes Orientem cepit, nulli leguntur in Oriente fuisse vel eximiæ sanctitatis viri, vel ordinum religiosorum institutores; cõtrà in Occidente Columbanus, Gallus, & Eustachius Columbani sectatores viri sanctissimi innumera & laudatissima in Gallijs, Italia, & confinibus Germaniæ monasteria construxerunt, è quibus vnum referre sit satis Luxouiense; è

quo

quo sunt exorti Episcopi sanctissimi Chagnoaldus Lugdunensium, Acharius Viromanduorum, Rachnacarius Bononiensium, & Tarraconensium; Eustachius autem Varascis, & Baioarijs Christi doctrinam prædicauit.

Secuta sunt deinde tempora Iconomachorum, quibus in Oriente floruerũt aliqua ex parte Ioannicius Abbas, & Plato: sed in Occidente enituerunt Othmarus, qui multa multis in locis Galliarum monasteria fundauit; similiter Bonifacius in varijs Germaniæ locis: & ex hoc tempore ædificata nobilissima monasteria Fuldense, Corbeiense in Saxonia anno octingentesimo vigesimo secundo, Hirsaugiense octingentesimo trigesimo octauo, è quibus innumeri viri sanctimonia excellentes prodierunt, à quibus latè in Germania Christi cult⁹ propagatur, vt tum ex alijs, tum è chronico Trithemij, & Metropoli Crantzij constat. Post hæc Oriens destitutus ijs, qui religiosorum familias instituerent, cùm iam Photius discessionem à nobis maximè machinaretur, Græciq; paulatim abalienarentur.

In Occidente autem Hecti Archiepiscopus Treuerensis ordinem Canonicorum, quos vocant Regulares, excitato ad Confluentiam monasterio, instruxit in Germania. & mox Berno Burgundus Comes instituit ordinem Cluniacensium: ex quo profecti viri omni virtutum genere ornatissimi, Romualdus similiter ordinem Camaldulensium, Ioannes Valbertus familiam Vallis vmbrosæ in diœcesi Florentina.

Pergentibus verò adhuc Græcis in alienatione illa sua à nobis, & in Occidente Nicolaitis cuncta miscentibus, suffragante illis Henrico tertio Germaniæ Rege, Iuo Carnutum Episcopus Canonicis in Ecclesijs cathedralibus leges præscripsit, & anno millesimo octuagesimo quarto Bruno Coloniensis Carthusianorum familiam constituit, millesimo nonagesimo quarto Robertus ac Bernardus Cisterciensium, millesimo centesimo decimo sexto Nortbertus Xanctensis Præmostratensium. hoc etiam tempore & ipsa militia speciatim Deo consecrata, excitatique religiosorum militũ ordines Hospitalariorũ, Templariorum, Teutonicorũ, & paulò pòst Cisterciensiũ & aliorũ in Hispania.

Post hæc cùm VValdenses, omnigenæque hæretici passim cuncta in Occidente conturbarent, Dominicus & Franciscus suos ordines de suo nomine dictos Ecclesiæ dederunt, Albertus & Angelus Carmelitas.

Rursus cùm sæculo superiori Hussitæ ex inferis erupissent, Bernardinus Senensis, & Vincentius Forerius Hispanus, illi Francisci, hic Dominici instituta in antiquã sanctamque formam restituerunt.

Nostro autem, quo colluuies omnis, & omnia monstra hæresum vetustarum sunt à Protestantibus renouata, Frãciscus Paulanus, Ignatius Loiola, & inter Franciscanos Capuccini, ac Discalceati, similiter inter Cistercienses alij suas acies religiosorum instruxerunt, & eduxerunt aduersus hostes Ecclesiæ. E quibus omnibus perspicitur maximus in nostris ardor religionis tuendæ cęlitus in eorum pectora immissus: vnde factum vt semper aliqui viri sancti monia & miraculis eminentes existerent, qui arctissima & seuerissima religionis instituta formarent, quibus armarent homines aduersus hostes Ecclesiæ, religionisque labentis euersores. quod factionibus hæreticorum, populisque alijs à cultu Christi alienis, & terrena sectantibus, opes, voluptatesque, non contigisse apparet.

XII. Hinc illud contigit, vt quibus in locis haud potuerunt, iræ cęlestis id vltione exigẽte, excitari ordines isti religiosorum in ijs Christianæ religionis vel maxima, vel omni ex parte facta sit iactura, in easque regiones Christiani nominis hostes omninò inuaserũt, aut hæreses variæ & prodigiosæ in ijs pullularunt. Sic primo loco à Sarracenis Oriens occupatus: quòd in illo deficerent ordinum religiosorum sancti institutores, aut antiquorum veri obseruatores: secundò Africa, in quibus fere exterminatus Christi cultus. Tertiò in Hispania, cùm Vitiza, & Rodericus (vt ordines omnes religiosorum, quod agunt etiam nunc Protestantes, dissoluerent) potestatem fecerunt omnibus sacerdotibus, non modò vt vxores ducerent, sed etiam quot vellent sibi adiungerent. Quartò à Turcis Græcia & finitimæ regiones adductæ in potestatem. Quintò videmus idẽ contingere ijs terris, in quas vel nullo modo, vel propè nullo admittuntur ordines isti vitæ cælestis, & antiquæ puritatis renouatores, vt Hungaria, Mysia, Dacia, Pannonia. Sic ante has omnes clades sexto loco cognoscere possumus, à Gotthis, Hunnis, Gepidis, Auaribus, Bulgaris, Slauis, easdem prouincias Mysiam, Daciam, Pannonias deleto Christi cultu omni ex parte vastatas. Septimò ab Anglis Britaniam sic occupatam, vt indigenæ ferè omnes ad internecionem fuerint exstincti. Sic octauò nostra hac ætate cla-

rissimè conspicimus in omnibus terris Borealibus, è quibus expelluntur ordines isti religiosorum, erumpere innumeras hæreses inter se dissidentes: vt iam non sint tot capita, tot sententiæ, sed eiusdem capitis quotidiè plures sententiæ in vnaquaque vrbe, domo, & homine, dummodò hoc, modò illud, vt libitum fuerit, à quouis creditur: ita vt nemo inficiari possit factum inter istos veritatis detrimentum, quando veritas sit vna, neque illa sibi discrepare vllo modo possit. Quin vltimò narrat Munster⁹ hæreticus scriptor, in insula amplissima Grotulandia homines relabi ad antiquæ idololatriæ impietatem, cultumq; Christi obliterari omninò. Est verò hæc insula, in qua Zinus in libello suæ nauigationis fuisse scribit monasteria Dominicanorum, qui post hæreses Protestantium fuerũt inde exacti. Constat igitur à religiosis ordinibus Ecclesiæ Catholicæ singulis sæculis obsisti hæresum furijs, & impietati, religiosorumq; ordines esse antemuralia quædam aduersus inimicos cultus omnis ac nominis Christiani.

Nunc tertiam subijciamus obseruationem. Ex hisce familijs religiosorum sunt profecti pleriq; omnes, per quos in remotissimis regionib⁹ Christi cultus est latè disseminatus. Ostendimus enim suprà signis de fidei ꝓpagatione & confirmatione, in Anglia, Germania, Gotthia, Noruegia, Suecia, Dania, locisque Boream magis spectantibus, Christi doctrinam propagatam per eos, qui sancti Benedicti vestigia sunt secuti; nimirum per Augustinum, Iustum, Mellitum, Paulinum monachos à Gregorio Magno missos Angliam Christo adiunctam; per Gallum, Columbanumque Basileenses, Augustodunenses, Tarraconenses, ac finitimas his regiones; per Bonifacium, sociosque illius à Gregorio Secundo, & successoribus missos, Germaniã; per monachos Corbeiæ Saxonicæ Daniam, Noruegiam, Gothiam, Sueciam, per Cyrillum, ac Methodium ex ordine S. Basilij à Nicolao Magno missos Bohemiã, Bulgariam, Croatiam, Seruiam, Bosnam, Slauicasq; gentes. Adalbertus, qui Hungaris & Polonis ad assequendam rerum diuinarum veritatem maximo fuit adiumento, fuit alumnus monachorum sancti Benedicti, vt è Dubrauio liquet. Non nulli ex ordine Camaldulensium, quod narrat Petrus Damiani in vita sancti Romualdi, inter Rascios & Polonos Christi cultum amplificarunt. Milites Theutonici ductum sancti Benedicti, ac regulas, quantum ratio militiæ

XIII. Per religiosos Christi fides propagata.

permittebat, sequi profitebantur. Hi Prussiam Christo acquisiuerunt. Meynardus canonicus regularis ex ordine sancti Augustini prior in Liuonia fidei Christianæ semina iecit: secutus est illum Bertoldus Abbas è familia Cisterciensium, qui maximè in illa regione Christi doctrinam propagauit, vt Helmoldus tradit. Aperuimus etiam suprà in Indijs Occidentalibus cultum Christi dissemina-tum per Bucilum Catalanum, sociosque ipsius ex ordine sancti Benedicti, vt scribit Fumus, ac Petrus Martyr: mox hunc secuti plurimi Augustiniani, Dominicani, Franciscani. In India cis Gangem qui prior è nostris Christi doctrinam cœperit rursus in lucem reuocare, fuit è Franciscanorum familia Henricus, quod Osorius scribit: secuti sunt postea innumeri ex omnib⁹ ordinibus, qui vltra Gangem nauigantes cuncta Christi lumine illustrarunt, maximè verò qui sunt è Societate Iesu.

XIIII. Gemini sẽper cœtus religiosorũ excitati.

Quarta sit obseruatio: cùm religionis duæ sint partes, & quæ dirigit mentis intimas actiones, & quæ corporis externas, alteræq; ab alteris inter sese aptæ & connexæ pendeant, Deus turbulentis Ecclesiæ temporibus per singulas ætates aut sæcula visus est misisse duos è p̃dictis ordines, quorum alter cõtemplationi magis & solitudini, alter autem frequentię & actioni deditus esset, vt scilicet in Ecclesia ex omni parte religio perfectè absolueretur.

Nam qui instituta Antonij sunt secuti, sola loca precũque diuinarum studium magis sectabantur; qui Basilij, non ita.

Secundo autẽ loco Benedictus magis est imitatus Antonium, Basiliumque Augustinus.

Tertio Studitæ, & Euthymij discipuli consuetudinem cæterorum non sic vitabant, vt Sabę sectatores, qui rerum cælestium meditationibus magis delectabantur.

Quarto Othmarus Basilio, Augustino, Euthymio, Studioq; ex parte similis; auctores Fuldensium, Hirsaugiensium, Corbeiensiumq; Antonio, Benedicto, & Sabæ.

Quinto Romualdus Antoniũ visus est maximè sectari, Berno Basiliũ: illius enim discipuli solitudinis potissimũ, contemplationisq; erant amatores, at huius non adeò.

Sexto Iuo, & Northbertus ijs viuendi normam constituerunt, qui inter hominũ cœtus magis versarentur; Bruno & Robertus ijs, qui longiùs ab illis abessent, tales enim Carthusiani, & Cistercienses.

Septimo Franciscus syluas amabat, & abstrusa loca, veluti etiam Eremitæ Augustini: Dominicus in frequētibus & celebribus suorum domicilia constituebat, sicut Carmelitarum Angelus, & Albertus.

Octauo Franciscus Paulensis Assisatem Franciscum videtur imitatus, Ignatius Loiola Hispanus Hispanum Dominicum. Atque hic finis: vt sciamus Ecclesiæ datos cælitus aduersus hostes Dei, & qui illam precibus in primis, deinde agendis rebus, & qui contrà primò agendis rebus, deinde precibus iuuarēt, & vtramque religionis partem ritè perficerent: sicut enim Ioannes Baptista genus vitæ secutus est ab vrbibus & oppidis remotum, contrà verò Christus, cuius ille præcursor erat; sic diuinitus Ecclesiæ dari solent, vbi opus est, qui vtrumq; vitæ genus excolant, & appositis legibus ornent; exemplo Moysis, & Aaron, è quibus hic externorum ministerio, ille autem diuinæ voluntati per preces explorandæ operam dabat. sic Apostolis & eorum successoribus erant sui diaconi, vt hi munia præscripta peragerent, illi verbo ac precibus operam darent. Viden' igitur, quantis diuinæ prouidentiæ mirabilibus euentis religio Catholica per singulas ætates instructa muniatur, ac procedat.

XV. Pontifices optimi è religiosis.

Quinta sit obseruatio. Ex hisce ordinib' prodierūt difficillimis Ecclesiæ temporibus summi Pontifices, qui excelso inuictoque animo ingruentes hostium procellas superarunt, ac sedarunt. Horum verò Pōtificum proprium fuit, Christianorum mores optimis sanctionibus emendare populis in vitia prolapsis, Pontificiamque auctoritatem, & potestatem aduersus Reges & Imperatores, vbi opus fuit, tutari. Verbi gratia, Gregorius Magnus cùm pleraque inter Christianos multis criminibus obnoxia inuenisset, emendauit: quæ verò forent illa, & quibus rationibus correxerit, apparet ex eius vita à Ioanne Diacono conscripta. fuit ipse ex ordine sancti Benedicti, eoq; sedente Longobardi in Italia, Visigotthi in Hispanijs ab hæresi Ariana ad Catholicam veritatem redierunt, Anglia Christo se adiunxit. Agatho Pontifex sanctissimus & ipse monachus fuit ex ordine sancti Benedicti, & eius auctoritate habitum sextum concilium aduersus Monothelitas; cumque pessimo exemplo Imperatori Constantinopolitano pro summi Pontificis consecratione quædam pecuniæ summa penderetur, id ne amplius fieret, curauit. Ante hunc Bonifacius Quar-

Plat. in vitis Pont.

tus eiusdem familiæ collabentem monachorum disciplinam in melius redegit, multis editis constitutionibus. & vt omittamus Adeodatum, & Stephanum Tertium, similis instituti viros insigni sanctimonia, Leo Quartus hortatibus suis impulit Neapolitanos, Amalphitanos, & Caietanos, vt nauali prœlio Sarracenos adorirentur, & Italiam, Romanaque littora sæpiùs incursantes profligarent; in Vaticano vrbem Leoninam condidit, vt Corsis, cæterisq; quos Sarraceni ex insulis Mediterranei maris expellebāt, esset perfugium quoddam: antiqua Pontificum decreta, celebrato Episcoporum Concilio, ad emendandos Christianorum mores renouauit. Huius sanctitate permotus Adelolphus Angliæ Rex, Romam supplex accessit, & voti reus suum regnum Romanæ Ecclesiæ tributarium constituit, singulis familijs argenteo nummo in singulos annos obligatis, anno octingentesimo quinquagesimo primo. Hos sequitur Stephanus Nonus, multis miraculis clarus, qui Henricum Tertium Imperatorem multis criminibus obnoxium facto aspero aduersus eum decreto notare non dubitauit; & vetita sacris legibus subdiaconorum coniugia, consanguineorumque nuptias renouatis sanctionibus interdixit. Quid autem dicemus de Gregorio Septimo, quem tantoperè oderunt hæretici, laudant verò illorum temporum scriptores mirum in modum ob sanctitatem, constantiamque animi inuictam, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, alijque plurimi historici, ac post eos Otho Frisingensis fidei spectatæ auctor? Hic namque Nicolaitas, Simoniacosque omnes prorsus ex Ecclesia, depulit repugnante nequidquam Henrico Tertio, quem propter enormissima flagitia nihil resipiscentem deposuit Imperio, & excommunicauit. Huius vestigia sunt secuti Victor Tertius, Vrbanus Secundus, Paschalis Secundus, & Gelasius Secundus, ordinis eiusdem, qui constantissimè maximos illorum temporum fluctus superarunt. Ex his Vrbanus Secundus Philippum Galliarum Regem propter incestas nuptias, à quibus abstinere nolebat, excommunicauit, & Occidentem ferè totum Concilio ad Claromontem indicto commouit aduersus hostes Christi, vt armis Asiam Palæstinamque cum sepulchro Iesu tandem aliquando recuperarent è manibus Sarracenorum, quod & perfectum. Ante hos Pontifices metu armorum

Sigo. lib. de reg. Ital.

non-

nonnulli Imperatores hoc sibi arrogarunt, vt Episcopum Romanum confirmarent, Episcopos cæteros ipsi instituerent, beneficiaque omnia largirentur. Per hos Pontifices effectum, vt prophani sibi haberent prophana, quæ tamen, vt par est, sacris subijcerentur, sacris Præsulibus sacra relinquerentur. Fuit etiam è Benedicti sectatoribus multo pòst Eugenius Tertius, anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, Anastasius Quartus, & Hadrianus Quartus. Post hos fuêre nonnulli Pontifices ex ordine Canonicorum regularium Honorius Secundus, Innocentius Secundus, Lucius Secundus, Anastasius Quartus, Alexander Tertius, Innocentius Tertius, Honorius Tertius. Ex his Alexander Tertius impetus Friderici Primi, Honorius Tertius Friderici Secundi Imperatorum fregerunt, ac contuderunt. Innocentio autem Secundo Imperium Constantinopolitanum deuenit in potestatem Latinorum, & habitum Concilium Lateranense Magnum, cui quadringenti Episcopi interfuerunt, ac Præsules innumeri, multaq; sanctissimè decreta. Tales igitur hi fuerunt, vt alios omittamus, qui ex alijs ordinibus exstitêre. E quibus constat quanta sit in Ecclesia Catholica religionis potestas, atq; excellentia.

XVI. Doctissimi religiosi viri.

Sexta est obseruatio. Ab his ordinibus, veluti omnium bonorum seminarijs quibusdam, rerum diuinarum atque humanarum scientia maximè est promota, & quasi in artem certis regulis redacta. Vna namque sancti Benedicti familia tot scriptores sacros dedit, vt eos enumerare singulos sit satis difficile: qui volet, legat Trithemium de viris illustribus. Quin perijssent doctrinæ omnes, nisi conseruatæ illæ per monachos fuissent, vt è signo de confirmata fide & peritia Catholicorum liquet. Enimuerò, nisi Beda monachus res Anglicas memoriæ mandasset, Gregorius Turonensis, Hademarus, & Annonius Francicas, Rhegino VVedekindus, Sigebertus, Vrspergensis ac Stadensis Germanicas, qui omnes monachi fuerunt plerique ex ordine sancti Benedicti, istarum nationum facta in densissimis omninò tenebris laterent. Cum verò populi isti & cuncti Boreales antiquis temporibus non essent vlla doctrina, aut vllis moribus exculti ad humanitatem, per eosdem monachos ad hoc perducti fuerunt, vt è signo de innumeris gentibus ad humanitatem perductis constat, & capite de ducentis

Ger-

Germaniæ & Angliæ bonis: atque ita cognoscimus quanto dedecore conentur adspergere nobilissimas istas nationes quicumq; ex illis monachos insectantur. A Dominicanis porrò & Franciscanis Theologia & Philosophia sic est illustrata, vt nulla quæstio ferè sit, quam non illi vel pertractarint, vel attigerint. Diximus signo de peritia Catholicorum, gymnasia in Occidente publica renouata Carolo Magno procurante per Alcuinum, siue Albinum, & Ioannem Scotum: ex illo maiores in litteris facti ab omnibus progressus. Sic postquam Alexander Halensis Anglus, Albertus Magnus Germanus, Thomas Italus philosophica scriptis mandarunt, philosophiæ studia maximè reuixerunt. A Canonicis deinde regularibus canonicum ius è diuinis libris, Conciliorum, Pontificumq; sanctionibus desumptũ maximè est illustratum. Canonici namq; regulares fuêre Innocentius Secundus, Alexander Tertius, quorum plurima in decretalibus rescripta leguntur. Notissimum porrò est inter Occidentales quatuor ex antiquis doctorum primas tenere, Ambrosium, Augustinum, Hieronymũ, Gregorium. Ex his tres, Augustinus, Hieronymus, & Gregorius, ordinum religiosorum patres. Inter Orientales similiter princeps locus datur Basilio, Nazianzeno, Athanasio, Chrysostomo, è quibus Basilius, Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus monachi fuêre, Basilius præterea Orientalium monachorum pater. Viden' igitur vt à religione ac maximè religiosis viris nihil non boni inter Catholicos & è Catholicis in omnes populos dimanet? Viden', vt inter Catholicos maximè sit excellentia religionis, nulla verò, aut propè nulla inter hæreticos, cæterosque à nobis alienos?

Proponuntur cœtuum religiosorum mirabiles in Ecclesia ad bonum commune progressus.

CAP. V.

XVII.

SED adhuc operæpretium est videre, vt Deus voluerit in Ecclesia Catholica semper fieri maiores progressus vtilissimis ac nouis ordinum religiosorum institutis, quibus Respublica maximè adiuuaretur, & amplificaretur, quod sanè in nullis gentibus esse cognosces: atque ob

ob id fateberis Ecclesiæ Catholicæ nullum posse in religionis obseruantia cœtum comparari. Ac primis quidem temporibus omnes monachi erant iisdem ferè legibus, similiter & clerici. Christianorum namque numerus non erat, vt nunc est, adeò magnus. Vbi verò Imperante Cōstantino Ecclesia incredibili multitudine est amplificata, tunc Deus nouas dedit vtrisq; leges, & constitutiones: sic enim tempus exigebat. Ex illo igitur tempore habemus Basilij Magni Pachomijque, & aliorum regulas monachis præscriptas. Sanctus deinde Augustinus diuino numine afflatus, clericis qui spontè vellent simul viuere, & nihil habere proprium, sed omnia communia exemplo monachorum, normam viuendi dedit. Sed monachi precibus plerumque operam dabant, animoque ab omni vitiorum vel minima labe expurgando, & omnium virtutum genere excolendo: clerici populum doctrina sacra erudiebant in ijs, quæ pertinent ad fidem: hoc monachorum non erat, nisi cùm vocabantur extraordinario munere, vel episcopi fiebant. Talis igitur propè status ab anno tercentesimo ac tricesimo vsque ad ætatem Gregorij Magni, qui sedere cœpit anno quingentesimo nonagesimo. Hic cùm videret clericorum mores ob frequentem populi, & quorumlibet consuetudinem, pacemque inter Christianos firmatam dissolutiores, omnium propè primus in mores induxit incredili Ecclesiæ Catholicæ incremēto, vt monachi mitterentur ad exteras gentes ad Christi cultum perducendas. Misit itaque Augustinum, Mellitum, Iustum, sociosque istorum ad Anglos Christo conciliandos, monasteriaq; in Britannico solo construenda. Haud negamus, & antea nōnullos populos ad Christi fidem traductos opera monachorum, sed neque tam latè, neque vllis admodum firmis fundamentis ac progressibus. Ex hoc itaque tempore innumeri per monachos populi Christo se addixêre, vt ostendimus suprà, & adhuc ostendemus: è Luxouiensi namq; & Sangallensi monasterio qui prodierunt monachi plurimas ad Christum gentes in Gallia, Belgica, & in Heluetijs, finitimisque populis transtulêre. Bonifacius deinde monachus à Gregorio Nono in Germaniam missus multa multis in locis monasteria condidit, è quibus factum vt Germani omnes nomen Christo darent. Inter alia fundauit Bonifacius monasterium Fuldense, è quo viri omni virtutum genere præstantissimi sunt profecti, & à quo multa

Vide Paul. Morig. lib. de Ord. relig.

mo-

monasteria propagata, in Hirsaugiēse, vnde clarissimi monachi, quod è Trithemio & Crantzio constat; nonnullos enumerat etiam Munsterus. Post hæc in Saxonia extructum monasterium Corbeiæ, vnde Anscharius, Rhembertus, alijque à quibus Dania, Noruegia, Sueciaque, & finitimæ gentes Christo conciliatæ. Ad summam per monachos, vt suprà vidimus, totus Septentrio ad Christi numen colendum perductus, ex quo Gregorius Magnus collápsa clericorum disciplina è monasterijs ad hoc ministerium monachos eduxit. Tres hucusq; habemus religiosorum status. Primus à Christi fundata Ecclesia vsq; ad tempora Constantini. Secundus à Constantino vsq; ad Gregorium Magnum. Tertius à Gregorio Magno vsq; ad annum propè millesimum.

Primò monachi nō magni nominis fuère, sibi solis omninò videbantur viuere, vt ex epistola Dionysij Areopagitæ ad Demophilum, & è scriptis Philonis, quę ad Christianos pertinere Hieronymus & Eusebius volūt, & in quibus ille mores Essenorum Alexandriæ degentium complectitur, apparet.

Secundò, non nisi ad episcopatus assumpti sacra munera obibant, certioribus tamen legibus tum ipsi, tum clerici regulares ad ipsorum propè normam constituti viuere cœperunt.

Tertiò, maximas res in Conciliandis Christo gentibus aggredi & efficere sunt visi.

Quartus est post annum nongentesimum & sexagesimum, quo Romualdus, Otthonum tempore, deinde Bruno, ille Camaldulenses, hic Carthusianos instituerunt, nouo & admirando consilio diuinitus inspirato. Suis enim monachis hi loca certa assignauerunt, in quæ se occluderent tota ætate sua, sibique solis ac Deo ab omni mortalium consortio seiuncti totiq; in diuinorum contemplatione positi viuerent. Erant & anachoretæ, eremitæque vetustissimis temporibus, sed his à nemine vlla certa loca assignata, distinctis domicilijs, attributoq; ministerio, à nemine vllæ certæ leges perscriptæ: haud multò pòst Petrus Hostiensis, & mox Iuo Carnutum Episcopus, postremò Nortbertus clericos seu canonicos regulares ex præscripto sancti Augustini in optimam formam viuendi reduxerūt. Atque ita tum eremitæ, tum clerici in melius ac certius propter certa loca & certas leges viuendi genus per hos di-

diuinitus sunt reformati. Hic igitur quartus religionis progressus.

Quintus est huiusmodi. Religiosis viris hucusque propositum fuit id, vt Ecclesiam doctrinæ vitæque exemplo solo, & prædicatione amplificarent. Non erant vlli religiosi huic in primis addicti rei, vt armis eam defenderent. Arma verò ad tuendam Rempub. quoquo modo necessaria apparent. Igitur post annum millesimum centesimum que, & amplius nescio quid, instituti ordines militantium Hierosolymitanorum, Templariorum deinde, mox Teutonicorum, multi postremo in Hispania. Per hos ex Hispania depulsi Sarraceni; per Teutonicos Prussia. Liuoniaque Christo acquisitæ; per Hierosolymitanos cohibiti fractiq; sæpè impetus Mahometanorum in nostra incursantium.

Sextus est hic. Hucusq; religiosi semper aliquid commune habuerunt, fundos, & agros communes. Aduenerunt itaq; missi cælitus Franciscus, & Dominicus, ac primi constituerunt, vt suorum familiæ nihil commune haberent, nullos fundos, nulla prædia, maximam professi paupertatem, quòd forsan aliqui indignarentur à religiosis tantum possideri, quibus non benè animatis & voluit Deus esse satisfactum. Præterea verò Dominicus aduersus acerrimos rectæ doctrinæ hostes aliud religiosorum præsidium induxit. Nullus namq; ordo certus erat, cui propositum foret in primis hæreticos profligare: quocirca Dominicus aduersus hos ordinem suum constituit; cui foret hæc pcipua cura, illos retundere, & perdere. At Franciscus cùm videret Laicis non esse nisi vnam viuendi inter Christianos normam præscriptam, vt aliquos ex his seligeret, qui haberent, vbi vellent, sanctiorem viuendi formam, regulas quasdam legesque speciales his præscripsit, suosque præfectos attribuit omnium primus, distinctumque vestitum. Vterque præterea sic suos instituit, vt essent semper è suis, qui è superiori loco verba de rebus diuinis ad populum facerent festis quibusque diebus. Cauerunt etiam, vt certis monasterijs certi semper essent, qui suos edocerent quæcumque ad Philosophiam Theologiamque pertinerent. Ante hos hæc omnia fuerant incerta, & inconstantia. Atqui natura comparatũ videmus, vt vniuersitas bene procedat, cũ sunt certis rebus certa attributa ministeria, quin vni vnum, quod in corporis membris intuemur; alioquin

communia negliguntur: sic in Rep. bene instructa, ita sit oportet. Haud multò pòst hos diuinissimos viros, Dominicum, & Franciscum, in Hispania institutus ordo, qui dicitur Mercedis religiosorum, quibus hæc est præcipua cura, vt ab impijs abductos in seruitutem Christianos redimi curent. Eodem tempore instituti & alij duo ordines, vt vocant Mendicantium, quibus nihil olim proprium, vel cōmune erat, Eremitarum scilicet sancti Augustini, & Carmelitarum, quibus eadem propè studia, quæ Franciscanis, ac Dominicanis.

Septimus est plurimarum sodalitatum, quas vinculum religionis quoddam sponte adstringit, non vlla vota Deo nuncupata, sanctus enim Bonauentura primus hoc instituit, vt è Laicis excitarentur sodalitates, q̃ ad opera pia cōuenirent, precesque certas quotidiè recitarent, suosq; præfectos haberent perpetuo successionis tenore deligendos. Initium verò instituti sanctissimi Romæ factum in sodalitate siue Archiconfraternitate Confalonis circiter annum propè millesimum ducentesimum septuagesimum. Huius exemplo innumeræ in orbe Christiano formatæ sodalitates, quarum institutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur. Romæ numerantur vigintiquinq; aut etiam plura huiusmodi collegia, & singula ferè quot annis distribuunt puellis honestis ac pauperibus in matrimonio collocandis dotes, ita vt ducentis atq; etiam pluribus in vrbe singulis annis assignentur. Ante sanctum Bonauenturam sanctus Dominicus formarat societatem Rosarij; sed illi nulla lex, nisi meditandi, & orandi, & Eucharistiam certis diebus sumendi. Sed hæ, quas diximus, sodalitates omnia propè opera pia complectuntur, cùm sint alijs alia proposita, dotandis puellis, curandis ægrotis, inopibus adiuuandis eleemosynarum largitione, pupillis educandis, peregrinis pauperibus excipiendis, defunctis sepeliendis, viduis aut malè nuptis custodiendis, mente captis adseruandis, curandis; alendis, pueris egenis ad eas artes, quibus idonei sint, erudiendis, infantibus expositis nutriendis, meretricum resipiscentium monasterioq; inclusarum necessitatibus subleuandis, paci inter offensos resarciendæ, carcere detentis ope ferenda, egentum litibus auxilio aduocationis procurationisq; præstando. Omnibus hisce operibus in vrbe scimus esse præpositas, quas vocant, Archiconfraternitates, & collegia, à quibus extra

vrbem plurima eiusdem generis in alias ciuitates propagata, ex eo tempore, quo sanctus Bonauētura primus Confalonis societatem Romæ fundauit. Quicumq; verò his aggregantur, nullo voto obligantur, vt cæteri, de quibus egimus, & qui tria nuncupant Deo vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ: sed quando hæc religioni adscribi possunt, idcirco huc coniecimus.

Octauus itaque sit ac supremus Minimorum, & Iesuitarum, è quibus illi à Francisco Paulano profecti id moris habent, vt voto abstineant ab esu carnium, lacteorum, ouorum, vt mens onere ciborum minus impedita liberiùs diuinis possit vacare: Hi auctore Ignatio Loiola nihil non amplexi sunt, quò virtutes verè cælestes, bonasq; litteras, & doctrinas pectoribus humanis toto orbe terrarum possint inserere; idcirco & pueros humanitatis artibus imbuunt; ac nullis laboribus, vt mortalibus bene per ipsos esse possit, vmquam parcunt. Aetate etiam maiorum nostrorum institutus est ordo illorum; qui se voto adstringunt ad ægrotos curandos; ijs est Romæ sedes ad Sancti Spiritus in Saxia. secutus est hunc alius eiusdem propositi à Ioanne Dei Hispano excitatus in Hispania, & in Italia multis locis disseminatus. Sequuntur ordines alij clericorum regularium, qui vulgo Theatini dicuntur, quibus nihil est proprium vel commune, sancti Pauli decollati, & qui ex voto parentibus orbatos pueros alunt, è Somasco vocati; præter hos est Doctrinæ Christianæ societas; quæ prima religionis nostræ elementa pueros docet. Postremæ dentur nostræ congregationi; cuius sunt partes, gesta sanctorum Ecclesiæ Catholicæ; euenta, & acta narrare, & de virtutibus vitijsq; breui ac simplici sermone verba facere, idque singulis aut alternis diebus: nam cùm videamus ab hæreticis nihil nō cōtumeliç in sanctos & Ecclesiā, spurcissimè & flagitiosissimè iactari, impulit afflatu cælesti Deus Philippum Nerium, magnæ innocentiæ, prudentiæq; in dignoscendis animis hominum promouendisq; ad Christianas virtutes vt ad hoc multos sibi adiungeret, & in his eximiæ pietatis virum Franciscum Mariam Taurusium; qui acta sanctorum, & Ecclesiasticæ historiæ euenta quotidiè referrent, hominesque ad boni virtutumque persecutionem, mali & vitiorum fugam propositis exemplis inflammarent. E quibus omnibus colligitur, Ecclesiam verè esse terribilem, perinde atq; aciem castrorum ordinatam ad

uersus flagitia & impietatem, quando in illa tot sunt, qui se nulli non virtuti capessendæ vehementissimo studio de uoueant, & arctissimo religionis vinculo cõstringãt. Quod nulli nationi ac cœtui contingere nemo peritus diffiteri potest.

XVIII.

Sed quod alibi nos omisimus, huc apposite conijciamus, nõ antea à nobis animaduersum, neq;, quod sciamus, ab vllo. Impij quanto furore trãsuersi agantur in Põtifices Romanos, nemo est qui ignoret. Post hos ijdẽ sibi insectandos proposuerunt Cardinales; quasi homines ad malũ natos. Videamus, quàm rectè, & quanti exstiterint in sanctimonia religionis ac puritate vitæ isti Cardinales, ac primũm sciamus Cardinalẽ nõ fieri vel vsu purpuræ, vel ipso vocabulo. Sunt enim, qui & purpurã gestent, & Cardinales vocentur, neq; tamẽ ij sunt, de quib. est sermo. Cardinalẽ facit ius eligendi Pontificẽ Romanũ. Hæc potestas diu permãsit in presbyteris, & diaconis vrbis ipsius, in quos eligebantur primis etiã temporibus homines è quauis natione. Modò non oẽs admittuntur ad hanc potestatẽ, sed qui speciatim fuerint ad hoc delecti, & qui Rom. Ecclesiæ specia- tim vocãtur presbyteri, & Diaconi Cardinales. Iã siquis velet oẽs presbyteros ac diaconos vrbis, qui vitã priscis tẽporibus ante amplificatũ latè Christi cultum posuerunt pro Catholica religione, is proculdubio propositum non assequeretur. Innumeri namq; sunt. Neq; etiam facit ad rẽ nostram: illos enim Cardinales maledictis exagitant impij, q post annum propè millesimum fuerunt; ex illo namq; Cardinalis vocabulum maximè vsitatum. Aduersus hos quæ conuicia non euomunt ebrij quidam? Quid igitur si ostendamus amplissimè Cardinalium collegium post hæc tempora omnium collegiorum, quibus sit ius eligendi Præsulem in aliqua ciuitatum summum, esse sanctissimum? Sumatur itaq; in vrbe aliqua, (sunt enim multæ, ac præsertim in Germania,) collegium quodlibet huiusmodi, & inspiciantur post annos ab ortu Christi mille, quot fuerint ex illo diaconi, aut presbyteri, quorum sanctimonia singularis fuerit diuinitus miraculis illustrata. Rursus ex alia parte collegium Cardinalium; & cognoscemus ex hoc multò plures fuisse sanctitate & miraculis celebres, quàm ex vllo aliorũ. Post annos mille è Cardinalibus hi, quos sciamus, sancti, & miraculorum gloria præclari numerantur. Petrus Damiani, cuius vitam refert Hieronymus Rubeus in histo-

Cardinales sancti post annũ millesimũ.

historia Rauennati, & Surius tomo septimo; Petrus Igneus, qui Alexandro Secundo sedente, cùm Florentini in duas essent partes diuisi, & altera schismaticis hæreticisque Petro Episcopo duce adhæreret, altera Alexandro Secundo, vt ostenderet Alexandrum verum Pontificem, Christique Vicarium, Missa celebrata, acceptaque ab Abbate Ioanne Gualberto benedictione, solo indusio tectus, nudisque pedibus inter duas strues ardentium lignorum longas decem brachia, altas propè & latas quinque lento gradu flammis mediam viam vndique cooperientibus illæsus lætusque tota vrbe inspectante incessit, cunctisque obstupescentibus veritatem maximo miraculo comprobauit, Igneusque ob id vocatus, Cardinaliumque collegio adscriptus, vt scribunt Conradus Hirsenau Germanus, Abbas Vrspergensis, Ioannes Franciscus Binus, qui hac ætate vixit, Auctor vitæ Ioannes Gualberti, Ioannes Baptista Dertonensis libro de monachis illustribus, Petrus Calcearius in historia monastica, & Ioannes Vallis Vmbrosæ monachus libro Abbatum congregationis illius. Post hos est Guarinus Bononiensis, qui sub annum millesimum centesimum quadragesimum quintum floruit, & in sanctos est relatus ob cælestem vitam miraculis diuinis consignatam: eius est mentio in tabulis Episcoporum Bononiensium editis iussu Gabrielis Paleotti Card. omni virtutum genere excellentissimi, neq; satis vmquam laudati, vita habetur tomo 7. Surij mẽse Februario. Sequitur hos Galdinus Archiepiscopus Mediolanensis, itemq; Cardinalis, qui decessit anno millesimo centesimo septuagesimo quinto, de quo in tabulis episcoporum Mediolanensium. Porrò tũ Guarini, tum Galdini meminit Sigonius libro de regno Italiæ, & in sanctorum numerum relatos testatur. His adnumeratur Bonauentura Balneoregiensis, qui obijt anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, cuius vita habetur apud Surium tomo quarto. Quinque sunt igitur Cardinales vitæ cælestis actibus, miraculorumque effectione illustres post annos mille, Petrus Damiani, Petrus Igneus, Galdinus, Guarinus, Bonauentura. Carolum Borromæum constat ætate nostra vitæ exstitisse sanctissimæ, constans est etiam fama miraculis à Deo nobilitatum. Sed omittamus ipsum. Nunc producantur quæso in medium ex aliqua ciuitate quinque sancti miraculis celebres ex ijs diaconis & presbyteris, quibus sit potestas

Petrus Damiani.

Petrus Igneus.

Guarinus.

Galdinus.

Bonauentura.

eligendi Antistitem in illa vrbe primarium, post annos ab obitu Christi mille. Haud producentur. Cunctos enim no tatos habemus in Martyrologio, & vitis sanctorum. Et quiuis hac in re facere iudicium potest è sua patria inspiciens, an in ea sint quinque huiusmodi è presbyteris aut diaconis sancti miraculis illustres. Necesse est igitur dicamus collegium Cardinalium post Pontifices Romanos re uera esse sanctissimum. Quod vt magis liqueat, adijciamus illud. Inspiciatur cuiuslibet vrbis vel celeberrimæ amplissimus clerus, & videbimus post annos mille à nato Christo ex illo haud exstitisse quinque è diaconis aut presbyteris sanctos miraculis illustres, & tamen erunt ciuitates, in quibus duo millia clericorum, & amplius numerabuntur. Quid dicam? accipiatur aliqua regio, & prouincia omnium latissima in orbe Catholico, quam volunt esse nonnulli Germaniam, sit igitur illa, & videbimus, post annos mille ab ortu Christi haud prodijsse ex illa quinque sanctos miraculis claros è presbyteris & diaconis, quibus sit ius eligendi Præsulem in aliqua ciuitate primum; quin neque in vniuersum ex vniuersis presbyteris ac diaconis, modò non sint illi ex ijs, quos vocant Regulares, & tamen verè ausim dicere, in Germania tota fuisse ante Lutheri furias obortas, presbyterorum, & Diaconorum millia sexaginta, nunc etiam viginti, ac plura. Non erit itaque Cardinalium collegium sanctissimum in religione nostra? Id verò magis est mirandum, quòd vsque ad Sixtum Quartum Cardinales non attigerunt numerum triginta, & vsq; ad Leonē Decimum non peruenēre ad numerum quinquaginta trium. Numquam verò fuerunt septuaginta; vt è libro Panuuini de Cardinalibus liquet. Quamobrē longè admirabilissimum, maximam, frequentissimamque omnium Catholicarum prouinciarum non potuisse tot presbyteros, aut diaconos sanctos, ac miraculis claros producere post annos mille ab ortu Christi, cum tamen illi tot millia forent presbyterorum, & Diaconorum; quot vnum Cardinalium collegium tam exiguum. Sed quinq; superioribus addēdus, qui nos fugerat, sextus; Bernardus & ipse Cardinalis creatus ab Vrbano Secundo, maximæ vir sanctitatis, cœlitumque ob id numero adscriptus; cuius acta nonnulla diuina referunt historiæ monachorum Vallis Vmbrosæ; meminēre eiusdem tabulæ Parmensis Ecclesiæ; cuius ille fuit Episcopus; Romanum Mar-

tyro-

tyrologium, Molanusque, & Baronius in illud, Decemb. die IV. Quantò igitur sanctius hoc collegium cæteris inter Catholicos? Innumeris sine dubio partibus. Neque verò potest esse error in ratione ineunda. Surius namq; diligentissimè collegit omnium sanctorum vitas, qui floruére in Germania. Viden' igitur, quàm flagitiosè oblatrent hæretici & impij aduersus Cardinalium religionem, quasi per eos illa commaculetur. Haud negamus aliquos tanta dignitate indignos illi facere iniuriam. Sed & inter Apostolos Iudas à Christo electus, & dæmones Angelis sanctissimis aliquando associati. Quales iudicari res in terra debeant, haud pensandum ex eo, quod mente præstantissimũ concipi potest; Sed è comparatione aliarum rerum. Et quidem nos, si voluissemus, innumeros Cardinales maxima vitæ integritate attulissemus, sed nullus fuisset finis, satis habentes de ijs verba fecisse, quorum sanctitas miraculis, quasi diuino testimonio fuerit consignata; alioquin ætas nostra plurimos dedit innocentiæ singularis: quod, necui verba temerè proferre videamur, liquidum fiet, si è præcipuis nationibus vnum dumtaxat ætatis nostræ Cardinalem producamus iam vita defunctum, viuentes enim nominare haud decet. Qualis igitur Stanislaus Osius Polonus, cuius vitam descripsit optimus & candidus vir Stanislaus Rescius? qualis Ioannes Grœpperus Germanus, & Ioannes Roffensis Anglus, quorum acta memoriæ mandauit Surius, & hic quidem martyr fuit? qualis Gallus Hieronymus Soucher? qualis Ioannes Aluari de Toleto Hispanus, ex ordine Minorum? qualis Robertus Nobilius Italus, cuius diuina quædam gesta breuibus perstringit Garimbertus? Ex his omnib. fit, inter nos religionem sibi primas sanctitatis vēdicare, ita vt primo loco sint Pōtifices Romani, secundo Cardinales, tertio Episcopi, quarto clerici, aut tribus illis religionis obstricti votis. Considerantibus verò quæcumq; hoc capite disseruimus, liquet summam Catholicis esse religionem, sicut etiam cæteras virtutes; hæreticis horum nihil, nisi laruam, & vmbram.

SIGNVM TRIGESIMVM SEXTVM.

Cultus Deiparæ sāctorumq; amplificatus.

Prædictum est fore, vt ab Ecclesia Dei amplificaretur cultus Deiparæ, & sanctorum: id ab Ecclesia nostra dumtaxat factum, clarissimè demonstratur.

CAP. VI.

VIX fieri potuit, vt inimicus aliquando vllus fuerit vero Christi cultui, idemque Virgini & sanctis non fuerit inimicus. Quocirca Ecclesiæ Dei signum sit illud etiam clarum, in illa non modò honorem Virgini ac sanctis omnibus debitum fuisse semper conseruatum, quod forsan hæretici nonnulli sibi possent arrogare, sed etiam propagatum ex alijs in alias gentes, amplificatumque præterea nouis, ac diuinitus inductis modis. Id verò consentaneum fuit oraculis, ac figuris sacris. Sic enim Deus ad serpentem siue, potiùs diabolum specie serpentis obtectum: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.* In quibus verbis multa obseruanda: ac primum, quamuis iam tum satæ inter serpentem genus humanum fuisse videantur inimicitiæ, tamen iam tum serendas non omninò fuisse indicat Deus; non enim dixit, Pono; sed, Ponam, futuras igitur aliquando maximè prædicit inimicitias. Secundum, futuras eas non modò inter sobolem mulieris, ac dæmona, dæmonisque sectatores, sed etiam speciatim inter mulierem, ac diabolum, & satellites eius. Oppugnatam verò ab impijs fuisse mulieris alicuius claræ gloriam speciatim (hoc enim quærimus) nemo audiuit vmquam, nisi Deiparæ. Tertium, videri Deum non verba in primis facere de Eua præsenti, cùm dicit, Mulierem; alioquin dixisset, inter te, & hanc: quod Rupertus adnotauit. Quartum, quod scriptum reliquêre idem Rupertus, & ante illum Epiphanius aduersus Antidicomarianos, dictum, Inter semen mulieris. Nullus aũt mortalium est solius mulieris semen, sed mulieris simul, ac viri. Christus vnus est solius mulieris semen, viro non interueniente. Agitur itaque hîc potissimùm de inimicitijs exercendis per impios aduersus Christum & Mariam. Quintum, cùm nihil in sacris libris temerè sit, hoc enim suspicari flagitiosum est, sapientissimè à Deo ambiguam lectionem relictam. Nam quod in vulgata lectione est, *Ipsa conteret caput tuum*, sic sanè reddi ex Hebræo

I. Gen. 3.

bræo poteſt, atq; ita legerunt Claudius Marius Victor, Alchimus Auitus, Chryſoſtomus homil.17.in Geneſim, Auguſtinus multis locis, Ambroſius libro de fuga ſæculi cap. 7. Gregorius libro Moralium cap.38. Eucherius, Rupertus, Beda, Rabanus, Strabus, ac Bernardus ſermone ſecundo in illud, Miſſus eſt. Verti tamen poteſt, Ipſe, ipſa, ipſum, vt poſt Galatinum, & Lucam Brugenſem, Robertus Bellarminus oſtendit. Cur igitur hæc ambiguitas lectionis à Spiritu ſancto permiſſa: vt ſciamus victoriam, quæ de dæmone refertur, adſcribendam quidem omninò ipſi Chriſto, ſed & per Chriſtum præcipuè adſcribendam Virgini Mariæ. Cùm verò inimicus quilibet hoc agat, vt inimicum tollat, ac deleat, omnemque illi aut aliquem detrahat honorem; victoriaque habeatur ex hoc, quòd non modò non fit vllum detrimentum honoris & gloriæ propter impugnationes aduerſarij, ſed potiùs acceſſio & amplificatio; vincat autem ſemper Chriſtus, & Maria, quamuis ſemper oppugnētur; hinc neceſſariò fiet, non eſſe ibi Eccleſiam Dei, ſiue Chriſtum, & Mariam, in quá non augetur cultus eorum, ſed vel imminuetur alteri illorum, vel obſcuratur. Contrà, ibi eſt Eccleſia, vbi prouehitur Mariæ cultus.

Aug. lib. 2. de Gen. cōt. Ma. c. 18. & li. 11. de Gen. ad lit. c. 36.

II.

Num. 24.

Innuere hoc etiam videtur antiquiſſimus vates Balaam, qui ſic de Chriſto: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël.* & mox, *Iſraël verò fortiter aget.* Hæc ille de Chriſto per ſtellam deſignatum. Atqui Chriſtum ſcimus non eſſe ortū ex Iacob, neq; Virgam ſurrexiſſe ex Iſraël, ſed ex Maria, ex Iacob, & Iſraël prognata. Per Iſraël igitur vates Mariam notat, quòd illa ſcilicet ex Iſraël ſit profecta. Qua nobrē quòd ſubijcit, *Iſraël verò fortiter aget*, ſiue quod alij reddunt, *Faciet diuitias*, ad Mariam ſpectabit, ac neceſſe erit, vt alicubi Maria fortiter agat, & faciat diuitias. Ac ſicubi Mariæ vires ſunt exiguæ in amplificādo Chriſti ſuiq; cultu, ſicubi hac in re faciet huiuſmodi diuitiarū iacturam, non ibi erit ſtella ex Iacob, & virga Iſraël. Imminui verò cultum Chriſti ab hæreticis & alienis, à nobis verò latè amplificari, ſuprà multis ſignis de fidei propagatione, imminutione, ac reparatione oſtendimus. Speciatim verò quæ pertinent ad cultum Mariæ, hoc ſigno complectemur: quanquam Iuſtinus martyr in Apologia ſecunda, & Athanaſius lib. de incarnatione verbi, ſtella Mariam, virga Ieſum ſignari velint: rectè. nam Mariæ nomen, vt Hieronymus vult, ſtellam maris

ſignificat, atque hoc ſequuntur multi, in his Eucherius, Beda, Bernardus, Huius argumenti eſt illud Iſaiæ, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel.* Quibus in verbis ſciendum, quòd duobus modis verti ex Hebræo poteſt, & vocabis, & vocabit. Hieronymus, ac ſeptuaginta reddiderunt, vocabis, ſed interpres Chaldæus, & Hebræorum doctores, vt Pagninus teſtatur in Theſauro, vocabit, interpretantur. Vtraque lectio vera, præuiſa, ac permiſſa à Spiritu ſancto. Quòd ſcilicet Maria ſit, quæ Chriſti munere efficiat, vt ipſi dicere poſſimus, Nobiſcum Deus, hoc enim ſignificat, Emmanuel; & eadem ſit, quæ dicat; Nobiſcum Deus. Non erit itaq; Chriſtus inter eos, inter quos illa id nō dicet. Hic nemo nō clamabit, hoc dicere inter ſuos Mariā, & ſuos idem de filio Virginis dicere. Atqui inter nos dūtaxat hoc eloqui Mariam conſtabit primo loco, qđ è ſubiectis apparebit, in Eccleſia noſtra effici per Mariā miracula, quæ ſolus Deus efficere poteſt. Secundo apparebit, per hæc miracula, quæ inter nos efficit Maria, Dei cultum propagari, quod non contingit alijs ab Eccleſia noſtra alienis. Atque ita per Mariam Virginem concipitur Chriſtus adhuc, & paritur in mentibus humanis inter exteras gentes in Eccleſia noſtra. Atque huc ſpectant duæ, vt vocant, pulcherrimæ ad rem noſtram figuræ. Prima eſt Euæ ipſius, & Adami, quibus dictum, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Vt enim ſuprà libro primo diximus, Chriſtus eſt Adamus nouus: & quamuis dixerimus, Euam nouam eſſe Eccleſiam; tamen cùm Virgo ſit Eccleſiæ nobiliſſima pars, ad eam maximè refertur vt ſit Eua, quæ ſignat matrem viuentium, quòd nimirum ex virtute Chriſti Maria potiſſimum det vitam cæleſtem generi humano, per eam creſcamus in fide, multiplicemur in charitate, cælumque repleamus. Hoc in Eccleſia noſtra fieri dumtaxat per Mariam mox explicabimus, ergo in nobis Chriſtus. Quod verò Eua ſignet Mariam, ob hanc cauſam, quòd ipſa præcipuè vereque magis ſit viuentium ſiue iuſtorum mater, ſcriptum reliquêre Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Procopius Gazæus, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Hieroſolymitan9, Epiphanius contra Antidicomarianos, Chryſologus ſermone centeſimo quadrageſimo, Maximus Taurinenſis ſermone de natiuitate Chriſti, Chryſoſtomus homilia de interdictione arboris, Auguſt. libro de quinq; hæreſib. cap. 6. &

III. *Iſa. cap. 7.*

IV. Maria Eua noua.

Iuſt. in col. Triphonis. Iren l 5. & 3 cap 33. Proc. in Gen. cap 3. Nyſſe. in Domi nat. ſer. 2. de annunc. Cyri cat. 12.

& sermone septimo in natali Domini, Fulgentius sermone de duplici natiuitate Christi, Sedulius in carmine Paschali, Arator libro primo in Acta Apostolorum, Rupertus in Cantica, Bernardus in illud Euangelij, Missus est. Cùm sit igitur Eua secunda virgo Maria, solùmque in Ecclesia nostra pariat viuentes, dum per eius miracula Christi cultus per nostros dumtaxat amplificatur, necesse est nos dumtaxat esse ex Ecclesia Christi. Atque hoc etiam figuræ alterius elegantissima propositione explicatur. Nam super arcam fœderis duo Cherubim sedebant, à quibus propitiatorium, vnde responsa dabantur, & vnde propitius dicebatur esse Deus, tenebatur. Alterius verò è duobus Cherubim effigies erat maris, alterius erat fœminæ, quod in apparatu suo Benedictus Arias docet: vt & Christus, & Maria per vtrumque significaretur, per quos Deus est propitius, ac votis nostris respondet. Necesse est namque aliquid esse in Ecclesia, cui respondeant illa prisca, cùm certissimò sciamus ex Paulo epistola ad Colos. & Hebræos antiqua fuisse vmbram & figuram Christianarum rerum. Quocirca oportet in Ecclesia sit aliqua fœmina, quæ Christi dono ac meritis, instar Euæ, non maledicta, sed benedicta pariat omnes homines Deo, non terrenos, sed cælestes, & per quam similiter Deus sit nobis propitius, ac responsa det veluti per Cherubim, non verbis, sed mirandis operibus ad animi in primis, deinde etiam corporis curationem. Atque hoc est, quod ipsamet prædixit futurum, vt beata diceretur ab omnibus generationibus: & addidit causam quia fecit illi Deus magna, & quia Dei misericordia est à progenie in progeniē timentibus eum. Audin' idcirco beatam prædicandam Virginem inter alia, quia Deus timentium se misereatur à progenie in progeniem, perpetuo scilicet temporis decursu, ac successione gentis alicuius haud interrupta? facit igitur Deus Virgini magna, quod per eam Christi meritis interuenientibus miseretur eorum, qui timēt ipsum, & ob id Virgo hæc beata prædicanda à cunctis. Atqui si inspiciantur omnes gentes, nulli Maria magis misericordiam diuinam semper impetrauit, vt nobis, & à nullis etiam magis beata prædicata est, vt infrà apparebit. E nobis itaque sunt illi, qui Deum timent, siue inter nos est Ecclesia Dei.

V.

VI.

Nam sicut Christus ipse, qui nos iussit post ipsum Deum parentes honorare, animi studio, verbis, ac factis, ipse ma-

VII.

trem toto vitæ tempore cunctis modis honorauit, quidquid impij oblatrent, alioquin contra sua præcepta fecisset; sic post suam mortem Christus præcepit, vt à suis dilectissimis pro matre haberetur, ac coleretur, cùm Ioanni dilecto commendauit illam dicens, *Hæc est mater tua*, & vicissim Ioannem dilectum commendauit illi subijciens, *Hic est filius tuus*, vt sciremus à Deo dilectos esse Virgini Mariæ filios, & Virginem dilectis à Deo esse de ipsius Christi constitutione Matrem, quod satis aduerterunt Cyprianus libro de passione Domini, Ambrosius in Lucam libro sexto cap. 32. & lib. 8. cap. 23. & libro decimo Epist. 82. Hilarius in 12 cap. Matthæi, Chrysostomus hom. 45. in Matthæum, Hieronymus in 12. caput Matthæi, quos ceteri deinde disertis verbis sunt secuti.

VIII. Sed concludamus argumentum præsens: ac veluti suprà ostendimus inter serpentem diabolum & Mariam speciatim positas inimicitias, diabolumque conari gloriam nomenq; Virginis aut delere, aut obscurare, sed quò magis id ille conatur, eò magis gloriam Virginis extolli in terris, ac per nostros amplificari, quæ est præclara Ecclesiæ nota, sic etiam futurum prædixit Ioannes Euangelista, cui fuit illa à Christo moriente commendata. Vidit namque ille in Apocalypsi mulierē Sole amictam, sub cuius pedibus Luna erat, & in capite corona stellarum duodecim; stabatq; vt pareret filium, qui gentes omnes regeret: ex aduerso draco erat magnus, vt filium deuoraret, quem peperisset: sed filius in cælum raptus est, ipsa aufugit in solitudinem, Michaël autem cum suis aduersus draconem præliatus est, ac vicit. Hanc mulierem esse Virginem Mariam, quæ Dei dono Christum peperit, & meritis Christi Christum parit quotidiè interuentu precum suarū in mentibus humanis, volunt Epiphanius libro aduersus Antidicomarianos, Aretas in illum locum, Augustinus libro de symbolo ad catechumenos cap. 1. Bernardus sermone incipiente, Signum magnum. Sit igitur certissimum impietatis, coniunctionisq; cum serpente antiquo signum oppugnatio vel obscuratio procurata splendoris & altissimæ eminentiæ, qua cunctis Maria præstat, contrà autem certissimum signum nos esse cum Michaele & Angelis eius in Ecclesia Dei, est illud, præliari aduersus eos, qui dignitatem Mariæ diminuunt, aut extenuant, extollereque & amplificare illius maiestatem.

Apoc 12.

Ac

Ac ne quis adhuc miretur tanti à nobis fieri Mariam, sciat ille tanti factam ab ipso Deo, quanti nullus homo, aut Angelus; curæq; maximæ Deo fuisse, vt ei' cultus iam inde ab exordio mundi præsignificaretur, & induceretur inter gentes: vt meritò nos cultum Mariæ propagatum & amplificatum signis Ecclesiæ annumeremus. Refert enim Cedrenus ab Argonautis ædificatum templum omnium nobilissimum, quod Plinius alibi describit veluti maximè admirandum; consultumque ab illis oraculum, cui consecrari deberet, carmina hæc fudisse:

Pli. l. 36. c. 1.

Oracula prisca pertinentia ad Virg. Mariam.

Aßidua virtute decus sublime parate.
Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat
Cælesti residens solio, colite, atque timete.
Illius æternum atque ante omnia sæcula verbum
Nescia Virgo viri nostras emittet in auras.
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet diuino munere mundum.
Huius, cui Mariæ nomen, sanctißima mater
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Hoc oraculum tanti fecerunt antiquæ gentes, vt illud æreis litteris in marmore impressis cõsignatum æternę memoriæ commendarint, ac supra ianuæ frontem cunctis legendum proposuerint. Sed populi sinceræ veritatis ignari, à dæmone seducti fabulosæ deorum, matri Rhææ illud dicarunt templum, quod deinde imperante Zenone ad cultum Mariæ est traductum. Rursus Iason Argonautarum princeps templum primum in arce Athenis ędificauit, Apollinemq; Delphicum consuluit, cuius futura esset ædes illa, & cui dedicanda in posterum. Tunc ille Deo verò cogente sic respondit: *Quæcumque ad honestatem virtutemq; vos incitant, facite. Ego autem tres cupio, Deum vnum regnantem apud superos, cuius verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici virgine, quod tamquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum patri. Huius erit hæc ædes. Maria autem erit nomen eius.* hæc oraculum respondit, vt Procopius Martyr Diocletiano imperante pro Christi cultu interfectus recitat, quod est apud Simeonē Metaphrastem. Atq; hoc forsan est, quod dæmones impij veram pietatem conati obscurare, quando aliud nõ poterant, mendacijs cuncta adsperserunt, & fabulosam Mineruam mortalibus tradiderunt, quam virginē fingebant, ac sapientiæ parentem. Apparet tamen voluisse Deũ palàm fieri generi humano,

Sur. tom. 4. Iulij. 8.

quanti Maria futura esset, & quanti ab omnibus fieri illam vellet.

Oracula Sibyllarum pertinētia ad Virginē Mariam.

Hinc & à Sibyllis voluit eius nomen euulgari, & laudibus summis efferri, cultumque eius hominibus commendari. Habemus namque libro octauo oraculorum Sibyllæ Erithreæ illud:

Καὶ βράχυς ἐλθῶν παρθένου ἐκ μαρίας λαγόνων

Ἐξανέτειλε νέον φῶς.

Et breuis egrediens Mariæ de Virginis aluo

Exorta est noua lux.

Et libro tertio.

Εὐφράνθητι κόρη, καὶ ἀγάλλεο, σοὶ γὰρ ἔδωκεν

Εὐφροσύνην αἰῶνος, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γῆν.

Ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσσεται ἀθάνατον φῶς.

Quod tibi tradiderit, qui & terram & condidit astra,

A Eui lætitiam, gesti ac lætare puella.

In te habitans, tibi lumen erit numquam moriturum.

Audin' futurum vt omnium conditor habitet in virgine, sitq; illi lumen immortale? Numquid igitur illud exstinguent hæretici, numquid obscurabunt?

X. *Ioan. 17.*

Fieri haud poterit: nam Christus de suis dixit ad Patrē, *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* vt igitur clar' Christus, ita munere ipsius post ipsum clari sancti erunt, non humana claritate, sed diuina, non igitur honor ijs debitus poterit imminui, necesse erit amplificari, veluti ex oraculis diuinis est amplificandus Christi cultus.

XI. *Sap. 2.*

Quocirca in vniuersum de sanctis est in sacris libris, *Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent: dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Ac veluti ab initio scintillæ sunt ignis tenuissimæ particulæ, sed si arundinetū corripiant, continuo latissimè flammas effundunt, incendia maxima excitant; ita sancti exiguo sunt in honore à principio, mox populis dominantur, ac veluti domini honorātur cultu religiosiore. Sic itaque est necesse, non modò Mariæ, sed etiam sanctorū cultum magis in dies augeri.

XII.

De tota namque Ecclesia dictum, *Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Ob id quatuor sunt ad honorem sanctorum seruata ab incunabulis Ecclesiæ.

Primum, reliquiæ ipsorum sunt habitæ in honore: qua de re ad finem secundæ coniunctionis egimus.

Secundum, templa Deo dedicata, de ipsorum nomine sunt dicta, ad ipsorum memoriam colendam, hinc vocata martyrum & sanctorum memoriæ. & quidem, nisi velimus abrogare priscis annalibus fidem, Martha & Maria Massiliam profectæ, duo templa, quæ dicuntur adhuc exstare, alterum Christo, Virgini alterum dedicarunt; atq; ita in vetustis Ecclesiarum illarum monumentis habetur. Et sanctus Sauinianus à Petro Suessionas in Gallias missus, ibi Petro eidem Ecclesiam excitauit. Idem Treueris, & Coloniæ Matern⁹ Petri discipulus egit non procul à Mosleim; qui & dicitur apud Bonnam Ioanni Baptistæ; Coloniæ Matthiæ Apostolo, apud Tungros ædem Deiparæ excitasse. Tradit Vasæus diligens Hispanicarum antiquitatum scriptor, viuenti adhuc Virgini à Iacobo Apostolo conditum in Hispania sacellum Cęsaraugustæ, idque non modò antiquissimis constare monumentis; sed maximis miraculorum euentis; refert hoc in annum Christi trigesimum septimum: & idem tradit Lucius Marinæus Siculus libro quinto de rebus Hispaniæ cap. de ædibus sacris. Romæ adhuc exstat Ecclesia Pudentianæ, priùs quidem Pudentis, cuius meminit Paulus, domus; quam conuersam in templum, tum è priscis Concilijs, tum ex actis sanctę Praxedis liquet. Cyrillus Hierosolymitanus floruit ante ac post Concilium Nicænum: meminit ille Catechesi decima sexta Ecclesiæ Apostolorum Hierosolymis erectæ, vbi descendit in eos Spiritus sanctus: meminit etiam illius Alexander in vita Barnabæ. Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes nominat templũ S. Quirini. Ambrosius libro primo epistola quinta ad Felicem: *Basilica*, inquit, *Apostolorum nomine dedicanda*. Basilius in Psalm. 114. vocat sacrum martyrum templum. Gaudentius æqualis horum, *Vt venerandas*, inquit tractatu de dedicatione Ecclesiæ, *sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit: deinde, vt hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est*. Hinc concilium Gangrense epistola ad Episcopos Armeniæ damnat Eustathium veluti contemptorem basilicarũ martyrum. Atque hæc satis quoad secundum.

Tertium, sancti semper in vota sunt vocati, vt pro nõbis interuentu meritorũ Christi intercedant apud Deum & ipsum Christum. hinc in omnium vetustissimis Lythurgijs

Quatuor instituta ab exordijs Ecclesiæ in honorem sanctorũ.

gijs Hebraicis, Græcis, Latinis, Syriacis, AEthiopicis videmus sanctos inuocari, eorumque fieri commemorationem in Canone sacratissimæ Missę, cuius rei meminit Dionysius Areopagita libro de Eccl. Hierar, capite de Synaxi, & cap. 7. vbi agit de inuocatione sanctorum; cuius & mentionem faciunt Irenæus, Cornelius Papa epistola prima, Eusebius Cæsariensis libr. 13. præparationis euangelicæ cap. 7. Cyrillus catechesi 5. Athanasius sermone annunciationis, Hilarius in Psalm. 129. & 124. Basilius orat. in 40. martyres, Nazianzenus in Cyprianum, Nyssenus in Theodorum, Ambrosius libro de viduis, & libr. 10. super Luc. cap. 21. Ephrem sermone de laudibus sanctorum martyrum, quos innumeri deinde sequuntur.

Iren. lib. 5.

Quartum, festi dies indicti & instituti ad eorum memoriam laudesque celebrandas, de quibus Ecclesia Smyrnensis epistola de obitu Polycarpi ad omnes Catholicos scripta, cuius verba recitauimus signo de studijs & exercitatione virtutum. Eadem discimus ex Origene hom. 3. in diuersa Euangelij loca laudans Innocentium festos dies quasi martyrum: Tertullianus eadem tradit libro de corona militis. Cyprianus lib. 3. epist. 6, *Dies*, inquit, *eorum, quibus excedunt, adnotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poßimus*, & lib. 4. epist. 5. *Sacrificia*, ait, *pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum paßiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus*. Eadem tradunt Basilius oratione in Gordium martyrem, Nyssenus in Theodorum, Nazianzenus oratione prima aduersus Iulianum, Ambrosius serm. 76. & 77. Hieronymus in 4. cap. ad Galatas, & epist. 19. ad Eustochium, Concilium Laodicenum canone 51. Carthaginense tertium canone 47. Hæc igitur quatuor diuinitus instituta ad cultum sanctorum ipso Ecclesiæ nascentis exordio; quæ sanctus Paulus respiciens epistola ad Hebræos ait; *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. quod Latinè est, Mementote, Græcè est μνημονεύετε, id est, memoriam celebrate. Igitur cultus reliquiarum, templa, inuocationes, ac festa, quatuor hæc religiosos honores sanctorum Deiparæque conseruarunt & euexerunt. ac rationi conueniebat hæc à Deo sanciri. Nam si iure nos honorem quemdam vel defunctis principibus sæpè exhibemus, si monumenta, vt arcus triumphales, porticus, & alia ijs excitamus, si viuentes oramus

Eus. hist. eccl. lib. 4. cap. 22

Heb. 13.

mus vt pro nobis Deum precentur, si principes ipsi natales dies suos volunt celebrari ferijs indictis, quantò magis hæc sanctis viris religioso ritu debebuntur?

Ostenditur à nostris amplificatum cultum Deiparæ, & sanctorum.

CAP. VII.

HIs positis, vt propiùs accedamus ad propositum nostrum; ante omnia ostendamus Deiparæ perpetuos è nostris fuisse laudatores, & quidem celeberrimos, quiq; ex omni generatione in omnem generationem beatam Mariam prædicarint, atq; ob id Deum timẽtes, & eius misericordiam sint consecuti; ex quo fit, cùm nostri sint illi, & nobiscum sentientes, Ecclesiam Dei esse inter nos, & nos esse ex Ecclesia Dei. Sed auspicemur ab Angelo Gabriele, qui sic ad Mariam: *Aue* Maria *gratia plena, Dominus tecum*. huiusmodi præconium nulli hominum datum legitur ab Angelis. Laudari verò non dicam à laudato viro, sed ab Angelo diuinitus ad hanc rem misso, maximæ est sublimitatis signum. neque verò mirum; nam cùm Canticis Canticorum describantur Ecclesiæ laudes, excellentissima verò pars Ecclesiæ sit Maria, meritò in primis ad eam spectat, quidquid in eis decantatur, vt inter alios Rupertus è nostris, & Andreas Cretensis è Græcis dixerunt. Intolerãda verò est hîc hæreticorum superbia, qui cùm nuper eruperint è terra, & Græca primis labris degustarint, audent contra omnes omnium sæculorum doctores Græcos & Latinos, asserere non bene redditum Latinè, Gratia plena, cùm Græcè sit κεχαριτωμένη, quasi vox hæc non sit idẽ, quod Gratia plena, vt intellexêre Hieronymus epistola ad Principiam, Sophronius illi æqualis sermone de Assumptione, Ambrosius in Lucã, Augustinus in Enchiridio c. 36. & sermone 2. & 17. de 2. natali: sed & Græci ipsi, Athanasius, Epiphanius, Chrysippus Hierosolymitanus, Ephrem, Andreas Patriarcha Hierosolymitanus, Damascenus in suis carminibus. quin aduertendum Græco adiectiuo non adiectũ articulum ἡ, qui quamuis in proprijs & appellatiuis, vt vocant, nominibus, augeat vim, non ita in adiectiuis, vt Apollonius Grammaticus docet libro primo

1. Argumẽt.

Angeli Mariæ laudatores.

de constructione. Hinc Athanasius sermone de Deipara ait: *Virgo in omnibus repleta fuit gratijs à Spiritu Sancto.* & Epiphanius contra Antidicomarianos inquit *Sic sentimus, quòd erant illi omnia κεχαριτωμένα per Spiritum sanctum, & virtutem altißimi.* & mox, A diuitijs diuinorum charismatum vocata est κεχαριτωμένη. quamobrem vox hæc sine articulo, significat omninò & ex omni parte gratia plenam præ cunctis, Angeli testimonium secuta est Elisabeth ijs verbis: *Beata quæ credidisti,* &, *Benedicta tu in mulieribus.* Quin ipse Præcursor, vt potuit, quamuis aluo materna inclusus, ad Mariæ salutationem gaudio exsultauit, magna & ipse dicturus, si per ætatem licuisset. At Lucas Euangelista, vt ostẽderet quanti esset hæc Virgo, inde voluit colligi, quod in Euangelio ipsius non modò tantum laudis, sed neque tantum scriptionis vlli post Christum datur ab eo, vt Virgini Mariæ; in alterius enim laudibus, aut actis describendis, nullibi impendit tantum verborum Lucas; vt in Maria celebranda secundùm ipsius filium. An verò Apostoli Mariam laudibus celebrarint, facilè est cognoscere ex eo, quòd sanctus Dionysius libro de diuinis nominibus capite tertio ad finem scribit Pontifices Ecclesiæ, Apostolos scilicet, multosque ex fratribus, in quibus ipse Dionysius, Hierotheus, ac Timotheus, præsente Iacobo Domini fratre, & Petro, maxima, inquit ipse, & antiquissima Theologorum columna, non alia de causa conuenisse, nisi vt Mariam contemplarentur, & ex eius contemplatione infinita potentia præditam bonitatem, quantum ferret imbecillitas eorum, laudarent. En quanti factus vel solus Mariæ adspectus ab ipsis Apostolis, quanta laudatione in Deum, Deique ipsius infinitam potentiam & bonitatem referenda dignus iudicatus. Hinc in omnibus Liturgijs, de quorum primæua antiquitate agimus in secunda coniunctione, ante omnes honorificentissima mentio Virginis habetur: vt ab Apostolis ipsis, à quibus illæ manarunt, institutum sciamus de sententia Spiritus sancti, vt in sacratissima Missa ab omnibus Maria laudaretur. sic licet videre in Liturgia Iacobi, quæ creditur omnium maximè antiquitatem conseruare, in AEthiopica, Syriaca, Græca, Latina.

Apostoli Mariæ laudatores.

Hinc Irenæus: *Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis; sic & Maria habens prædestinatum*

Lib. 3. aduersus hæreses.

stinatum virum, tamen Virgo obaudiens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis. & mox: *Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* & alibi: *Illa (Eua) per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata; & quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem; æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.* Irenæi testimonium excipit Tertullianus, qui libro de carne Christi Mariam vocat beatissimam & gloriosissimam. Cyprianus autem, vel æqualis Cypriano scriptor libro de Christi natiuitate: *Spiritu sancto obumbrante incendium originale* (in Maria) *extinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit; nec sustinebat iustitia; vt illud vas electionis communibus laxaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa. eratque ei proprium priuilegium, quòd nulla mulierum, nec antè, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat simul mater & virgo; singulis titulis insignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis spirituali & corporali intus & extra Christi præsentia fruebatur.* & mox: *Nec recesserat à venerabili pectore matris Spiritus sanctus ad verbum Gabrielis elapsus, possidebat domum suam, & templum, quod sibi consecrauerat, adornabat; seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat.* Hæc Cyprianus. Cypriano concinit antiquus martyr Methodius, qui sub Valeriano & Decio pro Christi cultu vitam profudit; sic igitur ille in oratione ob hypapãtem Domini, ad prolixitatem vitandam, Græcis verbis omissis: *Benedicta,* inquit, *tu celeberrima & desideratissima, tuum Dei genetrix nomen diuinis benedictionibus & gratijs omni est ex parte refertum. Tu fidelium fax, tu incircumscripti* (si ita quidem loqui fas est) *circumscriptio, tu speciosissimi floris radix, tu creatoris mater, tu nutrix omnia nutrientis, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa; tu porta, per quam in carnem ingressus est Deus, tu purificantis carbonis forceps, tu præangustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur, tu incomprehensibilis illius roris vellus, tu Bethleemitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum immortalibus emanauit: tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus innotuit; tu impollutum illius indumentum, qui*

luce, vti vestimento circumfunditur: tu Deo, alioquin nullius rei indigo, carnem, quam non habebant, dedisti, quo inquam hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, verè appareret. quid hoc illustrius? quidve sublimius? qui cælum & terram implet, cuius præterea sunt omnia, quæcumque mouentur atque subsistunt, is tui factus est indigus: tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti tu potentem illum corpore tamquam deceni quadam panoplia induisti, per quam quidem facilè à me caperetur & cerneretur: ego verò tutum & commodum ad illum accessum haberem, per quam etiam ignita omnia maligni tela exstinguuntur. Euge, euge mater Dei, & ancilla. Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuò dat. Deo namque vniuersi debemus: tibi verò etiam ille debet proinde, qui dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: vt is decretum à se promulgatum seruaret, atque adeò hac parte alijs præstaret, omnem matri & gratiam & honorem impendit, quæ certam secundæ natiuitatis ministram se præbuit: quamquam ipse patrem (hominem) nesciens secundùm hanc ipsam natiuitatem, in matrem viri expertem vitrò sibi cooptauit. & mox: *Quapropter ego cum celebri Propheta de immensa excellentia tua nos admonente concludens dixerim, Quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Magnus, & non habet finem, excelsus & immensus* Rursus eam vocans glorificatam, Deoq; dignam sedé, quæ solis mentis oculis conspici possit, arcamq; animatam nostri legislatoris Dei, & eius, qui loco comprehendi non potest, cælum verè comprehensibile, subijcit: *Salue dilectionis Dei thesaure: salue humanitatis filij fons: salue humanitatis vmbraculum.* Hucusque Methodius martyr sanctissimus. Nunc aures demus illi Gregorio, qui ob miraculorum effectionem dictus est Thaumaturgus: igitur ille in oratione de Annunciatione, quæ exstat in bibliotheca Gulielmi Sirleti Cardinalis omni doctrinarum genere excellentissimi, pietateque ac religione præstantissimi, quã post eius obitum pari virtutum laude nunc florens Cardinalis Ascanius Columna possidet (omittemus autem Græca, vt breuitati consulamus) ait sic, *Mariam dici gratia plenam, quod in illa Virgine totus gratiæ thesaurus reconderetur, quæ sola ex omnibus generationibus sancta corpore & spiritu fuerit, sola ferens eum qui verbo portat omnia: & non solùm Angelus pulchritudinem sanctæ Virginis, sed & virtutes animi admiratur: & idcirco* κεχαριτωμένην *appellauit.* Hæc ille, qui, vt mox dicemus, ab ipsa Deipara veritatem Catholicam fuerat edoctus. Succedit Thaumaturgo

Magnus

Magnus ille Athanasius, qui sic sermone de sanctissima Deipara, quem Glycas & alij Græci esse Athanasij testantur. *Factum est, inquit, vt gratia plena appellata sis, vtpotè quæ omni gratia abundares: idq́ per superuentum Spiritus sancti; ideoque vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi, & spiritualibus contemplationibus.* & mox: *Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset. atque idcirco gratia plena cognominata est, eò quòd ab impletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret.* Similia & Ephrem oratione ad Deiparam. Hos sequitur Epiphanius, cuius hæc sunt verba contra Antidicomarianos: *Beata mater Dei per Euam significatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocaretur. Illa etenim mater viuentiũ vocata est, etiam postquã audiuit, Terra es, & in terram reuerteris post transgressionẽ & mirũ est, quòd post hanc transgressionem magnum cognomen habuit. & quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Eua, omnis hominum generatio est deducta in terra. Hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium. Euæ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem. Mariæ autem datum est à Deo, vt pareret nobis agnum, & ex gloria ipsius agni, fieret nobis velut à vellere sapientiæ per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis.* & mox asserens è carne Mariæ quodammodo ædificatam Ecclesiam, veluti è costa Adami ędificata est Eua, subijcit: *De Maria enim accipitur* (liceat mihi hoc dicere) *quod scriptum est & de Ecclesia: Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Mysterium hoc magnum est in Christo dico, & in Ecclesia. & vide scripturarum exactam sinceritatem; quòd de Adam quidem dixit, formauit, de Eua verò non formatã esse, sed ędificatam. *Accepit enim,* inquit, *vnam de costis eius, & ædificauit ipsi in vxorem. Vt ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa ædificatam esse Ecclesiam in eo, quòd punctum & apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis, & aquæ, præmia redemptionis facta sunt.* Hæc ille de Maria, è cuius carne Christus formatus, qui per Eucharistiã sibi nostra corpora adiungens ędificat Ecclesiam in semetipsum nouũ virum, nouumq; Adamum. His astruit quæ maiora Mariæ possunt attribui: Rursus idem sermone, quem Ioannes Pius è Græco vertit: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendũ enim est miraculũ in cælis, mulier amicta Sole: stupendum miraculum in cælis, mulier gestans lucem*

in vlnis: stupendum miraculum in cælis, alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in cælis, mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est pater: stupendum miraculum in cælis, thalamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Ambrosius his cõsentit inquiens libro secundo de Virginibus: *Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? & vt de cæteris eius virtutibus taceam, virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente.* Audiamus post hos Chrysostomũ, cuius hæc sunt verba: *Magnum reuera Virgo hæc mundi miraculum est. ecquid enim in rerum vniuersitate queat hac maius ac sublimius inueniri? sola hæc cælum & terram amplitudine superauit. quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, vna hac maius aut excellentius inueniri potest.* Consentit his Cyrillus, qui sic homilia sexta Ephesi in maximo Episcoporum conuentu dicta: *Salue per nos sancta Deipara, pretiosus totius orbis thesaurus, lampas inexstinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum insolubile, locus eius qui loco capi nequit, mater, & virgo, per quam in Euangelijs benedictus nominatur, qui venit in nomine Domini. Salue, quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehendisti, per quam sancta Trias per vniuersum orbem adoratur & glorificatur; per quam cælum exsultat; per quam Angeli & Archangeli lætantur; per quam Dæmones fugantur; per quam Diabolus tentator cæli decidit; per quam prolapsum plasma in cælum recipitur per quam vniuersa creatura idolorũ insania detenta ad cognitionẽ veritatis venit; per quam sanctum baptisma contingit credentibus; per quam oleum est exsultationis; per quam per totum orbem fundatæ sunt Ecclesiæ; per quã gentes ducuntur ad pœnitentiam. Et quid multa connumero? per quam vnigenitus Dei filius ijs, qui in tenebris & vmbra mortis sedent, resplenduit; per quam Prophetæ prænunciarunt; per quam Apostoli salutem gentibus prædicarunt; per quam mortui excitantur; per quam Reges regnant; per sanctam videlicet Trinitatem. Et quis adeò valet eloquio, vt plurimum laudatam Mariam satis celebret.* Hæc ille, qui & libro de recta fide ad Reginas refert aliorũ Episcoporum voces hæc dicentium: *Quem (Christum) heri immaculatis parturitionibus parturiebat salutem nobis Maria vitæ genitrix, pulchritudinis mater, maximipara, lucifera.* Quid vero de illa Hieronymi? *Cæteris virginibus,* ait ille, *per partes præstatur gratia; Mariæ verò se totã infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in*

Ser. in hypapãti Domini.

Serm. de assumpt.

in Christo. quamquam aliter, & aliter: quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter diffinito, in Maria verò vt in templo singulariter consecrato: vel aliter, in Christo fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in Maria verò sicut in collo transfundente. Hæc Hyeronymus, quamuis aliqui dubitent, an hęc sint Hieronymi verba, vel alterius, Catholici tamen doctoris, quòd sermo, cuius illa sunt, insectetur errorem Nestorij. Atqui Nestori⁹ & Hieronymus ambo viuebant Theodosio iuniore imperante. & quamuis error Nestorij post obitū Hieronymi apertè in publicum prodierit Constantinopoli, quid vetat paulò antè cœpisse disseminari, aut ab alijs prædicari? Hieronymum sequitur Augustinus, qui scribit plus gratiæ Mariæ, quàm reliquis, ad vincendum ex omni parte peccatum, fuisse collatum, quæ concipere ac parere meruit Saluatorem. & serm. 2. Natalis Domini, ait: *Cùm dixit Angelus, Gratia plena, ostendit ex integro irā exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* At Proclus Cyzici, mox etiam Constantinopolis Episcopus: *Hæc,* ait, *spiritualis secundi Adami paradisus; hæc vnitarum inter se naturarum officina; hæc salutaris reconciliationis panegyris; hæc thalamus, in quo verbum humanam carnem sibi desponsauit; hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis nō consumpsit; hæc verè leuis illa nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestauit; hæc vellus mundissimum cælesti pluuia madens, ex qua pastor ouem induit; hæc ancilla & mater, virgo & cælum; hæc sola pons est, per quem Deus ad hominem descendit; hæc admirādæ illius œconomia telæ, ex qua, & in qua ineffabili modo quodam admirabilis illius vnionis tunica confecta, cuius quidem extor exstitit Spiritus sanctus, nextrix virtus ex alto obumbrans; lana vetusta, villosaque Adami pellis subtegmen, impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, verbum per auditum illapsum quis vidit, quis audiuit talia? Incircumscriptus Deus vterum inhabitat: quem cæli non capiunt, venter complexus est Virginis.* His similia à Chrysologo habem⁹, qui sic oratione de Virginis annunciatione: *Verè benedicta, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & Regina totius exstitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit: portauit eum, qui portat orbem: genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.* Sed vt finem faciamus, qui plura volet, habet in promptu clarissimos ac sanctissimos viros, qui Deiparæ laudes contexunt, Fulgentium, Gregorium Magnum, Andream Hierosoly-

mitanum, Sophronium, Ioannem Damascenum, Illefonsum, Rupertum, Petrum Damiani, Anselmum, Bernardum, Albertum Magnum, Bonauenturam, Thomam, vt alios plurimos omittamus; qui sanè nostri sunt, ex Ecclesia nostra. Atque ob id, cùm beatam prædicent ex animo Mariam, quòd illi magna fecerit qui potens est, Dei misericordia est cum illis, continuata quadam eiusdem doctrinæ traditione sibi succedentibus, atque à progenie in progeniem timentibus Deum. Quod cùm non contingat multis hæreticis, vt è generatione omni in omnem generationem prædicent Deiparam beatam; neque Deum timentes sunt, neque illius misericordiã consecuti; ac proinde neq; ex Ecclesia Dei. Sed hæc haud satis. Hæretici namq; aliqui laudare ex aliqua parte eam videntur. Quocirca veniamus ad alia.

Admirabilis diuinaq; institutio & amplificatio religiosi cultus debiti Deiparæ ac sanctis, ostendit quæ sit Ecclesia Dei.

CAP. VIII.

II. Argum.

NON est nobis, inquit Apostolus, *colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus, aduersus rectores mundi tenebrarum harum.* Quocirca dæmon cum suis impijs & hæreticis aduersus Christum sanctosque illius, Christus aduersus dæmona & eius satellites pugnat. Ille gloriam Christi sanctorumque tollere, Christus suam suorumque gloriam magis ac magis extollere, impios & hæreticos dedecore omni adspergere, quando haud resipiscunt, contendit. Suis enim Christus vult per se, ac post se eamdem claritatem communicari, quam Pater ipsi est largitus, vt est apud Ioanné. Ac sanè videtur aliquando cum suis dæmon Christum sanctosq; eius è terris exterminare, inclusum saxo & obstructum sepelisse; sed ad extremum victus ac prostratus iacet, Christus cum suis illustrior ac splendidior emergit. Videamus an ita sit; Ecclesiæq; totius euenta mirabilia percurrentes ac memoria repetentes, quàm sit Deus mirabilis, vt canit Dauid psalmo 67. in sanctis suis, contemplemur.

Ac primum sit tempus à Christo cruci affixo vsque ad Constantinum, quo quid non est dæmon aduersus Christum, Deiparam, sanctosque illius molitus, per gentes atque hæreticos? Hi doctrinis mendacibus, illæ tū his, tum gladio. sic igitur oppugnabantur & animi & corpora nostrorum. Et quidem quanta fuerit Dei prouidentia in tuendis corporibus, ac reliquijs sanctorum, persequimur latè signis secundæ coniunctionis. Quamobrem Catholici, vt sanctis suus honor seruaretur, martyrum reliquias altaribus includebant, ac super illa Missam sacratissimam celebrabant: ob id Ioannes ait in Apocalypsi animas sanctorum clamare sub altari Dei; quod huc spectare tradit Augustinus. quin cōuentus agebant ac festa in martyrum cœmeterijs, vt ex edicto Gallieni Imperatoris inter alia, docet nos Eusebius Cæsariensis. Gesta martyrum scriptis mandabant, atq; ob id septem notarios in vrbe Clemēs Papa instituit, vt habetur in eius vita: simulq; sanctorū in Canone Missæ honorifica mētio facta, vt è Dionysio Areopagita, Cyrillo Hierosolymitano, & Augustino cognoscim⁹. Quin templa & Ecclesias illis excitabant, vt suprà docuimus. Sed quando dæmoni est cū sanctissima Deipara bellū speciale ab ipsis mūdi exoriētis incunabulis indictū; hinc ipsis Apostolorū temporibus hæretici, qui Christum Deum, Mariamq; Virginem negabant. Ebion namque, & Cerinthus, ac post eos Carpocrates asserebant Mariam Virginem nullo modo fuisse, Christumq; è Ioseph genuisse; vt scribunt Ignatius, Irenæus, Tertullianus, ac post hos Epiphanius, ac Theodoretus. Has ob causas, vt Epiphanius idem tradit, Lucas Euangelium scripsit, in eoque maximè Virginis laudes persequitur, ac manifestè in principio Euangelij refert ipse idcirco se illud opus aggressum, quòd non ꝓbaret ea, quæ ab alijs scripta essent. Multa nāque Cerinthus & Ebion fuerant mentiti, scriptisque consignarant. Ob eamdem similiter causam, Ioannes & ipse, cui Virgo commendata fuerat, Euangelium suum contexuit, Christique diuinitatem potissimùm testatus est aduersus Cerinthum, vt ait Hieronymus libro de Ecclesiasticis scriptoribus. Quin hæc, vt patet, Spiritu sancto prouidente, Apostolos impulit, vt symbolum contexerent, in quo inter alia ad honorem Deiparæ est articulus ille de Christo: *Natus ex Maria Virgine*. Neque verò Lucas habuit satis Deiparam suis sacrosanctis scriptis ita commendare,

Apoc. cap 6.
Aug ser. 11 de sanctis.
Hist. l. 6. c. 12
Dion. eccles Hier. cap. 3.
Cyril. Cate. 1. Mystag.
Aug. li. 20. cōtra. Faust. & lib. de cura pro mortuis.
Ignat. ad Philadelph.
Iren lib. 1. ca. 25. 26.
Tert. de carne Christi.
Epiph. hær. 51

ſed præterea voluit ipſius plures imagines ad æternam illius memoriam depingere, vt è Nicephoro & Græcis habemus; quin alij Apoſtolorum ſimiliter, aliorumque imagines depinxêre, ac poſteris tradiderunt, vt Euſebius Cæſarienſis teſtatur. Sicut igitur dæmon cum ſuis conatus eſt Deiparæ ac ſanctorum gloriam nomen & corpora ad nihilum redigere, ſic Catholici duce Chriſto ac Deo illorum gloriam ſcriptis, ac rectis decretis, cultuq; religioſo, corpora ſimiliter, ac reliquias eodem modo ſunt tutati. Dæmonis verò furor maximè ſæuijt extrema hac tempeſtate. Nam Diocletianus, ad omnem Chriſti & ſanctorum non modò dignitatem, ſed etiam memoriam tollendam, iuſſit omnia Chriſtianorum ſcripta comburi, Eccleſias omnes euerti, Chriſtianos omnes ad nihilum redigi, vt latè perſequitur libro octauo & nono Euſebius: quocirca Diocletianus cognomentum Euerſoris Chriſtianæ religionis tulit, vt ex inſcriptionibus eius conſtat. ſed mox illi succeſſit Conſtantinus, qui magnificentiſſimas ædes conſtruxit, acta Chriſtianorum ſcriptis conſignari iuſſit, & nihil omiſit ad amplificandum Chriſti & ſanctorum decus in terris.

Euſ. l. 7. c. 14.

II. tēpus & amplificatio.

Secundum tempus eſt ab Arianis vſq; ad ſpurciſſimi Mahometis ætatem. Atq; hoc tempore Ariani in primis Chriſto auferebant diuinitatem cum Patre conſubſtantialem, Vigilantius inuocationem reliquiaſq; ſanctorum contemnendas aſſerebat, Neſtorius nullo modo virginem vocandam Dei matrem. Et aduerſus Arianos quidem, tum cæteratum verò illud conſtitutum, vt in fine pſalmorum multarumque precum diceretur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Symbolum Nicænum ſæpius publicè in Eccleſijs recitaretur; illud verbum Conſubſtantialis magis vſurparetur, perſonæ ſimiliter vocabulum ad diſtinctiorem notitiam ſanctiſſimæ Trinitatis. Aduerſus autem Mariæ aduerſarios, & ad ipſius honores amplificandos, communi decreto Epheſini Concilij conſtitutum, vt Virgo appellaretur Deipara, ac mater Dei, ac magis in ore Catholicorũ eſſet Angelica, vt vocatur, ſalutatio, conflata è verbis Angeli, Eliſabethæ, & Eccleſiæ, in qua mater Dei vocatur, auxiliũq; illius imploratur. quia in more poni cœptũ, vt in Liturgijs publicis ea ſalutatio recitaretur in Oriente; quod poſſum⁹ cognoſcere ex AEthiopica, Syriaca, & Græca, Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi, in q.b. hęc ſalutatio voce alta recitatur ad honorẽ Virginis in ſacratiſſima Miſ-

ſa. Præ-

sa. Præterea trib. festis publicis Virginis cultus magis amplificatus, Natiuitatis, Præsentationis, Assumptionis. Et de Natiuitate quidem Virginis habentur sermones Græcè scripti nomine S. Ioannis Chrysostomi, S. Procli, Ioannis deinde Damasceni, Andreæ Cretensis, & aliorum: mentio que habetur istius festi in sacramentario antiquissimo S. Gregorij, quod exstat in bibliotheca Vaticana: de Præsentatione habentur sermones S. Germani Episcopi Constantinopolitani, & Georgij Episcopi Nicomediæ, quos Surius refert tom. 6. ac sunt Græcè scripti in bibliotheca Sfortiana Romæ. De Assumptione habetur mentio in sacramentario prædicto S. Gregorij, & exstat concio in eam nomine S. Athanasij, quæ putatur Cyrilli, aut alterius Cyrillo æqualis; similiter & alia nomine S. Hieronymi, quæ attribuitur ab alijs Sophronio, ab alijs alicui qui Synodi Ephesinæ tẽporib. vixerit. Nicephorus hoc festum scribit edicto Mauritij Imperatoris renouatum & stabilitum. Est & Annunciationis festum, quod his longè vetustius est, illudque à maioribus acceptum scribit Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. Præter hæc, vt magis Virgo sanctissima celebraretur, admiranda illa Pulcheria conquisiuit studio diligentissimo reliquias omnes, quæcumque pertinerent ad Deiparam; & cum multas reperisset diuinis miraculis illustratas, Constantinopolim transferri curauit, ac tria magnificentissima templa Deiparæ construxit, vt Nicephorus post Euagrium recenset. Quantum porrò spectat ad hominum sanctorum, sanctarumque rerum cultum; his temporibus maximè cœptum celebrari dies festos inuentionum & translationum, quæ diuinissimis miraculis cõtigêre. Nam crux inuenta est Hierosolymis studio Helenæ, agnitaq; miraculi, vt omnes norunt, clarissimo euentu. Similiter inuentum multò pòst Ioannis Baptistæ caput, quod postea à Theodosio iuniore Constantinopolim translatum fuit: meminit eius rei & miraculorum Sozomenus. Celebritas hæc agitur die 24. Februarij. At S. Ambrosius 10. Maij reperit corpora sanctorum Nazarij & Celsi; ac tunc edita nobilissima miracula, de quibus omnibus Paulinus in Ambrosij vita. Præterea verò inuenta corpora sanctorum Stephani, Gamalielis, Nicomedis, & Abibonis, innumeraq; toto penè orbe edita miracula propter eorum reliquias in multa loca missas, de quibus latè Augustinus inter alios, cuius nos verba retulimus in signis secundæ coniunctionis. Agi-

Festa virginis instituta.

Niceph li. 17 cap. 28.

Lib. 7. ca. 21.

Aug l 20. de Ciui. Dei. c. 8. & ser. de diuer. 31. 32. 32. episto. 103. ad Quinct.

tur hoc festum Augusti 3. die. & harum rerum meminêre Marcellinus in chronico suo, Prosper lib. prædictionū c.6. Euodius Episcopus Vzalensis duobus libris in hanc rem speciatim conscriptis. Post hæc Pulcheriæ Augustę diuinitus patefactæ multæ sanctorum reliquiæ, vt quadraginta martyrum, & aliorum, de quibus Euagrius & Nicephorus. Sicut itaq; Vigilantius cum suis sanctorum reliquias contemnandas contendebat, sic Deus contrà honorādas ac nobilitandas ostendit, Catholiciq; diuinis monitis obsecuti illorum festa auxerunt. Sed translationum quidē vetustissima esse illa videtur, qua S. Ignatij corpus à suis Roma est Antiochiam reportatum, & extra portam Daphniticam collocatum, vt S. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis narrat, & Chrysostomus oratione propria. Verùm tempore hoc, de quo agimus, potissimum celebrati cœptę institutionib. festis translationes sanctorum, cùm Constātinopolim sunt aducta corpora SS. Andreæ, Lucæ, Timothei die nona Maij anno 23. Constantij Imperatoris, vel, vt vult Hieronymus in Vigilantium, Constantini.

Est alius modus amplificādi cultus sanctis debitus hoc tēpore diuinitus institutus ac prouectus. Nam passim Christiani suis liberis sanctorum nomina imponere cœperūt. Multi similiter poëtæ exstiterunt celebriores, qui facta illorum versibus sunt prosecuti: in his S. Gregorius Nazianzenus, Paulinus, Prudentius, alijq;. Præterea verò ciuitates de illorum nomine conditæ sunt hoc primùm tempore. Sergiopolis namq; ædificata est in honorem Sergij martyris in Mesopotamia, de qua vrbe multa post alios Nicephorus, & Euagrius. Hoc igitur secundum tempus religiosi cultus debiti sanctis, ac clarioribus per nostros modis diuino spiritu impellēte amplificati. Desijt hoc tempus in Chosroë Persarum Rege, qui tota penè Asia subacta, multisque vastationibus illatis Christianam religionem conatus est per multos annos in ijs locis exstirpare, dictitans se priùs pacem Christianis haud daturum, quàm illi crucifixo contempto Solem coluissent. Tunc innumera Christianorum millia necata, multa abducta in seruitutem, quod è Zonara & Paulo Diacono liquet.

Niceph. l. 17 c. 17. & l. 18. ca. 21. & seq. Eug. l. 4. c. 27.

III. tempus

Tertium tempus est ab ætate Mahometis, vsq; ad Hierosolymas à nostris receptas. Atq; hoc Mahometes in primis turpissimas in orbem leges adduxit, Christo non modò diuinitatem negauit, sed primas illi abstulit inter sanctos, si-

bique

biq; illas adrogauit, secundas Christo in cælis dedit, & hasce impias opiniones armis ac vi stabiliuit inter mortales, ad eas omni voluptatum genere cunctos allexit; & quamuis sanctis & eorum reliquijs cultum non sustulerit, imagines tamen omnes deijciēdas dixit, crucemq; potissimùm, quòd illi negaret affixum Christū. Accessit ad hæc, quòd Philippicus, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, Leo Armenus, Michaël Balbus in Oriente aduersus imagines sacras, & eorum cultores nullum non bellum mouerunt. Amplius autem Copronimus in virginem Mariam maximè iniurius, & in oēs sanctos, quod scelus etiam Michaël Balbus est imitatus, sanctorum reliquias, eorumque honores oēs perdere contendit. In Occidente aūt Claudius Taurinensis imaginum sacrarū cultum similiter oppugnauit. Ac Mahometani sanè per hoc tempus Asiam, Africam, Hispaniarumq; maximam partem ceperunt: quibus in locis maximè detractum cultui, qui Christo, Deiparæ, sanctis, & eorum sacris rebus debetur; sed in Occidente maximè amplificatus. Hucusq; enim religiosi honores post Deum, ac propter Deum, Christumq; Deiparæ, & sanctis debiti in Oriente incrementum sumpserunt. Ex hoc autē, post Photij scilicet tempora, & annum 1363 cœperunt Græci à nobis, & Ecclesia Catholica discessionem moliri: annoq; 1053. Michaël Patriarcha nos ausus est excommunicare, vt è litteris Leonis Noni apparet: & quamuis ad mentē visi sint redire, nihilominus post obitum Michaëlis Paleologi in aperta dissidia sic erupēre, vt paci publicæ non fuerit amplius locus, licet Imperator Constantinus in Concilio Florentino cum plurimis Episcopis dederit se nobis. Atque ita simul ex hoc tempore non modò inter eos non est amplificatus cultus, de quo nobis est sermo; sed sic omnis religio Christiana inter eos prostrata, vt prorsus ad interitum tendat, & ad nihilum redigantur ij, qui Christum colunt. Nos autem videamus, quomodo ab ætate Mahometis, vsque ad annum 1099. quo sunt à nostris Hierosolymæ receptæ, cultus, de quo agitur, per nostros latè sit amplificatus.

Nam primò quidem, quidquid est regionum in Britannia, ac supra Rhenum & Danubium in Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Suetia, finitimisq; locis, Christo nostro rum industria est adiectum; id autem duplo penè maius, quàm sit Europæ reliquum. Quantum porrò ad Deiparā:

festa Assumptionis ac Natiuitatis eius post Caroli Magni & Ludouici Pij ætatem in Ecclesijs Gallicanis, ac Boream spectantibus celebrari cœperunt, vt è capitularibus & Concilio Moguntino constat. Adiectum præterea Conceptionis festum, quod ante Græcorũ dissidium celebrabatur in Oriente, vt è Græca oratione, q̃ exstat in bibliotheca Sfortiana liquet; habita est illa à Leone Imperatore sapiente, qui Photiũ relegauit in monasteriũ: atq; ex ea cõstat lõgè antè id festũ in Oriẽte celebratũ; quin habetur in Martyrologio Ioannis Damasceni festũ hoc Conceptionis, vt diligentissimus scriptor Canisius eruditissimè adnotauit lib. 1. c. 7. de Maria. Circiter annũ deinde M.LXX. in Anglia hoc festum cœpit agitari propter admirabile visum, quod contigit Elpino Abbati: historia verò habetur à nobis in bibliotheca nostra codice manuscripto, cuius initium: *Eo tempore quo Gulielmus*. fauit huic celebritati. S. Anselmus, cuius exstat tractatus de conceptu virginali. Regna itidem nobilissima se in eius peculiarem tutelam contulêre. S. Stephanus enim Rex Hungariæ, cùm circiter annum millesimum se Christo darent Hungari, Deiparæ patrocinio speciali regnum subiecit, vt è Bonfinio liquet, & vita S. Stephani à Cartuitio descripta. Innumera porrò oppida in Occidente condita, ac de Mariæ nomine dicta. Præterea Petri Damiani studio perfectum, vt horis septem qualibet die preces illi funderentur, vt pro nobis intercedat apud Christum Deumq; vt in eius vita narrat Hieronymus Rubeus. At Hermannus Contractus Germanus composuit canticum illud: *Salue Regina*, ex quo inductum in mores, vt nemo non Christianus singulis id dieb. Deiparæ dicat. Quantum verò spectat ad sanctos; innumera similiter oppida in Occidente de ipsorum nomine vocata; apertiusque nobilissima regna, & Respublicæ in eorum se patrocinium contulêre. Hispani namque, ex quo sub annum octingentesimum vigesimum sextum S. Iacobus equo insidens visus est pro eis aduersus Mahometanos pugnare, sicut illũ priùs venerabantur patronum; sic postea numquam processêre in aciem, quin alta voce illius nomen auxiliumque implorarent. Respublica similiter Veneta, cùm corpus sancti Marci Alexandria à Sarracenis capta Venetias translatum fuisset, ita se in illius tutelam contulit, vt eius insigne animal nummis suis excudat, vexillis appingat, & in edictis euulgandis nomen inclamet. Vt igitur Christianæ vrbes

Sancti regnorum patroni.

bes ac gentes ab ipsis incunabulis Ecclesiæ sanctos agnouerint, & coluerint veluti suos apud Deum Christumque patronos; illustrius tamen sub hoc tempus huiusmodi testificatione Hispani & Veneti id agere cœperunt, maximo, vt apparet, suo bono. Desijt hoc tertium tempus in acerbissimis ijs vexationibus, quas Mahometani omnes in Oriente nostris inferebant, & quas cùm recitasset Petrus Ambianensis eremita à se perspectas, Vrbanus Secundus Occidentem totum commouit, Asiamq; & Palæstinam recepit.

Quartum tempus est à sacra expeditione vsq; ad huius sæculi elapsa initia; quo Albigenses, VViclefitæ, & Hussitæ omnem Deiparæ, sanctis, ac rebus eorum cultum conati sunt maximis viribus auferre, & Mahometani in ijsdem quibus antea furijs perstiterunt, Græcis, & Orientalibus subactis, & ad nihilum propè deductis. Ludouicus Septimus regnare in Gallijs cœpit anno millesimo centesimo trigesimo. Eo regnante Petrus Brusius colendos inuocandosq; sanctos negauit, vt è Bernardi epist. 241. & vita ipsius lib. 3. c. 5. apparet. Hinc Albigenses orti templa euertebant, ac res omnes sacras proculcabant, vix exstincti Ludouico sancto regnante sub annum M. CC. XXXIII. Atq; ita hæresis hæc Albigensium, partim latenter, partim apertè, vique & armis Deum sanctosq; illius, annos ferè centum in Gallijs pugnauit. Exortus deinde in Anglia VViclefus anno M. CCC. LXX. idem virus, aut etiam multò pestilentius, euomere ac spargere cœpit, exactus in Bohemiã perrexit, Pragæ habuit impietatis horrendæ sectatores, qui Hussitæ dicti adhuc exstant.

Videamus, quî per nostros Christi, Deiparæ, Sanctorũque cultus religiosus sit amplificatus. Et quidem Prussia, Liuonia, Lithuania, Noruegia, plurimæq; his finitimæ regiones Christo per hæc tempora à nostris conciliatæ, Hispania tota Mahometani expulsi; in Africa multa loca & insulæ nobis acquisita. Quod pertinet ad Deiparam, hoc primum tempore tres ordines religiosorum de ipsius nomine dicti, ipsiusq; tutelæ cõmissi, plurimum incrementi Christianæ religioni adiecerunt. Horum primus est S. Mariæ de monte Carmelo, vnde sanctissimi & præstantissimi viri prodierunt; alter militaris S. Mariæ Teutonicorum, à quo Prussia Liuoniaq; bello acquisita, nomen Christo dedit. Ab hoc ordine conditum in Prussia est Mariæburgum,

Ordines religiosi dicti de nomine virginis.

siue vrbs Mariæ, sedis magni Magistri celeberrima ac nobilissima. Tertius est ordo haud sanè ignobilis, qui Seruorũ S. Mariæ vocatur, quòd hi scilicet seruos Mariæ se profitentur: à sancto præterea Dominico rosarij, vt vocant, recitandi, vitæq; Virginis & Christi simul contemplandæ consuetudo laudabilis inducta. Per hæc tempora similiter institutum ad implorandam Mariæ opem aduersus Mahometanos, vt ter signum campanæ, vt aiunt, detur, ac ter Angelica salutatione, Deipara honoretur vespere, mane, & meridie. Conceptionis porrò festum, Scoti acutissimi Theologi doctrina, maximè confirmatum, Sixti Quarti legibus sancitum, & à cunctis Catholicis in mores publicos est receptum: adiectum præterea Visitationis ab Vrbano Sexto, & Bonifacio Nono. Huc accedit, quòd Deus illammet domum, in qua fuit educatus, & in qua mansit tot annos in Nazareth, mirabiliter in Italiam transuexit in Picenum, quæ diuinissimis miraculis florens animos hominum maximè inflammauit ad amorem Virginis, & Dei: contigit tanta res Bonifacio 8. sedente. historiã latè refert Hieronymus Angelita Recinensis, Blondus, Leãder. Quod spectat ad alios sanctos; hoc primũ tẽpore cœpti ordines religiosorũ de sanctorũ nomine vocari, multo iustiꝰ sanè, q̃ vel alij à patria, vel à loco, vel à cognatione, & euentu. Hinc Augustiniani, Benedictini, Franciscani, Dominicani, & alij, gloriam sanctorum non parum cognomento huiusmodi propagantes. Nam quamuis antea plurimi sequerentur instituta Antonij, Hieronymi, Benedicti, Basilij, Augustini, non videas tamen monachos vllos ferè à scriptoribus nominari à nomine istorum: his temporibus cœperunt distingui familiæ, quasi membra vnius corporis ab vno spiritu contenta & gubernata. Priùs vniuersi monachi, cõmuni nomine nuncupabantur, nunc ad gloriam suorum sanctorum voluit esse Deus membra distincta, vnoq; inter se spiritu fidei & caritatis cohærentia, diuersis tamen cognominibus separata. Sed quod maximum videtur, hoc tempore concessum est illud. Plurima ab historicis & scriptoribus narrantur esse corpora sanctorum, quæ ab ipsis Ecclesiæ Christanæ incunabulis, ex se emiserunt iugiter oleum, mannam, vt vocant, sanguinem, liquorémve alium, & habentur adhuc illa in terris, præsertim verò in Italia, de quibus nos signo de admirandis affectionibus cadauerum sanctorum. sed hoc tempore dedit aliud admiran-
dum

dum Deus corporibus sanctorum ad cōciliandum illis honorem. Multis namq; stigmata clarissimè impressit, vt sancto Francisco, aliorumq; cordibus, aut visceribus similiter effigies rerum cælestium mirabiliter insculpsit: totā rem nos persequimur fusiùs signo de stigmatibus. Postremò ad eorumdem sanctorum cultum latè amplificandū Deus prouidit, vt insulæ amplissimæ, locaque telluris continentis, flumina, promontoria, oppida, portusq; de sanctorum nomine appellarentur. Verbi gratia, insula sancti Dominici est in Indijs Orientalibus satis ampla, ac sancti Laurētij propè promontorium Bonæ spei in Africa est ex amplissimis omnium, quas Oceanus circumfluit. Inter Tertieras verò est insula S. *Mariæ*, S. *Michaëlis*; inter eas, quæ Promontorij Viridis nominantur, sunt insulæ sanctorum Antonij, Vincentij, Luciæ, Nicolai, Iacobi; sub AEquinoctiali autem SS. Thomæ, Pauli, *Matthæi*, aliæq; alibi haud mediocres, quas longissimum foret enumerare singulas. Quocirca quintum tempus superiori cōnexum est, quod traducimus, & quo pestilentissimi qui dicuntur Protestantes exorti, longè omnium, quot vmquam fuerint, nefandissimi in Deum, Christum, Deiparam, sanctos, eisq; res dicatas scelestissimi; aduersus quos Deus modis omnibus suorum cultum contendit euehere. Nam si de Christi cultu propagato agamus, plus est illi hoc sæculo adiectū quo ad multitudinem gentium, locorumque amplitudinem, quàm toto temporis spatio, quod ab ortu Christi vsq; ad nos est exactum. Quantum verò ad Deiparam, tot insulæ, vrbes, portusq; ab illa sunt nomen sortitæ, vt ad ambiguitatem tollendam, fuerit opus aliud singulis cognomē adiicere. Verbi gratia, hæ sunt insulæ diuersæ. In Indijs Occidentalibus, S. *Mariæ* Vadalupæ, Remediorum, *Montis* Serrati, Rotundæ, Antiquæ. Similiter hæ ciuitates de nomine *Mariæ* dictæ in insula S. Dominici, vrbs sanctæ *Mariæ* de Pace, Conceptionis. Rursus in Hispania noua ciuitas Conceptionis, item Purificationis. Longum verò nimis esset, si vellem⁹ enumerare vrbes & insulas alias de nomine cuiuslibet sancti dictas, quibus honor illorum maximè constituitur & amplificatur.

Stigmata impressa corporib⁹ sanctis.

Illud porrò hic obseruandum, tribus maximè temporibus à nostris operam datam, vt sanctorum gesta colligerentur, & è tenebris quodammodo in lucem darentur cunctis ad legendum proposita.

Primum fuit viuente Constantino, quo Imperator iste Christi studiosissimus dedit in mandatis Eusebio Cæsariensi, vt id præstaret, ex quo Diocletianus comburenda omnia Christianorum scripta mandarat.

Secundum tempus est post Iconomachorum tempestates, è quibus nonnulli, & in his Copronymus, illorum memoriam delere conatus est; quo Symeon Metaphrastes, & sub eadem tempora Beda inter nos, & mox Ado Viennensis acta sanctorum collegerunt.

Tertium est nostrum, quo Protestantes sanctorum nomen abolere vnà cum cultu contendunt: & hoc Aloysius Lippomanus, Laurentius Surius, & Cæsar noster Baronius sanctorum gesta scripris illustrare sunt aggressi. & Surius quidem vitas illorum in septem tomos digessit, quod ex parte egerat Lippomanus; Baronius edidit Ecclesiasticos annales, & Martyrologium doctissimis annotationibus locupletauit. Multi præterea religiosi viri vitas sanctorum ex omnibus ordinibus scripsére. Congregatio prætereà nostra hoc sibi onus assumpsit, vt Romæ quotidiè vitas sanctorum in publico cōuentu recitaret. Quocirca nūquam magis Deus suos excitauit ad suorum gloriam conseruandam, quàm sæculo hoc nostro.

Miracula perennia è corporib⁹ sanctorum.

Id verò ipse mirabilissimis euentis voluit palàm facere. Perenne namque & diuinum miraculorum genus è sanctorum corporibus induxit in terras. Nemo non scit Neapoli adseruari ampullam sanguinis sancti Ianuarij; illa quotannis publica supplicatione nobilissimæ ciuitatis defertur ad locum, in quo est caput Sancti; vbi ad illud appropinquauit, sanguinis concretus incipit efferuescere, & cunctis videntibus ac stupentibus ebullit. Quonam tempore huius rei sit factum initium, nondum mihi satis est exploratum. Baptista Fulgosius libro rerum memorabilium meminit huius rei à se visæ. Antiquiorem testem nescio. Is cùm Genuæ Dux esset anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo patria pulsus est. Sed Alexandro Sexto sedente facta est translatio corporis sancti è Mōte Virginis, vt vocant, Neapolim, creatusq; est Alexander anno millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo. Post hæc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, cùm iam è monasterio sancti Archangeli translata fuisset in monasterium sancti Gregorij, in quo virgines sacræ morabantur, ampulla sanguinis

guinis, quæ martyris cuiusdam dicebatur esse, sed ignorabatur cuiusnam; Abbatissa monasterij, de consilio religiosi presbyteri, vt cognosceret cuiusnam martyris ille sanguis esset, apposuit decentissimè supra altare ampullã sanguinis, Deũ rogans, vt qua die celebrabatur memoria martyris, cuius ille sanguis esset, motione aliqua sanguinis, aut miraculo id proderet; igitur quotidiè obseruabat prudentissima virgo, an daret ampulla, quod petierat, indicium. Dedit tandem die, quo cultus anniuersarius redit, cùm caput Ioanni Baptistæ obtruncatum fuit: idcirco quotannis visitur ea die sanguis efferuescere, cùm sit alioquin instar lapidis aliàs concretus. In eadem ciuitate habebatur in monasterio sancti Gaudiosi ampulla sanguinis, qui instar saxi obriguerat; omnes latebat, cuius esset martyris: Abbatissa idem consilium secuta, quod suprà diximus, vidit anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo sanguinem efferuescere festo die inuentionis S. Stephani, dum sacratissimam Missam celebraret Lucianus Roppulus Neapolitanus: & ex eo sanguis ille agitatione celerrima ferri conspicitur non modò die dicata inuentioni S. Stephani, sed sæpè etiam cùm recitatur animo, quo decet, oratio S. Stephani; & ego duos allocutus sum, quibus id contigit. Hæc notissima & celeberrima miracula Deus hoc sæculo quotánnis maximè existere voluit, non in aliquo orbis angulo, sed in vrbe huiusmodi; quæ nobilitate nulli terrarum ciuitati, frequentiaq; incolarum, qui hæc quotannis contemplari possint, paucis cedat. Quiuis potest cò se coferre, & oculis illa proprijs vsurpare. Quibus verò annis Deus eadem mirabilia detexerit è sanguine S. Vrsulæ & Pantaleonis, quæ referimus signo de admirandis affectionibus, haud nobis est compertum. Viden' igitur, vt Deus aduersus impios prò suis ipse sanctis pugnet, vt amplificet eorum cultum per nostros in regionibus nostris? Quid ad hæc hæretici latrabunt? Deus semper amplificauit Deiparæ sanctorumque honores, & amplificandos ipse prædixit. per hæreticos sunt imminuti. Non itaque sunt illi ex Ecclesia Dei, ex quo Græci desciuère à nobis, dolemus sanctis cultum non dari, vt olim, in suis locis: at per nostros in nostris & exteris propagatus est, & euectus. Sed audi maiora.

Christi cultus mirabiliter est confirmatus à Deipara propter miracula in Ecclesiis eius nomine constructis per nostros, quod ostendit nos esse in Ecclesia Dei.

CAP. IX.

III. Argum.

SIcut moriens Christus matrem suam commendauit suorum maximè dilecto, quoad illa viueret in terris; sic eam vult esse commendatam semper Ecclesiæ suę, quæ constat è maximè ipsi dilectis. Ac sicut ipsa Deipara prima fuit, cuius precibus & interuētu Christus edidit primum miraculum, ex quo maximā Christo fidem conciliauit in Cana Galileæ; sic solet illa adhuc esse prima, cuius intercessione inter gētes edantur ab eodē Christo prima miracula, è quibus fiat vt eius cultus latè propagetur, fidemq; ipsius plurimi sequantur, aut tueātur. Nam quod Christus matri dixit in illo conuiuio: *Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea*, non eò pertinet, vt nihil illi tum conuenire cum matre credamus; sed vt sciamus non adstringi illum protinus precibus eius ad miracula patranda, nostrisq; necessitatibus consulendum; paulò pòst tamen precibus ipsius annuere, & voluntati assentiri in tempore hora sua. excusat itaq; se Christus ijs verbis. *Quid mihi & tibi mulier*. quasi haud possit continuò fieri, quod illa velit, sed exspectandum sit minimum interuallum: non illam modo vllo increpat, potiùs reueretur, vt obseruarunt Cyrillus, Gaudentius, Chrysostomus, Maximus, auctor quæstionum, quæ Iustino attribuuntur. Videamus autem, quomodo Christus prouiderit cunctis gentibus esse clarissimum Mariæ interuentu maxima ab ipso miracula confici, quò fidem Christi ipsius vniuersi sequantur. Id fit apertissimum.

Cyri. in Ioan. lib. 2. cap. 23. Gaud. tracta. 2. de lect. euang. Chryso. ho. 20. in Ioā. Max. ho. 1. in Epiph. Iustin. q. 136.

Primo loco, quòd nulla prouincia ferè est, in qua Christi sit aliquis cultus, & in qua simul non sit ædes aliqua Virgini dicata, in qua diuinitus omnium maxima miracula perficiantur. Ausim dicere, non est vrbs aliqua, in qua sit Christi vnanimis cultus, in qua non id contingat. sed si vrbes omnes vellemus recensere, onus impar viribus nostris aggrederemur. Quocirca necesse est dicamus ibi maximè esse Deum, vbi maximus Deiparæ cultus per ædes ipsi Virgini consecratas.

Templa virginis miraculis scatentia toto orbe.

Audi an ita sit. Incipiamus ab extrema Hispania. Narrat An-

Antonius Beuther, atq; vt suprà retulimus, repetit Vasæus diligēs historicus, Cęsaraugustæ esse templum de iussu Apostoli Iacobi ædificatum in loco vbi apparuit illi Virgo Maria adhuc viuens, cui dedicatum est, & ibi innumera semper edita sunt miracula, quorum monumenta celeberrima exstant ac visuntur. Exstat aliud etiam templum Virginis Guadalupæ, in quo est imago Deiparæ missa à Gregorio Papa ad Leandrum Hispalensem, illud etiam miraculis celeberrimum. Adiungamus & tertium Montis Serrati, cuius fama vbique clarissima, vt eius etiam sit exemplo Romæ Ecclesia constructa. quid autem dicemus de templo Castiluedrensi apud Olianā oppidum prope Ilerdam, cuius celeberrimum & anniuersarium miraculum refert Lucius Marinæus Siculus lib. quinto de rebus Hispaniæ, cap. vltimo?

Hispaniæ Gallia adiacet; in cuius extremis oris est insula, quam circumfluit Oceanus, sanctæ Mariæ Bouinæ dicta ob Ecclesiam miraculis ex antiquo tempore illustrissimam, & in littoribus haud procul ab insula positis oppida duo de Mariæ dicta, siue vt Gallico sermone vocant, *Nostre Dame*, ob ædes olim miraculis florentissimas, & è regione Rupullæ similiter insula, in qua oppidum sanctæ Mariæ ob eamdem causam nuncupatum. Quòd si vetustissima omnium cupis; vulgatissimum est illud, Mariam, Martham, Lazarumque Massiliam paulò pòst necem Christò illatam, ipsiusque in cælum ascensionem venisse. Visiturque adhuc in ijs locis Ecclesia Virgini de ipsorum iussu consecrata, & miraculis ex antiquo tempore præstans, quod etiam Vincentius Belluacensis scribit. sed & apud Thungros volunt prisci annales à Materno Petri discipulo Ecclesiam de nomine Virginis conditam, quam primam dicunt infra Alpes Ecclesiam fuisse. Thungrorū verò ciuitatem Munsterus vult esse Brabantiæ antiquissimā, quæ deinde Leodium fuerit translata, & ad Christum populos eius à Materno traductos haud negat.

Vin. lib. 8. spe. hist c. 92.

Munst. lib. 3. Geogr.

Interiora Germaniæ loca post aliquot annos à nato Christo, Christi nomen latè colere, & Episcopos habere cœperunt. & tamen primis ipsis temporibus, quib. nomen Christo dederunt, Clodoueus è Francis Rex primus Christianus Ecclesiam Mariæ fundauit in vrbe Argentina, siue Argentorato, cui Rubiacum, totamq; ipsius ditionē dona-

uit,ædesq; illa miraculis fuit ornatissima. Huius ædis meminit & impius Munsterus. Ex alia verò Germaniæ parte Rupertus primus Apostolus Bauarorum, Theodonem Ratisponæ baptizauit, & Vtonem Ottingæ, ambos gentiū illarum duces; & vtrobiq; Virgini templa ipse consecrauit miraculis olim fulgentia. & OEtingense adhuc sanè fulget. Post hos Carolus ille Magnus, qui Germaniam totam deuicit, & à quo Germaniæ regnum constitutū, templum Virginis nobilissimum Aquisgrani excitauit, & structura, & miraculis admirandum. Idemque Rex in VVestphalia Saxoniæ regione monasterium virginum condidit Deiparæ sacrum, quod adeò miraculis diuinitus olim resplenduit, vt ad illud plurimi confluentes vrbem celeberrimam condiderint Monasterium, sicuti etiam filius eius Ludouicus Pius Hildesheimensem Ecclesiam Virgini sacram condidit, prope quam propter eamdem causam constructa adhuc vrbs nobilissima apparet. Meminit harū rerum Crantzius in Metropoli sua, & Saxonia. Sed vetustissima quæque proferamus, recentioribus omissis, ostendamusque diuini consilij fuisse semper, vt per Virginem maximè in Ecclesia nostra Christi cultus dilataretur. & omissa Italia, in qua nulla vrbs absq; aliquo Deiparæ templo miraculis illustri conspicitur; cùm certum sit Romæ illam domum, in qua Petrus & Paulus primùm sacratissimam Missam dixêre, consecratam Virgini sanctissimæ in Via lata; veniamus ad alias oras. A Luca Euangelista depictas fuisse imagines multas Deiparæ, è quibus deinde ab alijs pictoribus expressæ sunt aliæ, & in multas orbis partes & hæ & illæ dispersæ, suprà retulimus hæ publicis in locis publicè, vt par est, adseruatæ sunt. & quando ijs religiosus honor, q̄ nomine adorationis à nobis explicatur, habebatur, haud alijs in locis dici potest, quàm Ecclesijs habitas fuisse. Testis est eius, quod dico, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui in epistola ad Thomam Episcopū Claudiopoleos scribit Sozopoli Pisidiæ fuisse imaginem Virginis, è cuius manu scateret abundè vnguentum ad omnes morbos curandos valens. Pisidia est Asiæ regio. Igitur ex antiquo tempore in Asia constat fuisse ecclesias, in quibus imago Deiparæ ad Christi amplificandum cultum miracula efficeret, sed ex quo hæreses in ijs locis abundarunt, tantùm miraculum defecit: quòd si hac parte verum est, quod in vita Basilij Amphilochio attributa narratur, in

Crāt. in Sax lib. 2. c. 16. & 23. Metr. lib. 1. c. 10.

Cap-

Cappadocia insignis erat illa Deiparæ ædes, in quam populus Cæsareæ conuenit, cùm diuinitus sancto viro est patefactum cælesti telo Iulianum transfixum. Nec minoris erit celebritatis illud Edessæ in Mesopotamia templum Virgini dicatum, in quo imago eiusdem Deiparæ allocuta est Alexium, & quæ Romam translata maximo est in honore. Verùm non omittamus Græciam. Bizantium à Seuero dirutum Constantinus instaurauit, ac de suo nomine vocauit, in ea verò vrbe in primis templa Virgini instituit, atque eam tutelæ Deiparæ commendauit, vt Gregorius Turonensis, Zonaras, & Nicephorus testantur. Pulcheria deinde, & Leo Magnus magnificentissima eidem Virgini in vrbe eadem construxerunt, in quibus innumera miracula diuinitus edebantur, quæ & Zonaras & Nicephorus scribunt. In quibus illud etiam mirificum, quòd Ecclesiam Leo Primus diuino visu admonitus Virgini ædificauit ad fontem quemdam, cuius aqua morborum genus omne curabat. Narrat præterea Simeon Metaphrastes, Deiparæ vestes vsque ad Leonis Primi tempora occultatas, & custoditas decentissimè à quibusdam virginibus Hebræis per manus maiorum perenni successione ijs traditas, & miraculorum gloria, quòd illis ægroti sanarentur, maximè caras, & illustres; detectas verò in Palæstina Galbio & Candido viris Imperatori amicissimis. Meminit eiusdem rei Zonaras etiam. Ac tunc ædificatum templum Deiparæ in Blachernis Constantinopoli, translatis eò vestibus sacris. Sed & ante hos Helena Constantini mater in Oriente Hierosolymis ac Bethleem templa multa condidit, vt Eusebius scribit, in his aliqua Deiparæ dedicata, quod etiam Nicephorus adnotauit, miraculis maximè illustrata. Nunc aũt propter hæreses non ita. Iã verò quãuis ad nos Orientalis Ecclesiæ monumenta non ita vt nostrarum rerum peruenisse potuerint; attamen ostendamus ipsis Apostolorũ temporibus templa Deo de Virginis nomine dicta fuisse ædificata. Franciscus Aluaresius integer rimæ fidei scriptor describit magnificentissimum tẽplum à se visum, & à Candace Regina in Auxumo constructum, Deiparæque consecratum, & miraculis olim nobilitatum in AEthiopia. Noudum tamen est mihi satis exploratum, an Candaces ista fuerit illa, cuius Eunuchum Philippus baptizauit, quamuis AEthiopes ita velint, vt Aluaresius scribit; an verò Candaces alia, quando vt è Strabone habemus,

Greg. de glor. Mart. c. 8.
Zõ. anna. l. 3
Niceph. li. 8. cap. 26.
Niceph. li 15 cap. 2.
Sur. tom. 4. Aug. 16.
Eus. l. 3. de vita Const.
Niceph. lib. 8 cap. 30. cap. 38.

mus, cunctæ AEthiopum Reginæ Candaces nominarentur. In AEgypto sunt templa vetustissima, quæ miralis olim pręstabant in ijs locis, in quibus commorata est Virgo cum puero Iesu, & Ioseph virgo eidẽ Deiparæ ex antiquis sæculis dedicata. Ioannes Empolitanus in itinerario suo narrat in India cis Gangem in ora Comorinensi prope vrbem Coulani exstare templum Mariæ dedicatum, quod illarum regionũ indigenæ summa cum religione frequentabant antequam Lusitani terras illas imperio continerẽt. In itinerario quodam Persico, quod libris Haytonis Armeni attexitur, auctor describit honorificentissimum Deiparę templum in vrbe, vt putamus, Mediæ ad mare Caspium sitæ, amplissima, quam nunc Caramit vocant, conditamq; volunt à Constantino Imperatore. Constat prætereà ex historia Chinæ, seu Sinarum, descripta à Gonzalio Mendoza, inter Sinas olim, populosq; Indicos vltra Gangem positos, fuisse priscis temporibus templa, cultumque Virginis Mariæ: mox, vt fit, Christi cultu exstincto, exstinctus est & Mariæ matris, quòd ambo sese mutuò complectantur. tradit hoc ille lib. 2. in principio. Ex Odoardo aũt Barbosa cognoscimus à Brachmanibus cultam Mariã, ex Osorio similiter eius imaginem in quodam templo, ab illis & adorari, & ipsam Mariam inuocari. Hęc igitur omnia palam faciunt Deum quidem præ cunctis secundum diuinitatem Deiparæ honores sacros dari semper toto orbe voluisse, quando toto orbe illius templa excitari prouiderit. In quibus nulla nunc, nisi inter nostros, aut paucissima, & tenuia quidem miracula eduntur, quæ cultum Christi non amplificent, nisi vbi nostri sunt; quod res ipsa ostẽdit, & signis de propagatione, interitu, & reparatione fidei est explicatum. Nos igitur ex Ecclesia Dei, alioquin magis inter alios per hæc miracula in ædibus Virgini sacris edita Christianæ religionis fieret incrementũ. Nobis Christum Virgo parit, nobis illum quasi in Cana Galilææ, vt veluti discipuli illum sequamur, effectione miraculorum maximè detegit. Sunt autem rarissima in Ecclesijs hæreticorum Deiparæ sacris miracula: quòd scilicet recta Christo fides ab hæreticis non habeatur. Miracula namq; ad ingenerandam conseruandámve rectam, non prauam fidem, diuinitus efficiuntur. Num cùm signa sint, ait Paulus, infidelibus, Deus inter hæreticos illa non edit in Virginis templis, ne infideles credant inter hæreticos esse fidei veritatem,

tem, sed credãt esse inter Catholicos, inter quos vidēt hæc effici miracula, & perseuerare ad infideles in Ecclesiæ sinum alliciendos, desijsse autem cum recta fide in hæreticorum conciliabulis. Hinç etiam sequitur, cùm quotidiè nos templa Virgini consecremus toto orbe, hæretici verò & alij neque id agant, neque varias ob causas agere possint, quin apud eos templa Virginis per impios profanētur, ac violentur; sequitur inquam, nos esse ex illorum cœtu delictorum, quibus moriens Christus matrem commendauit, & quibus illam voluit esse quasi filijs matrem, vt eamdem in cælo iam regnantem, dum virtute sua cælitus hausta versatur in terris, accipiamus vnà cum Ioanne dilecto in nostra, atque ita Christi religio dilatetur, quæ non nisi per suos dilatari potest, cùm dæmon aduersus dæmona haud pugnet, neque aduersus Christum Christus.

Virgo adfuit semper nostris in Christi cultu propagando; quod nos esse ex Ecclesia Dei testificatur.

CAP. X.

IAM verò sicut per templa Virgini nuncupata Christi cultus est amplificatus, idque solummodò inter nostros, ita vt protinus inter alios sit ille imminutus, vbi à nobis recesserunt; sic idem per eiusdem Virginis admiranda visa mortalibus oblata, vel opem cælitus allatam, perfectum, sed solummodò inter nostros, ac nobiscum sentientes: quod est apertissimo argumento illam nobis esse matrem, nos esse dilectos, quibus illa sit in terris quasi filijs mater commendata; inter nos agitari nuptias, quibus intersit cum suis Christus, vt nostræ necessitati, vbi opus est, consulat interuentu & intercessione suæ matris. Atq; vt omittamus prima illa tempora, cùm vel viuens illa in terris in mōte Sionis est commorata simul cum Apostolis, Spiritusq; sanct⁹ est cælitus in eos delapsus, vel cùm Iacobo in Hispanijs apparuit, non temerè, sed vt vires Apostolo adderet, moneretq; absentem, siquid opus esset; vel cùm moriens scribitur mirabiliter omnes ad se Apostolos aduocasse, vt è terris migrāti adessent; vel etiā cùm post

IV. Argum.

obitũ tot illi templa diuersis in locis instinctu diuino sunt ædificata à sanctissimis viris.

I. Primum tempus est à nobis explicandum, cùm iam pestis Pauli Samosateni erumperet ex inferis, vt humanum genus, si fieri posset, omninò inquinaret: ac tum Virgo sanctissima, vna cùm Ioanne Apostolo, Gregorio illi Thaumathurgo, cuius sanctimoniam doctrinamq; simul tota antiquitas est venerata, apparuit, & quænam Catholica veritas esset, edocuit; quod Gregorius Nyssenus in eius vita scribit, formulamque fidei, qua confutatur & Arij scelesta opinio affinis Samosateni, litteris commendat. Quocirca & adfuisse tantum virum Concilio Antiocheno tempore Aureliani Imperatoris testatur Eusebius. Hæc autem formula per Deiparam Ioannemque Apostolum Gregorio tradita mirificè iuuit omnes Orientales aduersus Arij impietatem. Hinc Basilius epistolis ad Neocæsareenses tanti viri auctoritatem sæpè in medium profert, & epistola 75. ac libro de Spiritu sancto, magnumque sæpe illum vocat. Huius mirandi viri meminit etiam Nicephorus Callistus.

Hist. l. 7. c. 22

Epist. 62. 63. 64.

Nic. l. 6. c. 17.

Quòd si hac parte fidem non abrogamus ei, qui vitam Basilij scripsit, & nomine Amphilochij circumfertur; secundum tempus erit, cùm Iulianus Ecclesiæ ruinam meditaretur simul, ac moliretur, quo tēpore Basilius precibus intentus vidit Deiparam, quæ Mercurio martyri iussit, vt hasta Iulianum transfigeret. Sed quicumq; ille fuerit, qui vitam Basilij scripserit, haud curandum nobis: visum namque illud verissimum fuisse, multis testimonijs Nicephorus confirmat.

Nic. l. 10. c. 35

Neq; verò ad Ecclesiæ totius pacem componendā minus profuit illud tertio loco, quod è Niceta idem tradit. Nam cùm dissentirent inter se Orientales & Occidentales Episcopi ob eiectum Ioannem Chrysostomũ, maximumque ob id esset in Ecclesia dissidium, alijs alios excommunicantibus, Cyrillusq; in primis Patriarcha Alexandrinus Chrysostomo infensus esset, in somnis admonitus à Maria resipuit, & pax inter omnes Catholicos conciliata, finisq; implacabili & maximæ discordiæ datus.

Lib. 14. c. 28.

Quartum sit illud. Procopius & Agathias multis laudibus extollũt Narsetem: is Gotthos Arianos multis à se prælijs fusos ac domitos in seruitutem liberata Italia redegit. Montis autem Virginis sanctissimæ, cuius ille erat studiosissi-

ſiſſimus cultor, cunctas victorias reportauit. Nihil namq; arduum aggrediebatur, neque ſigna cum hoſtibus conferebat, niſi de conſilio illius; quod Nicephorus idem memoriæ prodidit. Quòd igitur è tyrannide Gotthorum fuerit erepta Italia, quòd Ariani hæretici ex illa expulſi, Deiparæ debetur.

Lib. 17. c. 13.

Quintum ſit, cùm propter ignauiam Phocæ Tyranni, crudelitatemque in ſuos Perſæ cunctas Aſiæ regiones vſq; ad Chalcedonem cepiſſent, neque ille Reip. ruenti opem ferret, Heracli⁹ in Choſroē mouit, & accepta Virginis imagine à Stephano Metropolita Cyzeno ipſum vicit; deinde rurſus imaginem Chriſti haud manufactam ſecum deferens, Perſas, qui non Aſiam modò, ſed & Syriam, AEgyptum, Lybiamq;, & Carthaginem ceperant, debellauit, in ſuamq; poteſtatem adduxit, præſidio duarũ imaginum Deiparæ, & Chriſti, hæc omnia feliciſſimè rebus iam deſperatis ad exitum perducens; vt Paulus Diaconus, qui fuit his temporibus, ſcribit.

Sextum, cùm Copronymus omnium flagitioſiſſimus Imperator, ac poſt illum Leo Armenus bellum ſanctis omnibus indixiſſent, eorum reliquias omnes exterminarent, Catholicos ferro & igni perſequerentur, Virginis interuentu aperto contigit, vt Copronymus quidem cæleſti igne fuerit arreptus, dumq́; illo miſerabiliter excruciatus ambureretur, exclamarit, ſe viuentem flammis inferis addictum, precariq; vt Maria meritis laudibus, quibus ſibi placaretur irata, ornaretur; ſed paulò pòſt impius deceſſit, vt auctor Miſcellæ tradit. Rurſus, cùm Leo Armenus veſtigijs Copronymi inſiſteret, Mater eius vidit in ſomnis Deiparam quaſi in æde ſibi in Blachernis Conſtantinopoli dicata iubere, vt ei propinaretur è vaſe pleno cruoris, Eccleſiæ pauimentum cooperientis; quòd cum auerſaretur illa, Regina cæli dixit: Atqui tuus filius haud finem facit effundendi ſanguinis eorum, qui me venerantur, ideoq́ue haud ceſſat in ſe Deum filiumque meum prouocatur. Hoc viſum narrat Zonaras, neq; multò pòſt Leo Armenus eſt interfectus.

Septimum tempus eſt, cùm Fridericus Secundus in Occidente nihil non ageret, vt poteſtatem Pontificiam funditus euerteret, ferroq; & igni cuncta miſceret, ¦Oriens autem totus à nobis eſſet abalienatus, Saladinus in Syria noſtros profligaſſet: tunc enim vidit ſanctiſſimus vir Domi-

nicus iratum generi humano Christum quasi fulmina in terras missurum, Mariç verò precibus mitigatum destitisse à proposito consilio; quod in eius vita notatur. & sanè tranquillitas maxima ex illo tempore subsecuta, hæretici Albigenses, cetericque innumeri Europam polluentes exstincti; Prussia, Liuonia, Lithuania ceteræque his finitimæ regiones, & in his quædam Tartarorum, vt signo de fidei propagatione est explicatum, Christiano cultui sunt adiectæ; Mahometani ex Hispania tota depulsi; plurimæ in Africa vrbes & insulæ vsque ad AEquinoctialem circulum nobis acquisitæ.

Octauum tempus est nostrum, quod videtur omnium maximè turbulentum, & quo potissima pars Septentrionis ab Ecclesiæ obedientia recessit, Oriens Africæq; plurimum & Græcia in potestate est Mahometanorum. Atque hoc in primis cōtigit, vt maxima miracula per imaginem Mariæ in Indijs Occidentalibus efficerentur, quibus latè Christiana religio propagaretur. Insula cuba est è maioribus, quas Oceanus in ijs oris circumdat. In hac Regulus quidam victorias multas est cōsecutus aduersus finitimos populos, non alia ratione, quàm quòd vsus est Christiano quodam Duce copiarum suarum. Is autem pergebat in hostes, gestans in pectore imaginem Virginis, ac protinus illos in fugam versos superabat. Cumque dissensione orta inter Indos, prçstantiórne foret imago Mariæ, an verò Indicorum deorum, idcirco ad arma veniretur, conuenêre, vt in lata quadam planicie duo iuuenes hinc inde brachijs ad terga ligarentur arctissimè, & duo quidem nomine Mariæ ab aduersaria parte vinculis obstringerentur, duo verò Indicorum deorum nomine similiter ab alia parte; quorū verò manus sponte soluerentur, ij victores essent, ac pro veritate crederentur pugnare. Res ita acta, & continuò innumeris videntibus inclamante Regulo, Aue Maria, adstitit matrona mirabili maiestate, quæ ad suos adpropinquans, & virga manus tangens, illos exsoluit, vinculaq; se ad alios duos ex aduerso positos deuinciendos continuò contulerunt. Quo peracto, visum est idem certamen renouari: ac rursus idem mirabiliter euenit. Hoc passim diuulgatum plurimos ad Christum traduxit. Atque hoc satis, quantum ad Indias Occidentales.

Deipara auspice O-

Quantum porrò ad Orientales; illud certum, anno millesimo quadringētesimo nonagesimo septimo Vasquium Gamam

Gamam ab Emanuele Rege missum detexisse Indias Orientales, aditumq; ad illas aperuisse auspicijs Deiparæ. quocirca Emanuel Rex in ora littoris Olyssiponensis templum Virgini excitauit, vt Petrus Maffeius libro secundo historiæ Indicæ & Osorius primo tradunt. Illud præterea in Africæ locis ad promontorium Bonæ spei contigit, vt Rex Benopotamæ potentissimus Christo se dederit hac occasione, quòd in somnis sæpè viderit matronam quamdam secum loquentem, cuius cùm mox imaginem depictam conspicatus esset, illa autem Virginis erat, cum plurimis est baptizatus, vt retulimus signo de miraculis in fidei propagatione editis. Atq; ex his omnibus constat, visis, monitis, & ope Virginis Mariæ adiutam semper in maximis necessitatibus Ecclesiam Dei, conseruatumq; & amplificatum Christi cultum: quod cùm non contigerit Græcis, ex quo se à nobis alienarunt, neque populis alijs, certissimò colligitur nos esse ex Ecclesia Dei, neque verò hæc spectra falsa dici possunt, è spectris enim falsis Christi cultus haud dilatatur, neque illa dæmon effingeret, è quibus cognosceret sibi & suis vires minui, Christo autem & sectatoribus eius augeri.

Orientales Indiæ detectæ.

Sanctißimi, doctißimi, ac felicißimi quique ex omni celebriori natione, sequentibus eos innumeris ex ea, Mariam maximè coluerunt, cōtrà peßimi spreuerunt. Quamobrem, quicumque Deiparæ honorem maximè præstabunt vestigijs superiorum insistentes, illi erunt ex Ecclesia Dei. Nos verò cunctis in Deiparæ gloria amplificanda, præconijsq; celebrandis præcellimus. Nos itaque ex Ecclesia Dei.

CAP. XI.

ECclesia Dei sine dubio maximè diuina. Quatuor autem reputantur in primis diuina, sanctitas, doctrina (quæ duo pertinent ad animi bona) felicitas virtutibus consona, & innumera vndiq; confluentium multitudo, qui in idem conspirent, idem sequantur, quæ duo bonis externis adnumerantur. Cuncta hæc conueniunt ad laudes Deiparæ, & sanctorum celebrandas in Ecclesia

E singulis nationibus Deiparæ laudatores.

nostra

nostra, vt scias illam propter hæc esse Ecclesiam Dei, & maxime diuinam. Ac primo loco si ex omni celebriori gente sanctissimos quosque deligas, videbis ab eis summos Mariæ sanctisque honores tributos. atq; vt breuitati consulamus, de sola agemus Maria, coniungemusq; hoc primum cum eo, quod secundo loco proponebamus, nimirum doctissimos quosq; simul & sanctissimos ex omni celebriori gente in idem conuenisse.

Initium sumamus ab extremo Oriente, à Syriacæ linguę doctoribus, inter quos primas tenere videtur Ephrem Syrus. Sic igitur ille, *Intemerata*, inquit, *prorsusque pura Virgo, Deipara, Regina omnium, eademque optima, sublimior cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & sine comparatione ceteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum lætitia, Hierarcharum cœtus, omnium sanctorum ac virginum corona, ob fulgorem inaccessa, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella, per te reconciliati sumus Christo Deo meo.* & rursus: *Sub alis tuis custodi me, & protege, miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quàm plurimis creatorem Deum meum & iudicē offendi, ne aduersus me glorietur Satanas exitiosissimus, ne in me exsurgat exsecrandus inimicus meus, ne seruum tuum à tui spe destituti cognoscam, ne calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia ô Virgo syncera: tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lacrymis te, ô celeberrima mater, imploro, & aduoluor tibi, ô domina mea, suppliciter clamans.* Hæc Edessenæ Ecclesiæ in Mesopotamia doctor.

Sequuntur hunc Cappadociæ sanctissimi ac peritissimi viri Basilius, & Nazianzenus. Hic igitur sic proprio carmine:

Salue puella gratiosa, mater &
Virgo omnium castissima, & pulcherrima,
Exercitibus præstantior cælestibus,
Regina mundi gaudium mortalibus:
Semper benignam te exhibe quæso hominibus,
Mihique sis salus vbique maxima.

Ac Basilius sic in Liturgia scriptum reliquit, *Sanctissimæ, & intemeratæ Dominatricis nostræ, & semper Virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam celebrantes, nos ipsos inuicem, atque omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.*

Quòd

Quòd si aliquem ex Antiochia Syriæ cupis, habes Ioannem Chrysostomum, cuius nos verba suprà retulimus; non est opus eadem repetere. Sin autem vis aliquē è Lycia, en tibi sanctissimus martyr Methodius Olympi in Lycia, dein verò Tyri Episcopus, cuius in Deiparam præconia suprà adscripsimus. Pontus porrò tibi dabit Gregorium Thaumathurgum Neocæsareæ Episcopum de cuius etiam laudibus in Virginem diximus. Qualem verò Arabia magnum Mariæ laudatorem nobis producet ex vrbe Damasco Ioannem Damascenum, cuius non est quod aliquid in honorem Virginis dictum proferamus, tot enim tantaque ille memoriæ mandauit, vt pauca seligere consonum rationi non videatur. At Palæstina tibi dabit ex ipsis Hierosolymis Hesychium presbyterum, cuius leguntur duo de laudibus Virginis sermones; Sophroniumque Patriarcham, cuius exstat sermo de Annunciatione, in quo mirificis laudibus effert Virginem sanctissimam. Idem verò in epistola, quæ in sexta synodo actione prima recitatur, prædicat sanctam Virginem, puram, quæ Dei sunt sapientem, & liberam ab omni labe secundùm corpus & animam. Cyprus autem nobis Epiphanium suum ostentabit, cuius in eamdem laudes audiuimus suprà, & qui librum proprium de laudibus Deiparæ confecit, Alexādria in AEgypto porrò gloriabitur hac in re, vt ostendimus, Cyrillo, & Athanasio Patriarchis Deiparæ laudatoribus ac propugnatoribus.

Constantinopolis in Thracia iactabit se in Germano & Proclo suis Episcopis, è quibus ille sic de Maria ad Ioannem Synnadom Episcopum: *Verè ac propriè veri Dei matrem veneramur, & magnificamus, & quauis visibili & inuisibili creatura superiorem reputamus.* & rursus alibi, *Commune totius mundi gaudium ex iustis hominibus Ioachim & Anna hac die nobis exortum est, laudatissima nimirum illa omnisque planè reprehensionis expers Virgo, quæ sola propter eximiæ dignitatis præstantiam verè recteque animatum Dei templum facta est, ac sola verè Deipara agnoscitur, & propter huius intercessionem Christus Deus mundo quidem pacem, & concordiam, nostris verò mentibus misericordiam vberem demisit, & impartitus est.* Græcia porrò reliqua innumeras educet acies sanctissimorum, doctissimorumque simul, quibus sit hoc certamen, quis in Maria laudanda præstet; quos si vellemus enumerare, nullus nobis esset ad finem properantibus terminus dicendi. Instar omnium

ſit, quæ ſuprà attulimus è Dionyſio Athenienſi, & alijs. Neque verò Creta inſula voluit eſſe expers tantæ laudationis: Andreæ namque Cretenſis exſtat ſermo de Annunciatione Virginis, ornamenta diuina latè explicans.

Latini Deiparæ laudatores.

Nunc ad Latinos veniamus, & Græciæ finitimam Dalmatiam, è qua prodibit Hieronymus, qui Pſalmi illud explicans, *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis*, hanc nubem Mariam vocat, quæ nos in hac vita ſemper deducat, quæ numquam fuit in tenebris, ſed in luce: eamdemque alibi ſanctis omnibus à peccato liberiorem natam confirmat.

In c. 10. Eccl.

E Germania nullus eſt antiquus ſcriptor, quòd ſeriùs illa litteras acceperit. Doctrina tamen ac ſanctitate maximi ſunt in ea Rupertus Tuitienſis, & Albertus cognomento Magnus Philoſophorum princeps: & ille quidem docile ingenium, cùm prius eſſet hebeti, nactus dono Mariæ, vt Trithemius narrat, ſic affatur in Canticis Virginem: *Quando nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis Aurora ſurrexit, Aurora prænuncia diei ſempiterni: quia ſicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, ſic natiuitas tua, natiuitas ex ſemine Abrahæ, clara ex ſtirpe Dauid, ad quos cum iuramento facta eſt repromiſſio benedictionis, finis dolorum, & conſolationis fuit initium, finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis exſtitit principium.* Quid verò canet Albertus, & ipſe ſanctis iure annumerandus, qui cùm rudi eſſet ingenio, & ad litteras non ſatis idoneo, à Virgine ſimiliter accepit incredibili munere vt repentè exiſteret alius, & acutiſſimæ ac ſolertiſſimæ in indagandis naturæ arcanis mentis eſſet? Habemus itaque meritò illius librum de laudibus Mariæ, in quo duodecim recenſet eius diuiniſſima priuilegia. Ætate his maiores, quamuis doctrina non appareant ſuperiores, Smaragdus, Algerus, Contractus, & Rabanus, qui ſanctitate inſignes multis ornant præconijs Mariam. At reliquæ Septentrionis regiones, quamuis ciere haud poſſint ſcriptores hiſce æquales rerum ſcientia, laudatores tamen & cultores Mariæ antiquos ſatis poſſunt. Hungaria namque hoc ipſo gloriabitur, quòd vnà cum religione Chriſtiana imbiberit ab incunabulis religioſiſſimum in Mariam ſtudium: Stephanus namque ſanctus Rex Hungariæ primus Virginis patrocinio regnum ſubiecit.

Iam Prussia & Liuonia si quid habet doctrinæ, ac pietatis, immò si quid humanitatis, necesse est acceptum Mariæ referat: à militibus enim sanctæ Mariæ Christo est acquisita, metropolimque habet Mariæburgum. quod igitur ex alijs locis sanctissimos, ac doctissimos producim⁹ aliquos, ex istis quidquid est doctrinæ ac sanctitatis, id totum Virginem Deiparam commendat, ac simulatque istarum regionum populi illuxerunt orbi terrarum, è splendore à Deipara accepto radios emisere. Sed sanè totus Septentrio, puamuis paucos antiquitatis suæ scriptores habeat, vt ex ijs Mariæ laudatores producere possimus sanctimoniæ ac doctrinæ laudibus præstantes; à quibus tamen accepit Christianæ pietatis, atque ipsius humanitatis rudimenta, studiosissimi fuerunt illi Mariæ cultores. Angli sanè cùm ex antiquis temporib⁹ Beda suo veluti sanctissimo ac doctissimo sese meritò efferant, sic eodem Virdinis singulari laudatore gloriantur: quem longiori ætatis interuallo, non tamen, vt putamus, sanctimoniæ & scientiæ, secutus est Anselmus.

Quòd si Gallia gaudet potissimùm, veluti præcellentibus sanctimonia & doctrina, Irenæo & Dionysio, quãuis ad illam venerint è remotis & exteris locis, qui tamen in eã sedes constituerint; ijq; vt vidimus maximè Deiparam venerati sunt; & Gallia habebit, quos hac in re meritò ostentare possit, sed imitatores tamen horum natos è suo solo potest & ipsa producere, quos sæcula posteriora innocentiæ cælestis, ac disciplinæ excellentis nomine posteris commendarunt. Instar sit omnium Bernardus: nam ceteros, quorum scripta quidem pulcherrima exstant, sed doctrinæ minoris, omittemus: sic igitur ille: *Amplectamur Mariæ vestigia, fratres mei, & deuotißima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim nempè vellus est mediũ inter rorem & aream; mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Christum, & Ecclesiam constituta. Sed fortè miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam Sole mulierem. magna siquidem familiaritas, sed mira omninò vicinitas Solis, & mulieris quomodo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsisteret? meritò quidẽ admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri; verumtamen solue calciamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.* Hæc ille.

At Galliæ finitima Hispania tum multis, tum maximè Illefonso, cuius exstat proprius libellus in Deiparæ laudē præcipuis Mariæ laudatoribus exsultat. Denique vt absoluamus, Africa doctissimos illos ac diuinissimos profert viros, de quibus egimus, Cyprianum, & Augustinum. Reliqua esset Italia, a qua cùm plurimi exstiterint superioribus similes, nullos contenti erimus protulisse, nisi acutissimos Philosophos, ac Theologos, eosdemq; integritatis diuinæ, Thomam, & Bonauenturam.

Doctissimi quique Mariæ laudatores.

Quocirca libet magis admirari, quòd quò quisq; acumine ingenij visus est aliquando inter Christianos excelluisse, eò studiosior fuit celebrandæ Deiparæ. Talis nimirum fuit è Græcis Dionysius Areopagita, inter AEgyptios Origenes, inter Germanos Albertus Magnus, inter Anglos Alexander Halensis, inter Scotos Ioannes Duns philosophorum coriphæi: vt appareat nimirum conspirare omnem diuinitatis vim mortalibus communicatam in decantandis Deiparæ meritis è totius orbis terrarum celebrioribus nationibus. Diximus de duabus rebus maximè diuinis ad animum spectantibus, sanctimonia scilicet, ac doctrina, vt se effuderint in extollenda Virginis dignitate.

Felicissimi ac maximi quique reges Mariæ studiosi.

Nunc de tertia agamus, quæ superiores etiam complexa porrigit se ad corporis simul bona: diuinum namq; felicitas virtutum splendore coruscans. Atqui cognosces, si rem propiùs contemplére, felicissimos quosque Imperatores ac Reges Mariam maximè coluisse. Tales fuêre Cōstantinus Magnus, qui plurima illi templa dedicauit, quin ipsam Constantinopolim; vt Nicephorus scribit, Pulcheria Augusta, Carolus Magnus, & Henricus Secundus sanctis adscriptus, optimi, ac fortunatissimi Imperatores: tales etiam fuêre sancti in Hispania Alfonsus Castus, Ferdinandus Tertius, in Anglia Eduardus, in Gallia Ludouicus, in Hungaria Stephanus, in Polonia Boleslaus Pudicus, in Bohemia Venceslaus, in cælitum numerum de sententia Ecclesiæ relati. Horum verò nemo fuit, qui non aliquod templum Deiparæ excitarit, vt ex eorum gestis apparet. Hos sequuntur innumeri Reges vel eorum successores, vel alijs populis dominati, quos qui recensere vellet, excederet conuenientem breuitati & operi nostro modum.

Quartum

Quartum sit itaque diuinum innumera idem sentientium multitudo ex omni natione: felicissimum namq; videtur, ac procedens reuera à Deo, de quo dictum est, *Omne datum optimum, & donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum*, idem sentire cum sanctissimis, doctissimis, felicissimis, & innumeris. Adde illud quinto loco, quòd per sæcula plurima est hoc decretum, & concessum Mariæ nullos non honores, qui in Deum referantur, post Deum deberi: initiumque, vt suprà vidimus, ab Angelo Gabriele factum, quin à Sybilla Erythrea, vt ostendimus, quæ fuit ante ipsum diluuium. Quocirca vel ipsæ gentes impiæ, cùm non agnoscerent Mariam, tamen illam quoquo modo, veluti Mahometani adhuc ipsi, Brachmanes, & extremi Seres siue Sinæ, venerabantur. Hinc vates à Sibylla desumptum cecinit illud:

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Verùm cùm tot ac tantæ nationes cõuenerint semper, & conueniant ad Deiparam colendam, & supplici prece orandam, multiq; hæretici haud dissentiant à nominatis modò Patribus, vt distingui possint qui Catholici sunt, ac verè omninò consentiunt cum Patribus istis Catholicis in Maria & sanctis colendis, illud adhibebitur iudicium, vt qui magis datos ab ipsis Virgini honores promouebunt, ij sint sine dubio veluti propiùs accedentes ad illos in sanctorum cætu, quo conflatur Ecclesia Dei. Cumq; hoc solis nobis contingat, longè verò secus alijs, necessario sequetur nos esse ex Ecclesia Dei. Quòd verò ita sit, apparet. Primò quidem, quia nos soli Christi ac Deiparæ & sanctorũ cultum quotidiè inter exteras gentes amplificamus, ceteri diminuunt, vt signis de propagatione, interitu, & reparatione fidei constat. Deinde nobis solis est perpetua sanctorum ac martyrum successio, qui durissima quæq; subeunt, vitam ponunt pro Christi cultu, quod alijs non vsuuenit, vt signis de perpetua sanctorum & martyrum successione est actum: per istos autem maximè Deus, Deipara, & sancti coluntur. Præterea inter nos solos est, vt tot templa, tot vrbes, tot loca de Mariæ, sanctorum, Deiq; nomine vocentur, quæ est sacri cultus ampla dilatatio. Accedit, à nobis solis fieri, vt tot libri, ac tot opera aduersus impios pro huiusmodi honoribus sanciendis quotidiè emittantur. Adde, nobis solis contingere, vt toties in die varijs modis san-

I.

II.

III.

IIII.

V.

ctorum sententiæ consonis Deiparam sanctosque honoremus. Similiter solis datur nobis, vt tot in vnum conueniamus ad hæc præstanda. Denique solius est Ecclesiæ nostræ, vt habeat ex omni natione cognita aliquos in singulis peruij orbis partibus, qui hæc efficiant; ne falsum sit illud, *Beatam me dicent omnes generationes*: &, *Fulgebunt sancti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

VI. VII.

Nos igitur soli sumus Ecclesiæ filij, qui propiùs ad sanctos accedimus religiosis effectibus, de quibus ait Paulus aduersus impios illos hæreticos; qui nos animi deuotione prohibēt ad sanctos accedere, surdosq; cælites & à nobis nostrisque precibus remotos constituunt, *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum.* hæc Paulus loquens de accessu mentis nostræ ad Angelos, sanctos, ac iustos; qui non nisi religione perficitur, ac spiritu, quo nos afflati, sic cùm vetustissimo Poeta Sedulio Virginem toto orbe salutamus:

Salue sancta parens enixa puerpera Regem;
Qui cælum terramque regit per sæcula, cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens, cum virginitatis honore
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

SIGNVM TRIGESIMVM SEPTIMVM,

Spiritus precum.

Prædictum est, in Ecclesia Dei fore spiritum precum, plorandæq; Christi passionis singularem: id nobis mirabiliter contingere manifestum fit è multis, contrarium verò alienis ab Ecclesia nostra.

Cap. XII.

NObilissima ac præcipua religionis effecta sunt preces, quo nomine nos omnem mentis in Deũ tendentis motum significamus. Ex parte namq; finis apparet nihil hoc esse præstantius: Deus enim precationis est finis. ex parte autem nostra, nihil intelligentia nostra, & animo excellentius. Quoties igitur nostri diuinissima pars in Deum, quo nihil esse potest melius, tendit, tum maximè diuinitatem videmus spirare, & appetere. Quocirca necesse est, si qua in re præstat Ecclesia Dei, in hac omnium maximè cunctis præstare. Hinc Christus aiebat ad suos: *Oportet semper orare, & numquam deficere.* & Paulus, *Sine intermißione orate.* Rursus Christus, vt ostenderet nihil prope cælitus ad nos delabi, nisi interuentu precum, dixit: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Spiritum porrò precum in Ecclesia Dei speciatim fore illustrissimum longè antè prædixit his verbis Zacharias inducens Deum loquentem: *Et effundam,* inquit, *super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ, & precum: & adspicient ad me, quem confixerũt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalẽ, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon, & planget terra, familiæ, & familiæ seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorũ seorsum: familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorũ seorsum: familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum & mulieres eorũ seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Hæc apud Zachariam Deus apertissimè prænuncians in Christianos effundendum cælitus spiritum precum, qui maximè impellat tum mares, tum fœminas ad Christi mortem deflendam, atque hac in re ait mulieres à viris seorsum deflecturas: ibi verò agi de morte Christi crucifixi, non est dubitandum. Hebræi namq; ipsi antiqui ex parte hoc agnouerunt, vt colligitur è Ionatham Chaldæo, & Ionatham Cæco in Canticis.

Luc 18.
2. Theß. 5.
Zach. 12.

Zacharias itaque quatuor valde insignia præsignificat ad hoc argumentum in primis facientia. Primum, fore vt diuinitus precum spiritus animis humanis infundatur. Secundum, spiritus hic vrgebit homines ad deplorandam Christi mortem. Tertium, mares à fœminis separatim defleturas. Quartum, familias à Dauid prognatas seorsum & ipsas defleturas. Nominat autem, familias Dauid,

Natham, Leui, & Semei. & qui fuerit Dauid nemo ignorat, reliqui tres qui sint liquet è genealogia Christi, quam sanctus Lucas contexuit. Sic namque ille, *Vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui.* & mox, *Qui fuit Matthathiæ, qui fuit Semei,* & paulò pòst, *Qui fuit Matthata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.* Hæc Lucas, Nathan, Semei, & Leui à Dauid progenitos tradens. Hæc verò omnia menti infigenda, vt sciamus clarissimè, quæ sit Ecclesia Dei, non modò ex abundantissimo spiritu precum suprà omnes in corda nostrorũ cælitus effuso, sed etiam è tribus alijs, quæ Zacharias prædicit. Illud præterea hîc adscribendũ, Christianos esse filios Dauid non modò ob spiritus cõiunctionem, sed etiam propter ipsius corporis cum corpore Christi adglutinationem per Eucharistiæ sacramentum, vt in secunda coniunctione apparebit. His positis multa sunt, quæ Christianos cunctis præstare in spiritu precum manifestissimè ostendunt.

Luc. 3.

I. Argumẽt.

Vetustissimus mos signandi se crucis ductu.

Ac primum sit illud, quòd Catholici ferè singuli quinquies in die solent ad Deũ preces fundere tam laici, quàm clerici, cùm somno se dant, cùm lecto surgunt, ac ter cùm vespere, mane, ac Meridie Deiparam salutant ad sonum sacri æris. Obseruandum verò, solere semper ab hisce, cùm precibus se dant, duci signum crucis à fronte in reliquum corpus; quod spectare ad memoriam Christi crucifixi celendam, & quantum datur lamentandam, mox ostendemus, si tamen illud prius dixerimus, ab ipsis Apostolicis temporibus in more positum fuisse, vt signo crucis manuum protensione ducto se notarent: id scribunt Dionysius libro de Ecclesiastica Hierar. Hippolytus scriptor Apostolis familiaris, vt eum citat Palladius in historia sua; Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Lactantius Firmianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, & Chrysostomus latè homilia, Quòd Christus sit Deus: Ephrem, Ambrosius, qui sermone quadragesimo tertio hortatur. vt ab hoc signo omnia opera incipiamus; Hieronymus epistola ad Demetriadem & Eustochium, Augustinus, alijque innumeri.

Dio. c. 4. 5. 6. Palla. c. 148. Tert. de coro. mil et in scor. Cyp. l. 4. ep. 6 & de lapsi et vnitate Ecc. Orig. in Exo. c. 15 Cyril. catech. 4. & 13. Lact. lib. 4 c. 26. Atha. li. de incar. Bas. de Spiritu Sãcto. c. 37. Naziã in iul. Or. 1. Eph de pænit. et armat spirituali.

Hinc Prudentius:

Fac cùm vocante somno.
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.

Crux

Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Ang. trac. 118 & l. 1. Cōfes.

Sicut autem verba nihil aliud sunt, quàm signa voluntatis, cogitationumque nostrarum, sic absque verbis possumus Christo Deoque signis aliquibus, quænam sint animi nostri cogitata, & desideria; explicare; veluti etiam gemitibus, ac ploratu dolorem solemus enunciare. Quocirca hoc signo crucis à nobis ducto multa volumus proferre, implorare scilicet auxilium diuinum breui hac crucis significatione per merita passionemque Christi, dolere de ipsius passione, lætari de ipsius per crucem parta victoria, spem ponere in eadem passione, offerre se ad omnia tormenta pro Christo toleranda exemplo Christi crucifixi. Hæc & alia plurima possumus signi istius ductu, quasi breuissimo quodam verborum compendio, & veluti nutu, ipsi Deo cuncta intelligenti explicare. Neque verò opus est, quemlibet Catholicum, dum crucis figura signat se, hæc vel speciatim scire, aut velle. Nam cùm quilibet Catholicus velit hoc signo id significare quod Ecclesia Catholica vult, Ecclesia verò Catholica velit hoc signo supradicta notari, quamuis id à multis ignoretur, tamē cùm ducunt iuxta Ecclesiæ Catholicæ mentem hoc signum, per illud hæc Deo satis ac super ostendunt, atq; ita Deum precantur, dolentque tacito quodā sensu ob Christi mortem. A nulla verò natione toties inter laicos in vniuersum videas ad Deum preces fundi, crucisque signum fronti & corpori appingi, quoties à Catholicis fieri consueuit, qui id quinquies agunt in die, vt ostendimus, præterea verò vix est vllus, cui nō sit aliquod animi proprium studium, & propriæ in singulos dies preces. Hinc vsus coronarum, quæ è sacris globulis contexuntur, inductus, ad pronunciandas, atque iterandas sæpiùs tum à Christo institutam precem, tum Angelicam salutationem; imitantes hac in re Christum, qui in horto ter eadem verba repetijt, vt Euangelistæ narrant; tum sanctos alios, qui supplicationis eiusdem verba sæpius dicti sunt ingeminare, vt scilicet crebriori hac eiusdem orationis iteratione excitaretur animus, & inardesceret ad cælestium rerum desideria, & de iussu Christi, quasi importuna petitione & efflagitatione pulsaremus, ac nobis diuinitas aperiretur.

Quid Catholici velint signantes se cruce.

Matth. 6.

Neque verò, cùm repetimus in precibus eadem verba ob eas quas diximus causas, contra id, quod aiebat Christus, facimus: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo aßimilari ijs. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Non enim Christus ijs verbis vetuit omninò multum loqui, sed vetuit loqui multum sicut Ethnici; qui putabant verba ipsorũ, non audiri à dijs, nisi multa essent; atque ita ijs nostrorum scientiam eripiebant: quod de Deo existimare est impium. *Scit enim*, inquit Christus, *Pater vester, quid opus sit vobis.* Quocirca orationis eiusdem perseuerantia laudatur, ac præcipitur ab ipso Christo apud Lucam, & exemplo ipse eam suo consignauit, sicut & innumeri sancti, qui toties in die genua flectebant, & calculis preces suas numeratas habebant. Atq; hęc communia Catholicis cunctis.

Luc. 11.

II. Argum. Vetustissima horarũ canonicarũ institut. Actor. 3. Tert. ad Psyc. c. 10. Cyp. orDomin. Ath. de virg. Basi. in reg. q. 37. Chrys. homil. 49 ad Antioch. & de laud. mona.

Clericis præterea, vbi subdiaconi fiunt, est præscriptũ, vt septies in die, præstitutas preces dicant, iuxta illud, *Septies in die laudem dixi tibi*: idq; ex antiquissimo & Apostolico instituto; cuius est aliqua mentio in actis Apostolicis, & clarius apud Tertullianum, Cyprianum, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Cassianum, & alios multos. Adhuc, vt crebrò admoneantur officij sui, memoriamque Christi crucifixi renouent in precibus istis recitandis, crebrò signum sibi crucis ductu manus formant: quin pileum gestant in modum crucis effictum, vt mentis oculis, quod aiebat Zacharias, adspiciant in eumdem Christum cruci affixum. Atque hoc est solis Catholicis peculiare, abominantur hæretici propè cuncti.

III. Arg. Inter Catholicos pPetua cõtinuatio precum.

Ex his autem, quæ diximus, fit, nullum temporis esse momentum, quo nostrorum preces, quod iubebat Christus, non petant, quærant, ac pulsent: Ecclesia namque nostra toto orbe diffusa, vt signo de Catholica Ecclesia constat. Ac sicut hac parte orbis Sol illucescit Catholicis, & Prima, vt vocatur, à religiosis recitatur, sic alibi Solis est hora tertia, aut sexta, aut nona, & preces istis horis assignatæ recitantur; atq; ita mirabilis est quædam continuatio earumdem precationum toto orbe terrarum, neque nostrorum voces interrumpuntur, sed quodammodo illud contingit, quod ait Dauid, *Dies diei eructat verbum, nox nocti indicat scientiam. non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fi-*

nes

nes orbis terræ verba eorum. Sic etiam per nostros fit, quod optabat idem Dauid, *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* & quod Habacuc aiebat, *Laudis eius plena est terra.* Quin verè dicam, nullum dari momentum, in quo non aliquis Catholicus canat illum versiculum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, qui toties in singulis precibus repetitur: ex quo fit, per Catholicos solos illud euenire, quod Isaias euenturum vidit, Deum scilicet circumferri à Seraphim clamantibus, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria eius.* Amplius adijciam; cùm tot Missæ per nostros toto orbe celebrentur, incipiantque ante Auroræ diluculum in omni vrbe paulo celebriori, & durent vsque ad horam nonam, nullũ dari ob id momentum, quod non aliquis è nostris canat, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius; simulque offerat sacrificium; & illud oraculum solis nobis conueniat, quod habetur apud Malachiam, Deo sic loquente: *Ab ortu enim Solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oratio munda.* Nam soli nos præ ceteris, qui se Christianos volunt, si factiones quorumlibet separatim spectes inter se diuisas, neque in vnam fidem conuenientes, innumeri sumus, ac toto orbe dispersi, in omni loco sacrificium Deo offerentes. Ex quo simul etiam sequitur aliud admirabile, effundi diuinitus in nos illum spiritum precum, quo, vt Zacharias aiebat, adspicimus in Christum crucifixum, dolemusque ac deflemus eius necem: in omni namq; Missa ipsummet Christi corpus attollitur, adspicitur specie panis ac vini obtectum, & ingemiscimus ac ploramus ad eius adspectum; sicque omni momento Deus super solos Catholicos effundit spiritum precum; quo cordis gemitu Christũ crucifixum deploramus.

Isa. cap. 6.

Malach 1.

IIII.

Sed & ex alio maxima Catholicorum hac in re deuotio colligitur suprà reliquos mortales, nimirum ex innumeris templis, quæ passim visuntur non modò in quibuslibet vrbibus, sed etiam pagis, vicis, agris, ac montibus ædificata à nostris: quibus sanè fit, vt excitentur & compellantur nostri propter hominum frequentiam ad illa confluentium, ad orandum Deum, sanctosque: nihil enim magis commouere solet homines ad aliquid agendum, quàm videre plurimos in idem conuenientes. Ab ipsis verò Ec-

cleſiæ naſcentis incunabulis in more poſitum fuit, vt Catholici in templa conuenirent; quamuis omni in loco poſſint ac debeant orare Deum. ſic enim Christus ipſe ad illud Hieroſolymitanum templum ſæpiùs ventitare ſolebat, vt in Euangelio habetur; Apoſtoli ſimiliter ipſi vel poſt acceptum Spiritum ſanctum eò conueniebant, ſicut & in ædes Barnabæ, quas Deo conſecrarunt, & vſibus religioſis, vt Alexander in vita Barnabæ tradit; ob id Ignatius epiſtola ad Magneſianos hortatur, vt omnes ad orandum in eumdem locum conueniant ad templum Dei concurrentes Sed hac de re ſigno de opibus copioſis. Tria ſunt igitur, quæ faciunt, quantum pertinet ad hoc argumentum, vt Catholici crebrius ad Deum mentem attollant, templorum frequentia in eorum regionibus, crebra itatio ad illa, hominumq; eò conuenientium maxima multitudo.

V Argumēt. Ad hæc accedunt monaſteria plurima tam mulierum quàm virorum, quibus illud eſt in primis curæ, vt Deum ſærogent, mentemq; ad cæleſtia contemplanda quotidiè ſæpius ac iugiter attollant, quę quidem tot ſunt, atque adeò plena inter Catholicos, vt nihil ſupra. In ijs autem maximè oraculum Zachariæ locum habet, prædicentis futurum, vt Christi mortem ſeorſum mulieres, ac ſeorſum mares defleant. Monaſteria namq; fœminarum inter Catholicos diſtincta ſunt à monaſterijs marum; in quibus, vt oſtendemus, potiſſimùm contigit vt Christi crucifixi diuinitus infuſus ſit plangor. Habent & aliqui hæretici huiuſmodi ſeparata monaſteria, ſed pauca, & quibus admirabilia ſigna deploratæ Christi mortis non exſtiterint. At impij Proteſtantes in ſuis ea regionibus demoliuntur.

VI. Eſt & aliud, quod valde Catholicos impellit ad Dei recordationem, mentiſque noſtræ in illum progreſſionem: Nimirum innumeræ imagines Dei, Christi, Deiparæ, & ſanctorũ, quibus dum noſtri quotidiè occurrunt, neceſſariò Dei, diuinarumq; rerum recordantur, quæ recordatio cadens in animum bene diſpoſitum pars eſt, & quoddam ſacræ orationis initium, quippe quæ pulſet mentes, vt ad Deum tendant, ſanctos imitentur, ad illos confugiant, ac per illos Christi munere ac meritis Deo ſummo adhæreant, & connectantur. Huius ſunt generis tot cruces tot locis diſpoſitę, quę ſenſus feriũt, vt homines ob Christum crucifixũ doleant, lamententur, plorent, illumq; imitẽtur.

VII. Atq; hoc institutum ab ipso Deo Christo & Apostolis ad nos dimanauit, vt imagines & Cruces habeamus, neque verò dumtaxat vt habeamus; sed vt veneremur, quod ad finem signorum secundæ coniunctionis à nobis est abundè explicatum. Hæc autem veneratio pars est ac quædam species precationis. Iam verò sicut inter quosuis hæreticos non est tanta harum rerum copia; sic hæretici, quos adduxerunt in potestatem Turcæ, non permittuntur illas habere, Protestantes autem auertunt, abradunt, exterminant. Nos autem contendimus, vnà cum Deo, & Sanctis omnibus, illud esse sanctum, ac religiosum, animi nostri sensa aperire Deo non modò verbis, sed etiam quibuslibet signis, quæ in ipsius puram naturam proximè ferantur, & in res illius puræ naturæ & ab omni conditione seiunctæ consecratas, quales sancti, imagines, ac sanctis res dedicatæ, quod ita religioso cultu faciendum, testimonijs sacræ scripturæ, sanctorum dictis, rationibus, miraculisq; innumeris admonemur.

VIII. Mira comparatio. Postremum sit argumentum in hoc genere, quòd nulla natio, vel hęreticorum factio tot libros ad spiritũ precum pertinentes ediderit, vt Ecclesiæ Catholicæ alumni. Quin si coëant omnes populi, & hæretici, quotquot ab orbe condito fuerunt, & proferant huius argumenti sua commentaria, non æquabunt hac in re Catholicos. Amplius vniuersi mortales, qui ab Adamò hucusq; exstiterunt, quod sciatur, tot libros hac de re agentes haud emiserunt in lucem, quot vna natio Catholica, sumas quamuis pauló celebriorem in Europa. Quid dicam? quot vna natio Catholica? Immò, quot religiosi viri vnius Catholicæ nationis; mirabiliora proferam, quot vna è religiosis familijs vnius Catholicæ nationis. Illud postremò addam, quamuis hæc familia non sit ex antiquioribus; deniq; non omnes ex ea familia, sed qui vixére post annum millesimum quadringentesimum quadragesimum. Quanto igitur interuallo nostri superabunt alios omnes hac in re, quis inibit numerum? rationem subducet tantæ præstantiæ? solus ille, qui spiritum precum cælitus in animos nostros immittit. Audi an ita sit: enumeremusq; religiosos viros, qui ex vna Carthusianorum familia, & ex vna Germanica natione, libros proprios de contemplatione, meditatione, & precatione scripserunt.

In his igitur Principem locũ tenere videtur Dionysius

Carthusiani Germani qui de precibus scripsere.

Riches,cuius exstant libri de contemplatione,item de meditatione, similiter de oratione, præterea de eleuatione mentis in Deum Dionysio est antiquior Henricus de Langestein,qui librum de cõtemplatione,item de anima contemplatiua composuit.Hunc sequitur Bartholomæus,qui decessit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo,cuius exstat exercitium deuotionis. Iacobus Iunterbuch de profectu vitæ spiritualis scripsit:Ioannes de Indagine,de meditatione,& de contemplatione, & de vita spirituali:Iacobus de Gruitrode,meditationes Passionis:Henricus Arnoldi,meditationes in vitam Christi: Ioannes de Lapide, summarium passionis Christi: Ioannes Lanspergius,de passione Domini,speculum Christianæ perfectionis:Petrus Blomeuenna,de effusione cordis:Bartholomæus Prior Bethleem Ruræmundensis, exercitium deuotionis:Ioannes item Rusbrochius proprios libros huius argumenti in lucem dedit. Similiter opus illud admirandum de mystica Theologia,quod Ioanni Gerson attribuitur, & eius libris attexitur, cuiusdam Carthusiensis esse dicitur, qui noluit ob modestiam nomen ei suum præfigere. Omnes hi fuêre ab anno millesimo quadringentesimo quadragesimo,ex vna Germanica gente,& ex vna religiosorum familia,intra annos centum quinquaginta. Nunc hæretici omnes,alijq́; quotquot ab orbe condito fuerunt, proferãt eos,qui peculiares libros scripserint,quibus ratio & via traderetur orandi contemplandiq́;, ac fruendi Deum & diuina,quibus artibus mens inflammetur in precibus ad amandum Deum,diuinaq́; appetenda,& fruenda. Sparsim forsan,a fortuitò quædam dixêre. Opus iustum ac proprium huius argumenti exposco, in quo genera, & modi recenseantur, quibus animus noster continuò transferatur in Deum,& in eius contemplatione quiescat,ab omnibus alijs curis abstractus.

Sed quando nobis res est cum hæreticis nostræ ætatis, quibus est semper in ore Christi passio, à qua tamen imitanda,& meditanda longissimè absunt,quòd illam scilicet ea de causa solum præseferant,vt nihil patiantur, illa abutantur ad omnia acerba in Christum,Christiq́; veros imitatores à se reijcienda, Producant quæso hæretici aliquẽ è suis,qui librum de meditatione passionis Christi cõtexuerit, vt iactare possint ad se pertinere oraculum Zachariæ, quo prædicit futurum,vt Christiani adspiciant Christum

cru-

crucifixum, deficiant illum. Neminem possunt è suis ciere hæretici, qui hac de re quidquam insigne scripserit. Quæro ab istis, quot modis mens Christi passionem meditari possit, quò progressus aliquos faciat in amando, & feruendo Deo. Ecquis auctor vestrorũ loquitur hac de re? Atqui ego ex vna Germanica natione plurimos producam, qui post annum millesimum quadringentesimum fuĕre, ne remotiora cõsecter. Igitur scripsêre peculiares libros de passione Domini, Ioannes Teutonicus, Iordanus ex ordine S. Augustini, Henricus Gulpen è familia S Benedicti, Ioãnes Gritsch, Iacobus Gruitrode, Theodoricus Herxen, Henricus Arnoldi, Ioannes de Lapide, Gabriel Biel, Theodoricus Osembruch, Ioannes Lanspergius, vt è Ioanne Trithemio constat. Cùm non sit igitur inter vllos is precum spiritus, studiumq; passionis Christi meditandæ, vti inter nostros, hinc palàm fit, nos esse ex Ecclesia Dei, ac nullos alios à nostris. Sèd clariora & maiora inspiciamus.

Germani qui scripsere de Christi passione.

E vehementißimo spiritu, quo nostrorum mentes intentæ fuerunt ad preces diuinas, & Christi meditandam paßionem, colligitur nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. XIIII.

IAM verò non modò spiritus precũ, passionisq; Christi meditandæ latè in nostros se extendit, q superiori capite persecuti sumus, sed etiam vehementissimo quodam impetu se in animos eorum insinuans, & intendens, ad mirabilissima illos prouexit; è quibus necesse est dicamus nos esse Ecclesia Dei, non vllos alios.

1. Argument.

Ac primum sit illud, quod hic spiritus quorumdã mentibus insidens, cælestium, maximarumq; eis rerum scientiã infudit, quod cùm è multis dignosci facillimè possit, vnũ sit instar omniũ, fœminas quasdam, quib. antea non erat vlla, vel tenuis omninò litterarum cognitio libros edidisse in lucem prorsus admirandos. Afferamus aliquas è nobilissima Germanorũ natione. Rosuida in Saxonia nata in Gandesheimensi cœnobio latinè scripsit, hortando virgines sacras ad continentiã, & castitatẽ comœdias sex, de gestis Orthonum panegyricũ versu exametro, in laudem B. Virginis elegiarum librum vnum, similiter in mortẽ S.

Fœminæ Germanæ assecutæ doctrinam per preces.

Dio-

Dionysij elegias aliquot de S. Gangulpho, & alijs sanctis multa. Hæc præterea Græcè sciebat.

Secunda est Elizabeth Abbatissa cœnobij Sconaugiensis, cuius exstant libri de vijs Dei, de vndecim millibus Virginum, reuelationum diuersarum, ad fratrem suum Robertum, epistolarum ad diuersos, & ad Hildegardem.

Tertia est admirabilis illa Hildegardis, cuius leguntur opera, in regulam S. Benedicti triginta quæstionum, vita S. Ruperti, S. Dysibodi, hom. 58 in Euangelia, de sacramēto altaris, vitæ meritorū, simplicis medicinę, compositæ medicinæ, diuinorum operum, ad Colonienses, ad Treuirenses, exhortatorium sæcularium, ad sorores suas, ad monachos Gryseos, carmina diuersa, epist. ad S. Bernardum, & ad diuersos 135.

Quarta est Gertrudis, cuius habemus insinuationes diuinæ pietatis, opus plenissimum cælestis doctrinæ ac suauitatis.

Quinta est Mechtildis, quæ reliquit libros & ipsa diuinarum rerum mirabilissimos. Omnes igitur hæ Germanici sanguinis virgines fuerunt intra annos quadringentos ex ordine S. Benedicti consecutæ rerum cælestium doctrinam precibus, & purissima Dei contemplatione, non humana industria, & ab vllo præceptore in terris edoctæ.

II. Ecstasis, & abstractio Catholicorum in precibus sacris.

Quòd si cui non videtur hac parte satisfactum, vt cognoscat, quanta sit inter nostros precum vis ad animos ipsorum diuino lumine illustrandos, conuertat ille nunc animum ad illum contemplationis spiritum, quo fit vt plurimi è nostris sic ab omni sensu abstrahātur defixi in obtutu rerum superarum, nihil omninò vt sentiant corpore. Quocirca nonnulli, vt periculum facerent tantæ seiunctionis, non modò carnes acutis interdum stimulis pupugerunt, sed etiam transfixerunt nihil percipientes.

III.

Neq; solum verò vis diuini spiritus orantes occupantis ex hoc in nostris est cognita, sed etiam ex tēpore quo permansere in huiusmodi abstractione; quæ fuerunt à nostra ætate remotiora omittamus, propinquiora narremus ne nimium prolixi simus. Ignatius Loiola totos septem dies alienatus à sensibus, immobilisque in precibus & excessu perstitit, multiq; id viderunt, ac testati sunt, quod scriptis mandauit Petrus Maffeius. Admirabilis illa Catharina è Raconisio plurimū similiter tempus sæpius ab omni sensu abstracta in precibus persistebat, quod se vidisse testatur,

tur, qui scripsit eius vitam; Ioannes Franciscus Mirandulæ Comes. Eadem contigerunt aliquando, vt idem Petrus Maffeius scribit Francisco Xauerio. Idem narrant de Martino, & Aloysio Bertrando Valentinis. Et nos de viuentibus aliquot possumus solidè ac veraciter affirmare. Nicolaus Fattor Valentinus obijt anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio innumeris miraculis clarus, eius vita venit postremò in manus meas. Is igitur frequentissimè rapiebatur extra sensus, in diuinarum rerum contemplatione defixus, atq; ita permanebat interdum totas viginti quatuor horas; idq; sæpiùs publicè contigit, & vitæ auctor Christophorus Moreuus testes spectatissimos ac nobilissimos adducit adhuc viuentes.

IV.
Mira, quæ contigere Catholicis in precibus sacris.

Neque verò mirandum cuiquam videri debet quod diximus: multo namque maiora Deus Catholicis hac in re concessit. & quid miremur viuentes tamdiu persistere ab omni sensu abstractos in precibus, cùm mortui reperiãtur aliqui è nostris, qui in similitudinem precantis Deum corpore stant erecto, nullo illos fulcimento sustinente? Sic enim de sancto Francisco traduntur, & habentur tantæ rei monumenta certissimis testimonijs consignata. Idem de corpore sancti Pauli primi eremitæ in vita Antonij scribit Athanasius, ac de multis alijs est memoriæ proditum.

V.

Quid verò illud? quod plurimis contigisse signo de dotibus corporum sanctorum diuinis ostendimus, nimirum corpora ipsorum, dum toti essent in cælestium contemplatione, fuisse mirabiliter euecta in altum? Similiter alia emisisse è se ingentem splendorem, qui maximam videntibus incuteret admirationem? Hæc sanè cogunt nos fateri spiritum precum in nostris esse valde diuinum, quando hæc possit, & efficiat.

VI.

VII.

Huic succedit aliud excellentissimum, quo quantus sit hic spiritus in nostris, dum Christum crucifixum contemplantur ac plorant, deprehenditur. Plurimis namq; nostrorum diuinitus impressa in precibus stigmata Christi crucifixi fuerunt, quod nos signo de stigmatibus retulimus. Sicut enim videmus prægnantes vbi fuerunt ardenti quodã vehementissimaque cupiditate alicuius rei correptæ, & inflammatæ, illius rei imaginem è carne exstantem in ipso fœtus corpore conformare, sic nostri spiritu diuino pleni, Christi crucifixi imaginem suomet corpori impresserunt

runt diuinitatis efficacitate ad ardentissimum eorum desiderium sese demittente, &, in ipsos se insinuante, atq; inserente.

VIII. Hinc factum, vt nostri sæpius aliorum cogitata intuerentur, longè posita conspicerent, futura multo ante prædicerent, quod signo de spiritu prophetiæ est latè explicatum.

IX. Tot verò ac tanta miracula quanam vi nostri effecerunt, & efficiunt quotidiè, vt signo de miraculis in fidei propagatione factis apparet, nisi interuentu precum? Quo

X. circa nullis mortalibus vel esse illam fiduciam, spemque, & animi magnitudinem videas, quam nostris inesse signo de spe, fiducia, & animi magnitudine explicamus, quamuis cũ virtutes cunctæ à Deo promanẽt omnium bonorũ largitore; & in his nostri, quod cunctis hisce signis ostendimus, tanto interuallo superent cunctos, vt nulla sit comparatio; necessariò sequitur, & spiritu precum præstare vniuersis: bona namq; Deus se ijs maximè daturum prædicat, qui petant: *Petite*, inquit, *& accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*. &: *Si vos, cùm mali sitis, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?*

XI. Summum contemplationis ad quod Catholici peruenere.

Hinc sequitur nostros peruenire ad tantum contemplationis culmen, vt eodem tempore agendis rebus operam dare possint, & à cælestium contemplatione nihil abiungantur; quod Angelorum videtur esse, qui cùm mittantur, ait Paulus, in ministerium salutis, & in terris plurima de mandato omnipotentis Dei procurent, & exsequantur, semper tamen in obtutu diuino sunt defixi. An id ita sit, nemo cognoscere potest, nisi qui experitur, aut experto credit, rem verò totam, gradusq; ipsius omnium diligentissimè mihi scriptis complexus esse videtur Henricus Harphius.

XII. Ad altissimum verò tantæ rei fastigium supra omnes propè ascendisse videtur diuinissima virgo Hildegardis, quæ sic de semetipsa in epistola ad Guibertum Gemblacensem: *Visionem*, inquit, *hanc in anima mea vsque ad præsens tempus video, cùm iam plusquam septuaginta annorum sim. animaque mea, prout Deus vult, in hac visione sursum in altitudinem firmamenti, & in vicißitudinem diuersi aëris ascendit, atque inter diuersos populos se dilatat, quamuis in longinquis regionibus & locis à me remoti sint. Et quoniam hæc tali modo in anima mea video; idcirco etiam secundùm vicißitudinem nubium, & aliarum creaturarum ea* con-

conspicio. ista autem nec exterioribus oculis video, nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec vlla collatione quinque sensuum meorum percipio, sed tantùm in anima mea apertis exterioribus oculis, ita quòd nunquam in eis defectum ecstasis passa sum, sed vigilanter die ac nocte ea video. Hæc virgo Germaniæ sempiternum decus. Hic autem gradus contemplationis, vt S. Thomas etiam notauit, est omnium supremus, vt ecstasim quis non patiatur, & nihilominus mente Deo diuinisque intuendis sit affixus, & idem tamen externa procuret ac transigat. In quo nostris temporibus maximè videtur stetisse Franciscus Xauerius, qui sæpius, dum sacras conciones haberet, ac de rebus diuinis ad populum verba faceret, de improuiso iubebat omnes precibus se dare, quòd in remotis regionibus tum committeretur à nostris bellum, vel nostri in aliquo essent discrimine constituti; vel denique aliquod longè positum, quod tamen contingeret, quasi ipse illud proprijs oculis subiectum cerneret, annunciabat, nullamque sensuum, corporisque reliqui ex vlla parte mutationem patiebatur: quas res latè describit Petrus Maffeius. Atque ex his omnibus apertissimum fit, quantus sit inter nostros precum, Christiq; passionis meditandæ spiritus, atque ob id nos esse sine dubio ex Ecclesia Dei, hæreticos autem nullo modo.

FINIS LIBRI NONI.

DE

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI, LBER X.

SIGNVM TRIGESIMVM OCTAVVM,

Pietas.

Nostrorum pietas maxima in patriam, parentes, & propinquos, ostendit nos esse ex Ecclesia Dei: sicut alios non esse ex impietate ipsorum fit manifestum.

CAP. I.

PIetas est in Deum, cælitesq́; omnes, quorum cultus in Deum, quicum maximè sunt cōiuncti, refertur, & à quo pendet omnis honor, veluti à Rege gloriæ. sed pietas hæc nomen religionis assumit. Quocirca cū de illa sit actum, superest vt de illa, quæ patriæ, parentibus, & propinquis debetur, nunc verba faciamus, nostrosq; in ea cunctis præstitisse ostendamus. *Apparuit enim benignitas, & humanitas Christi,* inquit Paulus, *vt sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc sæculo.* De alienis verò ab Ecclesia Dei scribit idem, habere illos speciem pietatis, sed abnegasse virtutem.

Tit. 2.

2. Tim. 3.

1. Argument.

Videamus igitur quales fuerint in patriam, parentes, & consanguineos nostri. Et quando quilibet id patriæ suæ procurare debet, vt plurimis ac maximis circumuallata sit fœderatorum coniunctionibus, quorum sit idem sensus & animus, sine dubio Catholicus quisq; hoc patriæ acquirit, vt si Catholica sit, innumeros habeat, quibus idem sit sensus, & animus intimo connexionis vinculo altissimè conglutinatus. Vt enim vidimus ad finem primæ coniunctionis, & initio tertij libri, nulla animorum maior colligatio, quàm quæ Catholicos inter se connectit; à qua populi recedentes continuò ruunt, in efferatarum gentium pote-

potestatem adducuntur, vt signo de interitu fidei Christianæ est explicatum.

Hinc aliud est ortum, vt soli Catholici instituerint ordines militum religiosorum, qui semper bella administrent aduersus communes hostes, longè illos submoueant, impetus frangant, distineantq;, ne scilicet ad patriam cuiusq; longiùs positam pertingere armis illi possint. & in Italia quidem tres huiusmodi sunt ordines, S. Ioanins, S. Lazari, S. Stephani, quorum triremes quotannis vela faciunt aduersus Turcas & Mahometanos. Erant in alijs regionib. & alij, sed illi aut exstincti, aut otiosi, vt signo de studio Pontificis Romani in conseruandis imperijs ac regnis ostendimus.

II. Argumē.

Et quando inter mortales elucescere videtur illius maximus amor in patriam, qui illius libertatem tuetur; libertas autem posita est in hoc, vt cuilibet ciui sit ius aliquod administrādarum rerum communium, præterea verò cuilibet ciui pateat aditus ad maximos etiam magistratus, modò sit illis dignus, quod Aristoteles in Politicis aiebat; conspirasse in hanc patriæ suæ libertatem singuli Catholici videntur. Nam cuilibet patet aditus ad summam inter Christianos potestatem, quæ est Pontificis Romani; in ciuitate autem qualibet est accessus ad episcopalem cuilibet, modò sit dignus. Hi verò nihil possunt aduersus æternæ veritatis ac iustitię leges; licet enim variare aliqua possint propter æquitatis iura, siue, vt vocant Græci, ἐπιχείας, quòd scilicet varia tempora varios exigant mores; nequeunt tamen ea, quæ non nisi vniusmodi sunt, ac sui natura non immutantur. Ad Concilia verò cuiuslibet ciuitatis Episcopus conuenit, quasi patrię iustam libertatem tuiturus, ne quid impium, ne quid falsum decernatur, quod ciuium suorum mentem statumque lædat.

III. Argum. Catholicorum pietas intuenda libertate communi.

Singuli porrò Episcopi & Papæ si quid grauius ad vniuersitatem spectans statuere volunt, Papæ quidem non solent agere, nisi de consilio Cardinalium, qui ex omni natione Catholica deliguntur; Episcopi verò, vel suorum canonicorum, vel cleri totius, aut sacerdotum. Atque ita cōmunis quidam libertatis status quodammodo conseruatur.

IV.

Huc spectat, quod nullum est inter Catholicos imperium, regnumque, in quo non sint plurimi, quos vocant Duces, Marchiones, Comites, aliòve nomine Principes, quos

V.

antiqui aut Reges vocassent, aut Regulos; his suæ ditiones, & imperium suum. Atq; hi solent, cùm communis totius regni libertas opprimitur, tyrannis obsistere, arma in illos faciliùs sumere, quàm fiat in ijs regnis, in quibus nulli huiusmodi principes. Clarissimum porrò est, minus hos esse subiectos Regi, Principiq; suo, quàm cæteros è medio populo ciues; multiq; sunt ex istis in quibuslibet ciuitatibus paulo celebrioribus: atq; ita per eos ipsorum patriæ magis è libertate participant; quasi magis summo Principi ac Regi sint similes, magis accedãt ad illius liberam potestatem. Inter hæreticos Moscouitas, inter Turcas, ac Sinas, nulli sunt tales.

VI. In præcipuis porrò regnis Ecclesiæ Catholicæ tres ordines solent esse, primus Episcoporum, secundus nobilium principum, tertius populi cuislibet. Ac nihil plerumq; arduum, quod spectet ad vniuersos, à Regibus statui solet absq; ordinum istorum cõsensu. Atq; ita ciuitas quælibet regiam potestatem quodammodo attingit, ac sortitur, atque ex hac parte libertatẽ nanciscitur, quòd absq; sui procuratoris interuentu, quæ sunt grauissima regni negotia non expediuntur. Talis ordinum qualiscunq; forma in Polonia, Germania, Gallia, Hispania, & Anglia olim. An modò sit, ignoro. Diu stare non posse, si in hæresi persistat, est clarissimũ: Episcopi namq;, aut q. Episcopos aliquo modo agunt inter hæreticos, euehuntur, ac deijciuntur pro arbitrio Regum, Principumq;, similiter leges, ac decreta singulis diebus immutantur. atq; ita publicæ libertatis status concutitur, ac labefactatur.

VII. Est & alius modus, quo quilibet Catholicus conuenit, & conspirauit in suorum ciuium, è quibus cuiusuis patria conflatur, libertatem. Inter Catholicos enim liberi homines, quamuis bello capiantur, haud rediguntur in seruitutem; atq; ita suus cuilibet ciuitati ciuis est liber. Viden' igitur, quàm patriæ suæ Catholici sint amantes.

VIII. Rerumpu. Catholicarum libertas.

Quòd si Reip. alicuius in Ecclesia Catholica vis exemplum valde præclarum; en tibi Venetorum Respubl. decus Italiæ & Ecclesiæ totius æternum, quæ iam supra annos mille ac centum nullum propriæ libertatis est passa detrimentum, ob ardentissimum scilicet ciuium in patriam studium, pietatemq; diuinam. Atq; hæc quidẽ nullum agnoscit in rebus prophanis, nisi quatenus sacræ potestati subijciuntur, superiorem.

Illam

IX.

Illam sequuntur innumeræ ciuitates, quæ in aliquibus arduis communem nationis regníve statum respicientibus aliquo modo sunt alicui Regi aut Imperatori subiectæ, vt potiùs fœderatę vocari possint, quàm summæ libertatis expertes. Tales sunt Poloniæ ciuitates: tales, quas Imperij vocant, amplissimæ, vt quidam numerant nonaginta sex; tales Heluetij populi & vrbes; taliaq; Hiberniæ multa oppida ex antiquissimis temporibus; talis in Italia est Genua, quamuis aliquando hæc per aliquod spatium propriæ libertatis fecerit iacturam; talis haud ita pridem Florentia, Pisæ, Senæ. Atq; harum ciuitatum diuturnior longè ac vetustior est libertas, quàm cuiusuis è priscis illis inter Græcos, Italos, Afros, ac Phœnices memorandis. Nam quæ cunctis Roma præstat, libertatem non nisi annos quadringentos sexaginta est tutata. Tot enim quidam numerant ab exactis Regibus anno ducentesimo quadragesimo quarto, ad Cæsaris dictaturam, quæ incidit in annum septingentesimum quartum. Neq; verò hîc mihi obijciat aliquis barbarorum quorumdam vel priscam, vel adhuc retentam libertatem. Nam quæ libertas nullo gentium communi iure, nullis iustitiæ humani generis bonum respiciẽtibus legibus, nullis commercijs aliarum gentium, nulla humanitatis disciplina nobiliori adstringitur, ac perpolitur. libertas illa impia, flagitiosa, & abominanda: quam si spectes, necesse est dicamus, longè vtilius esse Regi vni parêre, quamuis non ex omni parte moderato, q̃ inter tot frementes & efferatas bestias, nullis legum compedibus adstrictas, nulli iuris iugo subiectas versari. Idcirco vnius dominatus longè præstantior, quàm multorum confusa & iniqua gubernatio. tolerabiliusq; est ab vna bellua deuorari, quàm discerpi à multis: quocirca cùm multi è nostris patrias sibi vrbes subiecerunt, id plerunq; actum, cùm multi seditionibus illas dilacerarent. Nostra Catholicorum libertas, vides, quàm bene dispositis iustitiæ & humanitatis quasi castris quibusdam muniatur; quòd scilicet ab animo nascatur amante publicum bonum, non à belluina feritate, & contumaci natura. Aliud est esse instar belluæ liberum, aliud instar hominis benè instituti: hoc Catholici, illud hæreticorum & impiorum. Hinc videas à Catholicis id procuratum, vt in plurimis vrbibus sint omnium bonarum disciplinarũ publica gymnasia, ita vt in vna Italia duo

X.

Pietas Catholicorũ quoad bonas doctrinas suis tradendas.

decim numerentur: cùm tamen antiquis vnæ essent Athenæ in quibus haud narrantur fuisse omnium doctrinarũ publicè conducti cunctis magistri, vt inter nostros publico stipendio singulis aduentantibus adsunt conducti præceptores. Atqui nemo suæ patriæ melius aliquid videtur tradere posse, nemo in eam magis esse pius, quam si studeat, vt post Catholicam religionem perceptam iuuentus litteris atque artibus libero homine dignis imbuatur. Huc pertinent tot collegia in vrbibus publica gymnasia habentibus à pijs viris constructa, vt pauperes ijs excepti, aut nullo, aut tenui sumptu litteris operam dare possint: quorum sanè collegiorum tanta est alicubi copia, vt in vna Parisiorum Lutetia numerentur sexaginta duo ab Ecclesiasticis viris excitata, suorumq; ciuium studio & sua cuiq; genti attributa, vel in vniuersum cunctis ad illa accedere volentibus.

XI.

Huius est argumenti, tot à nostris ædificata suis vrbibus monasteria, hominum sacrorum conuentus, ac templa, vt scilicet ciues sese ad studia pietatis excolerent, cælestia sectarentur, neq; humanarum solummodo rerum scientiam perciperent, aut amore ducerentur, sed diuinorũ etiam cognitione repleti supera appeterent, illorumque desiderio maximo inflammarentur. Hisce autem in rebus nostros cunctis præcellere, tum res ipsa docet, si nostra cũ cæteris comparentur, tum nos abundè id persequimur signo de liberalitate & magnificentia.

XII. Pietas Borealium Catholicorũ.

Hîc illud narrasse sit instar omnium. Supra Danubium & Rhenum nullæ vrbes priscis erant temporibus, antequam nostri in illas oras aduentassent, & in ijs commorati essent; idem maiori ex parte contingebat Angliæ, quæ olim Britannia: in nemoribus habitabant illarum regionũ mortales specubus defossis ac mapalijs: populi sese è suis sedibus mutuò bella mouentes expellebant. Totus hic terrarum tractus, duplo maius est quàm reliquum Europæ. Quid est igitur in causa, quòd hominibus illis antiquis nulla esset cura solum natale excolere, ornare, ædificijs, amplificare, aut etiam in illa dulci scilicet patria sedes habere; nunc autem contrà fit? ex quo nostri Catholicam religionem in ijs regionibus seuerunt, insertus est etiam pectoribus hominum illorum patriæ amor, pietas in solum natale. Vidisti Germaniam & Angliam, & quidquid est terrarum supra Rhenum & Danubium vsq; ad extrema Suetici

& Noruegiensis regni confinia? Vidisti frequentissimas ac celeberrimas vrbes? Vidisti monasteria, templa hominũ sacrorum collegia, & publica ædificia, quæ nullis antiquorum cedant? Hæc summa in patriam pietas per nostros insita cordibus earum nationum prius patrias sedes haud curantium mirabiliter effecit.

XIII.

Non omittamus illud in Catholicorum regionibus locum numquam fuisse ita barbaricis illis irruptionibus, quæ ciuitatum iura & loca plerumq; delent, vt in hæreticorum locis illæ suas vastitates fecere, extremamq; attulerunt vrbibus & populis florentissimis ruinam; qualem Catholici deploramus accidisse infelicissimo casu Græcis & Orientalibus hæreticis & qualem sæpius attulerunt Tartari gentibus Asiaticis. Qua de re latè signis de interitu fidei, felicitate Catholicarum nationum, infelicitate hæreticarum. Cur autem tam crudelia haud potuerunt barbaricæ irruptiones in nostras regiones & vrbes? quòd summa scilicet pietas Catholicos amarit multo magis, quàm cũctos alios, ad patriæ suscipiendam tutelam, vitamq; pro illius salute ponendam. Dictum satis de Catholicorum pietate in patriã, dicamus de pietate in parentes & cõsanguineos.

Antiquorum Regum impietas in propinquos, & summa Catholicorum pietas in eosdem.

CAP. II.

SI ius, aiebat impius est violandum, regnãdi causa violandum est. Quocirca cùm propinquitati pietas debeatur, Catholici sic eam coluerunt, vt neq; regnandi libido, quę maximè transuersos ac pręcipites agit homines, dimouerit vnguem latum illos à studio virtutis huius. Quod alijs sanè non ita contigisse, euentis, quorum sint ad nos monumenta litteris transmissa, certissimis & plurimis est compertum.

XIV.

Incipiamus ab antiquissimo regnorum Babylonico; cuius quidem nonnulla scriptis sunt mandata, sed plurima in tenebris latent. Illud tamen est traditum, fuisse à Belo, siue Nino olim fundatum cui cùm Semiramis vxor successisset, interfecta est à filio Nino, vt inter alios Iustinus scribit, quòd ipsius concubitum expetisset, quasi genitricis effrenata libido non alia via cohiberi quàm morte potu-

Impietas regum Syriacorum.

ißet,aut illi non aßentiri ſatis non eßet. Vicit regnandi de
ſiderium debitam matri pietatem. Hæc igitur antiquißimi
regni exordia. Aliorum Regum geſta ſunt prorſus igno-
ta, vt Diodorus antiquitatis diligentißimus indagator
ſcribit.

Chaldæorum.

Aßyrijs ſucceſsêre Chaldæi, quorum Reges quinq; nu-
merant nonnulli; in his Alexander Polyſtor, Alphæus, Me
taſthenes, & hos ſecutus Ioſephus lib. contra Apionem pri
mo, & Euſeb. lib. de præparatione euangelica primo, cap.
9. Sunt verò illi, Nabuchodonoſor, Euilmerodach, Nigli-
ſar, Laboſardarch, Balthaſar, ex his Euilmerodach interfe-
ctus à ſuæ ſororis marito Nigliſar, qui ſibi regnum arroga
uit. atq; ita non ſine propinquorum cæde regnum Chal-
dæorum fuit.

Perſarum.

Herod. lib. 1. Iuſt. 1. Diod.

His ſucceſsêre Medi ac Perſæ, vt è Danielis cap. 5. appa-
ret. Horum primus Cyrus à Tomyri Regina occiſus, vt ex
Herodoto, Diodoro, & Iuſtino liquet. At Cambyſes Cyri
filius ac ſucceſſor, & ſororem necauit, & fratrē Smerdim,
veritus regni ſpoliationem, quod Herodotus ſcribit, & Iu-

Herod. lib. 3. Iuſt. 1.

ſtinus. A Cambyſi eſt ſuffectus Darius ex alio genere Hiſta-
ſpis filius. Nonnulli tertium Perſarum Regem faciūt quē-
dam è numero Magorum, qui nomen Smerdis ſibi ob ſi-
militudinē vultus aſſumpſit: ſed hic cùm regnum inuaſiſ-
ſet, breuiq; de medio ſublatus fuiſſet, haud videtur Perſicis
Regibus adnumerandus. Dario Perſarum Regni tertio ſuf-
fectus eſt Xerxes filius: hic ob turpes quoſdam amores, ſi-
mul etiam timens ne in ſe bellum moueretur, Maſſiſtam
fratrem ſuum cum liberis omnibus & ſocijs trucidari iuſ-
ſit, quod Herodo. vlt. lib. refert. Xerxes porrò hic ab Artaba
no præfecto per inſidias eſt necatus: eiuſdemq; Artabani

Iuſt. lib. 3.

dolo filius Xerxis. Artaxerxes cognomento Longimanus
impulſus eſt, vt Darium fratrem natu maiorem perime-
ret. Qua re deinde cognita Artaxerxes Artabanum neca-

Diodo. lib. 12.

uit, & iure legitimo quintus Perſarum Rex habetur. Occi-
ſo per imprudentiam fratre Artaxerxi Longimano Xerxes
ſucceſſit. Huic poſt annum Sogdianus, quem Darius No-
thus, & è Longimano fratre nepos vita regnoq; ſpoliauit.
Hic duos filios reliquit, Cyrum, & Artaxerxem, qui interſe
de regno pugnarunt; dumq; in acie Cyrus fratrem vulnera

Diod. lib. 14.

tum equo deieciſſet, & quaſi victor exſultaret, à Tiſſapher-
ne vltionem fratris expetente eſt occiſus. Artaxerxis im-
perium excepit Ochus, qui à Bogoa Eunucho vnà cum li-

beris

beris est necatus, Dariusq; Ochi è fratre Arsane (vt vult Diodorus, alij namque id negant) nepos est substitutus. Hic Persicorum Regum supremus, ab Alexandro victus, à Besso præfecto est interemptus. Stetit hæc monarchia circiter annos ducentos ac triginta duos; cuius plerique Reges quàm fuerint in suos propinquos impij, clarissimè est explicatum.

Seleucidarum in Persia.

Imperium Persicum post Alexandrum nullus regio nomine tenuit, nisi Seleucus Nicanor, vt è Iustini lib. xv. ad finem liquet. Nicanor autem in prælio victus, & interfectus à Ptolomæo Rege, successorem reliquit Antiochum Sotherem: hic Antiochum Deum, qui veneno à Laodice coniuge est necatus, habuitque filium successorem Seleucũ Callinicum, qui nouercam suam Berenicem cum paruulo fratre interfecit, & cum fratre altero Antiocho continenter bella gessit, quo tempore Parthorum Rex Arsaces multas Persici regni regiones occupauit; in potestate tamen Seleuci remãsit Babylonia. At Seleucus hic Callinicus equo præcipitatus interijt, regnumq; filijs Seleuco Cerauno, & Antiocho Magno tradidit; è quibus hic fratrem suum Seleucum dolo interfecit, vt Polybius libro quinto scribit. Postremus Antiochus hic Magnus ab Elymeis est occisus, vt Strabo libro decimo sexto scribit: suffectusq; illi Seleucus Philopater filius qui à suis est interfectus, vt in Syriaco docet Appianus. post illum frater eius Antiochus Epiphanes regnauit, qui, vt è Polybio ac Diodoro narrat Hieronymus in Danielẽ cùm Dianæ templum in Elymaide spoliare conatus esset, in amentiam versus, spectrisq; exagitatus interijt, filio paruulo relicto, quem Demetrius patruus Sother dict⁹ vita, regnoq; spoliauit, vt è Iustino habemus. Demetrius hic à Parthis bello captus, nec multò pòst Asiæ regnum ad eius fratrem Antiochum peruenit. Atq; huc vsq; Babylon in potestate Seleucidarum fuit, è quibus Antiochus Deus à coniuge veneno est sublatus. Callinicus autem, quo tutiùs regnaret, Berenicem nouercam cum paruulo fratre occidit, Antiochus Magnus Seleucum Ceraunum fratrem, Demetrius Sother Epiphanis fratris filium.

Iust. libr. 34.

Cùm verò post Seleucidas Persiam Babyloniamq; Arsacis Parthi nepotes Arsacidæ dicti tenuerint vsq; ad Artaxerxem Persam, & Alexandri Mammeæ tempora, vt Agathias scribit libro quarto; qui fuerint isti Reges in suos

ac propinquos singuli ignoramus, quod eorum gesta non fuerint vllis scriptis, quæ ad nos peruenerint, satis illustrata. In vniuersum sic de illis Iustinus libro quadragesimo secundo, vbi de Horode Parthorum Rege, ac filijs eius triginta agit. *Fatum*, inquit, *Parthiæ fecit, in qua iam quasi solemne est Reges parricidas habere, vt sceleratißimus omnium & ipse Phrahartes nomine Rex statueretur*. Hæc Iustinus de Regibus Parthorum, qui deinde refert à Phraharte occisum patrem, fratresque triginta. Alexandro deinde Mammeæ, vt diximus, imperante deiectis Parthis, obscuratoque ac deleto prorsus eorum nomine, Persæ regnarunt, Artaxerxe regiam potestatem decusque Persis restituente, cùm rerum potiti essent Parthi annos, vt notat Agathias, ducentos.

Arsacidarum Parthorum.

Persicorum Regum post hæc seriem quidem texit Agathias idem, nonnullaque euenta describit, exitus sunt ignoti, nisi illorum, qui supremis temporibus vixêre, de quibus sic Paulus Diaconus: Imperante Mauritio, Hormisdas Persis dominabatur, qui à suis Persis captus, oculisque ac regno exutus, impellente filio Chosdroë in carcerem coniectus est. Quin antea ijdem, Hormisda eodem inspectante, vxorem ipsius, alterumque filium medios serra dissecuerunt. Heraclio deinde imperante, Syrois contra hunc Chosdroëm parentem suum cepit arma, coniectum in vincula multis cõtumelijs affecit: Sagittisque omnium transfigendum curauit, & ante ipsius oculos Medarsam filium cæterosque liberos adductos impius & ipse filius perimi iussit. Chosdroi successit filius Adhæsir, quem post septem menses Sarbaras interfecit arreptis regni insignibus. Hic autem post sex menses à Persis est occisus, substitutusque illi Bornais Chosdroë filius, cui post septem menses Hormisdas successit, quem regno Sarraceni expulerunt, & ex illo Mahometani plerumque regna Persica tenuerunt, irrumpentibus in illa Coraxanis, Turcis, Tartaris, & alijs Borealibus populis. Hucusque constat quanta impietas exstiterit olim in antiquissimo omnium regno Babylonico, à Nino & Semiramide, vsque ad Chosdroëm, filiosque ipsius; ita vt inceperit ab impietate, ac desierit in eamdem. Ninus enim filius matrem Semiramidem necauit, Chosdroë patremque & fratres.

Lib. 17. Vltimorũ Persarum. *Lib. 18.*

Inspiciamus nunc, qui fuerint aliarum gentium Reges. & quando diximus, Demetrium Antiochi Magni filium à Par-

à Parthis captum, fratremque ipsius Antiochum regna Asiatica occupasse, videamus quæ fuerit istorum pietas. Antiochus hic cognomento Sedetes à Parthis, & ipse fusus acie, atque occisus, Demetrius frater eius liber dimissus, qui paulò pòst recepta Syria, cùm in Ptolomæum pararet expeditionem, victus acie ab Alexandro, qui se filium Antiochi adoptiuũ fingebat, & interemptus est. Quo facto Seleucus eius filius regnum capessit, sed à matre est interfectus, quòd iniussu ipsius id egisset: suffectusq; Gryphus Antiochus, qui veneno ab eadem regnandi cupida petitus, ipsam coëgit, vt poculum, quod pararat filio, biberet. Sic igitur illa enecta Gryphus hic postea diu cũ fratre Cyziceno pugnauit. quo tempore contigit, vt Gryphus victor obsideret Antiochiæ Cleopatram Cyziceni fratris vxorem. Vrbe capta, coniux Gryphi Gryphina, eademque Cleopatræ soror, nequidquam repugnante marito Cleopatram sororem iussit occidi. Se paulò pòst victo Grypho Cyzicenus eius vxorem Gryphinam comprehensam necari mandauit. Cyziceno filius Antiochus successit, qui Seleucum Gryphi filium, quod Eusebius scribit, exussit viuum, quomodo id acciderit, narrat in Syriaco Appianus. post hęc Antiochum hunc regno Pompeius priuauit; Philippusq; filius à Gabinio captus. Atque hic est finis impietatum inter Seleucidas, ipsorum posteritate exstincta, vt in Syriaco docet Appianus.

Iust. libr. 38. Seleucidarum in Syria.

Iust. lib. 39.

Nunc videamus, qui fuerint Ptolomæi Reges AEgypti, qui post Alexandrum regiones illas tenuerunt; antę Alexandrum namq; Persæ, ante Persas AEgypto oriundi plerumq; Reges, quorum interitus ne persequamur, facit obscuritas fabulosæ antiquitatis. Igitur Ptolomæus Lagi filius post Alexandrum primus imperauit AEgypto. Huic Philadelphus, Philadelpho Euergetes, Euergeti Philopator, Philopatori Epiphanes, successere. Post hos regnarũt Philomator, Euergetes Secundus, siue Physcon, Lathurus, Auletes, inde filius eius cum sorore Clepatra. Vndecim verò sunt omnes, quamuis Eusebius nonnihil dissentiat. De ijs ita Strabo: *Omnes post tertium Ptolomæum malè vixerunt, delicijs corrupti, omnium verò peßimè quartus, & septimus, & vltimus*, hæc ille. Videamus autem quàm fuerint pij. Et sanè, vt est res, ita Strabo dixit. Quartus namque Rex Philopator dictus ex euentu contrario; quòd matre ac patre interfectis regnum inuaserit, ait Iustinus. Rursus idem ca-

Impietas Ptolomęorum.

Strab. lib. 17.

Iust. libro. 29.
Iust. lib. 30.

ptus amore pellicis Agathocleæ, Eurydicen sororem, vxoremque suam necauit. Euergetes autem diu cum fratre Philomatore pugnauit, ad eum deinde mortui ipsius regnum defertur à nonnullis; qui veniens Alexandriam, fratris defuncti filium regni legitimum hæredem necat: mox filium suum natu maximum Cyrenis, quibus imperabat, accersitum interficit, quòd vereretur, vt contra se Rex crearetur: rursusque alium filium, quem susceperat è sua sorore, occisum, & in frusta diuisum, cistæque impositum, matri inter epulas afferri iussit. Obijt deinde Euergetes, siue Physcon, duosq; mares ac fœminas item duas reliquit, regnum verò vxori Cleopatre ac filio, quem legisset ipsa, legauit. Cumq; mater in minorē è maribus esset propensior, coacta est eligere maiorem, quem compulit repudium mittere vxori, eidemq; sorori Cleopatrę, ac ducere alteram sororem Seleucem, è qua cùm duos ille filios sustulisset, eiectus est regno à matre. Tantaq; fuit eius in filium rabies, vt copiarum suarum ducem necarit, quòd filium viuum dimisisset, cùm posset interficere. Alexander filius minor tanta matris crudelitate territus ab ipsa discessit; reuocatus autem, persentiscensq; sibi ab illa parari insidias, ipsam prior necat. Populus Alexandrinus id videns, Alexandrum pellit, Ptolomæum Lathurum reuocat. Huic successit Auletes, qui ab Alexandrinis est eiectus, filiaq; ipsius Regina constituta, datusq; illi vir Archelaus. Postea verò reductus Auletes filiam necauit, & generum: mox decessit relictis duobus filijs, ac totidem filiabus. Alexandrini puerum natu grandiorem. Cleopatramq; regno præfecerunt. Hæc paulò pòst à fratre eiecta: deinde à Cæsare reducta, interfectusq; est illius frater Rex, aliusq; frater natu minor datus socius. Quo defuncto, cùm partes Antonij aduersus Octauianum secuta esset, victa bello Actiaco sibi mortem consciuit, aspide ad vbera admota. Hic finis impiæ gentis. Reliquum est, vt videamus, quàm pij fuerint in suos propinquos Macedoniæ Reges, quorum res gestę & exitus memoriæ fuerint proditi, neq; illos obscurarit antiquitas, sed litteratorum scripta certissimis monumentis consignarint.

Strab. lib. 17.

Eusebius, veluti omnium Regum, sic Macedonicorum successionem, & tempora, quibus vixêre, contexit; quo mortis genere obierint, plerumq; subijcet, quòd scilicet istud ignoraretur. Iustinus primordia illorum cursim perstringit;

ſtringit; vbi ad Alexandri auum peruenit, tum latiùs acta & euenta illorum deſcribit. Hunc maximè ſequemur. Amyntas igitur ex Eurydice vxore Alexandrũ, Perdiccam, Philippum, Euryonemq; filiam, è Cygea Archelaum, Aridæum, & Menelaũ ſuſcepit. Eurydice Amyntham virum conata eſt interficere, regnumq; adultero tradere. Detecta nihil profecit. Amynthæ ſucceſſit Alexander, qui ab Eurydice matre eſt interemptus, eamdem ſortem ſubijt impiæ matris inſidijs Perdiccas. Huic ſuperſtes exſtitit filius paruulus, cuius Philippus patruus diu tutorem egit: mox à populo impulſus ipſe regnum ſuſcepit. Hic vxoris Olympiadis fratrem Arymbam regno per iniuriam ſummam priuauit, Alexandroq; illius priuigno, quo fœdè abuſus fuerat ad vſus nefandæ libidinis, dedit. Sed cùm mox ob ſuſpicionem ſtupri Olympiada expuliſſet, aliamq; duxiſſet vxorem, impellente eadem Olympiade, neq; ignaro Alexandro filio, Philippus eſt interfectus: Olympias occiſo viro reuerſa domum, continuò æmulam ſuam Cleopatram, & in eius gremio infantem peremit. Superfuêre è Philippo Alexander Magnus, & è pellice Lariſſæa Aridæus. & Alexander quidem dictus eſt veneno perijſſe. Poſt quem Macedoniæ regnũ tenuit Aridæus frater eius è pellice, vt diximus, Lariſſæa: qui cùm Olympiada Alexandri matrem Macedoniæ finibus ſummoueret, de iuſſu illius eſt occiſus vnà cum Eurydice vxore. Caſſander Alexandri dux, Antipatris Macedoniæ præfecti filius, hoc audito, Olympiadam captam perimi mandauit: deinde eodem ſcelere Herculem Alexandri filium annos iam quatuordecim natum cum matre Artine, ſimiliter alterũ eiuſdem filium cum matre Roxane, ac regio nomine & iure Macedoniam poſſedit. Sic omnis Alexandri Magni ſoboles exſtincta. Defuncto Caſſandro, & paulò pòſt etiã Philippo filio, Antipater & ipſe Caſſandri filius Theſſalonicem matrem ſuam, quòd fratri Alexandro magis faueret, occidit. Quocirca Alexander arma in fratrem moturus auxilio aduocat Demetrium Regem, à quo per inſidias eſt interfectus. Antipater autẽ à Lyſimacho ſocero, quòd eius fraude ſibi ademptum Macedoniæ regnum conquereretur, eſt occiſus. Sic itaq; Demetrius adiuuãte Lyſimacho regnum Macedoniæ cepit; à quo paulò pòſt expulſus armis Pyrrhi Epirotarum Regis, quem mox expulit inde Lyſimachus; quo deinde in acie per Seleucum occiſo, Seleuc⁹ Macedo-

Lib. 7. Impietas Macedonicorum Regum.

Iuſt. lib. 8.

Iuſt. libr. 14.

Iuſt. libr. 16.

niam ſeptem menſes tenuit, donec à Ptolomæo, cuius ſororem Arſioëm Lyſimachus in matrimonio habebat, per inſidias occiſus eſt. Ptolomæus autem, quo tutiùs Macedoniam poſſideret, Arſinoë ſororis nuptias petit, pollicetur adoptaturum ſe filios eius è Lyſimacho ſuſceptos, regnumque illis relicturum. Credidit mulier, adduxit pueros, quos impius auunculus, inſpectante matre, & nequidquam ſcelus exclamante, trucidauit. Cæſus eſt poſtea Ptolomæus à Gallis: ac poſt eum regnarunt Meleager menſes duos, Antipater dies quadraginta quinque, Soſthenes annos duos, ſi Euſebio credendum. Nam Iuſtinus Soſthenem dicit, occiſo Ptolomæo, Ducis nomine, non Regis, Macedonibus præfuiſſe, dum multi affectarent illud regnum. Poſt quem conſentiunt ambo Regem Macedoniæ fuiſſe Antigonum, illique Demetrium filium ſuffectum. Hic obijt relicto Philippo filio paruulo, cui tutor datus Antigonus accepta in matrimoniũ pupilli matre regnum ſibi arrogauit. Mox autem defuncto ſine liberis Antigono Philippus annorũ quatuordecim regnare cœpit. Huic Demetrius ac Perſeus filij fuêre; quorum Perſeus natu minor falſis accuſationibus eò compulit patrem Philippum, vt filium Demetrium necarit. Perſeus hic vltimus Regũ Macedonicorum fuit à Romanis captus. Ex his omnibus colligi clariſſimè poteſt, quanta fuerit impietas antiquis, quanta feritas in propinquos. Euenta namque omnium Regum inter antiquos celebriorum, quorum peruenerit ad nos memoria, ſcriptis perſecuti recenſuimus. Tanta verò fuit, vt nulla exſtiterit illuſtriſſimorum Regum paulo diuturnior ſucceſſio, eiuſdemque familiæ duratio, ex qua non exſtiterit aliquis, qui matrem patremque occiderit regnandi cauſa; ipſæ etiam genetrices, quæ præ cunctis amare filios dicuntur, filiorum ſanguine ac cæde ob eamdem cupiditatem animum manuſque polluere non dubitarint.

Lib. 24.

Lib. 25.

Lib 38.

Summa Catholicorum pietas in propinquos è ſuperiorum collatione deprehenditur.

CAP. III.

Iam

IAM verò, si omnium Regum nostrorum perscruteris euenta, cùm tot ex omni natione numeremus, Hispanos, Lusitanos, Gallos, Anglos, Scotos, Germanos, Hungaros, Bohemos, Polonos, Danos, Sueticos, Italicos, Siculos, Cyprios, Hierosolymitanos, Constantinopolitanos, per tot annorum sæcula, neque tam dira, neq; tam crebra impietatis facinora comperies à Catholicis admissa aduersus propinquos regnandi causa. Sicut autem Reges prisci plerùmq; impij fuerunt in suos, sic hæreticos etiam scimus esse, & vnà cum hæreticis schismaticos, excōmunicatos & Mahometanos, quod è signo de intestinis hæreticorum & hostium cædibus constat. nostros non esse aperimus signo de felici exitu Catholicorum Regum, & infelici posteritate hæreticorum. Illud hîc in vniuersum dixisse sit satis, quòd cùm nulla illustrior sit familia inter antiquos, hæreticos, & schismaticos, quæ paulò diutiùs regnarit, & quæ non produxerit aliquem à quo regnandi causa fuerit interfectus aliquis è parentibus, inter Catholicos nunquam fuit vllus, qui tantum flagitium sit aggressus per tot annorum sæcula, toto orbe Catholico. de antiquis apparet è capite superiori, de hæreticis & Mahometanis è signo de intestinis hæreticorum cædibus, de schismaticis, aut excommunicatis, ex eo, quòd impius ille Manfredus Ecclesiæ Catholicæ hostis, & excommunicatus, excommunicatum patrem Fridericum Secundum magno Germanicæ nobilitatis dedecore, si quid labis impius pijs potest adspergere, suffocauit. Viden' vt summa sit Catholicorum pietas in suos, si ceteris comparentur?

XV.

Hinc aliud existit argumentum pietatis. Ab hac enim factum cognoscimus, vt inter nullam nationem magis regia potestas sit in eadem cognatione ac posteritate conseruata, vt in Catholica, quæ longissimas plurimorum Regum successiones ex eadem familia recenset: quòd scilicet consanguinei inter se amarint, bonumq; commune plerumq; promouerint. Quòd adeò non contigit hæreticis, vt nulla ipsorum familia exstiterit vmquam, quæ vltra quartam stirpem regna transmiserit, quod est à nobis abundè explicatum signo de infelici posteritate hæreticorum Regum.

XVI.

XVII.

Quin signo de iustitia ostendimus, omnia penè regna Catholicorum, quæ nunc exstant, & hæreditaria sunt in Europa, aut quæ à Catholicis habent originem, iure consanguinitatis obtineri ex antiquissimis temporibus, ita vt Phi-

XVIII.

lippus

lippus Secundus ideò præsit Hispaniæ, quòd antiquissimum Regem Recharedum, qui ante annos mille plus minus nomen Catholicę religioni dedit, consanguinitate attingat. sic Angliæ Reges, vetustissimos illos, qui Christo se primis temporibus adiunxêre, à quibus propter iura cognationis acceperint regnum, nominare possunt; sic Scotici, Danici, ac ceteri omnes; excepta Hugonis Capeti gente, vt signo de iustitia aperuimus. Eadem porrò pietas in propinquos impulit Catholicos, vt antiquas illas Romanorum gentiumq; leges tollerent, quibus fas erat patri filium addicere in seruitutem, aut etiam vendere. Parentesq; & filios hac amoris lege obstrinxit, vt cùm possent olim se nullis de causis exhæredare, nunc per legem Iustiniani nô illi nisi certis iustissimisq; de causis possint: sed necesse habent parentes hęreditario iure filijs, & filij contra parentibus legitimam partem relinquere, quod omnes propè sciunt. Eiusdem pietatis est, à Catholicis passim tot excitata hóspitalia loca, ad expositos excipiendos & alendos. Nam cùm prisci plerumque possent impunè filios suos exponere & abijcere; multi verò, etiamsi impunè non esset, tamen exponerent, quòd sceleris argui non possent; Catholi, ne si quis exponeretur, periret, aut malè haberetur, induerunt ea pietatis paternæ viscera, quibus interdum se genitores exuunt, hospitalesq; ædes in cunctis paulo celebrioribus oppidis ad expositos educandos construxerunt, ne paterna pietas omninò periret; & si qua ex parte inter nostros langueret, ex alia magis proueheretur, atq; extolleretur. Sic etiam summæ pietatis fuit illud à Christo inter Catholicos sancitum, ne quos Deus coniunxisset, vllus separaret. Nam cùm mutuus ille amor, quo coniuges se complectũtur, debeat esse omnium summus, sic nullis de causis omninò dissoluendus est vmquam. Quocirca statutum inter Catholicos est, ne coniuges se repudient ob vllas offensas ærumnásve interuenientes, quarum nulla esse tanti potest, quæ condonari aliquando non possit, & saltem progressu temporis imminui, & mitigari. licet igitur intercedant offensæ, intercedant querimoniæ, ac summæ calamitates, summiq; amoris vim debilitent; pietas tamen Catholicorum non patitur, vt abrumpant, & exstinguant: vt sæpius dici verè illud possit:

XIX.

XX.

XXI.

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis

Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor die.

Vbi nunc vestra hæretici pietas? An qua vestrorum Regum propinqui inter se sæuiunt, quod signo de intestinis hæreticorum cædibus apparet? An qua passim repudia conceditis, ita vt vnus Henricus Octauus intra annos duodecim sex habuerit vxores, duas repudiarit, duas securi percuti mandarit? An qua patriæ vestræ regiones ad extremum non bene à vobis defensæ veniunt in efferatarum gentium potestatem? An qua nihil eorum, quæ supra enumerauimus, operum maximè piorum præstitistis vmquã, vel præstare seriò conati estis? Producite vestræ pietatis effectus. Haud potestis. Vos igitur impios fatemini: ab impietate resipiscite, & in Ecclesiæ matris gremium complexumq; reuertimini & conuolate.

SIGNVM TRIGESIMVM NONVM,

Obedientia.

Ex obedientia diuinißima nostrorum palam fit nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. IIII.

MElior est, inquit Samuel, *obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* (1. Reg 15.) Quocirca Christus ab omnibus gentibus ob eam causam vult se cognosci, vt illius fidei obediant, ait Paulus ad Romanos: idemque exaltatus est à Deo, quod obedierit vsq; ad mortem, cuius nos vestigia sequi debemus. Hinc idem ad vniuersitatem suorum discipulorum numquam intercidentem sic dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, spernit me.* Quin obediẽtia comitatur omnes virtutis cuiusuis actiones. Præcipitur enim cuilibet Christiano, vt viuat ex præscripto virtutis suo statui conueniẽtis. Potest autem vna eademq; res fieri iuxta præceptum plurium virtutum. Atq; hac parte cùm summi sint ac diuini in cunctis virtutibus Catholici, vt singillatim nos explicauim⁹, velintq; exsequi munia virtutũ, quia Christus ita pcepit, ob id obedientia ipsorũ summa, ac diuina. Sed quia sapientes antiqui

yariè

variè senserunt de virtutibus, & earum functionibus, ita vt dissideãt in pluribus inter se, & aliquis potest ambigere an Christus aliquid præceperit, & propè cũcta in dubium reuocare; idcircò hîc speciatim virtus obediẽtiæ elucescit, vt scilicet nos præcipientibus præpositis nostris obediamus credentes id esse verum iustumque, quod ipsi Christi nomine decernunt. Similiter multæ leges, quæ iustitiæ obligationem perpetuam non continent, pro temporum, locorum, atq; hominum varietate variari debent. Atque ita nunc est virtutis aliquid, quod postea non erit. An verò, & quando id sit, præfectorum est statuere. Hîc igitur virtus obedientiæ specialis, sequi hac in re ductum, iudiciumque præfectorum. Videndũ est igitur hac parte quanti sint Catholici, numquid summa, ac verè diuina sit obedientia ipsorum, & quænam sit aliorum. Et sanè talis est obedientia nostrorum, vt nulla sit omnium, qui dissident ab ipsis. Hoc enim singulis Catholicis est statutum, vt nequeant credenda & agenda vlli ex ipsis diffinire; sed necesse habet quilibet, stare antiquorũ sanctionibus, in ijs quæ sunt æternæ veritatis ac iustitiæ. Quin nemo potest interpretari scripturas diuinas, aut maiorum decreta, nisi è cõmuni totius Ecclesiæ consensu, cui parére omninò debet. Qui sit autem communis Ecclesiæ sensus, quæ sint antiquorum sanctiones, & ad sacram scripturam veræ interpretationes in ambiguis (de claris namque non est opus loqui) id pertinet ad summum præsulem conciliáve vniuersalia diffinire. Præterea verò necesse est quilibet paratus sit obedire, siue credẽdo, siue agendo, nõ modò priscis, ac præsentibus, sed etiam futuris, vsque ad extremum iudicij diem. Est igitur omnium maxima hæc obedientia multis nominibus: ac primò quòd per præfectos Dei personam sustinentes imperat, vt firmiter intellectus credat, non quas velit interpretationes, non quæ iudicaret ipse vera & iusta ex argumentis verisimilibus, sed quod ab alijs constituitur. hoc est enim quod aiebat Paulus: *Redigi intellectum in captiuitatem in obsequium fidei*. Hæc igitur obedientia arcem totius hominis occupans. Intellectus namque est, quo sumus homines quod explicauimus signo primo. Secundò, ne quis eligat sibi, quibus in credendo obediat, atque ita sibi obedientiam quamdam more suo arbitrioq; componat, certi sunt viri constituti perpetua successione, quibus sit parendum; atque hi sunt Episcopi, ac successores

Sed maxime singularia obediẽtiæ Catholicorum.

res eorum, vt è signo de perpetua Apostolorum successione apparet. Tertiò, vt summa sit adhuc hæc obedientia, cùm possint inter se quandoq; Episcopi dissidere, ne quis hac parte sit liber ac sui iuris, sed necesse habeat obedire, decretum est obediendum ijs Episcopis, qui sunt toto orbe diffusi in vnam doctrinam consensumque decretorum conspirantes, vel ei qui cum istis sentit, aut istis præest, qualis est Pontifex Romanus, vt signo de Catholica Ecclesia constat. Hinc quartò maxima est hæc obedientia, quòd nemo potest eligere cui pareat, vel suæ saltem nationis virum; sed quælibet natio, aut cuiuslibet nationis homo necesse habet in id conuenire, in quod vnanimi consensu omnia decreta facta ac facienda complectente conspirant cunctę cogniti orbis nationes, aut aliqui ex illis; ita vt hac parte obediatur singulis nationibus in credendis & agendis. Quintò maxima est hæc obedientia, quia nemo potest velle in vno parere, aut aliquibus, sed opus est in omnibus credat, & obsequatur. Sextò, non modò necesse est quiuis paratus sit obtemperare in omnibus iam constitutis, sed etiam constituendis, quantum pertinet ad ea, quæ sunt æternæ veritatis ac iustitiæ, vsque ad extremum iudicij diem: quod à nobis hucusq; præstitum fuisse liquet è signo de vna fide. Igitur siue spectes maximam nostri partem, quæ est intellectus, siue viros, quibus est obediendum, siue eorum, quibus est obediendũ, varios cœtus, siue nationem aliquam, pluresve, quibus sit obtemperandum, siue res, in quibus obedientia versatur, siue tempus, quo cuncta hæc seruanda, nulla maior hac Catholicorum obedientia fingi potest, de qua se iactet vllus mortalium cœtus. Continet omnes res, omnes nationes, omnia tempora, ac nos, qua sumus homines, totos. Sed tamen adhuc nostri prouehunt ad summum culmen hanc obedientiam. Nam cùm decreta Ecclesiæ sint vniuersalia, & vniuersitatem totam spectent, ac fieri non possit vt cuilibet singillatim præscribatur quid agat, atque ideò multa sint, in quibus non videtur aduersus vllam virtutem peccari vtro modo fiant; propterea sunt plurimi inter Catholicos, qui se voto obedientiæ inter familias religiosorum probatas obstringunt, Deo pollicentes se præpositis earum obedituros omni in re, quæ scilicet non discrepet à communi Ecclesiæ consensu, etiamsi non appareat aliud præceptum, quo obligentur. Atque ita nihil omninò agūt

II.
E variis religiosorum familijs.

ac moliuntur, nisi è suorum præsulum præscripto. Ceteri; sat est; si communia scita seruent, proposita vniuersis mandata. At hi singulas suas actiones imperio subijciunt aliorum. Horum porrò est multitudo toto orbe Catholico innumera. Vt autē magis obedientiæ virtus elucescat, austerissima vitæ decreta, in quibus obediant, plurimi istorum religiosorum sibi proponunt, vt quiuis potest contemplari in Carthusianis, Camaldulensibus, Franciscanis, siue ijs, quos Minores, siue ijs, quos Minimos vocāt, & alijs huiusmodi, quos esset longum nimis recensere. Ac ne quis hæc posita tantùm dicat in pollicitatione & iactatione quadam promissorum, potest eorum vitam propiùs intueri, præterea verò vitas hominum legere, qui inter familias istas religiosorum instituti sanctis adscribi meruerunt; & videbit quàm miranda illi patrarint toto vitæ spatio obedientiæ ductu. Hinc signo de religione, efferisque gentibus ad humanitatem traductis ostendimus obedientia duce ab efferato viuendi genere per istos plusquam dimidium totius orbis ad humanitatem perductum; neque eos exhorruisse remotissimas adire regiones, inter gentes omnis humanitatis expertes versari, extrema quæq; subire & pati, morti certissimæ ac tormentis acerbissimis occurrere, vitam ponere, vt signo de perpetua martyrum successione apparet. Atq; etiam nunc è multis religiosorum cœtibus, præcipuè verò è Societate Iesu, plurimi quotidiè hoc factitant. Quam sibi laudem nullæ nationes vendicare possunt alienæ ab Ecclesia Catholica, quòd scilicet diuinus amor ad tantum obedientiæ culmen eas haud perducat. Et hinc perspicere possumus quid differat obedientia Catholicorum ab obedientia ingenij seruilis, quale in Turcis & Assassinis illis, qui narrantur ad suorum principum iussa solitos se occidere, in præceps exaltissima turri se dare, & mortem occumbere nullo humani generis fructu, nullo Dei respectu, vt ex euentis colligi potest: quid enim boni contulēre, quid splēdoris vlli regioni dederunt vmquam? quid ciuilioris cultus, aut vrbanioris humanitatis vlli genti sunt isti largiti aliquando, vt per nostros tot populis ac locis supra Rhenum & Danubiū, insulisq;, & regionibus, quas Oceanus circumfluit, est impertitum? Quòd si te mirabilia delectant, scimus obedientiæ nostrorum seruire elementa, resq; omnes naturales, ita vt omnem vim suam deponant propter obedientium vim. Id ita esse, si quætis anti-

III. *Ex institutis religiosorum seueris.*

IIII. *E vitis religiosorum.*

V. *E periculis q̄ subeūt religiosi in barbaris cōuertendis.*

VI. *E collatione aliarum gentium.*

VII. *A miraculis.*

antiqua, te docebunt quæ inter Græcos de obedientia scripsere ex antiquis Clymachus & Dorotheus, inter Latinos scriptores Ioannes Cassianus. Hinc ille Maurus dicto S. Benedicti audiens super aquas illæsus ambulauit, solidumq; ambulanti iter illæ præbuerunt. Hinc Thomas Florentinus ex ordine S. Francisci, dicto Ioannis Capistrani, audiens, prunas ardentes manibus similiter illæsis contrectauit. & Petrus Igneus iussu Ioannis Gualberti per medias flammas incolumis pertransijt, quod nos multorum testimonijs suprà confirmauimus signo de religione. Sed harũ rerum sunt exempla innumera in vitis Sanctorum, quas à Surio diligentissimè collectas, & ab aliis, qui ordinum religiosorum gesta scripserunt, memorię mandata, quiuis inspicere potest. Nos publica & illustrissima quędam producemus in medium; è quibus, quod asserimus, clarissimum fiet. In primis enim nullis mortalibus contigit, vt regia potestas, non tenuis, sed amplissima, ac potentissimis nationibus imperans in ijsdem familijs tamdiu fuerit conseruata, vt in Catholicis. quocirca sæpè regna maxima, populique bellicosissimi pueris ac fœminis obedierunt, & à legibus obedientiæ haud recesserunt: atq; hinc factum, vt eadem regna tamdiu perstiterunt in agnatione eadem, quod nos signo de felici Regum Catholicorum posteritate persecuti sumus.

VIII. *A conseruatione gentiũ regiarum.*

Hinc si conferas qui fuerint è Catholicis Regibus occisi aut deiecti à suis, & contrà, quib⁹ id acciderit ex alienis ab Ecclesia Catholica, videbis paucissimos è nostris, plurimos ex alijs à suis interfectos, ac regno spoliatos, quòd scilicet nostri pareant suis principibus, ac præpositis, alij non ita. Hoc sic esse, liquet è signo de intestinis hæreticorum, & hostium cædibus, infelici exitu hæreticorum Regum, fęlicique Catholicorum, ac signo etiam superiori de pietate.

IX. *Ab obedientia Regibus præstita.*

Commendatur adhuc obedientia Catholicorum supra omnes alias gentes, quòd nullis datũ populis, vt sit illis vnus princeps, cui remotissimę gentes sponte ac nulla vi adductæ obediant, vt vni è nostris, qui est Põtifex Romanus, cui ex extremis orbis cogniti partibus semper aliquĩ paruerunt vltro: quod colligitur è signo de insulis longinquis, & è priuilegijs Pontificię Sedis, quæ signo de prudentia Politica complexi sumus. Et nũc scimus vltimos Sinas illi obedire, & à Iaponijs toto orbe disiunctis superioribus annis ad obedientiam illi præstandam legatos missos ipsi vidimus.

X. *Ab obediẽtia præstita Põtifici Romano à remotissimis populis.*

Obediẽtia Põtifici Romano præstita singularis.

vidimus. Sed vis hæc obedientiæ magis elucescit, quod obeditum est Pontifici Romano, & quidem ea obedientia, quam supra explicauimus, à remotissimis populis, quibus procliue erat ab obedientia desciscere, non quatuor, aut quinque, sed iam quindecim sæculis adde ab ijs etiam, qui versabantur ac sedes habebant inter hostes Pontificis Romani, quod capite de priuilegijs Pontificiæ sedis, signo de prudentia politica fuit à nobis explicatum. Huc accedit, quòd tanto tempore hęc summa obedientia, qualis nulli genti fuit, exhibita est Papæ ab innumeris gentibus, quin semper fuit aliquis ex omni peruij orbis gente, qui illam Papæ præstaret. Illud adhuc mirabilius, hanc summã obedientiam cum summa reuerentia coniunctam ab innumeris Regibus, & cuiusuis prope nationis cogniti orbis Pontifici Romano præstitam fuisse non vllo armorum metu, sed solius religionis obseruantia, quod nos signo de plurimorum Regum cultu, ac reuerentia latè notauimus. Nunc igitur cùm tot Reges, tot nationes, tanto tempore, tam remotæ hanc summam, quam principio capitis obedientiam descripsimus, Pontifici Romano, & Episcopis, in eo quod spectat ad religionem, præstiterint; peto vt vnus aliquis producatur ex quo conditus est orbis, qui talem tantamque, vt depinximus, obedientiam alicui aliquando præstiterit, obedientiam inquam huiusmodi, cui sex illa à nobis cõnumerata adfuerint. Proferri nullus potest. Nulla igitur alijs præ nobis, summa autem nobis est obedientiæ virtus.

XI. A tẽpore quo obeditum est Pontifici Romano, à remotißimis.

XII. Ab innumeris gentibus, quæ semper toto orbe Põtifici paruerunt.

XIII. Ab obedientia tot Regũ.

XIIII. Quod neq; vnus ab orbe condito adeò sit odiẽs vt omnes nostri.

Iam verò cùm sanctissimus Papa toti Ecclesiæ Catholicæ præsideat, illique pareant singuli ex illa, illud longè mirabilissimũ, nullius perpetuæ successionis, aut vniuersitatis præfectos; nullius sedis episcopos, nullius regni Reges adeò fuisse obedientes, vt Romanos Pontifices. sed quibusnam Pontifex Romanus obedire debet? Superiorum Pontificum, vel vniuersalium conciliorũ decretis, quantum ad ea, quæ sunt semper credenda, vel agenda à cunctis absque vlla immutatione, quam concedere possit æquitas, ꝓpter varia tempora, mores, atq; homines; propter hęc enim leges immutari possunt in agendis: sed tamẽ immutari q̃dam nõ possunt, vt lex, quæ prohibet mœchari, Deũ contemnere, & quæcunque sunt huiusmodi, perpetuam iustitiæ obligationem, quæ solui numquam possit, continen-

XV. Ab obedientia quã Papa superiorũ decretis præstitit.

tinentia. His obediat decretis, æternæ veritatis, ac iustitiæ, necesse est sanctissimus Papa. Obedisse autē magis, quàm cunctos vllius vniuersitatis præfectos, constat è tribus, ac primo loco, quod nemo Pontifex quatenus Pontifex hæreticus fuit à superiorum sanctionibus & vnanimi Ecclesiæ consensu recedens: secundo, quod nulla sedes tot Martyres dedit, vt Romana, qui pro obedientia fidei vitam posuerint. Tertio, quod nullius vniuersitatis præfecti tot sanctos miraculis illustres produxerint, vt sedes Romana: quę nos abundè ostendimus, & explicauimus signo de Prudētia politica, capite de priuilegijs Pontificiæ, ac Romanæ sedi diuinitus communicatis. Sic itaq; Pontifices Romani maximè omnium paruerunt decretis fidei, & decretis iustitiæ ab Ecclesia Catholica constitutis. Peto igitur ab hæreticis omnibus, vt proferant in medium si qua sunt effecta obedientiæ suæ, vel suorum, animum seriò conuertant ad hoc vnum penitus inspiciendum, an omnes quotquot sunt hæretici, vel fuerunt, sint assecuti vmbram tenuissimam tantæ virtutis, vt eius solidam vim vel scelestissimus è nostris quilibet factis expressit.

SIGNVM QVADRAGESIMVM, Veritas.

Veritatem in Ecclesia nostra dumtaxat solidè consistere demonstratur, apud alienos non ita, ex quo fit nos esse ex Ecclesia Dei.

Cap. V.

De Christianorum vniuersitate loquens Isaias, ac prospiciens, quàm veritatis amans illa futura esset, inquit, *Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiēs veritatem.* quibus verbis ostendit, populum Dei veritatis fore propugnatorem, & custodem, ita vt in verbis, & actis eius illa maximè elucescat. Sic Christus sępius apud Ioannem rogat Patrem ijs verbis, *Sanctifica eos* (nimirum Christianos) *in veritate.* & alibi, *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ob id Paulus admonet suos, inquiens: *Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Quo-

Isa. 26.

Ioan. 17.

Ioan. 16.

Ephes. 4.

circa necesse est Ecclesiæ Catholicæ alumnos in veritatis assertione longè omnib⁹ præcellere. Id verò sic esse è multis colligitur.

I. *Quia solis nobis fides vna.*

In primis autem, quòd soli Ecclesiæ Catholicæ semper fuit vna fides, in qua nihil est dissidens, à cuius immobilibus decretis numquam discessit contraria sanciendo; ceteri omnes in contrarias sæpè partes abierunt, & modò hoc, modò illud omninò verum, diuinitusq; traditũ constituerunt, ac veluti oraculum cæleste sanxerunt, mox aũt repudiarunt, quasi mendacium, nihil sibi constantes: id nos explicauimus signo de vna fide, eò reijcimus lectorem.

II. *Ab assertione veritatis in martyrio.*

Tanta verò nostrorum fuit semper constantia in huius veritatis assertione, vt Ecclesiç Catholicæ nulla ætate desint innumeri martyres vel ab hęreticis, vel à gentib, alijs occisi non aliam ob causam, nisi quòd hanc veritatem testificarentur, eam prodere nullo modo vellent, vitã potiùs profunderent, omnium iacturam facerent. Id nos latiùs prosecuti sumus signo de perpetua martyrum successione.

III. *Quia plures nobis episcopi martyres, quàm cũctis hæreticis simul ex eorũ episcopis.*

Hinc etiam factum videmus, vt nullus hæreticorum cætus possit è suis præfectis producere tot pseudomartyres, qui vitam posuerint pro assertione suorum decretorũ, aut etiam qualicumq; Christi cultu, vt nos proferre possum⁹ è nostris Episcopis, qui occubuerint non dicam pro nostris sanctionibus affirmandis, sed pro Christi solo cultu. Nam cùm vocabantur ad mortem, non ab ijs exigebatur ▾: Catholica decreta abijcerent, sed Christi religionem, quæcumq; illa foret. Hoc enim tam verũ Catholicis quàm plerisq; hæreticis, adorandum Christi nomen, primas illi dandas inter omnes in omnibus post Deum. Pro hac verò veritate plures è Catholicis Episcopis sunt interfecti, quã è præfectis hæreticorum, quod nos ostendit firmiùs adhærere cognitæ veritati.

IIII. *Quia vna sedes Romana plures martyres Papas dedit, quàm cũcti hæretici è suis episcopis.*

Sed quid ego hîc omnes Episcopos martyres colligam? Vna sedes Romana plures martyres è suis Episcopis dedit, quàm cunctæ hæreticorum factiones è suis præfectis ex omni vrbe collectis dederint in huius decreti defensione, Christum præ ceteris colendum. Recenseant enim cuncti hæretici suos Episcopos, vel quouis nomine vocent vrbiũ suarum præpositos, quibus sit illata mors ob id, ꝙ Christum colerent; ac videbunt nõ tot esse, quot vna sedes Romana produxit. Igitur hæc vna sedes fortior in veritate nobis cum illis cõmuni defendenda, quàm tot hæreticorum

conuenticula. Quod autem dicimus de hæreticis, idem de cunctis alijs gentibus asserimus. Non enim possunt vniuersi populi, qui ab orbis exordio fuêre, è suis nominare tot homines (vide quid dicam) tot homines, inquam, nō tot principes, ob alicuius veritatis defensionē vltrò mortem subeuntes, quot vna sedes Romana Pontifices: & tamen in toto orbe vnus fuit semper Pontifex, at alieni vel ab omni Christi cultu, vel hæretici præfecti Christo cultū dantes aliquem toto orbe tot fuerunt, vt eorum numerus iniri non possit. Quot igitur partibus nos alijs simus constantiores in veritate cōmuni tutanda, mente comprehendi non potest. Papæ verò Martyres sunt viginti septem.

V. *Quin quā cunctæ gētes ab orbis exordio*

Quid plura? Signo de vna fide ostendimus, cunctos hæreticos, & hæreticorum principes desciuisse à suis decretis, quæ ipsimet promulgarint ac sanxerint veluti oracula diuina. Atque hæretici ijdem non poterunt proferre vel vnum Pontificem Romanum, qui discesserit vel ab vnius rei veritate, quę sit communis nobis cum hęreticis, & qua conueniamus cum illis. quilibet itaq; Pontifex, quicumque ille sit (sumatur flagitiosior) veritatis tamen est amantior, ac studiosior, quàm cuncti hæreticorum principes, siue hæresiarchæ, qualis Luther⁹, Caluinus inter Protestantes, inter Græcos autem siue Photius, siue Michaël Patriarcha Constantinopolitanus, qui primus Monomacho imperante nos est ausus excommunicare, mox autem resipuit, & à semetipso discessit, vt è Sigiberto & litteris Leonis Noni apparet. Et hæresiarchæ sanè omnes, antea quam laberentur in hæresim, fuerunt ex Ecclesia nostra, & in nostra decreta conuenerunt, deinde illa contempserunt; ergo in ijs, quæ sunt omnium maxima, vel ante, vel postea necessariò mendaces. Id de nullo Papa affirmari potest.

VI. *Quiuis Pontifex Rom. quicumq; sit, veracior, quàm cuncti hæresiarchæ simul.* Quiuis Papa & catholicus, vel leuissimus veracior cunctis hæreticis.

Siue igitur spectes hæresiarcharum inconstantiam in proprijs ipsorum decretis retinendis, siue in communibus quæ prius vnà cum nobis tuebantur, necesse est dicamus quemlibet Papam cunctis illis veraciorem. quin Catholicum quemlibet, vel infimum, leuissimumq;, & flagitiosissimum. Catholici namq; haud desciscunt ab Ecclesiæ decretis, nisi siquis forsan aliquando lapsus in hæresim, mox agnito mendacio restituit se nobis, & Ecclesiæ Catholicę, qua in re mendax, non qua parte Catholicus est, sed qua parte à nobis sese abalienauit, & hæreticus fuit.

VII. *Quiuis Catholicus veracior cunctis hæresiarchis.*

VIII. *Hæreticis nihil indubitatum, ergo omnes mendaces. Veritas namque indubitata.*

Sed ex alijs necesse est dicamus hæreticos esse mendaces. Cuncti namque fuerunt in Ecclesia nostra, & ab illa discesserunt, quòd dicerent Ecclesiam Dei in mendacia lapsam: ergo fatentur Ecclesiam, quæ Dei sit, in mendacium ruere posse. Id si ita est, & eorum cætus, quem volunt esse ex Ecclesia Dei, potest se inuoluere falsitati. Non igitur quidquam potest esse apud illos indubitatũ & clarum. Atqui pro indubitatis, & claris venditant sua placita. Necesse est itaque dicamus ipsos mendaces. Amplius opus est asseramus ipsos haud posse stare in veritate, quòd ignorent indubitatam veritatem, cui certò innitãtur, & in qua immobiliter consistant.

IX. *Soli Catholici cunctas hæreses & aliarum gentium aperta mendacia confutarunt & cõfutant.*

Rursus autem Catholicis esse infixam cordi veritatem, vel ex eo constat, quòd soli nos omnes hæreticos inter se dissidentes, atque idcirco necessario mendaces, (veritas namque haud sibi dissona (profligauimus ab ipso exordio Ecclesiæ nascentis, vt è signo de hæresum confutatione apparet. Præterea verò soli nos innumerarum gentium falsas & innumeras superstitiones exterminauimus hucusque & exterminamus, cùm nos soli hactenus gentes ad Christum colendum perduxerimus, ac perducamus, vt signis de fidei propagatione liquet. Quin vbi ex aliqua regione per hæreticos est eiecta nostra Ecclesiæ Catholicæ religio, vel in eam protinus innumeræ hæreses inter se contrariæ irruperunt, atque ob id falsitas necessariò irrupit, vt nunc Germaniæ contingit, vel etiam Barbari, & efferi populi, qui cultum Christi omnem tollunt.

X. *Quia nos soli multiplicia gentiũ mendacia tollimus, eas ad vnum Christi cultum perducentes.*

XI. *Quia multiplicantur mẽdacia vbi nos haud sumus propter hæreses diuersas.*

Quocirca è tribus omninò colligitur esse nobiscum veritatem. Primò, quòd nos soli omnes hæresum falsitates apertas, vel ipsis hæreticis fatentibus, qui contendunt esse mendaces, quicumque hæretici dissident ab ipsis, confutauimus. Id autem solius est veritatis munus. Secundò, soli nos hucusque sustulimus, ac tollimus adhuc, quæ sunt aperta mendacia gentium, quę ab omni Christi cultu fuerunt alienæ. Non enim possunt hæretici negare, falsa sentire tot Indos, Orientales, & Occidentales, qui per nostros Christo conciliantur. Tertiò, vndè nos expellimur, ibi mendacia, quæ negari non possunt esse mendacia, mirabiliter & abundantissimè scatent, & ebulliunt, vt clarissimè conspicimus in Germania, & Septentrione toto, quibus in locis innumeræ sectę inter se contrariæ, ac proinde veritati, quæ vna est, repugnantes, quotidiè germinant. Quin

plures

plures in ijs terris sunt hæreses, quàm capita, cùm quilibet modò hoc, modò illud de religione sentiat, & singulis horis in contrarias partes immutetur, & immutari sit paratus, atque ideò infinitis partibus sint plura mendacia, quã homines. Quomodo igitur haud nobiscum veritas, quibus considētibus aliquo in loco mendacia diminuuntur, quibus abscedentibus multiplicantur? Enimuerò si veritas est quædam lux, mendacium tenebræ; illa illucescente tenebræ imminuuntur, abeunte densantur, atque ingeminantur. Igitur nobis lux est, nobis veritas est, vel etiam falsus Christus, qui dicit se venisse in hunc mundum, vt testimonium perhibeat veritati, & per quem data est veritas. Nam si Christus non est nobiscum, sed cum aliquo hæreticorum cœtu, quomodo Christus illum cœtum illuminat, quomodo illi perhibet testimonium, cùm sinat vndiq; tenebris obtegi, ac sepeliri, & vbi sinit caliginē nebulasq; omnes vndiq; offundi, vndiq; immitti? Hoc nō est testimoniũ perhibere: nã testimoniũ veluti apertius argumentũ profert in lucē, quod in profundo est demersum, atque idcirco testimoniũ affert secum veritatē, & clarius est illa veritate inuoluta inter alios. Atqui, vt apparet, inter eos, qui nobis aduersantur, innumeræ erũpunt sectæ inter se pugnantes, ac proinde mēdaces, atq; ita nox altissima & tenebricosissima, quæ numquam pellitur, nisi redeũtibus nobis. Ostendimus enim signo de reparatione & interitu fidei, per nostros fieri vt Christi cultus reparetur in ijs locis, è quibus fuerat ab impijs, & præcipuum Christi cultũ detestantibus, quales Mahometani, exterminatus propter hæreses ibi superantes.

XII. *A studiosa inspectione Veritatis in decretis fidei credendis.*

Vt autem cuncti fateantur, Catholicos esse præ cunctis amatores veritatis, illud est obseruandũ, neminē compelli in Ecclesia Catholica vt credat aliquid esse omninò verũ, nisi in illud consentiant veluti certũ è qualibet natione cognita quicũq; in eãdem doctrinam conspirant. Nam cùm sola Ecclesia Catholica ex omnibus gentibus notis habeat aliquos sibi obsequentes, in ea nemo credere potest, nisi quod audit veluti indubitatum recipi à cunctis, qui repugnantia nō asserũt. Nulla verò gens à nobis aliena, siue hæretica sit, siue Christiani nominis inimica, hoc sibi potest arrogare, vt habeat aliquos ex omni cognita natione in eãdem omniũ decretorum factorũ faciendorúmve legē consentiētes. Quis verò negabit facilius aberrare à vero posse,

ac veritatis maius incurrere periculum, qui paucioribus credet, q̃ qui multis, vbi pauciores illi non in eamdẽ sententiã conspirant, vti erant antiqui oẽs cõtraria & incerta de Deo sentiẽtes: contrà aũt, vbi multi sunt inter se, fueruntq́; (hoc menti tenendum) semper concordes in omnibus, actis & agendis per cuncta sæcula, conflanturq́; ex omni natione, ita vt tollatur omnis suspicio naturalis, & indiligentis procliuitatis, qua quis gentibus suis, & ex eadem natione prognatis adsentitur potiùs, quamuis falsa dicant, quàm extraneis. Ecclesiam porrò nostram solam ex omnibus in eamdem sententiam decretorum decernendorumq́; conuenientibus esse compositam docuimus signo de Ecclesia Catholica. In ea verò spectari quod ab omnibus credatur, diximus signo de auditu. Demonstrat igitur, quod explicauimus, nos esse veritatis maximè studiosos.

XIII. *A disputationibus & decretis vniuersalium conciliorum.*

Huic illud affine, quòd siquid in dubiũ reuocatur à contumacibus, vniuersalia concilia conuocantur, ad illa accedunt ex omni natione Episcopi, ac doctissimi quiq́; q̃ precibus adhibitis, accuratis habitis disputationibus de rebus propositis disceptant, ac tum demum decernitur quid sequendum veluti verũ. Hoc nulla vnquam gens, nullus mortalium cœtus egit ad inquirendam veritatem, vt signo de concilijs vniuersalibus ostendimus. Ergo nos præ cunctis veritatẽ disquirimus, perscrutamur, discutimus, nequis scilicet error admittatur. Ab his porrò vniuersalium Conciliorum sanctionibus, in ijs, quæ pertinent ad fidem, vt nos loquimur, id est in ijs, quæ sunt æternæ veritatis, nemini licet recedere, neq́; Pontifici summo, vbi illa semel sunt approbata. Cui soli est hæc potestas, ambiguitates explicare, quòd fieri non possit, vt è toto orbe Catholico semper Episcopi cõuocentur. Non solet aũt Pontifex Romanus quidquam lege lata, vt credatur, edicere, ac statuere, nisi doctissimis ac sapientissimis viris ad consilium accersitis.

XIV. *A deliberatis decretis P. R. in ambiguitatibus sol.*

XV. *A Quotidianis precibus, vt Ecclesia Catholica sit in veritate.*

Iam verò ne quid ad veritatis stabilimentum desit, cùm toto orbe terrarum nulla sit celebrior regio, in qua nostrorum non sit aliquis, ac sacratissima Missa celebretur, institutũ est vt quiuis sacerdos roget Deũ, quo Papã simul & Ecclesiã regat, nequid labis in fidei doctrina cõtrahatur. Sicq́; diuini præsidij perpetua imploratio ad veritatis tuitionẽ toto orbe nobis adest in omni notiori regione: quod nulli cœtui, nulli populo adest. atq́; idcirco consonũ rationi est nos non modò veritatis maximos esse amatores, sed

etiam

etiã Doctores. Huc accedunt tot gymnasia, & monasteria toto orbe disseminata, in quib. de rebus diuinis, rerumq; cœlestiũ doctrina pertractatur à nostris, vt nulla vnq̃ gens tantũ studij posuerit in addiscẽdis ac docẽdis humanarum diuinarumq; rerum doctrinis, quantũ videmus positum semper à Catholicis fuisse; quod signo de peritia Catholicorum liquet. Quid igitur humani, aut quid diuini est à nostris omissum ad veritatis agnitionem & tuitionem?

XVI. *Ab innumeris gymnasijs.*

Neq; verò nostri pati potuerunt, vt vel leuissimum momẽtaneumq; signum daretur aduersus veritatem, ne quid illius candori & puritati labeculæ adspergeretur, etiamsi mors appetenda esset. Hinc illi quadraginta Martyres noluerunt e frigido, ac rigenti stagno egredi, & in tepidum balneum prosilire, quamuis mirificè torquerentur; quòd dictum fuisset ipsis, hoc signum fore proditæ veritatis, ac desertæ religionis, vt S. Basilius narrat. eodem modo Barlaam noluit manum super ardentes prunas alligatam inuertere, quòd impositum manui thus ardens fuisset, quod illa inuersione declararetur, ab illo thus impijs Dijs offerri: síuit manum potiùs aduri. Sic etiam nullis Catholicis licet vllum signum ferre, quo censeri certò possit non esse ex Ecclesia Catholica.

XVII. *Ab aperta professione haud negatæ veritatis.*

Deniq;, vt omnes sciant quanti fiat à Catholicis veritas, non modò aduersus religionem haud fas est mentiri, sed neq; etiam pro religione. Quocirca etiamsi sciam mendacio me promoturum maximè rem Christianam, tamen id non licet, *Deus*, enim, Iob ait, *mendacijs nostris non eget* sic quamuis credam me plurimis, grauissimisque in rebus amico commodaturum, siquid falsum dicam, meque funestissima ab illa pericula auersurum, tamen per nostram religionem non licet. datur sanè inuolutis verbis, & ambiguis, aliquando iustis de causis, nisi tamen Catholica pietas in certamen, & contemptum veniat, obtegere veritatem: exempli gratia, vt discrimen aliquod quandam vitæ, vt amicos innocentesq; ex illo aut simili eximam, aut aliquod non leue transigam. Non datur autem, vt diximus, inuolucris vllis & ambiguis sententijs vti, cùm interrogor de Catholica veritate ab aliquo inimica mente, vt palam fiat, sim necne Catholicus, nisi aperta irrisione iam tum detegenda impijs illudere velim, eosq; contemptui propter hoc obijcere. Sic, vt nos scribimus, tradit, officiosa scilicet mendacia non esse licita, Augustinus libris

XVIII.

duobus contra Cresconium, quem Latini oẽs meritò sequuntur; & Innocẽtius Tertius diffinit: quamuis Plato inter antiquos melioris notæ vir, libro tertio de Rep. secus velit. Ex his igitur omnibus liquet cunctis Catholicos præstare in veritate inquirenda ex vnanimi omnium gentiũ Catholicarum in omnia decreta facta à maioribus, & facienda, conspirantium consensu, in veritate discutienda per disputationes, quæ in Cõcilijs vniuersalibus à doctissimis viris habentur, statuenda per omnium gentium Catholicarum Episcopos ad vniuersalia Concilia accersitos, significanda per puræ neque inuolutę veritatis explicationem, defendenda scriptis aduersus omnes omnium ætatũ hæreticos libris, testificanda perenni sanguinis ac vitæ effusione, edocenda per viros sapientissimos in tot monastetijs gymnasijsque toto orbe diffusis, disseminanda inter exteras gentes ad Christi cultum stabiliendum, propagandumque, sarta tectaque tuenda ab omni mendacij cuiuslibet labecula: quę omnia pertinent ad veritatis virtutem, ad eamque reducuntur. Quæ sanè sic absunt ab alijs, vt gentes, quæ de Dijs tradebant, non nisi fabulis, ac nefandissimis flagitijs fœdata edocerent; hæreticis verò præcipuis, vt Gręcis, & Protestãtibus, fuerint magistri primarij, quib⁹ magister erat pater mẽdacij Diabolus, vt ex ipsorum scriptis ostendimus signo de vnanimi doctorum consensu. Ac Photius sanè primus auctor dissidij inter nos ac Græcos non nisi falsis machinationibus impulit illos in Latinos, vt ex antiquis monumentis disertissimè descripsit sanctus Antoninus. Lutherus autem mendacijs adeò scatuit, vt Ioannes Dietenbergius conuicerit eum in duabus confutationibus octingentorum septuaginta quatuor mendaciorum, quod in historia anni millesimi quingentesimi vigesimi tertij Surius adnotauit. Iam verò hæreticos omnes olim mẽdacijs semper innixos aduersus nos arma mouisse, ac nulla alia re pugnasse constat ex omnibus historijs præcipuè verò ex actis Conciliorum.

Cap. 3. de Vsuris.

SIGNVM QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Amicitia.

Amicitiæ incredibilis efficacitas inter nostros existentis osten dit nos esse ex Ecclesia Dei, cæteros ab illa longè remotos esse.

CAP. VI.

AMicitia videtur esse inter eos, qui non sunt valde inæquales. Maioribus enim pietas, obseruantia, & obedientia debetur. Sed quando inter Christianos est illud à Christo dictũ, *Iam non dicã vos seruos, sed amicos*, & à Paulo, *Superiores inuicẽ arbitrantes in timo re Christi, & humilitatẽ inuicem insinuate*: quamuis aliquis sit inter illos omnium ma ximus & dignitate, & potestate, tamen is ob hæc necesse est quodam modo se demittat, & alijs communicet, neque se efferat nimis, & extollat, ita vt inter omnes amicitię quæ dam vis ac pars existere possit. Tanta porrò hæc inter Chri stianos est reuera, atque esse debet, vt amicitiæ nomen in ter eos abierit in fraternitatem, quasi ament inter se, & amare sint obligati, vti fratres: de qua Paulus, *Caritatem frater nitatis inuicem diligentes*, & mox, *Benedicite persequentibus vos, be nedicite, & nolite maledicere, gaudete cum gaudentibus, flete cum flētibus*. & alibi, *De caritate fraternitatis nõ necesse habemus scribe re vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem*. & rursus, *Caritas fraternitatis maneat in vobis*. Petrus autem sic ad Christianos, *Omnes honorate, fraternitatem diligite*. & rursus, *In fide omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miseri cordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledi ctum pro maledicto, sed è contrario* & alibi. *Ministrate in pietate amoris fraternitatem, in amore autem fraternitatis caritatem*. Hæc Apostolorum Principes à Christo edocti, qui nos iussit pronunciare illud, *Pater noster qui es in cælis*, quasi omnes vnius Patris Dei filij simus. Quocirca & olim Christiani inter se fratres appellabant, quod testantur Iustinus in oratione ad Antoninum, Minutius in Octauio, Athenagoras in oratione pro Christianis, Tertullianus in Apologia. Nam cùm sint amicorum quodammodo omnia communia, vt Græco prouerbio est diuulgatum, hoc autem maximè elucescat inter fratres eidem Patri subiectos, ideo Christiani fratrum nomine in primis insigniti. Ac non nisi diuini numinis consilio factum, vt Catholici omnes sint Romani Pontifici subiecti, atq; is vocetur Papa, id est

Rom. 12.

1. Thess. 4.

Heb. 13.

1. Pet. 2. 3.

2. Pet 1.

vt signo de humilitate ostendimus, Pater; quòd nos scilicet Catholici simus inter nos fratres, vni Patri summum Patrem Christum Deumq; referenti omnes subiecti. Non igitur malè vocant impij Catholicos Papistas, quasi ab eodem Patre Deo per Papam, qui sustinet in terris eius personam, natos. Conuenit enim Papæ, quod de se Paulus aiebat, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis formetur Christus.* & alibi, *Etsi multos Pædagogos habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Euangelio ego vos genui per Christum.* ostendimus namq; solos Papistas esse in terris, qui gentes exteras perducunt ad Christi cultum, signis de fidei propagatione. Veluti igitur Papa pater, sic ipsi Papistæ soli Patres in Christo, quia soli Christo filios gignunt.

I. Argumen. à lege innocentiæ.

Illud autem commendare primo loco potest amicitiam Catholicorũ, quòd cùm maxima sit inter eos caritas, quod signo de caritate ostendimus, illa verò in primis animi studium respiciat, atq; ob id amicitiæ munus in signis conspicuis præcipuè sit positum, sic quemadmodum non possunt Catholici propter caritatis iura velle alicui malum præter iustitiæ communis placita, sic neq; procurare vel minimo verbo, ac nutu, etiamsi impunè id fieret; alioquin si in eo persistant, excommunicantur, vbi de graui re agitur, ab Ecclesia fiunt extorres, neq; possunt à sacerdotibus absolui. Et quidem cuncti sapientes voluerunt, cuncti legumlatores statuerunt, nequis alicui præter fas malum cuperet, aut aliquo modo moliretur; sed impunè id fiebat, si quidem saltem posset occultari: at Christianis Catholicis, etiamsi cunctos lateat, id non abit inultum per sacerdotes, quibus opus est nostra crimina confiteamur: & quamuis horum iudicia sint omnib9 operta; quod tamen pœnæ potuit in malos sua scelera occultantes irrogari, id à nobis est constitutum, vt scilicet admissi flagitij reus intimo quodam timoris & conscientiæ cruciamento torqueatur, non modò quòd peccauit (hoc namque illi commune cum cæteris omnibus) sed etiam quia non meretur absolui à sacerdote, quod omnes alioquin mereri & consequi videt. Atque ita cùm non possent aliter mulrari nocentes, quò saltem supplicij alicuius formidine à malo absterrerentur, hoc occulto castigantur. Alius fingi non potest. Tantam porrò nostri inter nos esse amicitiæ colligationem voluerunt, vt nemini liceat salutationes

II Ab excipiendis ac reddendis salutationibus.

Chri-

Christiani non excipere, ac nutu saltem reddere, aut non auersari per indignationem: alioquin neq; is absolui potest. Ac ne cui hęc parua videãtur, is sciat, quòd si à nostris hæc parua curantur, magnis criminibus esse locus non potest. Idcirco siquis aliquem læserit quàm maximè, abstulerit illi quidquid est bonorum; si tamen veniam petat, & quod eripuit, modò possit, restituere sit paratus, ei necesse est a læso erratum condonetur, ac loco amici censeatur, neq; amicorum signa illi negẽtur. Hinc priscis temporibus salutabant se Christiani in Missarum celebratione osculo sancto; qui mos, ne quis forsan illo abuteretur, ita sublatus est, vt tamen effigiem Christi in tabella depicti soleat in Missis solennibus deosculaturis omnibus offerri, vt sic in Christo mutuis omnes osculis coniungamur, spiritusque cuiuslibet in alterius quodammodo spiritum se insinuet, & quod antiqui aiebant; contingat vt Christianis singulis sua quidem sint corpora, sit tamen spiritus cunctis vnus, qua fieri potest.

III. *A necessaria delictorum cõdonatione.*

Hinc illud grauissimum, vt Catholicis omnibus sit hæc mens, qua parati sint credere non modò quæcumque statuta sunt ab vniuersitatis personam sustinẽtibus Episcopis sed quæcumq; in posterum statuentur, parati præterea efficere, quæcumque mandabuntur: quæ sanè est animorum conglutinatio maxima & admirabilis coëuntiũ in diuinum & inexcogitabile amicitiæ vinculum, quo plura, & omnia Catholicorum corpora in vnum spiritum copulantur connectenda in vnum Christi corpus per Eucharistiæ sacramentum. Atque hæ sunt, de quibus toto hoc opere tractamus, coniunctiones omninò diuinæ, ad quas adumbrandas neque philosophi acumine ingenij sui peruenire valuerunt. Atque hinc profectum, vt maior inter Catholicos populos pax semper effloruerit, quàm inter quasuis nationes & Reges, quod tum signo de pace explicamus, tum constabit è subiectis. Amplius autem contigit, vt solis Catholicis contigerit vniuersalia concilia celebrare, in quibus conuenerint non modò Episcopi è quauis peruij orbis gente, sed præterea conuenerint in vnam doctrinam, eamque consonam maiorum decretis. Græci olim conuentus suos publicos agebant ante imperium Romanorum, idem factitasse dicuntur aliquando AEgyptij, Galli, & Persæ; sed neq; in ijs publicis conuentibus locus erat alijs nationibus, vnius erat dumtaxat cœtus nationis;

IV. *Ab vna fidei & obediẽtiæ coniũctione.*

Admirabiles, diuinique amicitiæ Catholicæ progressus.

V. *A summa Catholicorũ pace.*

VI. *A fide Catholica.*

Amplius autem non conspirabant ad idem credendum, decretaq; eadem agendorum sancienda, neq; lex ijs prescripta in æternæ veritatis constitutionibus, vt maiorum suorum sententias tuerentur. Quocirca amicitia Catholicorum tanta est, vt complectatur omnes gentes, omnia sæcula vinculo eiusdem mentis arctissimo, influentibus eadem mente singulis in singulorum corpora mirabili, vt apparet, quodam modo: maximè igitur ad nos pertinet, quod aiebat Cicero his verbis, *Amicitiæ vis sit in eo, vt vnus quasi animus fiat ex pluribus.* hæc ille. quocirca aduersus hæreticos subinde varia & contrariè sentientes vtemur eiusdem sententia sic dicentis. *Qui fieri poterit, si ne in vno quidem quoque vnus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex, in eo sit amicitia.* Hæc Cicero, è cuius verbis necessariò dicemus, eos, qui sibi dissident, quales cuncti à nobis alieni, amicitiam colere haud posse. Sed ne in tanta connexione fiat confusio, & quasi in rudem quandã informemq; massam cuncti redigamur necesse est rerum dignitatumq; sit distinctio coniunctissima. Admirare igitur primam cõiunctionem, gradumq; distinctionis.

VII. *A religiosorũ cœtibus, quibus omnia communia.*

In Ecclesia namque sunt plurimi religiosorum cœtus, quibus fundi. & eorum fructus sunt cõmunes, idem viuendi vestiendiq; genus ijs, quasi vnam inhabitantes domũ, cùm sint innumeri, toto sunt orbe dispersi. Hi fratres vocantur, ob eam, quam suprà attulimus, causam. Tanta verò istorum copia, vt eorum numerus iniri non possit. his verè, quod antiqui iactabant de amicis, omnia communia, quæcumq; haud absurdè esse possunt. Sed alia est adhuc Catholicis communio quoad prædia, & fructus eorum, & alia huiusmodi. Plurima namq; in toto orbe Catholico sunt bona, quæ beneficia vocantur, quæ nullo iure hæreditario vel contractu deferuntur ad alios, sed per Ecclesiasticos Præsules iuxta legum sanctiones clericis assignantur: quocirca nemini non in orbe Catholico, si clericus sit, & alioquin dignus, ius est aliquod ista prædia. Necesse est namq; inter clericos distribuantur, & vix est, vt dignus aliquando ad aliqđ ad eorũ non admittatur. Cùm sint igitur omnia amicorum communia, & hæc sit quædã communio bonorum in toto orbe Catholico, hinc apparet inter Catholicos illud, quod amicorum est maximè proprium, vt eis sint omnia communia, magis seruari, quando huiusmodi bona ad quosuis sui generis pertinere pos-

VIII. *A prædiorũ quæ beneficia vocãtur, communione.*

possunt, quàm populis illis, quibus hæc vocata beneficia nulla sunt, quales hæretici omnes, & à nobis alieni. Quam obrem si verum est illud, quod verissimum iudicamus, ac nemo diffiteri potest, quod aiebat Tullius, Solem è mũdo tollere, qui tollunt amicitiam, meritò hæretici, qui sacrilegas manus in Ecclesiastica bona iniecerunt, & quæ cũctis erant communia iure quodam, sua fecerũt, fundamenta amicitiæ, vel effecta maxima excindunt.

Sicut autem communia sunt quodammodo hæc bona, non modò quòd non hæreditario iure, aut emptione, pactionéve vlla dentur, sed pro meritis, ac dignitate, quantũ fieri potest; sic Ecclesiasticæ dignitates eodem modo: ad illas enim nemo iure contractus vllius aut successionis per leges vocatur, sed vt cuiusq; est integra vita, pietas cognita & vsus rerum ad munus illud necessarius, ad quod quisq; prouchitur. Quod igitur amicitiæ ius exigit, vt amicorum communia sint omnia, in communi positæ sunt Antistitũ Præsulumq; Ecclesiasticorum dignitates, neq; pacto, neq; hæreditatis iure distribuendæ. Atq; horum sanè in Ecclesia Dei primus locus. Non enim Christus in Ecclesia sua Principes, Reges, Imperatorésve vllos præfecit; sed Spiritus sanctus, inquit Paulus, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

IX. Propter communionem Ecclesiasticarum dignitatum.

Illud præterea maximè hanc amicitiæ communionem in Ecclesia commendat, quòd sanctissimus Pontificatus, in quo sunt vniuersa Ecclesiæ fundamenta, positus est in communi, ad illum quiuis adsumi potest, & videmus quotidiè vel infimo sortis homines reuera adsumi. Viden' igitur maximam in Ecclesia communionem animorum, bonorum, honorum, quantum fieri potest? Igitur in Ecclesia virtus amicitiæ magis ad summum venit, quàm in quouis mortalium cœtu. Sed audi adhuc, quod sumus dicturi. Haud licet clericis è beneficiorum fructibus se suósve locupletare, sed ex quo ijs suam & suorum dignitatem statui, in quo est, conuenientem tutatus est, quod reliquum est, necesse est pauperibus largiatur, aut in opera pia expendat, atque ita in commune conferat: & quamuis nonnulli haud seruent hoc, magis tamen id seruatur, ac fit, quàm si non essent hæc beneficia Ecclesiastica. Patet hoc, quia pleraq; templa, & loca pia, vt monasteria, hospitalia, ab Ecclesiasticis sunt exstructa, ab illis certè sarta tecta conseruantur, & ornantur. Totius rei sit illud argumen-

X. Propter Papatum in cõmuni positũ, ad quem quilibet eligi potest.

XI. A distributione fructuũ beneficialiũ in commune facienda ex eo quod super est.

tum clarissimum, quòd Parisijs sunt sexaginta duo collegia, in quibus aluntur plurimi egentes, vt bonas litteras addiscere possint, illa verò ab Ecclesiasticis omnia fundata; vt Genebrardus in chronico suo adnotauit.

XII.
Quia Pont. Max. omniũ maximè amicitiam seruauit: quia communionem fidei vnius maximè seruauit.

Atq; vt magis rem teneamus, Apparet è superioribus à Præsulibus, clericis, monachis propter hanc bonorum maiorem minorémve inter ipsos communionem, maiorem certè quàm sit inter laicos magis, iura amicitiæ conseruari. Nunc aperiamus à Pontifice maximo, vti decet, omnium maximè hoc ius amicitiæ seruari propter multa. In primis enim, cùm mentes Catholicorum coniungantur inter se per omne sæculum fidei vnius vinculo, quo cõspirant in omnia decreta facta & facienda, Pontifex Romanus id ante omnes præstitit: nullus namque Pontifex Pontifex aut hæreticus fuit, aut hæresim constituit, vt signo de prudentia, capite de Priuilegijs Romanæ sedis ostendimus. id nulli sedi ex antiquioribus contigit. Præterea Pontifex Romanus omnium maximè semper studuit vt concilia vniuersalia congregarentur, quo cunctę nationes in vnam fidem conuenirẽt. denique solus ipse hanc fidem præ cunctis confirmauit, omnibus ijs modis, quos enumerauimus signo de fidei confirmatione. Idcirco nulla sedes tot martyres dedit, qui pro hac fide conseruanda vitam ponerent, quot Romana, nullius vrbis Episcopi tot ac tanta passi, quot Episcopi vrbis Romæ ab Imperatoribus & impijs Regibus pro vnanimi hoc Catholicorum consensu tuendo, quot sunt passi, & patiuntur adhuc, vti semper passi sunt, onera calumniarum, laborum, curarumq; grauissimarum.

XIII.
Pont. Max. communionẽ bonorũ Eccl. cunctis seruauit.

Quantum porrò ad bona, idem dicendum: nam sæpè necesse Pontificibus Romanis fuit pericula acerbissima subire, ærumnas incurrere, calamitatibus premi, afflictionibus impiorum vexari, dum qualemcumq; hanc amicitiæ communionem pertingentem ad bona Ecclesiastica tutatur aduersus Imperatores, Reges, ac Principes prophanos in prædia sacra inuolantes, aut iura Ecclesiastica imminuentes. Ac nullum propè est regnum, nullus principatus, vnde magna ob hoc in Pontificem Romanum bella non sint excitata: ea nos ostendimus signis de progressu sacræ Potestatis, studio Romani Pontificis in conseruando Imperio Occidentali, & Orientali, pœnisque in Catholicos contumaces. Manifestissimo namque experimento deprehen-

henditur breui non esse amplius hæc bona communia, vbi prophani principes in illa inuadunt. Adhuc ex alio colligitur, quod tractamus. Cùm multæ sint in orbe Catholico regiones omnium magis Italia Pontifici Romano subiecta. At si oculos mentis conuertas ad cætera loca extra Italiam, videbis Ecclesiastica bona nullo propè modo extraneis communicari. In Italia secus. Quin in vrbe Roma videas ex omni natione esse aliquos, quibus aliquid ex Ecclesiasticis bonis in Italia communicatum sit aliquo modo, Græcis, Syris, AEthiopibus, Afris, Hispanis, Anglis, Scotis, Germanis, Gallis, Bohemis, Polonis, Hungaris, Suecis, Gotthis, Danis, Illyricis.

XIV. *Dignitates summas extraneis solus Pontifex curauit communicari.*

Ac sicut hanc amicitiæ coniunctionem tutatus est Pontifex Romanus in animis & bonis supra omnes, sic similiter in honoribus. Idcirco in Italia videas cuiusuis propè celebrioris inter Catholicos nationis Episcopos. similiter Episcoporum iura aduersus Imperatores ac Reges præ cũctis defendit, Cardinalatusq; dignitatem cunctis communicauit. Ipse summus deniq; Pontificatus cũctis patuit semper, ac patet: è Syris enim, Græcis, Afris, Dalmatis, Germanis, Gallis, Anglis, Hispanis aliquot Pontifices numerantur ac nostra propè ætate Hadrianus Sextus Germanicæ nationis fuit.

XV. *Solus Pont. ordines militares ad has amicitiæ coniunctiones seruandas, ac solus eos conseruauit.*

Hanc porrò triplicem coniunctionem mentium, bonorum, & dignitatum vt tutaretur præ cunctis Pontifex Romanus omnibus modis, omnium primus instituit ordines militum religiosos, qui à cæteris rerum familiarum curis expediti Remp. Christianam tam mirabili amicitiæ vinculo connexam tutarentur aduersus eos, qui dissoluere illam vellent; ac sicut eos primus instituit, sic solus præ cunctis conseruauit. Hierosolymitanorum namque militum ordo ab Italis institutus, vt signo de studio Romani Pontificis in conseruandis imperijs, ac regnis explicauimus, omnium maximè Pontifici Romano subiectus exstitit semper, quòd non consederit intra alterius regni Catholici confinia; is solus, vt apparet, nunc floret, & suas in Christianæ religionis hostes quotannis expeditiones adornat. Ordo Theutonicorum per impietatem summam propè funditus à Lutheranis est excisus, per quem scimus Christo, imperioque Germanico Prussiam, Liuoniamque acquisitam. Templariorum verò ordinem, qui in Gallijs sedes habebat, malis artibus Philippi

Pulchri Galliarum regis scimus euersum. Aliorum porrò multorum, qui vigebant in Hispania, nullus est aduersus Christiani nominis hostes fructus, nulla expeditio: quin Reges effecerunt, ac peruicerunt, vt Pontifex Romanus traderet ipsis eorum gubernationem, & militibus illis fas esset vxores ducere, rebusq; vxorijs ac familiaribus operam dare. Hierosolymitanorum solus ordo perstitit, quòd omnium maximè in Pontificis potestate esset; & qui solus ab Italis institutus, cunctis tamen nationibus patuit semper, quòd scilicet Pontifici Romano curæ sit, vt hæc mentium coniunctio, bonorum, & dignitatum per istos etiam defenderetur. Quid igitur latrant impij aduersus Pontifices Romanos, quod in Remp. Christianam maximè peccent. Peccare illi quidem possunt non in vniuersalibus fidei morumq; legibus sanciendis, sed in alijs, idq; haud diffitemur. Homines sunt, verùm minimè omnium, quod apertissimè constat, illi peccant.

XVI. *Quia matrimonia dissolui haud possunt.*

Sed ne quid omittatur, est & alia communio iura nobilissimæ amicitiæ inter Catholicos attingens. Illa verò est non modò mentium, bonorum, & honorum, sed etiã corporum. Nam cùm diuortia passim, vel nullis, vel leuibus de causis permittantur ab hereticis, vt scimus; tantæ fœdus amicitiæ inter nos Deus voluit esse indissolubile. laxo nãque amoris illi vinculo adstringuntur, quibus fas illud aliquando disrumpere. ob hanc causam Pontifex Romanus haud extimuit excommunicare Imperatores Regesq; potentissimos vel in difficillimis temporibus. Nam scimus à Nicolao Magno excommunicatum ob id Imperatorem Lotharium: similiter, vt vult Trithemius, à Ioanne XXII. est excommunicatus Ludouicus Bauarus, qui falsò prætextu fœminam, quam suo filio collocare ob principatus quosdam volebat in matrimonio, abduxit à legitimo viro, quod nos signo de studio Romani Pontificis in conseruando Germaniæ Imperio explicauimus. Ab Vrbano item Secundo Philippum Primum Galliarum Regem, denique à Clemente Septimo Henricum Octauum Angliæ Regem ex Ecclesiæ cœtu depulsum scimus. Talis igitur alia communio, quæ ad Amicitiæ qualiscumq; virtutem referri potest; ipsorummet corporum inter coniuges, quorum nemini licet corporis sui copiam negare alteri volenti; vt nostris legibus cauetur.

XVII.

Sed adhuc ad amorem conglutinandum inter nos est ad

admirabilis alia communicatio malorum, bonorumque omnium ad animi nostri vitia & virtutes spectantium: illa verò est, quòd quilibet Catholicus necesse habet singulis saltem annis semel omnia sua peccata, quibus à se Deum abalienauit, & rebus alijs postposuit, sacerdoti confiteri. Nam cùm sit amicorum communicare inter se bona malaq; omnia, intimos animi sensus, & cogitationes; neminem videas vmquam sic aperire amico vlli cunctos animi sui recessus, ac latebras, vt qui confitetur errata sua alicui. Ex hoc fit, vt multis, quibus est semper hac in re idem sacerdos, amor quidam mutuus innascatur, ad opem ferēdam, quando aliter haud possit, precibus, monitis, & consilijs: quod cum maximè contingat inter religiosos viros, videmus & experimur Romæ id potissimùm vsuuenire: & sanè nulla hac maior coniunctio fingi posse videtur: sed etsi ex huiusmodi sacrosancta consuetudine legibus inducta ad amorem diuinum inter mortales humanumque conciliandum nihil aliud certò communicaretur, illud sine dubio communicatur de sententia & voluntate Catholicorum, vt confitens particeps sit omnium meritorum Christi, & cælitum, quorum merita à Christi meritis emanant. Sacerdos enim cùm confitentem absoluerit, sic ait, *Paßio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali patieris, proficiat tibi ad remißionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmiū vitæ æternæ. Amē.* Ita sacerdos effatur. Per hæc verba, vt ostendemus, fit, vt propter efficacitatem sacramenti tum administrati diuinitus aliquo modo participetur à bene animato confitente, quidquid vmquam boni est actum à Catholicis toto orbe diffusis.

A communicatione suorū peccatorum per confeßionem.

XVIII.

Id quî contingat, explicemus, sextamq; hanc communionem, quam profitemur in symbolo, aperiamus; admirabilis namque est, supremumque in modum diuina; & quidem de ea locuti sumus in tertia regni coniunctione. Hic, quæ ad præsens argumentum spectant, explanemus. Quidquid agunt patiunturve Catholici in vniuersum, volunt id agere, ac pati, quantum fieri potest, eo quo Christus exemplo, ac modo. Is autem quidquid egit, ac passus, pro ijs potissimùm, quos vna fides simul coniungeret, egit, ac passus est; igitur & reliqui Catholici magis minúsve, quò magis minúsve Christo appropinquant. Insani namque est dicere, cùm simus vnum corpus omnes, singulos

esse vnum membrum, neque singulos propius longiusve ab illo abesse. Hinc igitur fit, vt cuncti omnia bona, malave nostra in vnum conferamus. Hæc admirabilissima communio diuinissimæ est caritatis, & amicitiæ. Cùm verò multis pœna debeatur ob delicta admissa, quæ non æqualiter singulis remittitur, quòd non omnes æqualiter accedamus ad Christum caput; neque æqualiter omnes, vt experimento videmus, ac stulti est non fateri, boni simus, cùm quidam sint adeò boni, vt Christum maximè referant; sicut Christi pœna, sic per Christum pœna illorum nostras pœnas expiat ac luit. Pontifex summus, tantæ communionis constitutus in terris Præfectus, & qui hanc totam, vt vidimus, communionem ex hisce sex compactam præ cæteris est semper tutatus, distribuit vltimę istius communionis, de qua nunc agimus, dona per indulgentiarum largitionem. Sacerdos autem quilibet aliquo modo per hæc verba distribuit, differtque à Pontificia in duobus. Primò, quòd non agit hoc extra confessionis sacramentum, at Pontifex, & Episcopus concedente Pontifice ex confessionis sacramentum hoc agunt. Secundò, sacerdos certam mensuram largitionis non designat, totam rem Deo respicienti confitentis dispositionem committit; sed Pontifex explicat certam mensuram. Est igitur hæc quasi simplex precatio sacerdotis concilians pænitenti dona communionis huius, non tamen omninò simplex precatio, sed adducens secum vim quamdam antecedentem sacramenti administrati, vt communicanti intima sua, cum summa admissorum criminum detestatione, summoque proposito obediendi diuinis præceptis, inuicem communicentur altissima sanctorum bona. Cùm sint itaque amicorum communia, vt est in vulgatissimo apud omnes prouerbio, quæ fingi potest, amplior, sublimiorque hac communione, quę in Ecclesia Catholica habetur absq; vlla graduum, dignitatumq; & meritorum confusione? Sed inspiciamus præterea admirabiles eius effectus.

Ad mirabiles effectus Christianæ communionis, & diuinæ amicitiæ.

CAP. VII.

XIX.
Ab æqualitate cunctis principibus communi.

DIximus inter æquales esse Amicitiam: erga maiores enim pietas, obseruantia, & obedientia existit. Idcirco, vt amicitiæ quædam species & effectus esset inter omnes; non enim dedignatus est ipse Christus vocare nos amicos, & fratres: Deus instituit in Ecclesia sua vt summi principes sese omninò demitterent, & quodammodo è celsitudine sua descēdentes alijs sese æquarent multis modis. Ac primò propter illā quā posuimus criminum condonationem, qua necesse est quilibet nihil velit, aut efficiat præter iura scripta, & recepta in eos, qui fuerint in principes iniurij. Secundò, quia nihil possunt credere iustum, vel iniustum, falsum aut verum, nisi quod ab Ecclesia tota fuerit constitutum, cuius decretis ritè à summo Pontifice confirmatis quilibet, vel ipse summus Pontifex obligatur. Tertiò, quia quilibet potest ad summos Ecclesię gradus peruenire, vt presbyteratus, episcopatus, pontificatus. Quartò, quia necesse est singuli agnoscant sua delicta, & saltem quotannis ea confiteantur sacerdoti, è qua agnitione & confessione tumentes animi deprimuntur, & qui sint, ipsi ex semetipsis colligunt. Quintò, quia vel summus Pontifex hac in re oportet abijciat se se ad pedes infimi sacerdotis, dum sua peccata detestatur. Sextò, quia dum sæpiùs in die cælestes honores damus ijs, qui sortis infimæ, sed supremæ sanctitatis fuerunt, superisque sunt adscripti, assuescimus huic rei, vt velimus dari primos & maximos honores, non Regiæ potestati, aut cuiusuis dignitati, opibusque, & generi, sed integritati, & innocentiæ. Quamuis enim magnum sit hæc scire, & fateri primum scilicet locum honoris deberi innocentiæ, longè tamen maius est, & quod vberiores fructus habeat, ad spiritus superbi & insolentis animi deprimendos, sæpiùs in die superos huiusmodi honorare. Septimò, quia Catholicæ Ecclesiæ gubernatio temperata est mirabiliter è triplici illo genere gubernandi, vnius, optimatum, & Populi, quod nos explicauimus signo de Prudentia Politica. Octauò, quia sæpius nos in conspectu sacerdotum genua ijs flectimus, caput nudamus, & inclinamus. & alia huiusmodi honoris signa ijs damus, saltem dum Missam celebrant, ex quo ingeneratur in nobis reuerentia in illos quædam, quamuis sint humili conditione. Atque ita fit, ne propter opes, dignitatem, nobilitatemque nimis extollamur. Hæc igitur singulis adsunt Catholicis omnia, quæ vel cuncta,

vel plurima ab alijs absunt. Ex quo fit, vt nulla æqualitas esse possit legitima inter principes ac subiectos in eorum cœtibus, ac proindè neq; Amicitia; quocirca neq; hac parte imitantur Christum, qui non seruos nos, sed amicos vocauit, ac fratres. Iam verò sicut in omnibus summus Pontifex elucescit, sic in se demittendo, & tamen retinendo suæ maiestatis decoro cunctis præstat. Ostendimus namque signo de humilitate, sanctissimos Papas omnium principum, Regumque, & Imperatorum fuisse, & esse reuera humillimos. Atque ità veluti cunctis celsitudine Potestatis sublimior, sic omnium maximè sese demittit, & ad ima descendit. Eò reijcimus itaq; lectorem. Hîc illud adnotasse sit satis, quod curauit omnium Imperatorum, Regumque, & principum maximè, vt hæc inter subiectos esset æqualitas: cui illud erit argumento, quòd cùm nihil æquè deprimat homines, ac status seruilis, Romæ lex est, vt nemo Catholicus sit seruus, sed siquis est, & in Capitolium confugit, continuò sit liber.

XX. Sicut autem fructuosissimus amicitiæ istius effectus inter Catholicos hic est, vt maior sit inter illos pax, & multo tranquillior, quàm fuerit inter vllas vmquam gentes, ac sit, vt signo de pace explicauimus; sic ex amicitia proficiscitur, vt non tot sint inter eos intestinæ & domesticæ cædes, quot inter alios ab Ecclesia Catholica alienos; quod signis de pietate, & intestinis hæreticorum cædibus clarissimè apparet.

XXI. Hinc etiam proficiscitur, vt perpetua nobis sit, & innumera martyrum series; qui Christi exemplo vitam ponunt pro totius Ecclesiæ Catholicæ, & omnium ipsius filiorum dignitate, & bono, vt signo de perpetua martyrum serie constat. Maiorem verò hac caritatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ob hæc etiam contingit, vt Respublicæ inter nos diutiùs consistant, quàm constiterint inter alias gentes; quòd scilicet ciues inter se maximè ament, minus amicitiæ iura frangāt. verbi gratia, Respub. Romanorum durauit annos quadringentos sexaginta, vt è fastis, quos post alios diligentissimè illustrauit Sigonius, constat.

Cōparatio Rerumpu. antiquarũ, & nostrarum.

Athenensium Resp. ab obitu Codri vltimi Reges habere cœpit, qui quamdiu viuebant, rerum potiebantur. Horũ supremus Erixias ab Eusebio memoratur. Ex hoc libertatem nacta est aliquandiu, deinde à Pisistrato occupata;

Cu-

Cuius liberis eiectis rursus Hirpacus & Hippias illi præfuerunt; suo iuri restituta, mox à Xerxe capta, incēsa, euersa vrbs tota. Iterum condita, diuq; in libertate viuens rursus à Lacedæmonijs diruta, mox à ciue suo Conone refecta; rursus, vt Iustinus refert, à triginta tyrannis in seruitutem redigitur, quibus expulsis per Syllam in Romanorum potestatem adducitur. Quamobrem numquam bene totos annos tercentum, quod ex Eusebio colligitur, sui iuris fuit.

Iust. lib. 6.

Spartanorum Reip. longè peius contigit, quoad libertatem. Nam cùm Sparta diu Regibus paruisset ab Eurysteo vsq; ad Alchamenum, quod Eusebius scribit, haud tamen postea omninò Regibus caruit, quamuis eorum potestas Ephororum iudicio fuerit imminuta. Pausanias namq; in Laconicis Reges enumerat à Polydoro vsq; ad Cleomonē, qui Antigono in Macedonia regnante vixit, & aliquorum meminit Diodorus in bibliotheca, & Iustinus. Inde vrbs capta, & in seruitutem redacta à Nabide, post ab Acheis, vt idem Pausanias refert in Achaicis, tādem verò à Romanis, quod Strabo lib. 7. scribit. Quamobrem neq; Sparta vixit in libertate annos vmquam tercentum; vt ex Eusebio, ac suprà adductis auctoribus liquet. Cretensium Rempub. multis Strabo laudat libro decimo, & inter memorabiles recenset Aristoteles Politicorum secūdo, cuius sanè sunt ignota euenta, sed eam diu sui iuris non perstitisse colligi potest è Diodori antiquarum rerum libro quinto, in quo multas enumerat extraneas gentes, quæ insulæ multas partes occuparunt, coloniasq; posterioribus sæculis fundarunt.

Diod. lib. 15.
Iust. lib. 6.
Diod. cap. 15.

His omnibus potentia, diuturnitate, bellicis rebus, regionibusq; deuictis præstare videtur Carthaginensiū Resp. quam refert inter illustres eodem loco Aristoteles, ac superioribus videtur præferre. In illa quidem primis temporibus fuisse aliquo modo Regiam potestatem, qualis inter Spartanos, & Aristoteles ipse significat, & è Diodoro colligitur. Appianus in Libyco ad finem, vult Carthaginem stetisse, vsq; ad euersionis diem septingentis annis. Incertum an aliquando paruerit extraneis Regibus; è Iosepho namq; habemus libro aduersus Apionem, à Nabuchodonosore deuictam Libiam, & Hispaniam. Idem scribit Strabo lib. 15. id videtur accidisse post annum propè ducentesi-

Diod. lib. 13

mum ac ſeptuageſimum ab ipſius ædificatione, vt è Ioſe-
pho, & Euſebio colligitur.

Apparet ex his harum Rerump. nullam permanſiſſe ſui iuris omninò annos quingentos, cùm tamen ab orbe condito hę florentiſſimę omnium dicantur. Atqui nō ab orbe condito, ſed ex quo Chriſtiani rerū potiri cœperunt, ſiue ex quo imperium Romanum cœpit euerti, ac nonnullæ vrbes in ſuam libertatem ſe vindicarunt, poſt annos ſcilicet ab ortu Chriſti propè quadringentos, quęcumq; vrbes è noſtris Reip. formam quandam conſtituerunt, longè diutiùs perſtitêre. Accidit hoc Italiæ ſoli, vt in illa magis exſtiterint vrbes iura libertatis adeptæ, & in Remp. conformatæ, quàm ceteris prouincijs imperij Romani euerſi. Igitur inter Chriſtianos magis amicitiæ virtus elucescit, quàm inter alias olim gentes ante ortum Chriſti, ac poſt ipſum etiam natum. Inter Mahometanos enim nulla vmquam Reſp. floruit; neq; inter alias, quod legerim, nationes à Chriſto alienas.

Igitur in Italia meritò ſeſe effert admirabilis illa Venetorum Reſp. quæ ſui iuris hucuſque fuit annos mille ac propè ducentos. Huic proximū locū tenet Genua, quamuis multis ſæpiùs caſibus agitata, quæ Carolo imperante poſt eiectos Longobardos ſui iuris facta tantum potuit, vt non modò magnam Liguriæ partem, ſed Corſicā præterea inſulam teneat, alijs autem temporibus ipſam etiam Sardiniam, Baleares, nonnulla Hiſpanæ, Africæ, Syriæq; loca, præterea verò nonnullas in AEgeo mari inſulas tenuerit, imperij deniq; ſui confinia protulit vſq; ad Tauricam Cherſoneſum, Colonia Theodoſia, quæ nunc Caffa dicitur, ducta; quin iuxta ipſam Conſtantinopolim conſtruxit ditionis olim ſuæ Peram nō ignobilem ciuitatem. Hæc ante annos ferè ducentos cœperat aliquam ſuę libertatis per annos propè centum iacturam facere redacta ex aliqua parte in poteſtatem Ducum Mediolanenſium, deinde Regum Gallicorum, aliquot prætereà ſuorum ſeditionibus labefactata. Nunc autem imperio quidem tenuiori, ſed tranquillitate quietiori fruitur; vt annos ſexcentos in libertate eſſe meritò affirmari poſſit, licet in aliquibus deferat Imperatori Roman. Tertius erit Florentiæ locus, quę licet poſt Caroli Magni ætatē Imperatores & ipſos Romanorum in nonnullis veluti principes ſupremos agnouerit, attamen ne tributum perpetuum certò pendens vm-

quam

quam nisi primis illis temporibus, suisque legibus ac magistratibus viuens, pòst etiam Rodulpho imperante pecunia soluta redimens quidquid ad Imperatorem posset spectare, quod Reip. foret, sui iuris etiam fuit ipsa vsq; ad nostra tempora septingẽtos annos circiter pluribus rebus ad immortalitatis memoriam præclarè per suos gestis. Has sequuntur Pisæ auorum nostrorum temporibus in aliorum ius redactæ; cùm fuissent annos sexcentos & amplius in libertate; & quarum facta nobilissima si scriptores nacta essent ita illustres, vt priscæ illæ à Græcis decantatæ, nihil esset, quod ijs inuiderent, nisi antiquitatem quamdam Christianorum sæpè mentibus beneficia diuina non agnoscentibus nimium venerandam. Quamuis igitur Italia deiecta fuerit è sublimi illo Romani imperij fastigio, quod tot monstra infandissima protulit, quot propè Imperatores, quorum pleriq; ad humani generis cladẽ facti videbantur, vt signo de flagitiosa hostium Christi vita & horrendis cladibus apparet; illa tamen habuit & habet adhuc, in quibus maximas Deo gratias agat; quòd quamuis multis agitata seditionibus ciuium factiosorum multis exterarum gentium fuerit imperijs propè dilacerata, retinuerit tamen vrbes, in quibus amicitię iura nõ adeò fuerint à suis violata, vt ab antiquis, dum Reip. forma inter eas nobilissima tamdiu retinetur, quamdiu toto orbe, toto æuo à nullis retentam scimus. Sic igitur in Italia, quæ Pontifici magis obediuit, magis quàm alibi iura amicitiæ seruata, hac parte, sicut & alijs partib⁹ suprà ostendimus. Atque hæc de Repub. satis. Quod si cui placet Reip. formam seruatam Spartæ Athenis, & Carthagine, quamuis Rex Ephororum vel aliorum iudicio subiectus esset, parũ abest, quin Remp. iure dicamus Germaniam totam, Poloniamque, quarum Reges a proceribus certis eliguntur, & grauissima quæque non nisi de consilio & sententia Senatorum certorum transigere possunt; idemq; de Bohemia dicemus, & Aragonensi regno. eodem loco iure habebuntur plurimæ in Germania nobilissimæ, Vrbes quamuis nõ fuerint adeò tenaces plenæ libertatis, vt Italicæ, quod Ottho Frisingensis Friderici Primi patruus testatur lib. secundo capite 13. Sed hanc libertatem ciuitates Italiæ amiserũt plerumque, ex quo Papæ sedem transtulerunt in Gallias, ac tyranni tum plurimi exorti, factionumque acerbiora dissidia.

Verùm

XXIII.
Comparatio natio-nũ Catholicarum, & exterarum.

Verùm ſicut in vrbib⁹ ipſis inter ciues magis per Chriſtianos eſt amicitia culta, ſic inter nationes inuicem Chriſtianas. Nam licet æmulationes doleamus eſſe interdum luctuoſiſſimas inter Chriſtianas nationes maximo noſtro detrimento; tamen adhuc magis inter eas amicitiam ſeruari ex hoc apparebit, quòd ſi ceteris omnibus comparentur, omnium minimè, ſiue priſca ſiue recentia contempleris, Catholicæ nationes (de his namq; agimus) ab alijs Catholicis nationibus per vim ſunt oppreſſæ. Et quidem ſigno de interitu fidei explicauimus populos efferos, & à vero Chriſti cultu alienos numquam potuiſſe conſidere in Chriſtianorum terris, niſi ex quo illæ vel hæreſum plenæ fuerunt, vel hæreticis principibus paruerunt. Nunç oſtendamus Catholicas nationes non toties ab alia natione Catholica adductas in poteſtatem, & alieni iuris effectas, vt ceteras gentes à Chriſti cultu alienas; ab eiuſdem tamen ſuperſtitionis cultrice gente cognoſcemus oppreſſas: ſic itaque cõſtabit, nationes Catholicas, quamuis patiantur aliquid humanum, & feralibus inter ſe bellis aliquando decertent, non adeò tamen ferri ad Catholicorum gentium iura & regna delenda, vt alias quaſuis. Statuatur igitur in medio gens aliqua, & inſpiciatur quanto tempore regnarit, neq; ab extera gente fuerit eius imperium delegnarit... tum, ipſa verò fuerit alterius ditioni ſubiecta: & ex aduerſo Catholica gens (non de hæretica verba facimus) proponatur, ac videamus quanto hæc tempore regnarit, & in extraneorum poteſtatem non fuerit adducta. Lybicam, Mauramque ſumamus ante oculos Italiæ poſitam.

Hæc circiter annum ſeptingenteſimum cùm maiori ex parte Monothelitis adhæreret, & hæretica eſſet, vt oſtendimus ſigno de interitu fidei, à Sarraçenis eſt in ſeruitutẽ redacta. Ioannes Leo ex antiquis Afrorum monumentis ſcribit Afros fuiſſe Arianos, cum Sarraceni ceperunt Africam: ex illo Sarracenica gens in Africa conſedit, ac regnare in illa cœpit. Sed poſt aliquot annos, diſſidentibus inter ſe Sarracenis, cùm præfectus Africæ deſciuiſſet à Rege ſuo, qui in AEgypto morabatur, Rex vlturus contumaciam, & ſcelus rebellis, Scenitas Arabas, quòd prius numquam permiſſum fuerat, ex Arabia deſerta euocatos maximo numero in Africam miſit: atque hi diu totã Africam domitis Sarracenis tenuerunt ac vaſtarunt. Sed mox populi quidam è deſertis Numidiæ commoti, Arabas imperio

Libya, & Mauritania à quot exteris gentibus occupata eiuſdẽ religionis.

priua-

priuarunt, & maximis diu cladibus afflixerunt: atque ex his populis fuêre Reges, qui Marocchum condidêre, dicti è stirpe Luntuna. Rursus paulò pòst duo populi diuersis temporibus ex iisdem Numidiæ desertis erumpentes, & pristinum regnum subuerterunt, omnibus in potestatem suam redactis, ac sese mutuò expulerunt. His & admiscuerunt se ex alijs duabus gentibus Mauritani, qui nonnulla Africæ loca tenuerunt, & cuncta in maximam vastitatem adduxerunt, quòd pleriq; in tentorijs habitent, & moribus sint efferatis. Septem nationes igitur diuersæ mutuò sese oppresserunt, duæ ex Arabia Sarraceni ac Scenitæ, quinque è Numidia perpetuis inter se prælijs nullo pacis vmquam fœdere interposito post tot annorum sęcula per Africam totam sæuientes, quæ singillatim Ioannes Leo refert in Africæ descriptione. Octaua nostris temporibus, quæ Africæ potissimam partem tenet, est Turcarum.

Persia à quot exteris gẽtibus occupata eiusdem religionis.

Quòd si animum conuertas ad alias Mahometanorum regiones, quæ ex antiquo illi tempore possederint, idem videbis accidisse, quod in Africa: nimirũ gentes ipsorum multo crebriùs ab eiusdem religionis gentibus alijs in potestatem adductas, deletis earum regnis, quàm Catholicas gentes ab alijs Catholicis item gentibus: vt sciamus scilicet, magis inter se Catholicos populos amare, quàm nationes alias. Inspiciamus igitur, quid nobilissimo ac potentissimo Persarum regno contigerit, quod sub ipsis primis temporibus à Sarracenis est occupatum. Id contigisse scribit Paulus Diaconus anno Heraclij Imperatoris trigesimo. Sed anno Copronymi octauo Corozanitæ Maurophori dicti duce Amuslin Arabe, ex altera quadam Mahometanorum familia è suis regionibus erumpentes Persidem ceperunt occiso Maruahan Rege. Persicaq; regna potitus est Abubalas, siue Muhamat, frater Salan, qui Mesopotamiæ & Habdalæ, qui AEgypto præfuit. Cognati verò & filij Maruahan in Hispaniam secessêre, vt idem scriptor tradit, qui multa istorum cruentissima prælia tum commissa recenset. Verùm post aliquot annos Turcæ è portis Caspijs egressi diu cum istis pugnarunt, & in Mahometis nomen iurantes, Basilio Porphyrogenito imperante, vt in Monomachi vita scribit Zonaras, omnia sibi subiecerunt, ita vt Romano Lacapeno vsq; ad Constantinopolim peruenerint, quod Cedrenus scribit. Deniq; Mo-

nomacho Orientem totum in suam potestatem adduxerunt. Post hæc Tartari Turcis deuictis cuncta propè Orientis loca occuparunt. sed hi non erant addicti vllo modo tum Mahometi, postea sese illi dederunt; in Taurisq; hæc est vrbs Mediæ, sedem fixerunt, vt ex Haytone constat. Quocirca non pertinent ad præsens argumentum, quo de nationibus eiusdem religionis agimus, earumq; amicitia. Illud certius, mox à Tartarorũ Rege Tamerlano, qui Mahometis superstitionem sequebatur, regiones Persici regni deuictas. Sed huius successores scimus rursus expulsos ab Vssumcassano, quem genere Turcam videtur facere Chalcocondylas. Vssumcassani deinde liberis exstinctis odio gladioq; intestinis, tandem Ismaël Sophus Persica regna inuasit: hic iactabat se genus ducere ab Hali genero legislatoris impij Mahometis, & eius maiores in antiquæ Mediæ locis regnarunt, & ex ijs locis ipse cum exercitu exiguo primum mouit, Ardouilum namque, in qua pater Ismaëlis rerum potiebatur, est in Media, vt ex itinerario Angiolelli, & aliorum, Geographisq; temporum nostrorum liquet, vt post alios Ioannes Barrius in Asiæ descriptione prodit. Nunc inter Turcas, & istius posteros atrocissima de summo Mahometanorum imperio bella feruent. Ex his colligitur, post annum sexcentesimum nondum mille annis exactis Persici imperij regiones subiectas fuisse Saracenis, Coraxanis, Turcis, Tartaris, Medis, Mahometis cultoribus.

Catholicæ nationes à nullis Catholicis nationib⁹ exteris subactæ intra annos mille.

Atqui sumas licet illustriorem quamuis, è Catholicis gentem, nec videbis intra istos mille annos tot nationibus Catholicis vi & armis inter se pugnantibus fuisse ex omni parte subiectam. Videmus Hispanicam ex illo tempore nulli exteræ genti Catholicæ bello domitã paruisse. Idem de Gallica, Anglica, Scotica, Germanica, Bohemica, Hungarica, Polonica, Lithuanica, Suetica, Danica, affirmari potest. Vna Italica gens ex maiori parte post istos mille annos à tribus gentibus Catholicis exteris est deuicta, in potestatemq; adducta, Gallica scilicet, Germanica, Hispanica. sed adhuc est aliud discrimen. Nullo namque iure, sed sola dominandi libidine impulsæ gentes illæ Persica regna occuparunt; at Galli, Germanici, Hispani, terras Italicas aliquo iuris sibi cum Italis communis titulo. Quamuis igitur Catholici populi sæuiant inter se feralibus sæpè odijs, numquam tamen sic ad internecionem, vt à Catho-

lica religione alieni. Sed quamuis aliquot Italici populi post annum septingentesimũ à tribus istis Catholicis nationibus fuerint adducti in potestatem; plurimæ tamen Italiæ partes pristini iuris remanserunt; principibus antiquis subiectæ, vel aliquam libertatis formam retinentes, & huius sanè libertatis ad sua tempora perductæ meminit Ottho Frisingensis, qui post annos à Christo nato mille centum vixit. Inter antiquos principatus referetur ditio Venetorum, & Pontificia potestas. Illud verò hîc non omittemus maxima obseruatione & admiratione dignum; quòd cùm gentes olim tot egregias habuerint Resp. Atheniensem, Spartanam, Cretensem, Carthaginensem, Romanam; Mahometani tamen nullam vmquam nominis vllius Rempublicam produntur excitasse. vt videas sanè pessimam Mahometis superstitionem, & à communi amicitię colligatione, mortales amplectente abhorrentem.

XXVI. Populi boreales magis amicitiam coluerunt post Christi cultum.

Sed ex alio, quod dicimus, apertius colligimus, populos Catholicos non adeò in mutua excidia aduersus semetipsos efferari; vt alios quoslibet, quòd olim quidquid erat supra Rhenum & Danubium in Septentrione, nulli certæ nationi diu attribui poterat; quòd, vt è Cornelio Tacito habemus, nullæ essent vlli populo diu firmæ sedes, in vlla regione; alijs scilicet, atque alijs in illas inuadentibus, & inde, quas ibi gentes comperissent, expellentibus; id è Iornandi scriptis licet etiam colligere. Atqui quod est supra Danubium & Rhenum, duplo Europæ reliquum superat. At postquam Catholicam fidem sequuntur isti populi; omnibus ex antiquo tempore suæ certæ regiones. Adhuc idem constat ex eo, quòd quoties Catholicæ nationes in mutua bella ruunt, non educunt in aciem tantas, quantas ceteri populi à nobis alieni copias; neque similiter occiso rum tanta est strages in eorum prælijs, quanta inter alios: quæ nos clarissimè aperuimus signo de pace; non est ad rem, quæ illic diximus, huc ea transferre. Eodem faciunt quæcumque nos persecuti sumus signo de felicitate Catholicarum nationum. Hîc satis erit illud adijcere, Romanam Remp. complexã quidquid in orbe terrarum exculti erat, suoque imperio humaniores gentes ac nobiliores subiecisse, fuisse tamen huiusmodi, vt exterarũ nationum iura propè omnia deleret, opprimeret omnẽ libertatem, cuncta adimeret, idq́ue ob inueteratum deducendarum coloniarum morem ex antiquissimo tempore inductum,

& Ty

& Tyrijs, Carthaginensibus, Græcisque vsurpatum. Ex quo fiebat, vt Romani milites suos inducerent in vrbes, quas contumaces bis terve experti essent, omnia bona adimerent, eaq; , & ædes, deniq; ciuitates integras, & agros iisdē militibus assignarent. Hæc nos ibi latiùs persequimur, & exempla illustrissima adducimus ad totam rem probandam: è quibus hîc illud vnum sufficiat repetisse, quod Plinius refert, triginta tres olim populos in vno Latio deletos. Quæ sanè inter Catholicas nationes nemo vmquam contigisse vidit, aut legit. Apparet igitur amicitiæ iura, sicut inter ciues ob Respub. publicaque regnorum iura conseruata magis viguerunt, sic inter ipsas etiam nationes.

XXVII. Aperiamus nunc idem contigisse inter Reges Catholicos. Nam cum dicamus amicitiam consistere inter æquales, & æqualitatis formam quamdam explicauerimus inter omnes Catholicos, è qua possit amicitiæ cuiusdam species existere; dein' verò accesserimus ad eos, qui & re, & specie sunt maximè æquales, vt ciues inter se; dein' populos, reliquum est vt de Regibus ipsis summisque principibus Catholicis inter se collatis, & cum Regibus à fide Catholica alienis dicamus. Igitur maximè amare inter se Catholicos Reges, si cum Regibus à Catholica religione alienis conferantur, constat primo loco, quia non tot Reges è nostris ab æmulis Regibus, regiámve ambientibus potestatem sunt interfecti, quot ex alienis. id nos ostendimus signo de intestinis hæreticorum cædibus; signo item de pietate, de infelici & inglorio exitu hæreticorum Regum, ac felici Catholicorum. Idem constat ex eo, quòd stirpes Regiæ inter nostros diutissimè perstiterunt Regiam potestatem conseruantes; quin cuncti, qui nunc in Europa sunt Reges Catholici, quæcumq; habent regna, iure consanguinitatis potissimùm sunt illa adepti; quod & ante ipsos in alijs plerisq; regnis, quæ Catholicorum fuerāt, contigit, vt ibidem dicemus.

Reges Catholici magis inter se amici, quā alieni.

Illud verò hîc adiecisse satis erit. Duo post Constantinum Magnum summi principes in Ecclesia Catholica inter se consentientes exstiterunt, Pontifex summus, & Imperator; hic prophanis, ille sacris præest. Maximæ interdum fuerunt inter istos contentiones per annos mille ducētos sexaginta & amplius. Duas ob causas sunt exortæ, vel quòd Imperator sacris se iuribus ac rebus immiscere vellet, vel quòd prophana sacris nollet subijcere, sed vel maiora illa, vel

Amicitiæ ius inter Papas & Imperatores.

vel æqualia vellet, id est cælum terræ subijcere. Hæ similiter contentiones, atq; etiam bella exarserunt inter Pontificem principesque alios magnos. Atque illud admirabilissimum per tot annorum sæcula, inter non pauca bella, neq; Imperatores aut Reges Catholicos vmquam curasse vt Pontifex vllus occideretur: neq; similiter Pontificem id tentasse in Imperatores, aut Reges. ac ne videar adhuc inane aliquid effutire, ab Imperatoribus ac Regibus, eorúmve administris, quippè qui armis magis valerent, sæpè Pontifex Romanus captus, numquam tamen necatus. Henricus enim Quartus Paschalem Secundum cepit, Henricus Secundus Gregorum Sextum. similiter Leo Nonus è Northmannis principibus captus, mox cum honore dimissus. Alexander item Secundus à Rogerio Rege captus, deinde dimissus. Deniq; cùm Philippus Pulcher per quosdam suos milites Bonifacium Octauum in custodia sui palatij detinuisset, nemo tamen ausus illum tangere, aut loco mouere, vt Villaneus illorum temporum scriptor & alij tradunt. Nam qui secus aiunt, errant. Illud contrà amoris maximi est à Pontificibus in Imperatores profectum, quòd cùm Romani, qui vocantur, Imperatores, omniũ maximè bella in Papas aliquando mouerint, & inimicitias cum illis exercere, non fouere vllam amicitiam visi sint; tamen nemo vmquam princeps ab orbe condito exstitit, qui conseruando alterius principatui sic studuerit, vt Pontifex Romanus imperio Orientali & Occidentali, quod nos clarissimè ostendimus signo de summo studio Pontificis Romani in cõseruandis imperijs ac regnis. Sed quia factum est semper, vt impij mentem sanctissimi Papæ Imperatores castigantis, & ad officium reducere veluti paterna virga conantis, in partem peiorem sint interpretati, hinc illud longè admirabilissimum contigit, vt Imperatores in Pontificem contumaces, & ab ipso excõmunicati tandem fuerint pessimè habiti, vel etiam necati à suis amoribus, ab ijs scilicet quos ipsi maximè amabãt, & inuicem se amari putabant, quiq; similiter in Papas non erant satis æqui. Hæc nos eo signo.

Iam verò amicitiam maximè omnium cultam è Pontificibus Romanis cum suis æmulis, quos maximè odisse non absurdum mortalibus interdum videtur, iuxta illud antiqui Poëtæ:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ φθονεῖ, καὶ τέκτονι τέκτων.

Et figulus figulo, & artifex artifici inuidet.

Ex illo liquet, quòd cùm multi exstiterint Antipapæ, & ij venerunt in Papæ veri potestatem, nullus ex eis ab ipso occisus; plerumque habiti omnes honorificè, ac dimissi; quod nos signo de mansuetudine, singillatim cuncta hæc recensentes, explicauimus.

XXVIII. Concludamus hoc vno argumento, quod vniuersa continet. Christiani proponunt imitandum sibi, & colendum Christum cruci affixum, qui pro suis inimicis, nedum amicis, vitam profudit. Antiquæ gentes Iouem colebāt, à quo expulsum regno patrem Saturnum dicebant, ab hoc filios ipsos interfectos: Martem præterea, cui bella & homicidia, non amicitiæ iura curæ erant. Quocirca laudi dabant, vt è Cicerone habemus, paternas inimicitias exercere: à nobis verò huiusmodi homines excommunicantur. At Mahometes gladio tutandam suam superstitionem sanxit. Hinc inter numidas Arabasque inimicitiæ implacabiles, perpetua bella tota Mauritania, Numidia, Libya, Aegypto, Arabia, Syria. Hinc inter Mahometanos nulla Resp. vmquam; Regna verò nulla vltra annos tercentum durant, Regibus inter se ad interitum prælantibus. Hinc inter regij sanguinis fratres atrocissima parricidia. Christi porrò crucifixi imitationem magis esse inter Catholicos, quàm hæreticos, liquet apertissimè è signo de perpetua martyrum successione, & spiritu precum. Atque hæc de amicitia satis; quam si distinguis à caritate solam respicere videtur affabilitatem: nos communia vtrisq; complexi sumus: & quando vnus idemque actus potest ad diuersas virtutes pertinere, vel ad vnam generatim ad aliam speciatim, aut partim ad hanc, partim ad illam, nos ad explicationem dilucidiorem, omnia in vniuersum sæpè persequi solemus.

Ostenditur hæreticos & alienos à nobis in amicitiæ fœderibus seruandis omnium maximè fuisse semper infidos. Tum mirabile exemplum Medardi, & Gildardi fratrum.

CAP. VIII.

Sed antequam finem ponamus huic signo, placet adijcere quàm fuerint semper infidi hæretici, & quicumque sunt alieni à nobis, in amicitiæ fœderibus seruandis, vt appareat illos ex omni parte pessimos esse, ac neque propinquitatis, neq; amicitiæ haberi ab illis vllam rationem. Nam de propinquitate dictum est signo de intestinis hæreticorum cædibus, & signo de pietate. Hîc agemus de amicitia.

I. Theodosius Magnus iniȷt cùm Gotthis Arianis societatem, seu potiùs initam à Gratiano continuauit, vt vult Iornandes libro de rebus Geticis. Synesius ait in epistola ad Arcadium, victos à Theodosio Gottos, & supplices, cùm deleri omninò possent, in amicitiã societatemq; receptos. Hi deinde, cùm molestè ferret Alaricus eorum Dux, se ad maiores honores haud promoueri, in Græciam & Illyrium contra omne fas, à Rufino solicitati, irrupêre; & per annos viginti incursationibus ac prædationibus cuncta vastarunt, vt è Zosȳmi lib.5. S. Hieronymi episto 3. & Claudiano in Rufinum de laudibus Stilichonis apparet.

Iornandes genere Gotthus, vt eleuet hanc gentiliũ suorum perfidiam, scribit hęc ab Alarico perpetrata, quòd Honorius & Arcadius consueta Gotthis dona subtraxissent, atque ita non donare hæreticis, est ab eis summa flagitia recipere.

II. Gainas Gotthus Arianus ab Arcadio Imperatore ad multas dignitates in militia euectus, aduersus illum mouit arma, nullo iure, nulla causa imperium vi occupare conatus: id prosequitur Sozomenus, qui fuit his temporibus, lib.8. cap.4. habetur in vita S. Ioannis Chrysostomi, idem scribit Socrates lib.6. cap.6. Zosymus lib.5.

III. Anno quadringentesimo octauo Alaric⁹, quamuis maxima pecunia accepta pacem cum Honorio fecisset, paulò pòst contra iura pactionis maiorem summam nulla occasione, nisi quòd ita vellet, flagitat. Ea negata, in Italiam venit, & obuia cuncta prædatus Romam obsidet, vt Zosymus persequitur lib.5: ac post multa hinc inde agitata pacem cum Honorio facit his conditionibus, vt Alaricus cum suis, socius esset Honorij, in Gallia sedes sibi suisque haberet, & aduersus eius hostes bellum gereret, vt habemus è Sozomeno libro 9. capite 9. Ea re intellecta Sarus Alarici inimicus, inscio Honorio, cuius dux erat militatis, nonnullos Alarici milites, vt pacem turbaret, occidit.

Quocirca Alaricus contra ius fœderis Romam reuertitur, obsidet, capit, diripit: mox etiam Campaniam, Calabriamq; vbi vita decessit. Sozomenus, vt suprà, hæc scribit.

IIII. Stilicho sanguine Vandalico & hæretico prognatus tāti habitus est ab Imperatore Theodosio, vt tutor fuerit Honorio puero relictus, quod Iornandes & Zosymus scribūt. Hic aduersus imperium Romanum Vandalos & Gotthos suis sedibus exciuit, quòd illud filio suo Eucherio Gentilium superstitionū sectatori ac studioso parare vellet. Hinc illud miserè ab istis nationibus dilaceratum & concisum. Hæc de Stilichone, & eius perfidia constanter affirmant illorum temporum scriptores Orosius, Numatianus, Zosymus, & refert etiam Iornandes genere Gotthus.

V. Attaulphus Gotthorum Arianorum Rex & ipse Arianus fœdus ita percussit cum Honorio, vt eius socius esset, in Gallia sedes haberet, aduersus eius hostes pugnaret, Placidiamq; ipsius sororem sibi vxorem despondit, ac Narbonæ consedit anno quadringentesimo vndecimo; sed mox contra fœdus Attalum creauit Augustum anno quadringentesimo decimo quarto; ob id è Gallia pulsus per Constantium Comitem Barchinonem tenuit.

VI. Bonifacius Vandalos inita amicitia ac societate in Africam fœderatos accersiuit anno quadringentesimo vigesimo septimo: sed mox nulla fœderis habita ratione Gensericus vrbes occupat. Rursus pacem facit cum Valentiniano anno quadringentesimo trigesimo quinto: & rursus, cùm nihil de illius amicitia timeretur, Carthaginem dolo pacis occupat, inquit Cassiodorus in Chronico. Societas iterum conciliatur inter eum & Valentinianum anno quadringentesimo quadragesimo secundo, consulib. Dioscoro & Eudoxio, vt notat Cassiodorus, datusque obses Hunoricus filius. sed contra omne pactum deinde anno 445. Romam de improuiso appellit, capit, diripit, vastat; Valentiniano Tertio, & Anthemio Coss. Hæc fusiùs Victor libro de persecutione Vandalica, Prosper in Chronico suo.

VII. Cùm Britanni permerentur bello à Scotis & Pictis iam tum Christianis, vt Prosper notat, aduocarunt auxilio Anglos tum Gentiles, à quibus contra omne fas deinde in potestatem adducti, quod Beda scribit, quin penè omnes ad internecionem deleti, vt idem tradit in vita Augustini.

VIII.

Ricimer, vt Sidonius scribit, patre Sueuo, matre Gotthica fuit Arianus: exstatque adhuc eius monumentum vermiculati operis in æde S. Agathæ, quæ fuit Arianorum, vt cognoscimus è Dialogis S. Gregorij. Hic ab Imperatoribus Catholicis summam militiæ dignitatem potestatemq; nactus anno quadringentesimo sexagesimo primo Maioranum Imperatorem summo scelere necat: deinde quadringentesimo sexagesimo quinto Seuerũ Augustum similiter veneno tollit: postremò Anthemium socerum suum contra omne fas occidit, vt Cassiodorus scribit in Chronico suo.

IX.

Orestes genere Gotthico, & Ariano, dux militum factus à Iulio nepote Imperatore, hunc imperio priuat, & Momyllum Augustulum filium suum creat anno quadringentesimo septuagesimo quinto, quod Iornandes Gotthus scribit.

X.

Aspar Arianus dux militum factus à Marciano, eumdem Marcianum dictus est veneno sustulisse: cumq; idem moliretur in Imperatorem Leonem vnà cum Ardaburio filio, meritas pœnas morte illata dedit. Zonaras in Marciano & Leone. Nicephorus lib. 15. cap. 27.

XI.

Heraclius Imperator cum Sarracenis, & eorum duce Mahomete societatem inijt, qui ab eo regionem ad habitandum cõmodam accepit, vt Zonaras tradit. Mox idem Mahometes arma in Heraclium ditionemq; illius mouit, neque adhuc bellorum finis. Falluntur autem, qui scribũt bellum idcirco à Mahomete excitatum, quòd ei negata stipendia debita fuissent. Id enim longè post accidit defuncto Mahomete cum populis quibusdam Arabibus, qui se deinde Sarracenis adiunxêre, vt Cedrenus & auctor Miscellæ tradunt.

XII.

Iustinianus Secundus inita cum Slauis tunc à Christo alienis societate mouit in Sarracenos. vbi collata sunt signa, è Slauis viginti millia defecêre ad hostes, maximamq; nostris cladem attulerunt, quod Zonaras notat.

XIII.

Iulianus Comes impio consilio fœdus percussit cum Arabibus, eosque in Hispaniam immisit; mox ab illis est obtruncatus. Rodericus Toletanus lib. 4. c. 4. Vasæus anno septingentesimo decimo quarto.

XIIII.

Arnulphus Germaniæ Rex Hungaros inita amicitia tũ Christianis infensos aduersus Morauiæ Regem euocauit. sed ab iisdem paulò pòst filius eius Zuentebaldus occisus,

Ludouicus alter filius sæpè cum suis copijs profligatus, innumeræq; vastitates Germaniæ ac finitimis illatæ. Rhegino, Luitprandus, Hermannus Cõtractus, hęc latè scribũt.

XV. Manuel Comnenus Imperator Constantinopolitanus, timens sibi, & imperio suo à potentia maxima Latinorum in Oriente magis ac magis aucta, & latiùs se extollente, cũ Turcis aduersus eos inijt societatem, & nullum mali gen⁹ omisit summo scelere, vt Coniatas in eius vita testatur, quo copias Conradi Imperatoris opprimeret: sed ab ijsdem deinde Turcis sæpiùs profligatus est, ac multis vrbibus & locis spoliatus, quod multis in locis idem scriptor Græcus illorum temporum deplorat lib. 7. & sequentibus. Sed quæ Græci nobiscum, nos cum illis egerimus, latè signo de fide confirmata, & studio Pontificis Romani in conseruando imperio Orientali.

XVI. Illud notissimum, ab Andronico iuniore Paleologo accersitos in Europam Turcas aduersus auum Andronicum. Liberos verò ipsius de imperio inter se dimicantes in causa fuisse, vt Orientale imperium omninò concideret. hæc Chalcochondylas latè.

XVII. Hoc sæculo Ioannes Rex Hungariæ aduersus Ferdinandum Austriacum Turcas acciuit inita societate. idemque eo defuncto egit Isabella ipsius vxor. Quocirca Solymannus Hungariæ regno Isabellæ & Ioannis filium Ioannem, qui postea Transyluaniæ præfuit, spoliauit, vt post alios Surius & Iouius scribunt: accidit hoc anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

XVIII. Franciscus Gallorum Rex, vt haberet quos Carolo V. opponeret, eiusque vires, quæ quotidiè magis augebantur, minueret, hæreticos Germaniæ principes fouit, stipendijs attributis conduxit, in Galliæ visceribus inita amicitia continuit. Hinc factum, vt huiusmodi hæreticorum in Gallijs considentium contagione Galli, vel inuito Rege, inficerentur, ac tot tantasq; vastitates, quas experimur, ac deflemus, regno nobilissimo inferrent.

XIX. Contrà Carolus, ne à se omninò illos abalienaret, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, quamdam fidei formulam admisit, iuxta quam fas esset interim dum vniuersale Concilium, quid facto opus esset, statueret, cuiuis credere ac viuere; in illa hæreses multæ. Præterea verò Mauritium Lutheranum, sed laude militari valde præstantem, coniunctum sibi amicitia amplificauit, & attribu-

tributo Saxoniæ Ducatu, quem Friderico abstulit, supra omnes auxit. Sed haud multò pòst Mauritius inita cum Gallo societate anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo bellum mouit in Carolum V. eumque in tantas angustias redegit, vt curis ille cōfectus, terrena pertæsus, regnis imperioq; se abdicarit, vt Surius ac Natalis Comes latè scribunt.

Hæc è multis pauca, & magis illustria sit satis attulisse, vt certissimò sciamus nullam nisi inter Catholicos cōstantem, diuturnam, fidamque, quæ dari possit, esse amicitiā; inter alienos, & cū alienis à Catholica religione summam perfidiam, summamque fraudem regnare.

Quòd si inter consanguineos sunt amicitiæ iura, illud erit Catholicis exemplum singulare, quo constet amicis esse vnum spiritum, sed corpora duo. Sigibertus in Chronico ait, *Anno quingentesimo trigesimo quinto clarent in Gallijs fratres vterini vno eodemque die nati, & Pontifices consecrati, Medardus ad titulum Noniomensem, Gildardus ad Rhotomagensem, & vno die absoluti à sæculo, assumpti sunt à Christo*. hæc ille: vt videas inter Catholicos exempla amicitiæ miranda, ad illius vinculum diuino prorsus euentu & singulari comprobādum inter alienos verè amicitiam non esse.

SIGNVM QVADRAGESIMVM SECVNDVM,

Liberalitas.

E summa quæ est inter nostros liberalitate colligitur apertißimè nos esse ex Ecclesia Dei, ceteros autem nequaquam.

CAP. IX.

Liberalitas apud Christianos, si exerceatur in egenos, transit in eleemosynæ nomen, cuius quanta sit in sacris scripturis commendatio, qui ignorat, is neque Christianus, neque Christianarum rerum videtur esse vllo modo peritus. & quamuis ea largitas, quæcumque sit illa, qua bene fit pauperibus, pertineat maximè ad caritatem, tamen vnus idemque actus ad diuersas virtutes spectare potest. & philosophi sanè, quæ virtus actúsve esset

eleemosynæ, vt distinguitur propter caritatem à liberalitate, haud agnouerunt. Cùm verò caritas generatim contineat, quidquid in Deum & homines amandos refertur; nihil non illa comprehendit; speciatim sanè de suo largiter dare pertinet ad liberalitatem. Quòd si, vt quidam volunt, liberalitatis est, præscribere, ne noster animus nimius sit vel in appetendis, vel in habendis rebus, quæ nummis æstimantur; hic verò animus haud dignosci possit, nisi è munerum vel exiguitate, vel magnitudine; rectè hæc ad liberalitatem spectabunt. Iam verò donare in causas sacras & pias, religionis, ac pietatis quidē videtur, vt tamen aliqui mouentur ad largiendum non modò ob pietatem & religionem, sed quia vident non tanti facienda bona hæc, quanti sæpè fiunt, quin illa eroganda largè, idcirco ad omnes hasce virtutes referetur, quidquid expenditur in has causas liberalius, præsertim si sit alioquin donator haud auarus. Quanti porrò sit pietas & religio, satis est à nobis dictum. Rursus pertinet ad iustitiam nolle præter ius aliena. liberalis tamen est nolle similiter aliena propter animi ad diuitias haud propendentis excelsitatem, qui velut exilis infimis hisce rebus ac ieiunis haud angustetur. Neque illud omittendum, liberalitatem versari inprimis circa illa, quæ nummis æstimantur; præterea verò circa illa etiam, quibus adnexa sunt quæcumque nummis æstimari possunt, quòd scilicet hæc mens nostra respicere possit, magnique aut parui facere, ad illa ferri, ab illis abduci ob virtutis studium, alijs relinquere, & quantum potest dare, aut ad se auocare. His positis videamus, quanti sint nostri in hac laudabili virtute, numquid omnes alios à vero Christi cultu alienos superent.

I. Liberalitas principum in Ecclesiasticos, & rē sacram.

Et quidem si respicias è nostris præstantiores Imperatores, Reges, ac Principes, videbis eos Pontifici Romano amplissima dedisse; ita vt plurima regna Ecclesiæ Romanæ tributaria constituerint; ea nos enumerauimus signo de admirabili progressu sacræ potestatis; sic signo eodem, & de pœnis diuinitus illatis in Reges Catholicos Ecclesiæ contumaces, ostendimus qui fuerunt è nostris deteriores, non ita liberali in sanctissimos Papas animo fuisse. Nullus tamen vel hæreticus, vel alioquin à Christi cultu alienus vlli è suis sacerdotibus, ac præsulibus reuera tantum tribuit, quantum nostrorum principum nobiliores detulerunt Pontifici Romano. Ita sanè debebant aliquo modo.

sed tamen ex ipso effectu deprehenditur, & ex alijs ipsorũ gestis, eos id egisse, quòd animo essent generosiore. Quis ergo ex hæreticis aut priscis illis constituit antistiti alicui suorum sacrorum summo tributarium regnum, vt ab Egberto Anglia, ab Alfonso Lusitania, à Cazimiro Polonia, & ab alijs alia sunt facta? quæ, ne sæpiùs eadem repetamus, recensuimus signo de progressu sacræ potestatis. Sic plerique omnes sanxêre, vt & ipsi, ac posteri coronam, regiumque ius acciperent per illos Archiepiscopos, quos Pontifex Romanus ex antiquo tempore eorum regnis dedisset; neque aliquis intelligeretur Rex, nisi qui per illos vnctus & coronatus esset, & in fidem Romani Pontificis iurasset, vt nos ibidem declarauimus.

II. Post Romanum Pontificem sequũtur Episcopi, in quos etiam nostrorum Regum clariores munificentissimi vnà cum suis populis fuêre; ita vt ijs concesserint iura eligendi Reges, summouendi illos, statuendique de maximis regni negotijs, vt in Germania, Bohemia, Polonia, Hungaria, Scotia, Anglia, Gallia, Lusitania, Hispania, Italia factitatũ retulimus eodem loco. Hęc sanè nulli hęreticorum factioni gentíve à nobis alienæ contigerunt. Nam quamuis primis ijs temporibus ante ortum Christum apud nonnullos populos primæ sacris præsulibus dari vel à Regibus ipsis viderentur, & Mahometes apud suos ita sanxerit; hic tamẽ mos, & hæc consuetudo non satis diu apud illos durauit: vt ex historijs liquet.

III. His adiunguntur ab ijsdem Regibus ac principibus populis ædificata templa, monasteriaque, & fundi illis bonaque attributa. Qua in re vel vnus Constantinus plurimos ex alijs à nostra religione alienis, ne dicam cunctos, videtur superasse. Hæc verò ita esse colligitur etiam è signo de opibus è longinquo aduectis ad Ecclesiam, & è libro Germani cuiusdam de monasterijs, è scriptis Procopij de Iustiniani ædificijs, alijsque multis. E quibus duo tantùm retulisse sit satis, quòd in vna Anglia Henricus octauus à nobis desciscens, monasteriorum, templorumque à nostris per tot sæcula ædificatorũ dena millia in prophanos vsus peruertit: & quòd in Polonia nobilis quidam vir Petrus Duninus 77. templa è secto lapide vnus construxit. Et sanè cùm supra Danubium ac Rhenum nullæ essent priscis temporibus ædes sacræ, quis tot ac tantas condidit? Idem verò dicimus de Britannia, Hybernia, ac finitimis insulis. Quis igitur

Bruschius.

tur negabit populos istorum regionum, qui Catholici huc usq; exstiterunt, largiores suis maioribus fuisse? Quidam numerant è Publio Victore, Romæ olim fuisse ædiculas centum quinquaginta quinq;, templa & ædes septuaginta sex, plus minus. nunc autem tradunt alij, Romæ, atq; intra duo propè Romam milliaria esse templorum tria millia. De monasterijs enim non est quod agamus; nulla namq; priscis, nunc in vrbe & multa & opulenta, præter collegia sacra. Ex his omnibus fit, quando Catholici par est vt sint munifici cunctis in rebus, in sacris eos meritò munificentissimos exstitisse.

IIII. *Arist. Eth.*

Iam verò cùm sit munus liberalitatis, quod etiam scriptum reliquêre philosophorum summi, non modò donare, sed etiam tueri donata: atq; hæc omnia maximè omniũ Pontif. Rom. sit tutatus, neq; dubitarit aduersus potentissimos Imperatores ac Reges, qui in bona sacra inuolare audebant, intrepidus stare ac pugnare; meritò fit hac parte illum munificentissimum, sicut in cæteris esse mox ostendemus; in templisq; ac monasterijs Romæ ædificãdis, ornandis, tuendisq;, & alijs monumẽtis nulli cessisse. Post causas sacras sequuntur illę, quæ misericordiã quandã attingunt. In his quantus fuerit Pontifex Romanus ex antiquo tempore ostẽdimus signo de confirmatione, vbi eleemosynas semper ab ipso solitas in pauperes largissimè distribui ostendimus; nos eò reijcimus lectorem. Quæ igitur ab his, qui Romanorum Pontificum gesta carpunt, & in eos quasi minus beneficos inuehuntur, vt proferant mihi è toto orbe, ex quo conditus est, aliquam principum præsulúmve successionem, quibus opem ferre egenis curæ fuerit, vt Pontificibus Romanis: legant ea, quæ signo prædicto attulimus; & mox iudicent, suumq; crimen agnoscant.

V. Liberalitas nostrorum in egenos.

VI. Olim Romæ nullæ ędes vt nũc hospitales.

Quis verò ignorat præterea toto orbe Catholico nullũ reperiri oppidũ, cui non multa sint hospitalia ad inopes alendos, expositos excipiendos, ægrotos curãdos, aliaq; huiusmodi opera beneficentiæ exercenda? In Mahometanorum vrbibus sunt aliqua, sed in primarijs dũtaxat, vt Cõstantinopoli, Cairi, Fessæ; sed neq; tot, neq; tanta, vt inter nos; in alijs nulla, vel ad excipiendos tantùm, non etiã alendos egẽtes & exceptos. Publius Victor cuncta antiquæ Romæ ædificia recenset; quod mirum dictu sit, nullam hospitalẽ domum tradit. Atqui nunc numerantur vigintiquinq; in vrbe, & quidem valde amplæ, magnificæ, & opulentæ.

Ne-

VII.

Neq; verò nostri his contenti semetipsos quodammodo impenderunt in opera huiusmodi, vt iam non sit opus quęrere, an Catholici nummos & opes suas in egenos effundant, quādo sint inter nos ordines hominū religiosorum, qui semetipsos ægrotis curandis, cæterisq; huiusmodi adiuuandis deuouerunt. Tres verò, quod sciam, sunt illi; primus S. Spiritus in Saxia, qui se vsq; in Poloniā protendit, vt è Cromerio habemus; secundus eorum, qui vocantur Ioannis Dei Hispani, hi præcipuis in vrbibus Hispaniæ & Italię sedes habent certas: tertius eorū, qui ministri ægrotorum dicuntur. Quocirca haud mirum, si Constantinopoli, ac Memphi, siue Cairo in AEgypto, quod oēs norunt harum rerum periti septimo quoq; anno pestis innumeros mortales absumit, quòd scilicet non tanta vt inter nos liberalitas inter istos fuerit, qua factum sit vt ægrotis sua remedia adhibeantur, & corpora malè curata haud facilè corrumpantur, & contagione aduenientе corripiantur. Ioannes Leo testatur, in Libya decimo quoq; anno pestem sæuire incredibili hominum strage. Agitur nunc annus sexagesimus, ex quo Romæ nulla lues, & tamen aër haud salubris. Harū sanè rerum nulla est alia causa, nisi quòd Catholicorum beneficentia contigit, vt tot essent passim domus hospitales, in quibus corpora morbo tētata curari absq; vllo egentium sumptu possent.

VIII. Liberalitas in rem litterariam bonasq; artes.

Ex alio potest etiam nostrorum liberalitas dignosci, quod pertinet ad animi ornamenta. Plurima namque toto orbe Catholico sunt à nostris excitata gymnasia, in quib' omniū doctrinarum liberaliū doctores publicis stipendijs conducti cunctos edocent. Exstat liber à Iacobo Middendorpio Germano scriptore editus, in quo recensentur omnes in Europa Academiæ. Antiquitus solum Athenis non omnium, sed tamen aliquot disciplinarum magistri habebantur. Nunc Italia sola omnium doctrinarum publicas scholas hasce enumerat, Taurinensem, Ticinensem, Patauinam, Ferrariensem, Bononiensem, Pisanam, Senensem, Romanam, Perusinam, Firmanam, Maceratensem, Neapolitanam, Salernitanam. Quid, quod ordines hominum religiosorum sunt huic vni rei perficiendæ à nostris instituti, vt scilicet bonas litteras nos doceant? tales erant olim monachi, vt alibi hoc opere docuimus. nunc primas hac in re fert ordo Iesuitarum, ita vt in Indijs Occidentalibus & Orientalibus publicas disci-

IX.

plinarum ſcholas multas aperuerit, in quibus illa celeberrima Goæ cis Gangem, ad quam confluunt Armeni, Medi, Syri, Chaldæi, Perſæ, AEthiopes, Arabes, Indi.

X. Eccleſiaſticorum Liberalitas in omnẽ cauſam, & maximè publicam.

Vnus autem Gregorius XIII. effecit, vt partim in Europa, partim verò in Indijs Orientalibus tredecim collegia construerentur, quibus abundè dedit, vt poſſent abſq; vllo ſumptu plurimos adoleſcentes erudire, & ad omnẽ liberalem diſciplinam inſtituere. Quod ſanè laudis nullus Imperator princépſve ſibi poteſt arrogare: vt ſcilicet ſciamus in omnibus plerumq; officijs virtutum Pontificibus Romanis præcipuam commendationem deberi. Sic etiam poſt ſanctiſſimos Papas Eccleſiaſtici viri maximè omnium liberales fuerunt in fundandis collegijs, in quibus ab adoleſcentibus bonæ artes & ſtudia addiſcerentur.

XI.

Cui rei ſit argumento illud vnum, quod Genebrardus in Chronico ſuo teſtatur, Pariſijs eſſe ſexaginta duo collegia ab Eccleſiaſticis pleraq; omnia conſtructa & dotata, in quibus iuuenes nulla impenſa litteraturæ dent operam. Atqui ſi coëant omnes hæretici quotquot vmquam fuerunt ab orbe condito, haud poterunt oſtendere tot collegia ab omnibus ſuis ex omni æuo per tot ſæcula fuiſſe fundata, quot vna Gallicana natio, adde per Eccleſiaſticos ſolos, adde in vna dumtaxat vrbe. Vide quàm diſſimili atque impari cõtentione & comparatione pugnare velim. Quid igitur noſtris ad liberalitatem deeſt? Quid clericos impij quaſi auaros accuſant?

XII.

Nunc quando à flagitioſis cuncta maligno conſilio in deteriorem partem ſemper accipientibus Eccleſiaſtici viri, quaſi rapaces, & auidi carpuntur, & mendacibus huiuſmodi maledictis proſcinduntur, oſtẽdamus ex alijs etiam rebus omnium minimè illos alienorum appetentes, atq; idcirco ad liberalitatem propiùs accedentes. Et in primis, quod eſt omnibus clericis commune, ſit illud. Nullum genus hominum videas, qui minus bona communia in perpetuam ſui ſuorúmve proprietatem tranſtulerint, quàm clericos. E Conſtantini namq;, & vetuſtiſſimorum Regum temporibus ſunt fundi, qui ſemper aſſignati ſunt clericis, eorumq; vſibus ſeruierunt, & adminiſtrationi eorumdem ſemper ſunt commiſſi: neque tamen ij ſunt à clericis hæreditarij facti, numquam tranſlati in cognationes iure teſtamenti, aut ab inteſtato. Vt enim malis artibus ab aliquibus ſit aliquando ſecus actum, prædiorumq; Eccleſiaſtico-

rum

rũ facta interceptio ab Ecclesiasticis, non tamẽ ita sæpè, vt vel eorundẽ, vel aliorum prophanorũ à prophanis. Vbi nã que nunc tot prædia, quæ ciuitatibus Italicis & alijs olim scimus fuisse? Si quis est clericus, cui sit ius aliquod beneficiúmve, vt vocamus, Ecclesiasticum inter nostros, non potest id ille alienare in suos, neq; cõspirare, vt alienet, quod crebriùs laici fecêre in publicorum bonorum expilatione ac prædatione; ita vt nulla vrbs sit, cui sint ex antiquo tempore fundi communes, vt clericis: quòd scilicet illos priuati, qui eos curabant, interuerterint, Ecclesiasticos Ecclesiastici non ita.

XIII.

Sed hoc magis apparebit exemplo illustiori, è quo simul constabit Episcopos fuisse minus auidos, quàm minores clerici fuerint. Sunt ampli inter nos Episcopatus, Archiepiscopatusque, ijdemque ditissimi, ad quos eliguntur sacerdotes. Sunt similiter in Christiana republica regna, ac principatus nonnulli, ad quos laici eliguntur. Hos Archiepiscopatus numquam videas è cognato in cognatum proximiorem diu translatos, vt regna, imperia, ac principatus: quòd scilicet clerici minus coëant ad inuadenda bona sacra, quàm laici prophana; minus inquam clerici concordant in hoc, vt faciant sua, & priuata, quæ sunt communia & publica, quàm laici. Verbi gratia, sunt inter Catholicos hæc regna, quæ iure electionis, non iure hæreditario deferuntur, Hungaricum, Bohemicum, Polonicum, Germanicum. Quid verò esse in causa dicemus, quòd licet hæc sint electionis, tamen ita res transiguntur, vt à parentibus in liberos, à fratribus in fratres transferantur, quousque plerumque alicuius agnatio durat? Ante oculos nobis est Polonicum regnum, quod tamdiu durauit in familia Iagellonis, vt non modò ad liberos fuerit transmissum, sed ad fratres etiam, quod accidit in quatuor Cazimiri vltimi filijs, quorũ alter alteri in regno successit. Cur per tot sæcula non idem factum aliquando in Archiepiscopatu Coloniensi, Moguntino, Treuerensi? cur Archiepiscopus cum Canonicis & clericis suis haud conspirauit, vt quilibet sibi fundos hæreditarios facere posset, in consanguineos transferre, aut de eis, vt libitum fuerit, statuere; quod Lutherus suadere conabatur Archiepiscopo Mogũtino, idq; ex eius epistolis cõstat, & Cochlæus ac Surius narrant? Viden' igitur vt clerici minus velint esse priuata ac sua, quæ sunt communia & publica, quàm laici.

Liberalis verò est magis ad communia respicere, & ea, quæ quoquo modo sunt aliorum, quàm sua. Neq; est, quòd aliquis mihi dicat, clericis nō esse filios. sunt enim fratres, sunt consanguinei: & videmus inter laicos cōuenire, vt regna, q̃ iure electionis deferūtur, ad cognatos deferantur, quāuis non sint ex liberis, vt de Polonico diximus, & de Germanico constat, nostra hac ætate, cùm Carolo Quinto defuncto substitutus est frater Ferdinandus. Igitur magis laici, quàm clerici in hoc conueniunt, vt sua fiant, quæ sunt communia, quod est animi auidioris. Hac porrò in re admirabilis Veneta Respublica, in qua Duces non ita possunt arte vlla, neque cæteri conspirare in hoc, vt potestas Ducis post obitum illius aliquo modo ad consanguineos deferatur, quamuis priscis temporibus non adeò firmum hoc foret. Obseruandum porrò inter nostros minus auiditatis exstare in Episcopis, quàm clericis: beneficiorum namque renunciationes in aliorum fauorem videmus sæpiùs fieri, & admitti, non autem Episcopatuum. atque idcirco illa crebriùs transeunt è cognatis in cognatos, quàm Episcopatus. Rursus & illud obseruatione dignissimum. Ante Constantinum plerique omnes Imperatores eligebantur per factiones ac seditiones, quibus vt plurimum contingebat, vt mors Imperatori inferretur, & eius interfector illi substitueretur, tanta regnandi erat cupiditas. id etiam contigit, sed non ita crebrò in Constantinopolitanis, vt signis de infelici exitu hæreticorum Regum, ac felici nostrorum constat: omnium minimè accidit in Germanis. Sic itaque Germani hac in re minus iura communia violarunt, & quæ sunt animi liberalis magis custodierunt.

XIV. Omnium Ecclesiastricorum Pòtifex maximè liberalis in causam publicam.

Iam verò sicut Episcopi minus restricti & rapaces clericis, & clerici laicis; sic omnium minimè Romani Pontifices. quòd scilicet non sic ingenium intenderint, vt consanguineis illam sedem traderent, in illos ea transferretur, quod alij Reges, Imperatores, & Episcopi fecerunt. & tamen nullum regnum vel imperium tot habuit vnquam successores, vt pontificatus Romanus. Sic eorumdem Pontificum minus factiosæ fuerunt electiones, quàm quorumuis Regum, vel Imperatorum, (summa namque summis sunt conferenda) si tempora temporibus, eorumque inter se diuturnitatem compares. Hinc etiam videas in imperijs ac regnis, in quibus est electioni locus, hoc in mores fuisse inductum ex antiquissimo tempore, vt designaretur

retur adnitentibus Regibus qui futurus ipsis esset successor, & illi obedientiam futuro iam Regi iurarent subiecti. Sic primus vsurpauit Antoninus Philosophus anno Christi centesimo septuagesimo octauo, vt aliqui volunt, cùm Commodum filium sibi successorem, vel etiam socium designandum curauit. Huius exemplum plurimi sunt secuti ac sequuntur, vt regna & imperia, in quibus electio locum sibi vendicat, ad suos, quos volunt, transmittant. Tentatum fuit hoc aliquando in sede Romana, cùm Vigilius æstu ambitionis, irrito tamen conatu abreptus, Bonifacio Secundò certum se successorem deligi est conatus. Illud autem non omittendum, quòd Imperatores antiqui non modò sibi successores eligendos studebant, sed eosdem constituebant secundo quasi loco imperij consortes: quin ne forsan excluderentur, in imperij administrationem admittebant: sic enim certiùs in eos transferebatur potestas Imperatoris. Id nunquam fecêre Imperatores Germani. Constantinopolitani sunt aliquando imitati, vt Valentinianus egit cum Valente fratre, Arcadius cum filio Theodosio, Leo senior cum Leone nepote, alijque cum alijs. Sic itaque Germani minus iura communia abstulerunt, quàm Constantinopolitani Imperatores. Solent porrò & Episcopi nostri aliquando studere, vt eis detur suffraganeus, aut coadiutor, quem cupiunt successorem. Id adeò Papæ non sunt conati, vt pluribus id legibus ne fieret, constituerint. Patriarchis etiam Constantinopolitanis erat olim Syncellus, qui mortuo Patriarchæ, vt Zonaras in Monomacho testatur, succedebat. Similiter cum Mahometes impius edixisset, vt omnibus Mahometanis vnus, teste Ioanne Leone, Calipha præesset, isque non iure cognationis, sed electionis succederet, & regna Mahometanorum nullo modo forêt hæreditaria; Calipha curabat sibi viuenti adiungi, quem Sciriffum dicebant, qui postea in vniuersum ius succederet, vt Zonaras in Monomacho scribit. Quamuis & regna apud Mahometanos facta sint hæreditaria. Ex his liquet Papas omnium minimè sua fecisse, quæ communia sunt; alios autem longè secus.

XV. Sed & ex alio Pontificis Romani liberalitas supra cæteros sit perspecta, quòd nemo Rex, Imperator, ac princeps, tot nũcios ac legatos suos apud singulos Christianę Reip. Principes habeat, vt ipse: quod nõ nisi maximo fit sumptu,

atque

atq; ob communes omnium Christianorum vtilitates, ad vnius scilicet religionis societatem tutandam, pacem conseruandam, fœdera aduersus hostes communes coniungenda. Quamobrem videmus nunquam propè coijsse principes Christianos aduersus Mahometanos, nisi procurante Pontifice Romano, ac maximas suppetias ferente. Id cunctis historiarum peritis, & vsu rerum valentibus est clarissimum. Verum veniamus ad alia, è quibus ipsorum mendacia confutabuntur.

Pontifex Romanus neq; partem millesimam exigit à Christianis eius, quod ipsi deberetur. ex quo manifesta fit, & ex alijs, Ecclesiæ Catholicæ liberalitas in omnes.

CAP. X.

XVI. Liberalitas Papę in nõ exigendis ijs quæ sibi iure deberentur.

SAcerdotibus deberi, quidquid ad eorum vitã dignitatemq; tuendã, & sacra procurãda est necessariũ, nemo sanæ mentis ambigere potest. Apud omnes namque gentes benè institutas id in more positum videmus; & res ipsa ac naturalis ratio docet, æquum esse, vt qui ministerio publico, & quidem omnium maximo, dedicantur, de publico viuant. Hinc Paulus ad Thessalonicenses, ait: *Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli.* Audin' potuisse Paulum oneri esse alijs, non vi, quid enim vi Paulus valuisset? sed iure diuino. Atque ita possunt Apostolorum successores, etiam si sit onerosum, petere & exigere à Christianis, quod est in vsus ipsorum, & religionis, idque petent & exigent iure, quamuis sit onus. Quòd si haud petant, à nimia ipsorum caritate nascetur. Ob id rursus ad Corinthios idẽ: *Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non mãducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? an & lex hoc non dicit? Non alligabis os boui trituranti? Numquid de bobus cura est Deo? An propter vos vtique dicit? Nam propter nos scripta sunt. quoniã debet* (aduerte hæc verba) *in spe, qui arat, arare; & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt; quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio. Nescitis quoniã*

1. Thess. 2.

1. Cor. 9.

qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant; ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium adnunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Hæc Paulus, clarissimè asserens esse Euangelicum præceptum, vt sacerdotes de publico viuant, esse id legis diuinæ, ac multo magis hoc ijs deberi, quàm quibusuis alijs, quare non potius nos, inquit, & Dominus ordinauit, & non secundùm hominem hæc dicit, vt ostendat non esse humanæ legis, sed diuinæ. Quòd si sacerdotes hæc non exigant, à maxima ipsorum liberalitate id procedit, qualis erat Pauli. Quocirca idem testatur alibi ad Timotheum scribens, quod debetur sacerdotibus, id deberi magis quàm quiduis aliud in terris. *Laborantem agricolam,* inquit, *oportet primum de fructibus percipere.* & ad Thessalonicenses: *Non quæro,* ait, *datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* ostendens dignosci an aliqui proficiant in Euangelio, si dent; ideoq; in dato, non datum requiri, sed fructum. Rursus idem ad Romanos: *Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Audin' debitores esse laicos sacerdotibus? & quidem ijs, qui miserunt alios ad ipsos docendos, quod fecerant ij, qui manebant in Hierusalem, quamuis non essent illi ipsi, qui docuerant Achaios, & Macedonas. Quid multa? Christus ipse hoc dixit, à sacerdotibus iure capi, quod ipsorum sit vsui. Sic namque apud Lucam: *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* Quin alibi disertissimè idem Christus dixit, ne Apostoli quidquam secum ferrent, non quòd nollet eis esse aliquid, sed quòd omnia quæcumq; essent vsibus commoda ipsorum, ab alijs essent ipsis præstanda. sic namque apud Matthæum: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim operarius est cibo suo.* Viden', vt idcirco nolit Christus ab Apostolis, vel ea, quæ quodammodo sunt necessaria, portari in via, quia digni sunt, quibus omnia abundè præstentur? Hinc alibi non modò vult hæc ab eis gestari, sed si quidem opus sit, portari & gladium, etiamsi ob id reputandi sint iniqui. Sic enim loquitur ad Apostolos ipse apud Lucam: *Quando vos*

2. Tim. 2.

Cap. 15.

Luc. 10.

Luc. 22.

misi sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est. Hæc Christus: qui & capite Matthæi vigesimo tertio dixit oportere ex omnibus præstari decimas, *Hoc,* inquiẽs, *oportuit agere,* cùm verba faceret de decimis vel rerum minimarum dandis. Atque hæc adeò vera sunt, vt indigni etiam clerici, tamen, quia clerici, digni sint, quibus quæ necessaria sunt ad eorum dignitatem tuẽdam, præstentur. Hoc manifestè Paulus dixit ad Timotheũ scribens: *Qui bene præsunt,* ait, *presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo, & doctrina. dicit enim scriptura, Non infrenabis os boui trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Audin', qui bene pręsunt presbyteros duplici honore dignos, ita vt iam colligere possimus suo, non tamẽ duplici honore dignos, qui non ita benè præsunt? Honorem verò vocat Apostolus, Hebræorum more, præmium, mercedemq; viris dignitate ornatis aliqua debitam, quam Latini & ipsi honorarium dicunt. Sed ex eodem loco Pauli ad Timoth. discimus, Ecclesiasticarum rerum distributionẽ pertinere ad Episcopos: sic enim scribit Apostolus ad Episcopũ Timotheũ: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia, vt ijs, quæ verè viduæ sunt sufficiat, qui benè præsunt presbyteri duplici honore digni sunt.* Neq; verò obijciat aliquis à Christo illud prolatum, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Nam Christus tum non loquitur ad omnes, sed ad vnum, cui tum conueniebat vendere quæ habebat, ac dare pauperibus. Insulsi verò est, quod aliquando Christus vni dixit, ad omnes omninò illud trahere. Pręterea loquitur ibi Christus, vt quis propria vendat, nõ vetat aũt vt aliquis habeat è communi veluti commune. Deniq; ait, *Si vis perfectus esse.* quo circà cùm sint in Ecclesia infirmi, siue imperfecti, de quibus dictum est, *Debemus autem nos firmiores imbecillitates aliorum sustinere.* idcirco Ecclesiæ debet esse amplissima bona, amplissimæ opes, vt maximè imperfectis opem ferat. qua de re nos signo de opibus è longinquo aduectis, & felicitate nationum Catholicarũ. Similiter non obest, quod alibi Christus ait, *Nisi quis renũciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* hæc enim renunciatio nõ fit dissipando bona, aut ex omni parte largiendo protinus. Ridicu-

1.Timo.5.

Rom.15.

diculus nãq; esset & stolidus, si quis oẽs Christianos vellet prorsus esse omni re spoliatos: & tamen Christiani debent esse Christi discipuli; nihil namq; est aliud esse Christianum, quàm Christi discipulũ, vt est in Actis Apostolicis. Igitur quilibet debet renũciare omnibus, quæ possidet, dãdo alijs, quando, & vbi est opus, vt aiebat August. epi. 5. ad Marcell. sic etiã legimus Christũ loculos habuisse, & idem de Apostolis est scriptum, vt notauimus suo loco. Cõstat itaq; oportere clericis esse abundè vndè tueantur suã dignitatem. quod dixi, Abundè, id explicat idem Paulus, cùm dicit duplici honore dignos presbyteros: non igitur simplicem & necessarium vult esse Apostolus. quòd si pro dignitate præfecturæ facienda est distributio de Pauli sentẽtia, maiora Episcopo, maxima Archiepiscopo, longè amplissima cunctorum Patri, quem Papam nominamus.

Act. cap. II.

His positis inquirendum nobis, quid laici debeant clericis propter sacra ministeria. Debere enim Paulus ait, & pro dignitate inter clericos asserit faciendam ab Episcopo distributionem, sicut Apostoli faciebant, cùm cunctæ opes Hierosolymis ad eorum pedes proijciebantur. Atqui certum est, longè digniores esse ministros noui testamẽti, ministris antiqui, & dignitate, & potestate, & reb. ipsis, actionibusq́; vt toto hoc opere apparet, & disputat latè Paulus ad Romanos, Corinthios, Galatas, Colossenses, & Hebræos scribens. Videamus igitur, quæ Deus ipse statuerit esse bona Leuitis, sacerdotibus, ac Pontificibus antiquis: nam multo maiora nostris, veluti longè nobilioribus, erũt præstanda. efficax esse hoc argumentũ Paulus ipse nos docuit, cùm scribens ad Corinthios, vt paulò antè adducebamus, colligebat ideo dãdum nostris sacerdotibus vnde viuant, quia dabatur antiquis. Quatuor autem Deus esse voluit sacerdotibus priscæ legis. In his est illud primum. Quamuis duodecim fuerint filij Iacob, tamẽ tribus fuerũt tredecim: Ioseph namque vnus è duodecim constituit duas tribus, quia duo filij ipsius ex æquo cum reliquis in partem sunt vocati, Ephraim scilicet, & Manasse. Cuilibet autem tribui in diuisione Palæstinæ sua regio separatim fuit assignata; sed Leui non fuit attributa distincta regio, sed in qualibet è duodecim tribubus quatuor ciuitates assignatæ fuerunt Leuitis, atque ita in tota Iudæa fuerunt illis quadraginta octo ciuitates varijs dispersæ locis. Statuit autem Deus, vt agri suburbani essent in vsus Leuitarum, quorum

Quid laici clericis debeant.

Quid daretur olim Leuitis.

longitudinem ex omni parte voluit patere passuum duo millia, vt habetur Num. cap. 35. & Iosue cap. 21. Quamobrem cùm Leuitis essent quadraginta octo ciuitates cum suis agris, & agrorum longitudo erat quam diximus, necessariò fit, quidquid ab eis possidebatur ex omni parte pertinuisse in longitudinem milliaria nonaginta sex. Considerenus quota portio fuerit hæc totius terre, quam duodecim tribus habuerunt. Burchardus diligentissimus scriptor inita ratione exactissima tradit latitudinem fuisse totius leucarum viginti sex, id est milliariorum centum quatuor, longitudinem verò leucarum centum viginti; id est milliariorum quadringentorum & octuaginta. Quod si verum est, cogimur fateri datam Leuitis è tota Iudæa quartā partem, & amplius: è qua tamen credo subtrahendū, quod altitudo montium poterat reliquis tribubus adijcere. Vt vt res sit, haud puto accliuia montium iuga, & cacumina effecisse triplum longitudinis, ac latitudinis: ita vt verisimile sit omninò tantumdem diuersis in locis telluris datū tribui Leuiticæ, ac singulis alijs. Hoc itaq; illis assignatum primo loco. At secundo Deus sanxit, vt omnium rerum decimæ, tam frugum, quàm fœtuum, deferrentur ad Leuitas; si multis in locis Leuitici ac Numerorū habetur. Quolibet igitur decennio Leuitæ habebant tantumdem, ac reliquæ tribus omnes singulis annis collegissent: quòd perinde est, atq; si Leuitis decima pars totius terræ assignata fuisset; præstabat tamen habere decimas, quòd nullo labore ac sumptu illis potirentur. Tertiò primitiæ omnium frugum & fœtuum pertinebant ad Leuitas, ita vt primogeniti filij vel offerendi essent templo, vt eius ministerijs seruirent; vel redimendi. Quartò, singula peccata Deus iussit expiari sacrificijs suis, & hostijs animalium; quorum, cùm immolabantur, pars attribuebatur sacerdoti. Ex his itaque affirmare meritò possumus quemlibet Leuitam quadruplo amplius habuisse, quàm quemuis è Iudæis; aut tribui Leuiticæ quadruplo amplius datum, quàm singulis aliarum. Leuitæ porrò omnes lege diuina obligabantur, harum rerum omnium decimam partem dare summo sacerdoti; ita vt vnus Pontifex Maximus haberet tantumdem & amplius, quàm quælibet tribus, siue omniū rerum duodecimam partem, plus, minus. Quamobrem cognoscimus apertissimè, lege veteri, siue de ipsius Dei sententia sacerdotes illos priscos multis partibus plura ac pinguiora

Buch. 1. part. cap. 9. §. 1. & seq.

Exo 30. Leui. 27. Nū. 3. & 28.

ra potitos, quàm nostros. Nam quantæ quæso Pontificis Romani forent opes, quàm inuidiosæ, & impiorum conuicijs obnoxiæ, si solus possideret, quantũ duodecima pars omnium Christianorum? Quanta rabie clerici ab hæreticis & hostibus exagitarentur, si quadruplo amplius haberent, quàm reliquus populus? Sed nostri scilicet, ne sint oneri auaris istis, ac rerũ suarũ tenacissimis, vnà cum Paulo noluerũt esse oneri laicis, contenti tenuiorib. fuerũt, cùm largiora possent exigere. Quid autem, si doceamus adhuc clericos, Episcopos, & Papam liberaliores fuisse, ac largiùs præterea de iure suo cessisse, cuncta ista quæ priscis de sententia Dei dabantur profudisse, laicis omninò reliquisse?

Clerici id solum sibi retinuerunt, quod nullo modo remittere potuerunt cætera remiserunt.

CAP. XI.

XVII.

CVM quatuor hæc olim Leuitæ de Dei sententia haberent, nostri propè nihil horum sibi adsumpserunt, cùm iure possent, digniores enim sunt nostri sacerdotes, ac digniorib. debentur multo plura, vt de presbyteris, qui bene præsunt, ait Apostolus, qui & argumentatur ideo nostris clericis honoraria deberi, quia lex antiqua sic statuerat de suis: quod etiam scripsêre Origenes, Hieronymus in cap. 3 Matthæi, & c. 44. Ezechielis, Augustinus serm. 219. & in Psal. 146. & hom. 48. inter quinquagin ta, Epiphanius hæresi 80. & ante hos omnes Irenæus lib. 4. c. 34. qui omnes decimas, & oblationes à populo Christiano sacerdotibus deberi tradunt. Idem scripsêre Cyprianus epist. 66. vel 9. lib. 1. Chrysosto. in cap. 23. Matthæi. denique canones Apostolorum nonnulli à Græcis proferuntur, qui libro Clementis vocato continẽtur. Nunc autem paucissimis in locis decimæ præstantur; de primitijs verò, & alijs, quæ Leuitæ habebant, nihil est inter Christianos. Explicabimus autem, quibus de causis alicubi decimæ soluantur. Sed prius illud aperiemus. Postquam Constantinus Romæ Christum colere cœpit, & imperio cuncta Romani orbis loca continere, à Pontifice Romano vitam veræq; pietatis cultum sibi concessum diuinitus agnoscens, sanxit, vt quæcumque bona à superioribus Imperatoribus essent Christiano populo erepta, illa redderentur is, eo-

Orig. hom. 11. in Num.

Euſ. l. 10. c. 5. hiſt. Eccle. & lib. 2. c. 35. de vita Conſt.

rúmve hæredibus, ſin min' Eccleſiæ; quòd ſiqua fiſcus vendidiſſet, eorum pretium ex ærario Eccleſijs reſtitueretur: ingentia verò hæc erant bona, è quibus eſt Eccleſia collocupletata. Chriſtiani deinde religionis ardore ſuccenſi plurima Eccleſijs reliquêre. Quamobrem pleriſq; in locis decimæ haud dantur, quòd ſcilicet clerici ſint huiuſmodi bonorum fructibus contenti, ac neceſſe eſt illa ab ipſis poſſideri; cùm iure omnium gentium conſtitutum ſit, vt ſacra bona ſacris vſibus & hominibus debeantur, neq; prophanis ſeruire poſſint; ita vt nemo olim fuerit ſic impius apud gentes, qui non reputet ſacrilegum & impium, qui ſacris bonis manus iniecerit.

Quintum quod olim Leuitis debebatur, & quod clerici non potuerunt nō retinere.

Leuit. c. 27.

Qua in re ſciendum, præter illa quatuor, quæ Leuitæ habebant, quintum fuiſſe huiuſmodi; lege namq; diuina cautum fuit, vt ſiquis fundum vel aliam rem Deo donaſſet, id totum non poſſet niſi à Leuitis haberi, ſanctumq; dicebatur, & ab vllo amplius conuerti in alios vſus, & à prophanis poſſideri haud licebat. Hoc igitur quintum neceſſariò diuina lege coactus clerus ſibi omninò reſeruauit. Sciendum præterea priſcis temporibus Germaniã, Britanniam, & quidquid eſt telluris ſupra Rhenum, & Danubiũ, omnia fuiſſe inculta, populosq; oẽs Boreales neq; operam dediſſe agriculturæ, vt Cornelius Tacitus notat, terramq; horrentem, ac ſterilem, vt inquit Seneca fuiſſe, vt ſigno de cultu deſertorum locorum nos oſtendimus. Sed poſtquam ſedes Apoſtolica Romana miſit in ea loca monachos, & alios, qui gentes efferas ad Chriſtum & humaniorem victum traducerent, ijq; varijs in locis monaſteria conſtituerunt, ex eo nihil non fructuum produci ſcimus ex ijs terris, vt capite de ducentis Germaniæ bonis explicamus. Reges porrò Galliarum, vt ad culturam cuncta redigerent, ac nemo monachos malè haberet, donabant ad monaſteria fundãda, monachosque tuendos, remq; diuinam dilatandam ſpatia ampliſſima ſyluarum, montiumque & camporum monachis, & eorum monaſterijs. Sic itaque iſtorum monachorum, quos nunc impij perſequuntur, opera, & induſtria fiebat, vt populi Septentrionales addiſcerent pietatem, litteras, ipſam denique agriculturam. Hinc antiquiores Germaniæ vrbes prope monaſteria conditæ omnes, vt etiã Munſterus ipſe hæreticus obſeruauit, ac ſcripſit. Quidquid igitur Germanica tellus producit, id induſtriæ potiſſimùm monachorum & clericorum debetur. An non igi-

tur

tur maximo iure copiosissimi fructus istis debebuntur ex illis locis? Rursus sciendum, postquam Sarraceni & Mahometani occuparunt Hispanias, bello cuncta esse à nostris recepta. Episcoposque, & clerum in sumptus bellorũ de suo semper plurimum contulisse, ob idque decimas illis assignatas. Vt vt res sit, clerici haud facere potuerunt, vt quæ ipsis, tamquam viris sacris, Ecclesijsque donata erant, alióve modo acquisita, & idcirco Deo consecrata, rursus è sacris fierent prophana. Stat namque illud Christi inter alia, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt Dei Deo. En igitur vt clerici quodammodo necessitate coacti fundos & immobilia bona cœperint habere. & cùm multo plura debeantur nostris sacerdotibus, quàm priscis, & iure exigi possint, nihilominus cùm quinque sint illis concessa, Nostri vnum dumtaxat sibi retinuerunt, illudq; adstricti iuris diuini, naturalis, gentiumque omnium communi quadam sanctione, qua sacrilegus reputatur, qui sacra bona aufert, & è sacro prophanum facit. Sed quot quæso, & quanta per impios sunt bona clericis ablata, vel apertissimo sacrilegij furore, vel eodem prætextu, quo Iudas Christum pretio proditurus inuehebatur in Christum, quòd pateretur se pretiosissimis vnguentis adspergi, & quodam modo delicijs locum dari? sic Christianæ pietatis hostes quidam bona sacra inuadunt, quòd clerici nonnulli ad delicias illis abutantur abusuri ipsi ad omnia flagitiosa, & nefanda, Christumque instar Iudę huiusmodi pretio venditũri.

Ex his omnibus apertissimum fit, quanta sit Ecclesiæ inter clericos liberalitas de suo tot ac tanta reliquo populo concedentis, ne grauis appareat, idq; solum sibi retinẽtis, quod nullo modo non potest retinere.

Maxima Papæ liberalitas in suis iuribus remittendis. XVIII.

Sed cùm Pontifici summo præstarentur olim decimæ omnium rerum, quas cæteri sacerdotes habebant, diximusq; multo plura deberi nostris, longè tamen secus contingit. Numquid enim Pontifex Romanus tantum potitur è fructibus beneficiorum, quantæ sunt illorum decimæ toto orbe Christiano? Id si ita esset, quolibet decennio haberet vnus, quantum cuncti clerici singulis annis. Atqui neque habet istorum partem millesimam. Annatas namque solas habet, cùm beneficia confert ijs mensibus, ac temporibus, quibus ad ipsum pertinet conferre. Annatæ sunt vnius anni fructus: sed facta est æstimatio huiusmodi

in plerisq; omnibus beneficijs, vt neq; ad vnius mensis fructus sæpè perueniāt annatæ. Præterea verò è pluribus Christiani orbis partibus illi non præstantur: è religiosorum verò ordinum bonis, quæ sunt amplissima vbiq;, nihil prorsus illi datur, neq; ipse vult exigere. Contra omne ius igitur egêre quædam seditiosorum conciliabula, quæ Pontificis Romani annatas extenuare conabantur; & quid mouerent, haud intelligebant.

XIX. Liberalitas Papę in cōmunicādis Ecclesiasticis bonis.

Quid plura? Regibus ipse sæpè ex Ecclesiasticorū bonorū fructibus tantum concedit, quanti neq; partē centesimā, cùm possit, ipse percipit. Verbi gratia. Nostra ætate concessum fuit sæpe bis aut ter Gallicis Regibus, vt tantū possent alienare è prædijs sacris, quantum postea cognitum fuit esse bis millies mille aureorū singulis largitionibus: similiter Hispanici Reges munere Pontificio colligunt nunc è fructibus rerum sacrarum quotannis millies mille aureorum, & amplius. Certissimum verò est, & quiuis, si velit, Romæ cognoscere potest è codicibus rationum verissimis, è fructibus beneficiorum non percipere Pontificem Romanum toto orbe Christiano septingenta aureorum millia. Hæc sanè cogunt nos fateri non illum cupidū, sed supra omnes liberalem, quando minimum sibi sumit ex eo, quod iure potest, amplius alijs largitur. Sed vbi nūc sunt illa tributa, quæ ab omnibus propè regnis pendebantur Ecclesiæ Romanæ, vt signo de admirando progressu sacræ potestatis est explicatum? Remisit aliquo modo certè Pontifex Romanus. Similiter in Hispania prius erant multi ordines militares, ac religiosi, quibus erant latissimi fundi, & boni opulentissima, commendas nominant, ca distribuebantur inter milites religiosos vel à summo ipsorum præfecto viro item religioso & sacro, vel à Pontifice Romano. Nunc Pontifice permittente Rex Hispaniarum commendas illas largitur. In Gallijs erat ordo Templariorum, cuius erāt opes incredibiles, prædia ditissima: Philippus Pulcher effecit malis artibus, (si quidem credendum Gallicis ipsis scriptoribus, inter quos postremò Papyrius Massonus rem memoriæ fideliter mandauit) vt ordo ille euerteretur, Regius fiscus inuolauit in sacri ordinis bona, Pontifice, qui tunc Auenione morabatur, & in potestate Regis erat, permittēte. Hucusq; apparet Pontificem Maximum neque millesimam partem percipere eorum, quæ sibi à subiectis clericis deberentur ex illo quinto, quod

Leuj-

Leuitæ antiqui habebant. Rursusq; de quinto isto, & eius fructibus largitum plurima Regibus, ac largiri. Ex quo simul colligitur, maximo bono esse Regibus ipsis, ac Principibus, vt bona Ecclesiastica conseruentur, neq; alienentur: nam quoties opus est, Pontifice cōcedente plurimum ex illis emolumenti capiunt. primò quidem, quia ius est ipsis ad pleraque ista nominandi, vt aiunt, & præsentandi, atque ita benemeritis suis benefacere possunt, & alios ad benemerendum de se inuitare. deinde ob decimas, quæ sæpiùs illis aduersus impios hostes conceduntur. Quæ sanè fieri non possent, si licuisset ista bona eripere vel alienare. Quamobrem commendis illis Reges Hispaniarum plurimos sibi obstringunt, & ad se alliciunt. cumque sit liberalis & illud, res tueri, vt habeat vnde possit largiri, Pontifex summus vetādo iuxta sacras & diuinas leges, ne quis bona sacra alienet, aut eorum fructus sibi auferat, hac in re munere liberalitatis est vsus, quasi Pater, qui prouidet ne filij bona dissipent. Quamobrem consultius & vtilius prouidisset Philippus Pulcher, si non euertisset ordinem Templariorum, & eorum bona alienasset, sed curasset se eligi summum eorum Magistrum: sic enim contulisset iure perpetuo commendas illas, Regiumque ius opulentius reddidisset in futurum; quod egêre Hispaniarum Reges.

XX.

Episcopi poterant olim causas omnes in qualibet iudicij parte, coram quibuscumque illæ iudicibus forent, cognoscere, & diffinire, neque vlla dabatur appellatio. Id Constantinus, vt è lege Codicis Theodosiani apparet, cōcessit in toto orbe Romano; Carolus Magnus eam legem renouauit, ex qua videmus in Germania Episcopos multos amplissimis vrbib. iura dicere. Hoc ius Episcopis ablatum rediijt ad prophanos. Necesse est astu & vi rem perfectam; iure non potuit. Res namque sacras, quippe quæ propiùs ad Deum referantur, quàm prophanæ, meliores facere licet, deteriores nullo modo; sicuti ad Deum magis appropinquare debemus, ab ipso recedere absque peccato non datur. Hæc sanè iura transierunt ad alios, quòd Episcopi non admodum fuerint tenaces, & videbant non esse pugnandum cum ijs, quorum animis parum pijs illud insidebat arrogantiæ prophanæ fundamentum,

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Atqui, inquiunt, mali quidam Principum consiliarij ab Ecclesiasticis malè res istæ ad ministrabantur. Esto, vt alij

quando male Ecclesiastici administrarint; peius sanè plerumq; laici, & prophani. plerumq; diximus, nam bene interdum non inficiamur. Id esse verum constat toto hoc opere, quòd pro paucitate Ecclesiasticorum, & multitudine laicorum, plures sancti è clericis, quàm laicis, & considerata Episcoporum paucitate, & presbyterorum multitudine plures sancti ex Episcopis quàm presbyteris, & cùm præ Episcopis solis Cardinalium numerus sit exiguus, plures item sancti è Cardinalibus, quàm episcopis; deniq; cũ sit vnus Pontifex summus toto orbe, è summis Pontificib. sancti plures, quàm è quolibet ordine principum siue religiosorum, siue prophanorum. Hęc nos signo de religione & iustitia persecuti sumus. Necesse est igitur peius administrari res à peioribus, melius à melioribus. Sancti autem cũctis meliores, sanctitas namq; est maximum maximarum virtutum culmen. Veniamus ad illùd cõmune etiam tum Pontifici, tum Episcopis; & clericis.

XXI. Liberalitas Papę in cõmunicãda electione Episcoporum.

Ordinare episcopos solius est Episcopi Romani, ac non modò ordinare, sed & eligere. Nam cùm Christi sit Vicarius, veluti ille solus elegit Apostolos, quibus episcopi successerunt, sic ipse solus potęst episcopos eligere, & ordinare. Eodem modo Petrus cùm Matthiam substituit, quamuis cœtum conuocarit, tamen ipse leges electionis præscripsit, & quos vellet eligi, quasi intento digito indicauit, primarios episcopos ipse orbi Christiano dedit: deniq; ad illius successores id spectare constat è multis, quæ signo de Petri cathedra retulimus; ipsi sanè in omnia orbis loca mittere vel episcopos, vel missis, quæ haberent, iura sunt largiti, semper tamen id seruarunt, vt presbyteri eligerent, sibique ius confirmandi retinuerunt, vt ibi clarissimè ostendimus. Sed vbi viderunt Reges aliquos sæpè ad sacra iura diminuenda cõuolare, vel omni ex parte ad se ius hoc transferre voluerunt, vel collegijs quibusdam potentioribus, qui regiæ potestati se possent & auderent obijcere, sunt imparti ti, vt videmus in Anglia, Germania, & Borealibus Ciuitatibus in mores inductum; & in Gallia idem fuisse olim liquet è capitularibus Caroli Magni. Anno namque millesimo nonagesimo, cùm passim ab Imperatore Henrico Tertio sacerdotia ob nummos, & turpia quæq; venderentur, ab alijs verò principibus Episcopi pro libito obtruderentur, ita vt clericis nullum ius amplius esset eligẽdi Episcopos, Romani Pontifices id seuerissimo edicto à prin-

cipibus

cipibus prophanis auocarunt, & ad collegia probatiora, vel ad se transtulerunt, plurimaque habita passim concilia in idem conuenére, vt testantur Sigebertus, Ottho Frisingensis lib.7.c.13. Gulielmus Tyrius lib.1.cap.13 qui sub hęc tempora vixêre, & his proximi Vrspergensis in vita Henrici Quarti & Quinti, Vincentius lib. histo.26. cap.10. Sic itaq; liberalitatis Pōtificię fuit, id olim dedisse, & quātum potuit conseruasse in multis locis, vt presbyteri crearent Episcopos, cumq; Reges hoc ijs abstulissent, vt reddetur, Papa effecit, ne vnus haberet, quod ad multos spectabat: liberalioris namq; est sua pluribus, quàm vni communicare. Quod igitur habent Reges ius nominandi Episcopos, id totum à Pontificis liberalitate est natū, vel permissum: quod similiter ius eligendi habent collegia quædam presbyterorum, id similiter ab eiusdē largitate est profectum. Nam veluti à Sole radij, à trunco rami, à fonte riuuli, sic Episcopi prodeunt, inquit Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ, à Pontifice Romano.

XXII. Liberalitas Papę incōmunicāda. Papatus electione.

Iam verò ne quis eum quasi minus liberalem hac in re mordere malo animo posset. Vide ipsius munificentiam summam, qua omnium Episcoporum deligendorum, quin sui ipsius deligendi ius cunctis nationibus communicauit. Statutum namq; est, vt Pontifex Romanus à Cardinalibus, qui creantur ex omni natione, ordinetur, sic itaq; tantum ius omnibus est elargitus. Ex quo factum, ne quidam Principes dissidia Romę per leuiores presbyteros mouerent, qđ nos ostendimus signo de studio Romani Pontificis in conseruando Germaniæ regno ad finem, & in omnes gentes exstitit liberalissimus Pontifex, qui prius à solo clero Romano solebat creari, è quo tamen optat in Cardinalium cœtum, ne mos antiquus abrogetur, sæpè plurimos Romanos. Quòd autem prætereà plures ex Italis optet, illud, vt multa omittamus, est in causa; nam primo loco experientia cognitum facillimè schismata turpissima creari per exteros, vel à Regibus aliquando adduci in suam potestatem Romani Pontificis electionem, maximo Christianæ Reip. detrimento. Id cùm probari multis exemplis possit, duo sufficiant. Philippus namq; Pulcher, vt vltionem sumeret è Bonifacio Octauo, studuit malis artibus eligi Clementem V. qui Roma Auenionem sedē transtulit, inusitato prorsus exemplo. ordinem Tēplariorū subuertit, multa aduersus Imperatores Germanos est molitꝰ,

Italia tota factionibus ac Tyrannis est dilacerata. Secundo præterea loco, cùm de communi sententia Romæ creatus fuisset Vrbanus Sextus, & Ecclesiasticorum Præsulum mores magna ex parte corrupti essent, magnamq; requirerent emendationem, aggressus est id Vrbanus; Gallici Cardinales emendationis impatientes secessere, Antipapam constituerunt, & longissimo omnium schismati principum dederunt. Sed neque debebat omninò Romanis, & Italis, suum ius Papæ creandi, Pontifex omninò auferre, sed sic ad alios extendere, vt penes aliquos maiori ex parte remaneret, ob id plures è Romanis, & Italis optantur. Accedit eo, quòd videt à quibusdam nationibus ægrè ferri Cardinales suos Romam petere, & in ea morari, ibique splendorem suum patria relicta tueri, quod spurcissimo illo libello centum grauaminum Lutherus exclamat. atqui necesse est Romæ sint Pontificis adsessores, ac fratres. Quin sanè Cardinales nullibi maiori sunt indignitate; quàm Romæ, quamobrem cùm multi exteri Cardinales Romam non veniant, neque sic, vt decet, alibi honorẽtur, Pontifex non potest ad exteros Cardinales creandos, vt vellet, conuolare. Ad summam, cùm prius electio Romani Pontificis pertineret ad clerum Romanum, Pontifex illam communicauit omnibus nationibus, cùm Cardinales ex omni natione creet.

XXIII. Ex quo liberalitas eius in eligendis preterea Episcopis & alijs grauioribus expediendis largissimè in omnes pertinuit, cùm nihil vmquam graue agat, nullum confirmet & eligat Episcopum, nisi de consilio Cardinalium. sic igitur largius impartita hæc iura, è quibus multæ opes pendent, diuitiæque plurimæ propter expeditiones rerũ publicarum, negotiaque grauissima, & dignitatem cùm principibus ac Regibus laicis tuendam necessariæ. Quid igitur hæretici latrant? quid malè animati conqueruntur? Petrus solus habebat ius eligendi Apostolos, & Episcopos; ipse, & successores eius hoc ius Episcopis, ac presbyteris communicarunt, sibi ius confirmandi retinuerunt, vt apertissimè signo de Petri cathedra ostendimus. Reges & Imperatores nonnulli nullo iure hoc ad se ius transtulerunt: nam quómodo Ecclesia deligebat Episcopos, cùm Reges Christianos, & Imperatores per multa sæcula diu non habuerit? Quod igitur erat multorum, factum fuerat vnius. Pontifices Romani, vel ad presbyterorũ collegia rursus transtule-

stulerunt, vel ad se translatum cunctis celebrioribus nationibus, cum omnium grauiorum rerũ expeditione Cardinalibus consiliarijs impartita communicarunt.

Explicantur euenta mirabilia, è quibus apertißimum fit Occidentalis Imperij iura omnia & regiones pertinere ad Pontificem Romanum & Cardinales.

CAP. XII.

QVi dixerit fas esse armis inuadere aliena, ille iustitiam tollit, totius humani generis societatem dissoluit, ex hominibus, qui ratione ducuntur, belluas, quæ naturali impetu feritatis impelluntur, vniuersos facit. Quocirca inquirendum nobis est, qua ratione Christianorum maxima quæq; regna, quæ adhuc nos stare videmus, sint fundata. A principio namque armis illa & contra iura societatis, amicitiæque, quibus nihil inter vniuersos homines est sanctius, parata, vt vidimus suprà signo de amicitia ad finem, fuerunt. Sicut autem non licet ab initio per iniuriã occupare aliena, sic malè parta haud restituere, & iniurijs non satisfacere est hominis peius affecti. Magis enim delinquit, qui perseuerat in malefactis, quàm qui ab inchoatis desistit, aut incepit tantùm. Hæc vt clarissimè intueamur esse vera, veritatemq; manibus ipsis teneamus. Illud erit nobis ante omnia explicandum, ex antiquis nullum exstitisse imperium, quod iustioribus armis, ac sanctiori iure partum fuerit, quàm ciuium Romanorum. Id plurimis sic esse aperitur. In primis enim constat à Romanis numquam mota aduersus alios populos aut Reges bella, nisi prius ipsi misissent legatos, ac fœciales, qui peterent ab illis, vt ab iniurijs desisterent, ijs satisfacerent; alioquin protestari, se inuitos ad arma venturos: quòd si illi destitissent & ablata restituissent, pax erat; sin minus, tum verò Romani bellũ publicè indicebant, Deosque animi sui iustitiæque testes & auxiliares aduocabant. Quàm verò iidem Romani pactionum forent obseruantissimi, ostendit id fides Reguli, qui redire Carthaginem voluit, durissimamq; seruitutem seruire, quin acerbissimam

XXIIII. *Maxima q̃q; regna Christianorum vt iusta sint, id factũ Pōtificia liberalitate.*

Imperium Romanum maximo iure fundatum.

mortem, cùm posset effugere, adire, ne fidem violaret. Et sanè in ipsa diuina scriptura habentur multa testimonia, quibus Imperium Romanum benè constitutum probetur. Christus namque ipse dixit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quibus verbis Imperium Cæsaris videtur innuere haud iniustum, cui sua tributa debeantur. In Machabæorum sanè libris iustitiæ Romanorum luculentissimum exstat præconium. Nos certè Christiani, nisi velimus nostros maiores, quin nos ipsos, iniuriarum reos facere, & homicidiorum, necesse est fateamur. Imperiũ Romanum iure in primis fundatum, quòd scilicet è nostris Christianis ante Philippi, & Constantini, qui Christum sunt secuti, ætatem, liqueat innumeros fuisse, qui pro Imperio Rom. militabant, & ad bella ibant, vt ex historijs cõstat; quin eorum multos ob martyrium cælitibus adscribimus, qui tamen profitebantur, se in acie paratos vitam ponere pro Imperij Rom. incolumitate; quod, nisi iure illud stetisset, haud illis hoc licuisset; neq; nobis animi huiusmodi homines fas esset cælestibus honoribus venerari. Cornelius ille Centurio tantoperè in Actis Apostolicis laudatus, quiq; meruit è gentibus nomen Christo primus dare, miles erat, & arma pro Imp. Rom. gestabat; qđ si illicitũ fuisset (fuisset autem, si non benè illud fundatũ cõstitisset) haud tãtoperè Deo præcunctis inter oẽs gentes placuisset.

Cùm bellis igitur aliena occupare sit iniquum, prætereà verò Imperium Rom. sciamus, si quod vmquam fuit, illud maximè omnium iure constitutum fuisse; denique aperuerimus suprà, contra societatis & amicitiæ leges, quæ sanctissimæ sunt apud omnes, à Visigotthis Hispanias, à Francis Gallias, ab Anglis Britannias occupatas; necesse est dicamus Recharedi, Visigotthi, Clodouei Frãci, Ethelberti, Egbertique Angli posteros nullo iure tenuisse sua regna, & tamquam malæ fidei possessores numquam fecisse illa sua. Quòd verò fuerint in mala fide ex ipsorũ scriptoribus habetur, è Iornande Gottho, Beda Anglo, Gregorio Turonensi, ac monumentis totius antiquitatis; ita vt temporis longitudine non fuerit inducta præscriptio, sed crimen diuturnius factum maiore flagitio obstrinxerit successores. Quid igitur ad hæc dicamus, si iustitiæ, & non iniquitatis volumus esse assertores? Nũquid Clodoueum, Recharedũ, & Anglicanos Reges iniustè parta sibi voluisse? cùm presertim certissimò scirent memoria recẽti haud ante-

Quo iure possideantur regna imperio Quondam Romano subiecta.

ante

ante multos annos à maioribus illas regiones per scelus, ac proditam fidē contra gentium iura occupatas? Ad hanc Episcoporum Pōtificisq; Romani liberalitatem nobis est confugiendum, Nam cùm sit horum ligare, & soluere in terris, vt ait Christus; cum sit horum regere Ecclesiā Dei, vt ait Paulus; cùm sit Romani Pontificis pascere oues Christi, & super ipsum sit Ecclesia Dei fundata; possunt, quamuis haud cogantur; iustis de causis regna transferre, & Imperia, vt ostendimus signis de præstantia sacræ potestatis; eius admirabili progressu, & Petri cathedra.

Ob id cùm Clodoueus Christo se addixit, ꝓfessus est se accipere illud regnum de manu Archiepiscopi Rhemēsis ob auctoritatem illi traditam à Pontifice Rom. atq; ita seruabatur in Francicorum Regum institutionibus, vt Papyrius Massonus ex antiquis monumentis in vita Henrici I. tradit. & quoniam Deus olim cùm transferebat Iudæorū regnum aliquod è familia in familiam, Regémve nouum creabat, per suos prophetas vngi illos iubebat; Idcirco inductum in mores, vt omnes isti Reges, quin in vniuersum Catholici oēs vngerentur, vt signo de admirādo progressu sacræ potestatis aperuimus, & istarum translationum causas assignauimus; quæ quidem causæ pendent à Pontificum; quibus est ius in vniuersas Christianas res, munificentia, nō adstricta iustitiæ specialis vinculo, sed hoc tantùm iure, quòd ipsi sæcularibus se negotijs implicare non debent, sed vbi leges ijs singillatim diffiniēdis præscripserint, committere omnia prophana prophanis expedienda iuxta ipsorum sanctiones Ecclesiæ Catholicæ maiestatem promouentes, & latissimè amplificantes. Opportunè verò accidit; vt cùm Clodoueus baptizatus est, Anastasius hęreticus imperaret in Oriente, Romę autem regnaret, Italiámq; teneret Theodoricus Arianus, quorum vterq; indignus erat ob hæreses, cui Clodoueus malè parta restitueret magna Catholicę pietatis iactura. Non enim siquid est alicui ablatū; illud est reddendum, quoties ob id Deus lęderetur, siue Catholicæ religionis fieret iactura: perinde namque esset; ac si titionem alicui ereptū redderē, quo ciuitatē ille succenderet; aut suum gladium furioso in manus darem.

Hæc sanè causa non adfuit, cùm Recharedus Hispaniarum Rex anno 586. pietati Catholicę se addixit, Imperāte Mauritio, vel cùm post eum Phoca rerum potito, Ethelbertus Anglorum Rex Christo se dedit. Sed aliud euenit

quod,

quod secundo loco proponebamus: ad cuius explicationem sciendum in vrbe Romana semper rerũ publicarum summam post exactos potissimùm Reges fuisse maiori ex parte penes ipsum Senatum. Romulus enim primus, centum è senioribus elegit, inquit Eutropius post alios, quorum cõsilio omnia ageret, quos senatores nominauit propter senectutem. Hæc ille: quòd si quis hæc latiùs ex antiquorum libris cupit discere, legat elegantissimum doctissimumq; de Senatu librum, quem composuit Ioannes Zamoscius æternum Poloniæ Decus, qui litteras sic cum laude bellica coniũxit, vt æquare quemuis vtrisq; simul possit, à nemine autem vincatur. Nos autem quod ille omisit ad rem nostram faciens persequemur, Nimirum, quæ fuerit potestas Senatus, postquam res Romana in vnius omninò potestatem venit. Anno igitur ab vrbe condita, vt quidam volunt, 726. Octauianus omnium rerum potitus, Senatum coëgit, Imperiumq; se deponere est professus: cùm verò re, vt creditur, composita, Senatores omnes repugnarent, in decennium se illud quamuis grauatè recipere est professus, ita tamen vt quietiorum prouinciarũ administrationem illi commiserit, turbulentiorum sibi reliquerit, de ipsorum Senatorum consilio grauiora quæque se transacturum dicens; & sanè ad eos cuncta ille referebat. prorogata deinde illi vsque ad obitum decennia fuerunt. Ex quo factum, vt cuncti Imperatores decennalia celebrarint, quasi eo temporis spatio Imperium renouarent. Post Octauiani mortem vsque ad necem Neronis, quicumque hæredes ex testamẽto aut lege Imperatorum superiorum fuerunt: ijdem simul eorum in Imperio successores fuerunt, qui tamen Imperium se suscipere non nisi ex Senatus consulto ac decreto sunt professi, vt ex Dione, Suetonio, & Tacito cognoscimus.

Potestas antiqui Senatꝰ Romani

Post Neronem quamuis plerumq; à militibꝰ per factiones eligerentur Imperatores, non illi tamen habebantur Imperatorum loco, nisi decretum Senatus vel liberum, vel vi metuq; extortum accessisset, quod è Spartiano, Capitolino, Lampridio, Gallicano, Vopisco, & Pollione apparet. Sed tamen aliquos Imperatores Senatus solus dedit, Neruam, vt Dio scribit, deinde Alexandrum Mammeæ, Lampridio teste; mox contra Maximinum dedit Cælium Balbinum, & Clodium Maximum Pupienum, vt è Iulio Capitolino habetur, & post hæc haud multo ante ætatem Constan-

Rom. Imp. à Senatu cõprobabantur aut dabantur.

Constantini Tacitum, quod Vopiscus docet. Illud porrò certum, vt quisque optimus fuit Imperator, sic ex Senatus consulto cuncta transigebat, Senatumque magnifaciebat, quod è suprà adductis scriptoribus apparet. Hinc Tacito Imperante Vopiscus ita tradit à Senatu scriptum ad primarias orbis Romani ciuitates: *Dandi ius Imperij, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos reuertit; ad nos igitur referte, quæ magna sunt*, hæc Vopiscus. Exstat adhuc Romæ Laterano affixa tabula Marmorea, in qua incisum S. C. quo Vespasiano est Imperium mandatum, legesque, & sanctiones illius. Sed & ante Maximinum, vt Capitolinus scibit, nemo nisi è Senatu creatus Imperator. sic etiam maximę quęque dignitates Senatoribus solis committebantur. Constantinus deinde cum Cōstantinopolim quasi alteram Romam constituisset, in ea Senatum alterum, qui Senatui Romano par esset, elegit (ex illo duo Imperatores Romanis rebus præfuerunt semper, quorū alter in Oriente Constantinopoli, alter in Occidente Romæ sedes habebat) viuensque sibi filios Cæsares, id est, Imperij successores creauit. Per multa sæcula honorem suum Senatui Constantinopolitano seruatum Zonaras in vita Constantini indicat, è quo simul etiam cognoscimus in Imperatoris electione aut acceptione semper habitam Senatus maximam rationem, quamuis Imperium iam videretur hæreditarium factum, vel omninò in potestate superioris esset sibi successorem designare. Quin cum Roma Italiaque in potestatē Theodorici Regis venisset, haud ille tamen sustulit Senatum, sed magnifecit, omnesque illi dignitates ac magistratus administrandos reliquit, quod Totilas apud Procopium Romanis exprobrat, & è plurimis Theodorici apud Cassiodorum litteris dignoscitur. ac Procopius refert inter alia pacta, quæ Iustinianus cum Theodahato Gotthorum, & Italiæ Regē iniuit, illud præcipuum fuisse, ne is vllum posset in Senatum Romæ deligere, néve quemquam è Senatu aut clero necare, aut bonis multare. Sed siue Imperatoris electionem præcederet, siue subsequeretur, aut comitaretur sententia, ac voluntas ipsius Senatus, illud certè in more positum fuit, quoties absens Imperator fiebat, eius imago Romam ad Senatum mittebatur, cui à Senatu copacto conueniens honor habebatur, Imperatorique quasi præsenti acclamabatur. Quo ritu Imperator à populo Romano acceptus intelligebatur.

Verum postquam Gotthi sunt exacti Italia, & à Totila maiori ex parte Roma vel diruta, vel deformata, Romę nullus amplius videtur fuisse Senatus, in quem virtute, aliáve re laudabili præstantes viri ab Imperatore, cuius hoc munus erat, eligerentur: refert enim Procopius libro 1. belli Gotthici à Vittige Gotthorum Rege cunctos Senatorij ordinis viros interfectos, quos Roma secum quasi obsides abduxerat; mox Teias & ipse Gotthorum Rex, vndique diligenter conquisitos qui reliqui fuerant & ipse interfecit, vt idem lib. 3. refert. Sic imminuta iam prostrataque vrbis maiestate, negligi visa illa ab Imperatore, & quãuis in ipsius esset ditione, tamen vrbis gubernatio, finitimarumq; ciuitatum Pontifici Rom. relicta: quod sic esse colligitur è plurimis, tum maximè ex epistolis Gregorij Magni. Hinc inter alia deplorat ille, se non Episcopum Romanorũ, sed Longobardorum factum, quòd scilicet cum istis sæpè irrũpentibus & incursantibus res ipsi foret. & alibi scribit Ecclesiæ militem mittere, & in sua potestate esse pacem facere cum Regibus Longobardorum, etiamsi nolit Italiæ exarchus. ad ipsum verò Pontificem Romæ consistentem, veluti ad Remp. Longobardi Reges mittebant. & quamuis ratam non habuisset pacem à Gregorio aliquando factam Mauritius Imperator, tamen eam Longobardi cum illo violare, quam cum Imperatore non habebant, noluerunt. Similiter idem Pontifex pacem sancit cum Theodorico Francorum rege, initq; veluti inter Regem, ac Remp. Rom. Phoca Imperante, quem suscitatum vocat in Rep. Dominum. Amplius quid militum Magistris sit agendũ, quò eumdum, vnde abscedendum, qui relaxandi, qui retinendi litteris suis imperat. Mittit etiam tribunos militũ, qui Neapolim custodiant; eisque vt Neapolitani obediãt, iubet. Rursus alibi ait: *Montanum & Thomam liberos ex hac die, & ciues Roma. efficimus*. Quin Exarcho Africæ scribit, vt ipsius Gregorij nomine iubeat Theodorum militum Magistrum abstinere ab illicitis quibusdam, & libertino Siciliæ Præfecto mandat, vt inquirat in quædam Nasę Iudęi ausa, eaq; seuerissimè puniat. Amplius alibi mandat, ne q̃s causas cuiusdam viduæ Catellæ in insula Sardinia cognoscat, aut diffiniat, nullaque illi molestia exhibeatur, quòd eius filius militet in Ecclesia Rom. Talis igitur potestas Pontificis Rom. non modò in vrbe, sed in Occidentis plerisq; locis erat Gregorio sedente, quamuis Roma Imperatoriæ

Pontificis Rom. potestas in vrbe Roma & Occidente post exactos Gotthos.

Lib. 1. ep. 30.
Lib 2. ep. 70
Li. 4. ep. 73. & 75.
Li. 7. e. 12. 13.
Li. 11. e. 9. 43.
Lib. 12. ep. 21 22. 23.
Lib. 1. epi. 23.
Lib. 1. ep. 73.
Lib. 2. ep. 76
Lib. 1. ca. 60.

toriæ ditionis esset; in qua quidem nullus tunc Senatus erat, nisi clerus ipse Ecclesiæ Romanæ, quem loco Senat⁹ fuisse & eius auctoritate functum liquet ex eiusdem Gregorij epistolis, in quibus habetur, imaginem Phocæ, & Leontiæ vxoris Romam fuisse missam, acclamatumque fuisse in Lateranis in Basilica Iulij ab omni clero, vel Senatu, Exaudi Christe, Phocæ Augsto, & Leontiæ Augustæ vita. Quo facto iussit Gregorius imaginem reponi in Oratorio Cæsarei intra Palatium. Hæc ibi. Nostris autem diebus Sixto sedente repertæ sunt in illo Oratorio imagines plurimorum Orienti Imperatorum monetis aureis insculptæ, quas dono Pontifex misit ad singulos propè Principes Catholicos, exstantq; eius in hanc rem publicè excusæ litteræ cum elogijs Imperatorum, & euentus narratione.

En igitur vt mirabiliter diuina sapientia disponente, quæ attingit (ait Salomon) à fine vsque ad finem fortiter, constituens omnia suauiter, tota auctoritas antiqui illius Senatus à Romulo instituti, Romanique principis creandi ius in clerum Pontificemque Romanum peruenerit, ita vt in ipsius potestate esset reijcere imagines Imperatorũ, eosque nolle Imperatores. Hæc auctoritas non armis ac vi stabilita, sed totius antiquitatis, initio à Romuli legibus ducto, mirabili quodã consensu sancita est; ita vt in Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ potestatem non modò iura diuina, vt signo de Petri cathedra ostendimus, sed humana etiam conspirent.

Hac fretus Constantinus Papa, anno septingentesimo decimo secundo vetuit ne imago Philippici impij Imperatoris reciperetur: mox autem Gregorius Secundus Leonici Iconomacho Imperium in Occidente abrogauit, & omnia iura illi in Occidente ademit, vt è Paulo Diacono, & auctore Miscellæ, qui his temporibus vixerunt, docuimus signo de admirando progressu sacræ potestatis, hac fretus Hadrianus Carolum Patritium Romanum creat, at Leo Augustum, vt Ademarus, Eghinartus, illorum temporum scriptores tradiderunt.

Hæc potestas non loco affixa (neq; enim Senatum locus, sed viri constituunt) sed alligata Pontifici Romano, & Cardinalibus clerum Romanum Senatumque referentibus durabit, quãmoiu durabunt illi, neq; in aliam constituendi Senatus formam conuenient. Perijt illa antiqui Romani Senatus facies, siue Gotthorum crudelitate,

siue negligentia Imperatorum Orientalium, quorum voluntate tamen & concessu per annos plurimos vis eius ac potestas in Pontificem clerumq; Romanum transfusa potuit adiudicare non solùm diuino, sed humano etiam iure prouincias Imperij Romani Regibus Visigotthorum in Hispania, Francorum in Gallijs, Anglorum in Britannijs, Longobardorum in Italia, aliorumque alibi, in Ecclesiæ Catholicæ tamen honorem & incrementum; quæ si non adsint, vel humano etiã iure ex hoc capite auferre posset. Hoc verò totum à liberalitate Pontificia Deo mirabiliter ita disponente est profectum, ne dicamus priscos illos Reges iustitiæ totius immemores fuisse, cùm certissimò scirent, contra omnia iura se in eas regiones iustissimè à Romanis possessas inuasisse.

Quocirca si iure agatur, nam de vi belluis, aut alijs belluarum similibus homo concedit; nemo possidere potest quæ spectabant ad Imperium Rom. nisi tribus de causis; vel quia Pontifex ipsi Romanus concessit, vel Imperator legitimè constitutus, vel occuparit ipse armis expellendo inde possessores ab iniurijs ipsi inferendis haud desistentes, quos Imperator aut Pontifex coërcere non possent. Ac ne quis sciolus me quasi nimis religiosum putet, sciat Francos olim, cùm quamdam Galliæ partem cepissent, eam non nisi Iustiniano permittente, sibi voluisse retinere, ne contra iura facerent, vt Procopius scribit.

Liberalitate Ecclesiasticorum perfectum constat, vt innumeræ regiones efferatißimarum quondam gentium à Regibus potuerint imperio contineri, excoliq; ad omne bonorum genus.

Cap. XIII.

XXV.

Maxima sanè ac propè incredibili admiratione dignum per tot annorum sæcula nullos vmquã populos fuisse ab hæreticis ad vllum Christi cultum perductos, vel ad aliqua humãnitatis studia excultos; à nostris autem sic horum quoduis fuisse perfectum, vt neque ab vniuersis gentibus, ex quo conditus est orbis, millesima pars cuiuslibet istarum rerum præstita fuerit, vt signis de innumeris gentibus ad humanitatem perductis apparet, id qua

id qua ratione diuinitus procuratæ contigerit, aperiendum. Horum caput videtur esse, quòd licet armis alij magis possint aut potuerint, tamen ijs defuêre viri sanctimonia, diuinisque moribus præstantes, qui gentes efferas ad religionem traducerent, & innocentia vitæ metum simul atque amorem diuinitatis animis humanis inspirarent. Verè enim Tullius, Malus diuturnitatis custos est metus. Quocirca, vt alij bello gentes efferatas subegerint, haud tamen potuerunt continere plerumque illas in officio, & emolire illarum pectora ad humanitatem, quòd arma timore breui mentem tereant, non animo intimè vel timorem Dei vbique præsentis, vel amorem bonos remunerantis ingenerent. Nobis autem semper viri sanctissimi, sanctissimorumq; alumni & imitatores adserunt, qui inter efferas gentes versati, cælesti quadam pietate & mansuetudine illarum corda perfunderent, vt ad finem duodecimi libri apparebit. — I.

Aliud deinde est ab his pendens, quod nulli cœtui sunt homines magis amantes humani generis, vt nostro, quod signo de caritate ostendimus. Hinc factum, vt alijs populis, qui sunt à nobis alieni, non adsint qui pericula tot ac tanta subeant, contemptis omnibus aduersis, contrà autem spretis cunctis commodis ea de causa, vt bene sit alijs. — II.

Accedit huc, quod ingens aliqua natio, lateque dispersa, neque breui tempore, neque à paucis sic excoli ad humanitatem potest, vt in eius studijs persistat, diuque perseueret, neque redeat ad pristinam feritatem. Catholicæ verò Ecclesiæ solius est, vt habeat innumeros hominum religiosorum cœtus, veluti sanctimoniç seminaria, è quibus prodire possunt innumeri ad asperrima queque perferenda assueti, omnium commodorum contemptores, Deique & humani generis amantissimi, vt signo de religione est explicatum, atque hi cœtus nobis perpetui semper fuerunt. — III.

His adde, quod ita ingenium fert humanum, vt quilibet magis curet ac promoueat, quæ magis sua sunt. In Ecclesia verò Catholica sicuti est animorum, rerumq; omnium, vt toto hoc opere admirabiliter apparet, maxima, quanta esse absque confusione potest, coniunctio, sic habentur in ea religiosorum cœtus plurimi, & hominũ multitudine frequentissimi, qui sunt inter se distincti: hinc fit, vt quilibet enitatur promouere, quæ à sui cœtus homini- — IIII.

bus sunt inchoata, quod ea magis reputet sua, plurimosq; habeat eiusdem familiæ adiutores in eamdẽ rem, & dum viuit, & postquam vita defunctus est.

V. Quod verò facit ad rem maximè, est illud: cùm cœtus hi religiosorum toto sint orbe Catholico in omnibus terris dispersi per innumera monasteria, sintq; illorum multæ familiæ; quilibet tamen cœtus vni subijcitur præfecto, qui moderetur vniuersa, ex quo fit, vt singula suum locum decenter sortita facilius teneant. Verè namque antiquus ille Vates;

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Haud bonum plurium dominatus, vnus esto princeps.

VI. Neq; præterea minimum contulit ad humanitatis studia inter efferatas istas gentes stabilienda, quòd à Pontifice Romano dati sunt illis episcopi sanctimonia, dignitate, ac potestate præstantes, à quibus duo præstita sunt. Nam vitæ integritas, ac dignitas illis amorem barbarorum reuerentiamq; cõciliabat: potestas in his efficiebat, ne quis eos læderet. & negligeret. Illud autem maximum deinde præstabat. Nam cùm gentes efferæ, ferarum more viuentes instar ferarum sint interdum necessariò tractandæ, vt atrocitas scilicet earum, quando amore virtutis nõ potest, saltem supplicij acerbioris metu intra cancellos humanitatis consistat, & coërceatur: hinc fiebat, vt truculenti isti populi à militibus nostrorum principum discere vix possent comitatem, quam non merebantur, & quæ non eis expediebat, quod illa abuterentur, discebant igitur, ac discũt à viris religiosis, Ab episcopis verò, & præsulibus hac in re illud grauissimi momenti præstatur, vt milites nostri, militumq; duces haud nimis in barbaros illos animaduertant, quasi contumaces, iugumq; obedientiæ debitæ repellentes, sed & nostri intra mansuetudinis, placabilitatisque Christianæ septa per episcopos, & præsules contineantur; sicque barbari ex altera parte metu cohibeantur, ex altera humanitatem, quam discant, experiantur: id ni esset, vel delerentur omninò, vel semper efferi forent. Id sic esse, colligi potest, quod Moscouitæ innatam barbariem, turculentiamq; huc vsque retinuerunt, vt è Moscouia Posseuini apparet, similiter Cyrcassi, Zygi, Albani, Iberes, Georgiani, Mengrelliq;, VValachi, Bulgares, vt è Georgij Interiani, Iosaphat Barbari, Cromerij, Ambrosij Contarini, & aliorum publicè editis cõmentarijs liquet. Quod scilicet haud

fuerint

fuerint, qui contuderint animos istarum gentium præfractos, vel virga ecclesiasticæ potestatis, quæ semper inter Occidentales maior fuit, ac potētior, quàm inter Græcos, vel militum gladio. Nam confer quæso gentes istas, quas enumerauimus, cum nostris Liuonibus, Lithuanis, Polonis, Prutenis, Pomeranis, Danis, Saxonibus, Gotthis, Hungaris, Bohemis, & alijs Septentrionalibus; illos sine dubio belluas præ istis, hos verè homines dices, Barbaros verò absque mendacio impudenti nominare nemo potest: Barbarum namque haud locus, sed mos facit. Vt verò populi isti nostri humanitatis ingenium sic induerint fuit in causa, quòd Episcopi inter eos plurimum possint, viri religiosi maximæ inter illos fuerint auctoritatis; quod si secus contigisset, haud isti sic placidæ vrbanitatis mores imbibissent, ac si secus aliquando acciderct, vt religiosos viros proculcarent, imbibitos vrbanitatis mores euomerent, & ad antiquam feritatem relaberentur. Hoc igitur inter Indos Orientis & occidentis præstant Episcopi, religiosique viri nostri.

Cur quædā barbarę quondam gentes euaserint maximè humanæ.

Hinc vt legimus apud Petrum Martyrē, sæpè inter Christophorum Columbum, & Bucilum Catelanum, quē Prçsulis Ecclesiastici nomine, ac potestate Alexander VI. Papa ad Indias misit, contentiones honestæ exoriebantur, ꝙ Bucilus nimirum sępè contendebat, ne in gentes illas à nostris aliquo modo sæuiretur: Belluinis nāq; factis belluas omnes superabant. Nam quę bestię sui generis bestias deuorant, vt illæ mutuò sese comedebant? Quæ bestiæ filios suos alunt, vt pinguiores, & adultiores effecti sint parētib. (horrendum dictu) pro cibo? Hæc illæ, è quibus cetera discas, agebant. Quocirca, vt aliquis Hispanus fuerit aliquando in illas crudelis, tanta certè quidem immanitas erat illorum populorum, vt ad humanæ naturæ studia reuocari nullo modo possent, nisi edita fuissent in illos exempla illustrissima suppliciorū atrocissimorū; quæ tamen Episcopi, religiosiq; nostri cohibuerunt. Nō benè igitur quidam scriptores inuehuntur in Hispanos, quod adeò fuerint diri in Indos. Aliquos ex Hispāis fuisse in aliquos Indos haud negandum. Vix tamen erat, vt aliter fieri posset. Peccatum est ab aliquo: non totius est nationis id crimen. Peius actū fuisset, nisi Episcopi religiosiq; viri intercessissent, q̄ semper, vbi opus erat, obstiterunt, remque ad Paulum III. detulêre, quò suam auctoritatem & ipse interponeret.

VII.

Atque hæc ſuprema eſt ad extremum cauſa, quòd noſtri innumeros ad humanitatem populos excoluerint, & excolant, quòd tota res Catholica reducatur ad vnum, ſenem, paci, & manſuetudinis artibus addictum, cui pareant innumeri religionis adminiſtri, ſummæ lenitatis, & manſuetudinis viri, ad acerbiſſima queq; ſubeunda & perferenda prompti & aſſueti, & eidem tamen pareant, nationes pugnaciſſimæ, Reges bellicoſiſſimi. Quocirca miſcere ille poteſt ad optimæ temperationis modum contrarias haſce perturbationes, & artes; & propinandas animis humanis opportunè diuina ſapientia afflatus dare. Sed quorſum hæc, inquiet aliquis, cum de liberalitate agatur? Vt agnoſcant Hiſpani, ac Luſitani donationem Alexandri Sexti, qui partitus eſt inter iſtos Indias Occiduas & Eoas, & his iſtas, illis eas adiudicauit, haud inanem fuiſſe, ſed à liberalitate profectam, ſuumque ſortitam finem, tantas illis opes, quantas cuncti miramur, apparaſſe, non armis dumtaxat acquiſitas, ſed per Eccleſiaſticos viros Pontificis Romani voluntatem, largitatiſq; Imperium ſequentes & nunc, & olim ſecutos. An non hoc verum? Cur igitur Galli, qui in Indijs Occidentalibus nouas Gallias, ſiue Franciam nouam ſibi armis pararunt, nihil profecêre? cur Angli, qui ſimiliter in neſcio quas terras earumdem Indiarũ ſub Borea poſitarum appulerunt, nihil promouerunt? Nõ adſtitit iſtis liberalitas Pontificis Romani; ex quo factum, vt quamuis armis, & opibus non minus poſſent, quam Hiſpani, nihil tamen profecerint. Non adfuerunt illis auxilia monachorum, religioſorumq; hominum ſanctitate præcellentium, non adfuerunt Epiſcopi, & Præſules, qui iuſſa Romani Pontificis ſemper ſequi ſolent. Huius itaque liberalitati, illorumq; Eccleſiaſticorum magnis laboribus potiſſimum, quidquid Imperij, & opum poſſident in Indijs Occidentalibus, & Orientalibus acceptum referre debent Hiſpani, ac Luſitani.

XXVI. Opes, earũque honeſtus vſus in Septẽtrione p Monachos parta Rom. Pontifice curãte.

Quamobrem cum Septentrionales olim populi, qui ſupra Rhenum Danubiumque ſedes habent, nullas haberent diuitias, vſum nullum diuitiarum, quod artibus, ac diſciplinis cunctis carerent ad eas parandas, ac rectè vtendas, quod eſt virtutis, & maxima ad virtutes acquirẽdas habet momenta, & per monachos, & religioſos viros euenerit, vt ad Chriſtum perducti vnà cum pietate Chriſtiana didicerint præclaras quaſcumque artes, & doctrinas, quibus animi

animi bona, corporisq; & cætera omnia comparãtur; Monachi præterea, religiosiq; viri, vt gentes istas ad Christum perducerent, & opes suas neglexerint, & ipsam vitam, nullis vllius rei sumptibus pepercerint; meritò Septentrio totus, quidquid opum potitur, maxima ex parte Ecclesiasticis viris debet, qui largissimè vnà cũ vita suas opes, vt hoc illis esset, profuderunt. Atq; hæc an ita sint, siquis sigillatim cupit noscere, legat caput de ducẽtis Germaniæ, & Angliæ, vel totius Septentrionis bonis, & videbit sic esse. Cùm verò Pontifex Romanus suis sumptibus Ecclesiasticos viros, qui hæc primis temporibus effecerunt, miserit, operaque & auctoritate iuuerit, illius item liberalitati sunt opes istorum magna ex parte adscribendæ. Pontificis namq; Romani impensis missi, vt alibi opere hoc docuimus Augustinus Anglos, Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Germanos, Cyrillus, & Methodius Bohemos, Slauorumq; innumeros populos, Adalbertus Pragensis Hungaros. Prutenorumq; multos, AEgidius Cardinalis Polonos, Nicolaus Anglus similiter Cardinalis Noruegienses Christo conciliarunt.

De Danis, Suedis, ac Noruegiensibus, vt cætera omittamus, sic Saxo Grammaticus inter alia lib. 12. verba faciens de Erico Danorum Rege: *Nec* (scilicet Ericum) inquit, *Romanæ promissionis fides fefellit, profectus enim à curia legatus, qui sacri insignis prærogatiua nostræ gentis sacerdotium adornaret, cùm celeberrimis Danorum vrbibus inspectis, cuncta curiosissimè collustrando, non minorem personarum, quàm ciuitatum respectum egisset, Lundiæ ob egregios Asceri mores, tum quòd ad eam è finitimis regionibus terra mariq; transitus abundè pateat, hunc potissimum honorem deferendum putauit. Nec solùm eam Saxonica ditione eruit, sed etiam Suetiæ Noruegiæq; religionis titulo magistram effecit. Nec parum Dania Romanæ benignitati debet, qua non solum libertatis ius, sed etiam exterarum rerum dominium assecuta est.* Hæc ille Danicus rerum Danicarum scriptor antiquus.

Dania, Suetia, Noruegia, quantũ Romã. Pontificis benignitati debeat.

Signo de confirmatione & studio Romani Pontificis in conseruando Germaniæ regno ostendimus, à Romanis Pontificibus Romæ excitatas suis sumptib. scholas, in quibus Angli Saxonesq; erudirentur priscis temporibus, idem factum cum Suecis & Gotthis retulimus. Hinc autem profectum, vt earum regionum homines olim litteraturæ, artiumq; omnium expertes, & disciplinas omnes, & studia addiscerent vnà cum pietate, quibus sibi non modò virtu-

tes, sed & opes Maximas pararent. eodem signo de studio Romani Pontificis apparet Teutonicos milites, liberalitate sanctissimi Papæ, & Episcopi Poloni, sedes accepisse in Prussia, in quibus tutò & commodè considentes Prussiam, Liuoniamq; sibi acquisiuerunt. Sed omisso Septētrione, è litteris Gregorij Magni cognoscimus apertissimè ex antiquo tempore Rom. Pont f. fuisse opulentissima patrimonia, & latissimos fundos in Italia, Sicilia, Sardinia, Gallia. Vbi nunc quæso Pontifex Romanus habet in istis prouincijs ista patrimonia, istos fundos? Necesse est donarit; nisi fuerint huiusmodi regionum gentes sacrilegæ. Ex his igitur omnibus apparet, singularem maximamq; omnium verè esse Romani Pontificis, & Ecclesiasticorum liberalitatem.

XXVII.

E tributis antiquorum & alienorum demonstratur, quanta sit liberalitas Catholicorum.

CAP. XIIII.

XXVIII. A tributorum tenuitate.

Ostendimus suprà è multis, principes, Regesque nostros longè liberaliores antiquis, huiusque liberalitatis esse certissima documenta tot gymnasia publica omnium disciplinarum, tot ædes hospitales, tot in vsus sacros prædia attributa, Regum, præfectorumq; omnium concordes electiones, communionemq; rerum publicarum inuiolabiliter obseruatam. Ostendamus & hoc ex aliis, nimirum portorijs, ac tributis, quæ tot ac tanta erapt antiquis, vt incredibile & inexcogitabile nostris temporibus sit, quibus illa rationibus imponerentur, & exigerentur. Vnum sit instar omnium recitasse. Vespasianus, qui non est habitus omninò è malis Imperatoribus, ex vrina vectigal quoddam confecit. Quî id confici potuerit, vix erit qui possit inuenire, & eruere ex antiquis monumentis. Ego, vt sæpiùs id mecum reputatim, & doctissimos viros interrogauerim, nihil aliud inuenire potui, nisi quòd Romæ, vt è descriptione Victoris habemus, erant publicæ latrinæ, in quas cogebantur omnes proijcere huiusmodi sordes, nec liceret aliò. Id si nunc Princeps aliquis, haud dico cōnaretur, sed diceret, aut etiam cogitaret, quantis ille maledictis omnium proscinderetur? Atqui hæc omniū minima. Singuli Imperatores ad hoc facti olim videbantur, vt

sub-

subiectos expilarent, ac deuorarent. Id tic esse nos ostendimus signo de flagitiosa Ecclesiæ hostium vita. In leges Romanorum scriptas, quas nos præ manibus habemus, est relatum, maximas fuisse olim publicanorum factiones: in scripturis sanè diuinis habemus prouerbij loco dictum, Sit tibi publicanus, hostis scilicet alienissim⁹, & atrocissimus. è quibus necessariò discimus, qui forent antiqui, & quàm rapaces in vectigalibus imponendis. Constantinus ad imperium venit, & tributorum quartã partem remisit, quod adhuc suo tempore seruatum scribit Eusebius, haud scripturus certè, si res ita nõ fuisset, quòd omnes mortales mendacij testes habere potuisset. Idem tamen Constantinus, vt meretricios fastus retũderet, luxuriamq; scortorũ comprimeret, modestis benè esset, procacibus malè, illis, vt deceret, indulgeret, hos castigaret, meretticũ retinuit tributũ: id erat in causa, ne nimijs illæ opibus abundarẽt, quibus interdum perstringuntur oculi mortaliũ, & ad eadem scelera, quibus eę parantur, inuitari solent. Et tamen mirum, quot ac quanta in Constantinum conuicia scriptores prisci ob huiusmodi tributum retentum certatim iactent. Zozimus nihil non mouet, vt ex omni parte congerat, quid mali ex hac re contingere potuerit, quid boni haud refert, oblitus nihil esse vel optimum, cuius occasione non aliquid mali nascatur, quin à Constantino primum impositum falsissimè mentitur meretricibus non ipse primus imposuit, sed à Caligula impositum, quod Suetonius in eius vita testatur, exempla Imperatorum superiorum secutus retinuit.

Imperium Romanum continebatur hisce olim finibus, Oceano, Rheno, Danubio, mari Caspio, finitimisq; montibus, Tigri, Euphrate, desertis Arabiæ & Africæ. Reges Hispaniarum viginti partibus, ac pluribus etiam latiores terras imperio tenent, quàm Romani. Inter eas sunt Indiæ auro, argento, gemmisq; incredibilem in modum abundantissimæ. Id omnes norunt historiarum periti. centies ac vicies mille millia aureorum quidam colligunt à Romanis exigi olim solita fuisse vectigalium nomine. At Hispaniarum Reges, quamuis Indias habent opulentissimas, ac metallorum pretiosorum, gemmarumq; feracissimas, nec quindecies mille millia colligere scribuntur; & tamen viginti partibus maiores regiones, ac longè ditiores possident. I nunc sciole & mome, tempora Christianorum carpe ac reprehende.

Mittamus antiqua, nostra tẽpora inspiciamus Rex Turcarum sibi pendi iussit à subiectis quintam frugũ omnium partem; præter hæc habet portoria omnium rerum quæ inuehuntur, quinetiam tributa capitum singulorum quotannis exsoluenda, annonamq; in cunctis vrbibus ac vicis in milites distribuendam; accedunt extraordinaria tributa, cùm bellum grauius mouetur. Numquid inter Catholicos in singulis vicis milites aluntur sumptibus subiectorũ: Numquid singula capita vectigal soluunt? Numquid frugum pars quinta exigitur? & tamẽ interdum lamentamur. Rex Moscouitarum vastissimas habet regiones. dominus ipse est omnium terrarum, & glebarum; nihil agri est vlli mortalium in regnis eius. Locat agros inuitis, pensiones imponit ex eis soluẽdas, quas libuerit. Eò res infelicissimorum redigitur, vt dies noctesq; insudent, neq; vnde viuant habere præ angustia miseri possint. Id latè scribit Posseuinus in Moscouia sua.

Qualis autem sit hisce in rebus Sinarum Rex, qui volet cognoscere, legat commentarios Ioannis Gonzalezij, & videbit quàm bene agatur cum Catholicis, & vt quidã sint è nostris delicatuli, rerum maximarum pondera nullo modo examinantes. Ex his porrò cognoscimus, quanta sit omni in re Catholicorum largitas: quæ si deinde omnia in vnum conferantur, nihil illis esse in hac virtute comparandum sicut certissimò videbimus, sic etiam fateamur omnes erit necesse. Maximè verò id fiet, si hæc, quæ hoc signo complexi sumus, coniungamus cum ijs, quæ signis de humilitate, paupertate, & magnificentia dicturi sumus.

FINIS LIBRI DECIMI.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI LIBER, XI.

SIGNVM QVADRAGESIMVM, TERTIVM.

Patientia.

In Ecclesia Dei prædictum est futuram summam patientiam. Hanc inter nostros esse, longè verò ab alienis, clarissimè demonstratur.

CAP. I.

CVM plures sint fortitudinis partes, ea maximè in diuinis scripturis laudatur, quæ in tolerandis aduersis, sustinendisque acerbissimis quibusque rebus spectatur: in qua sententia fuêre etiam sapientissimi philosophorum; & sanè bene sentientium commune est hoc decretum, fortis munus id esse potissimum, vel extrema quælibet pati, neque tamen discedere vnguem latum ab officio virtutis. Quocirca & hæc virtus in Ecclesia Catholica necesse est perueniat ad excellentissimũ gradũ, quo neq; possint oculi hæreticorum respicere; vt appareat illos nihil esse, neq; ad electos ad beatitudinem summam pertinere. Sed ostendamus primo oportere functionem præstantissimæ huius virtutis in Ecclesia Dei maximè elucescere. Hoc verò apparet ex eo, quod *Christus passus est*, ait Petrus, *pro nobis, exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius*. Igitur qui exemplo Christi maxima patietur, is sequetur eius vestigia; atq; ideo dicetur esse ex Ecclesia ipsius. Hinc Paulus exclamabat: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, ac libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. quin vt probet se magis esse Christi ministrum, quàm cæteri sint sic argumentatur: *Ministri Christi sunt, & ego (vt minus sapiens dico) plus ego*. Cur Pau-

le? Audi continuo subijcientem: *In laboribus plurimis, in carce-*
ribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. à
Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: ter virgis cæsus
sum, semel lapidatus sum, ter naufragiũ feci, nocte & die in profundũ
maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminũ, periculis latronũ, pericu-
lis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in soli-
tudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærũ-
na, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore &
nuditate. hucusq; Paulus, vt se esse ex Ecclesia Dei apertissimè
ostendat. Ita quidem. Christus enim dixit: *In patientia vestra*
poßidebitis animas vestras. Igitur ibi verè animarum posses-
sio, vbi patientia summa. & quando Ecclesia Dei sine cari-
tate esse non potest: caritas verò dicitur à Paulo primo lo-
co ante omnia patiens; efflorescat patientia necesse est in
Ecclesia Dei. Sed quoniam nullus hominum cœtus, nullus
homo, cui non aduersa aliqua, & sæpè etiam multa con-
tingant; maledicto namque illi sumus omnes obnoxij:
Gen. 3. *In labore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de*
qua sumptus es; &, *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germi-*
nabit tibi: hic nullæ non hæreticorum, & quarumuis gen-
tium factiones vociferari poterunt, se ad summum patien-
tiæ pertigisse: & quamuis excipi aduersus illos posset, illos
non pati ob verum Dei cultum, tamen hanc exceptionem
nullo modo hîc admittimus. Ex hoc enim volumus de-
monstrare inter nos esse Ecclesiam Dei, quia summa sit in-
ter nos patientia, non contrà.

1. Argumen. Idcircò, vt ordine procedamus, & rem clarissimam cun-
ctis efficiamus, primo loco id dicemus, cunctis Catholicis
id esse necessariò propositũ & cõstitutum, vt velint potiùs
omnia tormenta sustinere, quàm crimẽ aliquod graue ad-
mittere: & quamuis, cùm plurima sint grauia, (virtus nãq;
instar puncti cuiusdam, à potest innumeris modis aberra-
ri, vno autem dumtaxat modo ad illud peruenitur) pluri-
mi ob id è Catholicis excidant ab hoc altissimo mẽtis pro-
posito, & virtutis excelsissimo culmine; cunctis tamẽ ea lex
proposita, vt ad officium redeant semel in anno saltem, &
quoties periculum mortis aliquod adirent, confessionis
munere, quin monentur, vt quanto ocyus id agant, si ve-
lint suæ saluti consultum. Quocirca cùm virtus sit in ani-
mo magis quàm in opere; nam potest aliquid effici absq;
proposito vllius ac fine virtutis, vt qui mente alienata nil
curãt si vel extrema omnia patiantur; hinc fit in omnibus

Ca

Catholicis esse summum virtutis huius, quæ patientia vocatur; cui finis hic, & summum, vt nil non pati velit, vt ab officio suo, atq;, vt Christiani aiunt, à Dei mandatis, & eius voluntate haud recedat. Aduerte autem nullo modo hæreticos posse attingere ad hoc virtutis culmen; Catholicos autem sic ad illud peruenire, vt nō modò propter hoc propositum perueniant ad illud, sed etiam propter aliam causam; quia scilicet Catholicus quiuis nihil aliud vmquam perpetuo tempore vult credere, aut efficere, quàm velint credere, aut efficere illi, in quorū Ecclesia est; atq; ita mens cuiuslibet è nostris adglutinatur menti singulorū, qui sunt ex Ecclesia Dei, atq; adeò propter hoc efficiant opera illorum sua persistentes in diffinito mentis proposito. Quidquid igitur effecit vmquam, vel efficiet sanctus vllus in Ecclesia Dei, id meum quodammodo propter hanc mentis adhæsionem, vt suprà ostendimus. Ostendimus autem nulli hæretico esse hanc mentis adiunctionem, quod eorum quilibet princeps sibi à principio crediderit, ab Ecclesia in qua erat recedens, neque intellectum captiuauerit in obsequium fidei: id explicatum signo de auditu fidei, vna, antiqua, perpetua, & indubitata fide. Speciatim verò hinc fit Catholicorum voluntatem propter tria magis ad hunc virtutis sublimissimum gradum peruenire, quàm hæreticos; primum propter temporis longinquitatem; secundum propter multiplicitatem præceptorum, vel cunctis propositorum, vel diuersis statibus & ordinibus; tertium propter voluntatem prorsus meis appetitionibus exstinctam & nullam, sed omninò radicitus translatam & transfusam per omne tempus, omne euentum, in quamlibet Ecclesiæ voluntatem, siue sanctionem. Sed hæc latiùs explicata sunt in principio libri quinti. Iam verò Protestantes minimè omnium hæreticorum ad hunc virtutis gradum pertingunt: commune est namque omnibus Protestantibus, vt asserant non esse opus vlla voluntate ad aliquid boni agendum: Sat est inquiunt, si Christo fidas & saluus eris. Nos autem dicimus esse quidem necessariū, vt Christo fidamus; sed præterea vt velimus agere quæcunque Christus per Ecclesiam suam mandet vel durissima & acerbissima, ac potiùs extrema omnia tolerare, quàm recedere ab hac voluntate.

Communis patientia Catholicorum.

Nunc ad argumētum secundum veniamus. In nullo homi-

minum cœtu inuenies ordines religiosorum, vel tot, velu-
ti in Ecclesia Catholica, vel tantæ multitudinis, aut, quod
caput est, qui se tam duris legibus adstringant, vt nostri;
quod signo de summa religione clarissimè fuit à nobis de-
monstratum. Ex quo fit summa opus esse patientia & for-
titudine in perficiendis his, quib. nos vltro obstringimus,
omnium, si illecebras humani sensus consideres, acerbissi-
mis. Quæ cùm nullis hæreticis accidant, meritò longè ab
ipsis est nobilissimæ virtutis decus.

III. Tertium: vt vidimus signo de perpetua martyrum suc-
cessione, nulli populo euenit, vt quouis sæculo nominare
è suis possit aliquos, qui pro Christi fide inter exteras gen-
tes propagãda, aut inter hæreticos tutanda, semper vitam
posuerint, idq; maximo numero, quod clarius ad finẽ duo
decimi libri apparebit.

IV. Quartum: nulli cœtui contigit vnquã, vt habuerit sem-
per, & quidem plurimos, qui longissimè positas oras adie-
rint, pericula innumera exantlarint, ac durissimis omnib.
rebus se subiecerint, vt inter barbaros & efferatos omnium
maximè populos, & cultum Christi amplificarent, & hu-
manitatis studia inducerent, vt Ecclesiæ Catholicæ conti-
git, quod signo non modò de perpetua martyrum succes-
sione, sed & de perpetua fidei propagatione constat: non
enim nunc loquimur de martyribus, qui vitam profudê-
re, sed de alijs, qui quamuis non fuerint interfecti, acerbis-
sima tamen quæq; sunt perpessi. Atq; vt apertissima res fi-
at, nostra ætate possemus ex vna Societate Iesu nominare
supra mille viros, qui pro Christi cultu inter Indos ampli-
ficando nihil nõ mali tolerauerint, vastissima maria trans-
miserint nullo non vitæ discrimine, cum gentibus ab om-
ni humanitatis sensu abhorrentibus versentur, à quibus pe-
nè singulis horis, nedum diebus mors timeatur, multis in-
iurijs afficiantur, multis opprobrijs onerentur, dum non
occultè & clam more hæreticorum hos illósve seducunt,
& venena per insidias spargunt, sed Christi religionem pa-
làm prædicant, nullis armis, nullis præsidijs septi, sola mu-
niti patientia, sola fortitudine obtecti. Ab hæreticis igitur
peto, vt mihi vnum non huius ætatis, sed ex omni æuo è
qualibet factione velint producant, qui tantum maris ob-
iuerit, tot discrimina adiuerit, omnia patiẽtissimè tolera-
rit, vt omnes isti è nostris hodie factitant. Haud possunt
producere, nisi si qui ex ipsis clam moliantur aliquid in-

ter Catholicos in propinquis oris, quibus fuga velox posſit eſſe præſidio. Atq; hoc mirandũ, tantum patientiæ tot noſtris eſſe, nulli verò hæreticorum, ne vni quidem ex innumeris tantum fuiſſe per annos mille quingẽtos, ex quo Chriſti Eccleſia eſt conſtituta.

V.

Age verò proferamus aliud, ex quo hæretici neceſſe habebunt confiteri, ſi ſuis dictis velint ſtare, eos quos ipſi flagitioſiſſimos noſtrorum vocant, eſſe omnium conſtantiſſimos ac patiẽtiſſimos. Quis ignorat quanta euomant Proteſtantes in Pontifices Romanos, quàm dirè exagitent omni iniuriarum genere? pudet me illorum. Quid igitur ſi clariſſimè doceam tanta eſſe patientia Pontifices Romanos, vt ipſis nulli principes, nedum hæretici, cõparari poſſint? Audi an ita ſit. Viginti ſeptem martyres è Pontificibus Romanis numerantur vſque ad Martinum Primum, qui pro fide Catholica mortem ſubire haud dubitarunt, quod eſt acerbiſſimũ in humanis, tulerunt patientiſſimè, neque effugere, cùm poſſent, voluerunt. Tres præterea ſunt à Romanis necati, quòd ipſorum conatibus improbis nollent acquieſcere, vt docuimus ſigno de ſumma prudentia ciuili. Exigo igitur ab omnibus non modò hæreticis, ſed populis quibuſlibet, vt mihi proferant antiſtitum principiúmve quorumuis aliquam ſucceſſionem, è quibus tot ſint, qui mori maluerint, quàm virtutis officium deſerere. Nam quilibet è ſuperioribus poterat effugere necem, ſi poſtulatis impiorum voluiſſet adſentiri, excepére omnes mortem patientiſſimè. Pontifices itaque Romani triginta ſunt occiſi, ac ſupra triginta ſunt, qui vel ab Imperatoribus, vel ab alijs principibus, aut etiam Romanis ciuibus variè ſunt vexati, atque vrbe depulſi, quorum nonnullos ſigno de perpetuis in Eccleſiam bellis numerauimus; qui tamen omnes ſi voluiſſent improbis aliorum petitionibus adſenſum dare, nihil mali eſſent perpeſſi. Eſt ne ſimilis hæreticorum factioni vlli, aut populo, præſulum, ſiue principum ſucceſſio? Non poteſt nominari. Nominabuntur qui fuerint interfecti, ſed non qui poſſent euadere manus inimicorum, ſi ipſis acquieuiſſent, & maluerint tamen mori, virtutis officium prætulerint vitæ, & commodis ſuis. Atqui ſi Panuinum ſequamur, non habemus niſi ducentos quadraginta & vnum Papas: ex his octaua pars occiſa: triginta enim partem conficiunt octauam numeri ſupradicti, & vnus ſupereſt. octaua varijs iniurijs afflicta,

& sedibus suis expulsa; quæ duæ partes si iungantur, quartum conficiunt. Vbi igitur quæso patientia hæreticorum, si tot ex ijs, quos nostrorum scelestissimos vocant, hac excellentissima virtute sic præstãt, vt nulla illorum sedes aut potestas sit Papis in hoc virtutis genere conferenda? Quales porrò erunt optimi è nostris? Quamquam Papas nullo modo eximim' è numero optimorũ. Sed quid ego hîc pugno cũ scelerib. istis, aciemq; oẽm Põtificum Romanorũ instruo? Triginta diximus è Papis occisos, ostẽdant quæso hæretici è suis summis præsulibus, aut principibus, tres tãtùm pro tringinta, qui vitam post habuerint virtuti. haud possunt. Ostendant vnum. neq; id quidem. Nam si qui ex hæreticis necati sunt, non erant illi hæreticorum summi principes, qui potuerint euadere mortem, sed noluerint, vt decreta sua tutarentur. Manes Manichæorum princeps ob scelera sua interfectus à Persis, à quibus nullo modo se poterat redimere. Quid igitur sibi volunt nebulones isti, qui virtutis inane nomen iactant? quid Papis petulantissimè obtrectant?

VI. *A maximis Catholicorũ martyrum tormentis.*

Sed quando hæretici clamant aliquos è suis, ob ipsorũ scilicet perfidiam, cruciatos & necatos, aperiamus quàm sint isti nullo loco patientiæ & fortitudinis præ nostris. à nostros ostendamus ad summum patientiæ peruenisse, à qua longissimè hæretici absunt. neq; martyres illos ex antiquitate desumptos in medium proferamus, sed ex hac nostra: & videamus quàm dira cruciamenta pertulerint ab ipsis hæreticis illata. Neque verò mihi hæretici dicant, & è suis esse, qui tormenti aliquid pertulerint pro flagitiosis ipsorum assertionibus. Ego namque producam tam multa, tamque atrocia ab hæreticis in nostros excogitata supplicia, vt vnus è nostris præpondere possit innumeris ipsorum, atque ita si quis est inter illos patientiæ fucus, euanescat, vbi accesserit ad splendorem summæ tolerantiæ, qua nostri acerbissima quæque ab istis illata constantissimè superarunt, & ex hoc etiam constabit quanta sit hæreticorum crudelitas, quanta nostrorum mansuetudo. An no millesimo quingentesimo trigesimo quinto, cùm iã desciuisset Henricus Octauus Angliæ Rex ab Ecclesia Catholica, inter alios occidi iussit multos è Carthusianorum familia: in his, vt alios omittamus. Vnfridus, Midel Morus, Gulielmus Exmeus, Sebastianus Nugdegatus, quatuordecim totos dies stare recto corpore sunt coacti, iniectis ad

Patientia martyrum nostræ ætatis.

col.

collũ, ad brachia, ad cura circulis ferreis, ita vt nullam ob causam se loco mouere possent; postea cratibus vimineis alligati per aspera loca raptati ad plateam Londinensem. Ibi suspensi crassiori fune, ne suffocarentur omninò, mox viui demissi, iisque longo temporis spatio ad maiorem doloris sensum pudenda paulatim præcisa, pectus diffisum, viscera viuentibus adhuc euulsa, demum capite abscisso in quatuor partes diuisi. Atqui si monumenta historiarum prisca omnia diligentissimè peruolas, non inuenias credo vllum siue hæreticum, siue alioquin à veræ religionis cultu abhorrentem, qui tot cruciatibus fuerit vmquam necatus volens. Inuitos credo multos reperies. at hi volentes. nam conditio proponebatur iis, vt vel discederent à fide, vel ea tormenta subirent. Necesse est igitur dicamus, summam patientiam Catholicis esse. Quid enim dubitemus hoc asserere, cùm dederit vna insula vno anno tres huiusmodi, ac totus orbis, ex quo conditus est per tot annorum millia nullum protulerit eis similem vmquam? Sed quid ego tres dico, cùm plurimi recenseantũr tales à Nicolao Sandero libro de origine & progressu schismatis Anglicani? Sed audi maiora. Anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Elisabetha tyrannis Angliæ, quæ se vult haberi mansuetissimam, grauissimum in Catholicos omnes bellum commouit, & innumeros in varia carcerum loca conclusit; multa verò in iis suppliciorum genera, è quibus quidam numerant hæc: primum est equuleus, quo Catholici alligabãtur, & machinis quibusdam, rotisq; ligneis hominis membra omnia in diuersas partes distrahebãtur cunctis compagibus resolutis. Secundum circulus est quidam ferreus, quo manus, pedes, caputq; Catholicorum in orbem vnum compingebantur. Tertium sunt ferreæ chirotecæ, quibus manus nostrorum grauissimo cruciatu inuoluebantur. His, vt alia missa faciamus, cùm nostri dies ac menses etiam plurimos excruciati atrocissimè fuissent, ad extremum necabantur eodem modo, quo tres illos Carthusianos diximus; nimirum cratibus raptati, suspensi, pudendis abscissis, pectoribus dissecatis, visceribus abreptis, in quatuor partes diuidebantur. In his Edmundus Campianus, Rodulphus Ceruinus, Alexander Briantius presbyteri, Ioannes Paymus, Thomas Fordus, Gulielmus Filæus, Lucas Chirbæus, Laurentius Richardsonus, Thomas Cotbamus, Edoardus Ardenus, Gulielm⁹ Charterus.

Sed aliud inauditum supplicium, quod ingeniosi hæretici in lucem dederunt, audiamus. Margareta Midleton, omnibus vestibus nudata, manibus pedibusque ligatis, humi tota supina protenditur, dorso petra acutissima supponitur, corpori tabula inijcitur, oneraturque prægrandibus lapidibus; atque ita membra illius confracta paulatim, & comminuta. In vrbe porrò Dubri Catholicus quidam correptus, pellique vrsinæ insutus rabidissimis Angliæ molossis est laceratus. Domitius Hurleus Archiepiscopus Cassaliensis in Hybernia ab hæreticis est comprehensus. ocreæq; plenæ olei pedibus illius iniectæ, eductaq; crura ex oppositæ tabulæ foraminibus ante flammas ingentes vrenda collocātur. cumq; diu sic adustus fuisset, ocyssimè fuêre illi è tibijs ocreæ detractæ, & vnà cum illis carnes ossibus tantummodo relictis. mox vimineo laqueo constrictæ illi ad longiorem dolorē fauces, atq; ita suspensus mori est relictus. Atq; hæc heretici aduersus nostros in Anglia & Hybernia post annum millesimum quingentesimum octuagesimum.

Veniamus ad Gallias, in quibus sub annum millesimum quingentesimum sexagesimum secundum Engolismæ triginta duo Catholici capti, quos tribus diuersis crudelium tormentorum generibus sæuissimè trucidarunt. Quosdam namq; illorum binos colligarunt, quos sublatis omnibus viuendi alimentis languere coëgerunt, putantes fore, vt fame adacti se mutuis morsibus peterent ac discerperent. quosdam funibus extensis alligatos deduxêre, missoq; in anum cultello paulatim medios dissecarunt: alios stipitibus nudos adstrinxerunt, ignemq; à tergo modicum succenderunt, vt longo tormento paulatim consumerentur. In vrbe Monsbruno hæretici comprehenderunt nobilem matronam dominam Marendati, à qua fuerant comiter excepti, atq; illi plantas candentibus ferri laminis adussérunt; versa deinde laminarum in tibias eius acie pellem lingularum instar auulserunt. Prope Engolismam in parochia Chassenouili presbyteri Catholici Ludouici Fayardi manus aheno feruentis olei pleno ab hæreticis tamdiu immissæ, donec auulsa ab ossibus caro excideret, eundem repletum oleo eodem bulliente per os immisso, & ad extremum fistulis ferreis, quas vocant schopletos, displosis necarunt. Ibidem Colino Gallebauto pudenda absciderunt, cistæq; perforatæ incluso olei bullientis vim tan-

tam superinfudêre, donec his tormentis victus animam exhalaret. Ioannem Bacchelon excoriatis candenti ferro pedibus iugularunt. Alibi Gulielmum Bricailleum, & alterum quemdam presbyterum vno tantùm pede suspenderunt, atque ita cibarunt, donec vno mortuo superstes est obtruncatus. Octauiano Roniero calceos ferreos clauis affixerunt, mox alligatum arbori glandibus plumbeis è fistulis ferreis emittentes interemerunt. In vico, qui Floran dicitur, propè sanctæ Menchoudæ presbyterum quemdam virgis tamdiu cæciderunt, donec sanguine omni emisso emitteret animam. Apud sancti Macarij in Vasconia presbyterorum ventres ferro dissecuerunt, eorumque intestina paulatim baculis circumuoluta è visceribus educentes euulserunt. Ibidem plurimos defoderunt viuos, pueros in sublime abreptos gladijs in minutas partes paulatim conciderunt. Presbyteri cuiusdam ventrem ferro aperuerunt, viuentisq; aluo auenam atq; hordeum ingessêre, atque ita comedendum suis equis proposuerunt. Atque hæc Catholici in Gallijs atrocissima perpessi sub annum millesimum quingẽtesimum sexagesimum secundum.

Veniamus in Belgium, vbi non longè ab Ypris hæretici plurimos presbyteros viuos defoderunt, capite dumtaxat exstante, metasque è capitibus interuallo relicto constituêre, & ad illa globos lapideos aut ferreos dirigebant, ludi gratia. Delphis Batauiæ vrbe Cornelius Musius captus est, & de iussu Gulielmi principis Auriaci sic variè est excruciatus. altissimæ scalæ manibus vinctis est appensus, ad pedes intolerabile pondus alligatum, vt compages omnes laxarentur: inde ardentibus tædis ambustæ axillæ. mox resupinus constringitur, aqua feruens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, quem sic fustibus deinde tundunt, vt ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret. postea capite deorsum verso ex duobus pedum maioribus digitis appenditur; inde truncatis manuum pedumque digitis per niuem sanguine proprio cruentatam in vrbem Lugdunum Batauorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur. Ioannes Hieronymus ex eadem cum nonnullis alijs Catholicis captus in Hollandiæ locum Schagen est perductus, ibi omnes o-ties quæstionibus horrendis subiecti, dirissimisque tor-

mentis excruciati; postremò resupini ligati, nudo ventri pelues inuersæ superimpositæ, intus inclusi glyres viui, super pelues ignes estructi, quibus excitati glyres dētibus vētres arrosêre, & in viscera se condiderunt: atq; ita ne fidem desererent plurimi interempti. Finem ponamus recitādis ijs, quæ vix homines cordati audire sustinent præ immanitate incredibili ab hæreticis in humanum genus admissa. Nunc è tota antiquitate producatur vnus, cui fuerit hæc proposita cōditio, an vellet aliqua huiusmodi tormēta tolerare, an verò fidem frangere; atq; is subiecerit se cruciatibus istis, in ijs inuictus perstiterit. Regulus vnus, credo, nominabitur, aut si quis alius. sed profectò non æqua Reguli, & istorum cruciamenta, siue illorum genera, siue temporis, quo mors longius, ac tormenta etiam producta, diuturnitatem spectes. & mirandum sanè tot è nostris exstitisse tanta patientia, virtutis locum nullo modo deserentes.

Incredibilis patientia pueri Catholici.

Agè verò non taceamus egregium factum pueri ab omnibus vbiq; memorandi. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto captus est à Malauaribus Indis cis Gāgem in ora Comorinensi puer annorum duodecim, cui nomen Ioanni, natione Hispano, patria Medina campi; cumq; formosa ac liberali specie foret, dono datus est cuidam Regulo, qui eximia pueri indole delectatus nihil non egit, vt à Christi cultu illum deduceret: inter cætera est pollicitus se illi in matrimonio collocaturum filiam, quam pulcherrimè ornatam iussit in medium procedere, vt eius adspectu blanditijsq; deliniretur. Vbi verò post multa tentata se nihil ille proficere vidit, furore succensus atrocissimum supplicium mandat apparari. Nihil eo consternatus impubes petito temporis spatio, quo supplicaret Deo, intrepidus ad extremum se nihili omnia facere est professus. Itaq; summos primo digitos, deinde manus in plura frusta paulatim secuerunt, idemq; brachijs ambobus fecêre; mox ad pedes & crura venerunt, minutatimq; illa conciderunt: cumq; sæpius ab ipso immanissimi tortores, carnificesq; exigerent, vt Christo nuncium remitteret, inuictus hilarisq; respondebat, se numquam id facturum, & ad adstantes conuersus, in quibus multi erant captiui Christiani, ad eadem perferenda hortabatur, affirmans se nūquam tantum lætitiæ cepisse, numquam gustasse tantum suauitatis: quæ cùm perorasset animo ardentissimo, ad superos euolauit. Hæc è litteris Francisci Monclari Societatis Iesu.

Habéntne simile aliquid vllæ gentes, vlli hæreticorum côuentus? Non hæc prisca, nostra sunt ætatis. Impubes nullis lenocinijs molliri potuit, acerbissimis & atrocissimis tormentis nequaquam frangi, cùm tenerrimo esset corpusculo, flexibilis, atq; vt ita cum vate quodam loquar, ceteræ ætatis. gestire verò in illis supplicijs, hilaritate tanta perfundi, conciones habere plenas tantæ constantiæ, tantæ grauitatis, numquid hoc humanum, numquid consuetũ est: vlli? Peruoluantur omnia sæcula ab orbe condito, & aliquis huic puero similis ab hostibus nostræ religionis exhibeatur. Tot hominum millia exstitêre, tot annorum, neque vnus huic par vmquam fingi potest? atque si prisca repetere singillatim vellemus, multi huiusmodi hîc adscribi possent. Nostræ memoriæ exemplis contenti sumas, quòd res sit cum hæreticis nostri temporis. Quid igitur dicendum? Nónne nostros ad summum patientiæ ob virtutis officium tuendum venisse? Sed proculdubio fit iniuria sanctissimis martyribus quodammodo, dum pene in comparationem vocantur cum ijs, quibus nulla verę virtutis vmbra. Igitur aliquem nominemus, qui à nobis inter martyres haud recẽseatur, & crudelissima tamẽ tormẽta sit constantissimè passus, & patientissimè, nullum doloris sensum præseferens.

VII. *Ab aliorum Catholicorũ mirabili patientia.*

Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto Balthasar Burgundus occidit Gulielmum Auriaci principem, quòd fracto iuramento in Catholicos suumque Regem sumens arma, flagitijs, ac vastitatibus omnia repleret. Captus est Balthasar, & prima nocte quinquies virgis atrocissimè toto corpore est cæsus; inde melle perfusus hirco obijcitur, vt asperitate linguæ membra melle illita lambens dolorem maximum inureret. Refugit hoc illa bestia cunctis attonitis. Inde manibus pedibusque ligatis ad trochleas in varias partes est protractus, ita vt omnes artuum compages, omnes iuncturæ dissoluerentur ac laxarentur, idque per multas horas paulatim fiebat; mox in cistam includebatur, ne se porrigere, aut quieti membra vllo modo dare posset; atque hoc tormenti genus sæpiùs intermissum sæpiùs repetitum. mox manibus vinctis appensus, & pedum maiori digito grauissimum pondus alligatum; inde pedes induti calceis corij crudi, plenis oleo, mẽbra omnia larido perũcta,

atque ita flammis admotus, vt pinguedo feruens intima, ac doloris acrimonia singulas partes corporis penitus penetraret. His peractis axiliæ illi ambustæ. indusio succis quibusdam acrioribus. doloremq; maximumq; inurentibus est inuolutus; mox illud igne iniecto circum membra inflammatum; inter vngues & carnem ligna acutissima infixa. In his porrò tormentis nullum dedit vmquam signum doloris, plurima lætitiæ & voluptatis. Interrogatus quî fieri hoc posset, respondit; Precibus id bonorum fit. Tortoribus agebat gratias, quoties ab illis tam dirè vexabatur, pollicebaturq; illis se vbi euolasset in cælum, forè apud Deum, & superos aduocatum. Quas res admirati omnes existimabant magicis artibus effici, vt ille tanta crucia menta nihili faceret, ad illa gauderet. Alij non hominem putabant illum, sed dæmona. Plerique rem tacitè considerantes videbant diuinæ virtutis esse totum opus. Ductus igitur ad supplicij locum Balthasar iussus est manum, qua tormentum disploserat inter duas candentes laminas extendere. quod ille intrepidè fecit. Mox nudatus toto corpore forcipes ardentes & ignitas admisit, à quibus nulla membrorum pars fuit intacta; & tamen ille numquam se commouit, vultu imperturbato ad omnia consistens, totus in precibus, & rerũ diuinarum meditatione defixus: tantùm cùm liberam manum è laminis candentibus illi reliquêre, ter sibi signum crucis impressit, & vbi ascēdendum fuit in suggestum, quantum potuit, extulit pedes; ibi corpore supino est prostratus, amputata sensim virilia, in crucem diffisus, viscera auulsa adhuc labia in preces mouenti, caput obtruncatum, in quatuor partes diuisum corpus. Hic exitus Balthasaris Burgundi, quod Gulielmum principem veluti Deo, Ecclesiæ sanctæ, Regiq; suo infidam, & hostem nulla alia de causa interfecisset, nisi vt impium tolleret è terris, per quem facinora innumera patrata, clades nobilissimis regionib. maximæ allatæ. Si quis igitur est hæreticus, aut à Christo alienus, qui suorũ patientiã iactet, non is martyres nostros contēpletur. Non enim dignamur sanctissimos viros impuris hominib. conferre. sat erit, si Balthasari huic comparet, & videat quæ sit istorum præstantia. Balthasar enim quamuis alioquin licitum & laudabile factũ sit ausus, non ob id tamen sanctis adscribitur, & inter primos Ecclesiæ nostræ proceres adnumeratur.

Habeat ille suas laudes & honores, sed non cęlestes omninò. Quis mihi igitur Hieronymum Pragensem, vel Ioannem Hussitam laudet ob constantiam? Numquid isti antesignani per suos millesimam partem patientiæ, quæ eluxit in Balthasare, sunt adsecuti? Et tamen longè inferiore apud nos loco est Balthasar, quàm sint apud suos isti Hussitæ; in quibus suspiciendis, & ob inanem quamdam patientiæ insanæ speciem laudandis hæretici iactanter exsultant. Nullo modo faciam, vt istis perditis comparem Marcum Antonium Bragadinum patriciũ Venetum, quem neque martyribus adscribimus, quamuis prætextu pacis à Turcarum præfecto captus, & in vincula coniectꝰ est, mox aures illi, nasusque amputatus, ac multis diebus vario tormentorum genere est excruciatus; denique cutis detractione excarnificatus mirabile cunctis specimen patientiæ dedit anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Plurimos huiusmodi ego viros Ecclesiæ nostræ possem numerare, quibus Catholica pietas inaudita priscis constantia pectus armauit; quos tamen inter primores haud recensemus. Quibus igitur fucum facient hæretici ostentanda suorum adumbrata patientia? Caluinum credo hereticorum principem summum producent, qui extremis vitæ horis impatientiæ nullum finem faciens, haud cessauit blasphemiis cuncta replere, se suaque omnia exsecrari, dæmona inuocare, inferis se deuouere, vt est in eius vita; exemplo dices Pij Quinti, qui cum sęuissimis calculi doloribus angeretur, illud identidem repetebat: *Domine auge ad dolorem, dummodò augeas ad patientiam.* Quem nam proferent igitur? Lutherum? qui in disputatione cum Ecio habita, se victum non ferens, exclamauit: *Neque pro Deo hanc iniui disputationem, neque pro Deo concludam.* quod Cochlęus refert. Hunc igitur Lutherum proferent, credo: cuncta namque illius scripta videas plena atræ bilis, & furiosæ excandescentiæ. Sed finem faciamus, illudque lectori Pio reuocemus in memoriam; sicut in omni virtute hoc euenit Catholicis, vt ad altissimum illius fastigium cõscendant, quò neque possint oculi aliorum pertingere, ita vt vereantur, num, verbi gratia, Balthasar ille sit nõ homo, sed dæmon magicis artibus vtatur, sic perpetua est illorum successio, qui in excelsissimo virtutis huius vertice constiterunt, & ingens eorumdem multitudo. Nam martyrum perennem

seriem nobis existire suo signo ostendimus; perpetuò à nostris inter efferatos inimicosq; nobis populos cultum Christi cum maximo discrimine innumeris angustijs & ærumnis propagari; religiosorum porrò, quibus vitæ austeritas sit incredibilis, similiter esse continuatam successionem suis signis de perpetua fidei propagatione, & summa religione, per nos est apertissimè explicatum. E quibus clarissimè apparet, quanta sit Ecclesiæ Catholicæ in omni genere laudis celsitudo.

SIGNVM QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Animi magnitudo.

Honesta animi magnitudo, qua nostri præstant omnibus, ostendit nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. II.

VIrtus, quam Christiani vocamus humilitatem, & maximoperē commendamus, non mouet illa quidem nos, vt dignos nosmetipsos existimemus honoribus; sed tamen eadem non mouet, vt nos indignos cunctis pensatis reputemus, si quidem digni simus; alioquin veritati repugnaret, quod nullo modo dicendum. Quocirca quamuis cum Paulo Apostolo dicat Christianus: *Sum minimus Apostolorum, nec sum dignus vocari Apostolus*: vbi respicit ad ea, si qua patrauit, peccata: vbi tamen opus est, cunctis hinc inde examinatis & vitijs, & virtutibus, cùm spiritum Dei habeat, quo, vt inquit Apostolus idem, scit quæ sunt ipsi à Deo donata, magnos animos sumit, & ait: *Nihil arbitror me fecisse minus à magnis Apostolis.* & rursus: *Ministri Christi sunt, & ego (vt minus sapiens dico) plus ego.* Audin' quid de se sentiat, qui paulò antè dixerat, se non esse dignum qui vocaretur Apostolus? sic idem vocat alibi se omnium peccatorum maiorem, sibi omnes præponit, & tamen de alijs sic inquit, *Eiusmodi pseudoapostoli, sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. & non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur veluti ministri iustitiæ.*

2. Cor. 11.

tiæ. Viden', vt qui cunctos sibi peccatores prætulerat, modò ex ijs nonnullos Satanæ adnumeret? Igitur hominis benè instituta, diuinoque spiritu impulsa ratio moderatur in omnibus expetendis appetitus nostros, in magnis verò honoribus, vbi opus est recto tramite habendis per eam virtutem, quam vocant animi magnitudinem. Hanc in Ecclesia sic excelluisse ostendemus, vt sicut excellere nullibi magis potuit, sic in ea fuerit moderatio quædam diuinissima, qua factum, vt neque nimis, neque parum sint expetiti honores, si quidem nostri comparentur ex traneis. Quocirca humilitati suus est relictus locus, ambitio prorsus exclusa est magnitudo animi constitit intra suos fines.

Octo autem maxima Catholicis vt plurimum fuère, in quibus latissimus campus patuit, in quo eorum magnanimitas posset exspatiari. Primum est, sanctis annumerari, ac cælestibus in terra honoribus celebrari. Stolidi namq; est putare animam nostram, nosque per eam, dum corpori est coniuncta, vsque ad extremas cæli oras longissimè posita posse contēplari, audire etiam sonos remotissimos, eamdemque animam dicere, simulatque ex hac concreta corporis crassaque materia se se expedierit, & euolarit in cælum, Deoque se copularit, haud videre & audire nostra omnia, quæcumq; ad eos referimus. Igitur hoc primum & amplissimum est, quod (si qua licet) Catholicorum mentes spectare possent, cælestibus honoribus celebrari. Sed in hac honoris supremi in terris largitione, nihil ambitioni esse datum, nihil fauori & gratiæ liquet è multis. Nam patuit hic honor vel vilissimis alioquin, ac despectissimis in terra hominibus: deinde quicumq; in cæli tes sunt à nostris relati, ij vita fuère innocentissima, ac verè diuina, longo vsu, multorumque testimonijs; omni, vt aiunt, exceptione maiorum comprobata. Adde ipsum Deum miraculis suis eorum sanctimoniam, vimque cælitus communicatam, & è cælo transmissam in terras consignasse. Nam qui quæso hac in re potuit ambitioni patere aditus, cùm nemo viuens sanctis adscribatur, adscribantur autem quicumque humanam gloriam popularemque auram maximè fugerint, & quodam modo sint abominati. Numquid istos dices similes Antinoo, quem spurcissimus Adrianus Imperatos dijs annumerari voluit? numquid Faustinę impudicissimę fœminę,

I.

quam defunctam vir eius Antoninus philosophus tēplis, sacerdotibus, & sacris honestauit? numquid Cæsaribus illis antiquis & Augustis, quos diuos volebāt esse, & quorum turpissima in terris flagitia scimus omnibus fuisse nota? Sed quid hæc quærimus, quando Venerem, pudenda, canes, cepe, alliaq; cælo prisci inseruerint, cælo scilicet suo?

II. Secundus magnanimitati locus inter Catholicos relictus est in Pontificatus summi dignitate conferenda. Summus namque Pontifex semper est habitus Christi Deique Vicarius, illique Reges & Imperatores supremos semper honores, dum vixêre, detulerunt, vt è signo de summa Regum reuerentia constat. Ostendamus autem, quod est maximi ponderis, minimum à Catholicis peccatum in tantæ celsitudinis appetitione. nam peccatū aliquando haud diffitemur. Nihil namq; inter homines, quin in rebus creatis est, cui non aliquid desit, & cui nihil possis adijcere. Asserimus igitur minimum à nostris virtutis confinia interdum violata in assecutione tantæ potestatis, si conferantur nostra cum alijs, & summa summis comparentur. Id liquet è multis.

Primum sit, quòd nulla sedes tot viros sanctitate admirabili præstantes, ac miraculis illustres è suis Episcopis dedit, vt Romana, in quá septuaginta duo numerantur in superos relati, & diuinis operibus clarissimi. Atqui sunt innumere, haud vrbes dico, sed regiones amplissimę, quibus plurimi sunt Episcopi, neq; tamen tot ex ijs sanctimoniæ laudibus insignes.

Adde huic secundum, & maximè finitimum, quod nulla sedes tot Episcopos è suis martyres tulit, vt Romana: quin plurimæ sunt regiones, quibus Episcopi plurimi, & tamen ex illis haud tot martyres extiterunt, vt ex vna vrbe Roma, quæ viginti septē produxit, quod signo de prudentia politica capite de Romano Pōtifice explicauim⁹, nominaque & horum & superiorum recensuimus. Igitur velle istis imponere crimē ambitionis, est hominis impudentissimi & mendacissimi.

Tertium, è quo liquet popositum, est, quòd nulla sedes vmquam numerare potest viros tot, ac tantis virtutibus fulgentes, vt Romana, quæ in omni genere honestarum laudabiliumq; virtutum protulit Pontifices ornatissimos, vt è signo de peritia, & alijs liquet. Quartum, sic ab ista dignitate,

gnitate, respectu aliorum, longè abfuit iniquitas, vt explicemus apertissimè signo de summa sanctitate, Pontifices, qui habiti sunt è Romanis flagitiosissimi, tamen eos fuisse longè meliores ijs, qui ex alienis à nostra religione sunt optimi prædicati. Quocirca cùm virtutum sit vnus complexus, ita vt qui ab vna recedit, ab omnibus recedat, & quò longius ab vna abest, eò similiter ab alia sit remotior quoad virtutis formam, in voluntate positam; quamuis non quoad effectum. Hinc fit minus nostros recessisse ab animi magnitudine, minusque abreptos ab ambitione.

Id etiam colligitur è quinto. Annus namq; agitur millesimus quingentesimus supra quinquagesimum, ex quo Romæ stabilita à Petro pontificia sedes, electiq; post obitum Petri successores eius Romani Pōtifices ab ijs, quibus id iuris erat. Non leguntur excitata ab electoribus nisi schismata viginti; tria namque ab Imperatoribus Germanis, duo à Constantinopolitanis, vnum à Nouato, & nonnullis eius sectatoribus longè post electum Cornelium, aliud à conciliabulo Basileensi: ita vt è viginti septem, quæ nos enumerauimus signo de summa pace, solùm viginti fuerint ab electoribus ipsis commota per tot annorum sæcula. Atqui si inspicias cuncta regna & imperia, quæ iure electionis deferuntur, aut delata sunt vmquam, videbis, longè minori spatio temporis pluribus partibus plura schismata inter electores oborta. Ab inito Augusti imperio vsque ad Constantinum numerantur anni tercentū quinquaginta, schismata verò plurima, ita vt numerus eorum vix certò iniri possit: sub ipsa quidem Gallienorum tempora, triginta, qui vocati sunt tyranni, imperium dilacerarunt, electi diuersis in locis, & plerique omnes imperatorium sibi nomen potestatemque arrogantes, eorum vitas persequitur Pollio. Intra annos igitur decem plus minus plura in imperio Romano schismata emerserūt, militum, quibus plerumque ius erat eligendi Imperatores, discordia, quàm intra annos mille quingentos, & quinquaginta inter Catholicos electores in Pontifice Romano eligēdo. Id autem quid ostendit? nisi honorum appetitionem inter nos non esse, vt inter alios, sic effrenatam; ac proinde magnanimitatis virtuti dari suum locum. Cetera porrò pertinentia ad aliorum Imperatorum Ecclesiæ hostium electionem, schismataq; eorum latè persecuti sumus tum

signo de summa pace, tum de horrendis cladibus: non est benè, hîc ea repetere; qui volet ibi scripta consulere, potest. ad hoc argumentum spectant, quę de humilitate Pontificum Romanorum disseruimus suo signo.

Pōtificum Rom. magnanimitas.

Sed cũm magnitudo animi spectetur non modò in honoribus haud nimium quærendis, verùm & in ijs iure conseruandis ac tuendis; idcirco in pontificibus summis tria sunt, quæ manifestissimè ostendũt eos verè magnanimos fuisse. Primum, quòd numquam sibi dari leges in rebus sacris sunt passi à principibus prophanis, quin ob id summo cum discrimine vitæ & omnium aduersus impios Imperatores pugnarunt, quod nos latè scripsimus signo de summa cura Pontificis in conseruandis imperijs ac regnis Catholicorum.

Secundum, quòd ob aduersa numquam deposuêre pontificatum: pusilli namque est animi ob illa loco cedere, quasi ingloriũ militem, ac deijci de gradu suo. verè namque ille vates dixit:

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Tertium, quòd non veriti sunt in conspectum se dare summam suam dignitatem retinentes hostium suorum, eosque sola vultus maiestate & sermone grauitatis pleno ad officium redigere. Numquid enim non maximus fuit animus Leonis Magni, aut cùm Attilæ, qui se flagellũ Dei, terroremq; orbis nominabat, occurrit ad Pædum crudelissimarum gentium copias trahenti? aut cùm Genserico ex Africa ad vrbem diripiendam properanti? Quid verò omisimus Liberium, qui stetit sic intrepidus aduersus Imperatorem Constantium, neque veritus est eius minas, & cuius pulcherrimum, constantiæq; admirabilis, & grauitatis plenissimum colloquium cum eodem Imperatore narrat Theodoretus? Neque minori laude dignus Agapetus Pontifex, à quo cùm Iustinianus illicita quædam vellet extorquere, & minacia verba adderet, respondit imperterritus: Atqui ego me non ad Diocletianum, sed ad Iustinianum putabam venisse. qua voce sic est fractus Imperator, vt protinus illi dederit assensum. Haud minori animi magnitudine fuêre Ioannes aduersus Theodoricum Italię Regem iniqua ab ipso efflagitãtem, Sylueriusq; & Vigilius

aduersus Theodoram Augustam, Iustinianumque ipsius virum; quibus de rebus post alios Sigonius. A quo similiter habemus à Gregorio Secundo, & rursus à Zacharia conuentum in castris Luitprandum Longobardorum Regem, qui aduersus ipsos exercitum ducebat, effecisseq; vt ille, quod peterent ipsi, liberaliter largiretur. Quid autem dicemus de Gregorio Septimo, quem tantoperè oderunt impij, quique tanta fuit animi celsitate, vt Henricum Tertium Imperatorem, Germaniæ verò Regem quartum, noluerit Canussij admittere in conspectum, sed triduò iusserit extra oppidi septa stare nudis pedibus hyeme summa vsque ad vesperam, quod refert Lambertus Schafnaburgensis Germanus illorum temporum scriptor? Paschalis autem Secũdus, cum perfidè captus esset ab Henrico IIII. gladijsque strictis in caput vrgeretur, vt iniustis postulatis assentiretur, nũquam potuit ad id adduci minis vllis, donec precibus suorum coactus assensum dedit. Bonifacius verò Octauus, cùm à Gulielmo Norageto, quem Rex Galliarum Philippus Pulcher aduersus eum miserat, & à Sarra Columnensi Anagniam captam, palatiumq; in quo morabatur, intellexisset, suos verò omnes vidisset aufugisse, haud animo consternatus est, sed pontificalibus se vestimentis induit, & in sella pontificia considens hostes expectauit. Aduenit Gulielmus, & minitans, inquit: En adest tempus, quo luas admissorum pœnas, & in Concilio, quod Lugduni cogetur, deponaris. Imperterritus Papa respondit se contentum deponi ab hæreticis Patarinis. Erat autem Gulielmus Nogareti, qui ob hæresim combustus fuit. Quo responso, simulque maiestate pontificia sic animi illorum concidêre, vt nemo in illum fuerit ausus manus inijcere, tantùm mandarunt palatium custodiri, donec Anagniæ ciues indignitatem sceleris auersati coierunt, & hostes expulerunt, ac libertati Papam reddiderunt. Hæc Ioannes Villaneus illorum temporum scriptor, quem post alios refert in vita Pulchi Papyrius Massonus. Eodem modo Vrbanus VI. cùm Romani seditione facta tumultuarentur, & armis arreptis impetu facto in palatium Papæ irrumperent, Pontifex haud exterritus pontificalia ornamenta poscens summa grauitate & dignitate in oculos seditiosorũ se dedit, inquiẽs id solum

Quem quæritis? Ad hæc illi protinus exanimati conquierunt; ac deposito furore iussa fecerunt: quod Cranzius scriptor Germanus narrat. tacet autem Theodoricus Nien, cùm sit hoc in Vrbani laudem, aduersus quem, successoresque illius mendacia elegantissimè simul & impudentissimè multa contexit. Hæc igitur Romani Pontifices, quæ to actanta in huiusmodi genere haud leges ausos vllos Regum, Imperatorumque, Pontificumque sedis eiusdem potestatisque successores, vt inermes aduersus hostes, & armis arreptis tumultuantes, nullis ipsi septi præsidijs hęc conarentur.

Crãt. in Metr. lib. 10. c. 14.

Huc refertur, quod ijdem Pontifices iniquissimis ac difficillimis temporibus aduersus Imperatores ac Reges pro iustitia seruanda egerunt, quæ nos abundè recitauimus signo de iustitia, & summa cura Pontificis in conseruandis imperijs ac regnis Catholicorum; similiter, quæ varia à varijs sunt hostibus perpessi, quanta & qualia nemo Imperatorum, Regum, præsidúm ve aliarum sedium, quæ nos signo de perpetuis in Ecclesiam bellis complexi sumus. Ostendimus quæ fuerit animi magnitudo in vtramque partem Pontificum Romanorum; videamus tertium locum, qui Cardinalibus debetur, & huic adiungamus quartum Episcoporum, quintum aliarum dignitatum religiosarum, & clericalium.

III.

In his animi magnitudo sic habet locum, quando quinis illa potest appetere, quòd in communi posita sint, & cuiuis, modò dignus existimetur, dentur. Modum verò nõ tenet in ijs expetendis, quicumque istas dignitates ac præfecturas quærit, & quæ seruanda sunt in ijs habendis, haud curat seruare Qua in re minus esse à nostris peccatum, facit illud apertissimam fidem quòd si de Cardinalium collegio agatur, nullum fuit vmquam collegium tam paucorum, è quo prodierint tot viri omni virtutum genere illustrissimi, vt è Cardinalium consessu; nullum, quod tot sanctimonia præcellentes, quot illud. id nos aduersus impios atque impudentissimos quosdam latè aperuimus signo de religione prudentia politica capite de Pontificis Romani gubernatione, ac summa sanctitate, & Petri cathedra. Quin illud adiecimus multo admirabilius; nullius prouincię regionem tot protulisse innocentia ac sanctitate insignes è clero, vt vocant, sæculari, quot vnum Cardinalium collegium. Id incredibile videbitur aut imperitis, aut

aut res non benè perpendētibus, sed eas ex anticipata quadam opinione peruicaciter dijudicātibus. Idem porrò asserimus de Episcopis, quòd perspecta ipsorum paucitate (in vna namque vrbe Episcopus est vnus) & aliorum innumera multitudine, plures ex Episcopis sancti, quàm è quauis mortalium vniuersitate, quod è Martyrologio & historijs sanctorum hominum, vitisque illorum clarissimè liquet. Idem verò affirmandum de viris religiosis & clericis ob eamdem rationem. Hoc autem facillimè quiuis scire poterit, si sumat in manus ex vna parte quorumuis Imperatorum, siue qui Romæ, siue qui Constantinopoli, siue qui in Germania vixerint, successiones, ac vitas, gestaque singula. Amplius sumat quorumlibet Regum Principumque in toto orbe terrarum acta, quę sciantur, & prodita memoriæ fuerint. Adde inspiciat Episcoporum cuiusuis ciuitatis facta, & singula singulis comparando cognoscet certissimò è nulla sede ac principatu tot viros sanctitate illustres, tot ac tantis virtutibus ornatos prodijsse, vt è Romana. nos explicauimus hæc prædictis signis. Quę de Episcopis Romanis asserimus, eodem modo affirmamus de Cardinalium senatu, religiosorum, clericorumq; cœtu; quod è signo de religione liquet, ac quiuis mediocriter in historijs legendis versatus secum reputare potest. Post huiusmodi sacros magistratus est in Ecclesia Catholica imperij maiestas, cuius est summa in omnes res prophanas potestas. Et sexto loco dicimus, quoniam non vni, sed pluribus hæc dignitas amplissima patuit, & qui ad illā peruenêre, electionis via sunt euecti, in ea spectari posse moderatam animi magnitudinem, qua Catholici cunctis præstiterint. Quatuor verò in locis consedêre Imperatores, Romæ, Constantinopoli, in Gallijs, in Germania, in Gallijs sanè tempore breuiori. Fiat igitur hinc inde istorum comparatio, & certissimò quilibet cognoscet, priscos illos Imperatores, qui Christi fidem non sunt secuti, fuisse omnium flagitiosissimos, ipsa flagitia fuisse. Clarissimè hoc aperuimus signo de impura & flagitiosa vita hæreticorum, & hostium Christi.

IIII.

V.

VI.

E tribus autem constat, quod proponimus. Nam primo loco in eligendis Imperatoribus maiores discordiæ & atrociores fuerunt cùm deligebantur, antequam Christo nomen dedissent Imperatores Romani, quā postea, quod signo de amicitia explicauimus. Secundo plures à suis sub-

iectis occisi fuerunt ex illis, quam è nostris, vt signo de intestinis hæreticorum & hostium cædibus, ac de pietate nostrorum palàm fecimus. Tertio sicut Romani illi antiqui Constantinopolitanis, sic Constantinopoli Germanis inferiores fuerunt vitæ integritate, solidisque animi virtutibus, vt è signo de impura & flagitiosa vita hostium Christi constat. E quibus sit omninò à nostris minus magnanimitatis fines esse violatos, quàm ab alienis, alienosque nequissimos omnium, & ambitiosissimos, ac proinde indignissimos, qui ad imperij summum culmen eueherentur.

VII. Septimus locus est Regum multorum, qui iure electionis assumuntur ad regiam potestatem, vt Poloniç, Hungariæ, Bohemiæ: & in his magnanimitatis iura non fuisse, aut minus fuisse à nostris violata, colligitur apertissimè è multis. Signo namque de pietate enumerauimus, quot è singulis gentium regnis nobilioribus Reges à suis consanguineis fuerint occisi, signoq; de infelici exitu hæreticorum Regum, quot ex hæreticis, & quot è nostris. Apparet autem ex ijs, quæ diximus ibi, paucissimos è nostris, plurimos ex alienis interfectos à suis. E quo fit illos arrogantissimos & insolentissimos fuisse, nostros contrà verè magnanimos, qui licet appetant honores, non tamen effrenatis animis, sed intra virtutum confinia consistentibus.

VIII. Octauus locus est quarumdam Rerumpub. inter quas eminet Veneta: in ea verò cùm tanto tempore fuerit minus discordiarum, quàm in omnibus alijs, cum mandati sunt inter patricios ac ciues summi legitimiq; honores; quod signo de summa prudentia politica, & amicitia patefecimus; hinc sit, vt in ea Rep. minus fuerit ambitioni, magis autem magnanimitati locus. Ex hisce porrò summis dignitatibus, quæ recensuimus, apparet aliud, maximâ esse inter nostros temperatissimamq; animi magnitudinem.

IX. Nullus enim mortalium cœtus vmquam, qui tot gentes ac nationes fuerit complexus, ac tamdiu in vnam semper decretorum decernēdorum fidem conspirarit, & tot summos honores in communi positos habuerit: quod erit loco noni argumenti. Illud namque est ambitiosi, & arrogantis, omnes ad se honores aut plerosque transferre, Magnanimi debitos velle, suos suis relinquere. Cùm verò inter gentes à Christo alienas, & à fide Catholica, sint homines ambitiosissimi omnium, hinc factum, vt illi no-

lucrint

luerint in aliorum potestate honores relinquere,sed ad se, vel suos contenderint semper illos transferre.

X.

Neque verò solùm quia priscis paucæ dignitates erant præ nostris,quæ ab alieno penderent iudicio, idcirco nostri verè illis magnanimi magis,sed ex illo etiã,quòd summæ hæ dignitates inter nostros diutiùs permanserunt, ac permanẽt, quàm quæuis dignitas paulo illustrior in quouis hominum celebriori cœtu; atque ita & è numero honorum maximorum, & diuturnitate illorum liquet nostros præstare omnibus animi magnitudine, ceteros autem præstare nostris ambitione,& superbia.

XI.

Eodem spectat, quòd antiquorum plurimi eò superbiæ & dementiæ venerunt, vt pro Dijs haberi voluerint: talis fuit Alexander ille Magnus, talis Domitianus, qui se Deum, dominumque vocari voluit, quod Suetonius in vita eius narrat.& ob id assentator Poëta dixit:

Edictum Domini, Deique nostri.

Tales innumeri multi è Regibus ijs, qui à vero Dei cultu fuerunt alieni, initiumque ab Octauiano inter Romanos ex Augustus primo factum,qui sibi viuenti passus est aras poni, ac diuinos haberi honores. Hinc ille:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandusque tuum per nomen ponimus aras.

Hor. ep. li. 2.

Quin ad finem tomi primi apertissimè explicamus,omnium Regum,quibus imperia fuerint summa,tantam fuisse arrogantiam, vt diuina sibi vsurparint; idque hæreticis etiam contigisse demonstramus.Hoc certè nulli Catholicorum dari vitio potest: Quòd scilicet magnanimitas horũ modũ non excedere in honoribus appetendis videamus, neque animo sic abiecto fuisse,vt antiquos, in exhibendo cultu cælesti ijs rebus, quæ sint indignissimæ omnium. & sanè ostendimus libro de coniunctione spiritus, impudicissima&vilissima queq; à priscis inter superos relata,eaq; pro dijs habita à Græcis Romanis, & ab alijs gentibus. Nostri sanè non eò se demiserunt, vt hæc non eo loco haberent, quo sunt, nimirum pro impudicissimis, ac vilissimis.

XII. Animi magnitudo cuilibet Catholico cõmunis.

Et quando positus est honor etiam in existimatione quadam,quę verbis aut signis aliquibus honorificis ostendatur, præcipuè cùm credimus alicui quasi vera & indubitata dicenti; hoc enim maximũ & diuinum videtur inter mortales,vt alicui si habeatur,omninò,quasi neq; falli,

neque fallere possit; huiusmodi verò fides alicui si habeatur, idque palàm fiat, honorificentissimum reputatur inter mortales: videamus hac in re Catholicos neutram in partem declinasse, vt nullus ex eis nimium vel sibi arrogaret, vel alicui deferret. In primis igitur tanta est animi excelsitate Catholicus, vt nulli in ijs, quæ ingenij humani vires excedant, aut quoad mores æternę sunt veritatis, credere velit, nisi Ecclesiæ toti, ac diffinitis ab vniuersa Ecclesia in concilijs vniuersalibus, vel ab eadem receptis. At hæresum cunctarum principia sunt hæc, vt vni soli credatur, qui ab Ecclesia recesserit, nouasq; interpretationes ad sacra scripta sit commentus, vt signo de auditu fidei latè est explicatum, & initio tertij libri, cùm de amore sui ipsius egimus. Quanta verò sit animi modestia in Pontifice Romano in explicandis ambiguitatibus & quęstionibus, quę emergunt, iuxta regulas à maioribus pręscriptas, & eorum constantissima, quæ semper retinuit ac retinet, decreta, signo de humilitate aperiemus. Quanta verò adhibeatur cautio in vniuersalibus concilijs, suo signo est à nobis explicatum. Rursus hæc animi excelsitas in Catholicis ex alia parte sic animos eorum moderatur, vt nemo ex illis velit sibi soli credi in ijs, quæ certò diffinita non sunt ab vniuersalibus cōcilijs ritè stabilitis: ita vt Pontifex Romanus, qui sibi hoc posset, siquis est in Ecclesia tota Catholica, arrogare, is tamen in ambiguis declarandis, ac sanctionibus promulgandis, non nisi magno cum consilio, maturaque semper discussione procedat, inspiciens & examinans quę sint à maioribus decreta, perpendens singula quæ sint ijs cohærentia & conuenientia; quin sæpè aduocat vniuersalia concilia Episcoporum ex omnibus totius orbis nationibus in eamdem fidem conspirantibus, & hac animi celsitudine & moderatione præditis. sicut igitur animus Catholicorum extollitur, vt non nisi toti Ecclesiæ Catholicæ ex omnibus gentibus conflatæ credere velit in ijs quæ certò sancita sunt, in ijs autem quæ sancitis sunt omninò consentanea, soli Papæ, qui grauissima in explicandis ambiguitatibus cum maturitate progreditur. sic non sumit sibi maiores spiritus, quàm par sit, vt vel sibi soli credi velit, aut eos sequi, qui vni soli crediderint, aut credant.

XIII.

Amplius autem sic rursus animus Catholicorum sese effert, vt abominetur eos, & pro impijs reputet, qui à communi totius Ecclesiæ toto orbe terrarum diffusæ sensu recedentes

XIIII.

cedentes tanta ſunt confidentia,& impudentia,vt in rebus ſacris tradendis, aut diuinis ſcriptis explicandis ſibi ſolis credant,& ab alijs credi velint. Hos hæreticos vocat, conſortio pellit rerum ſacrarum, neq; dignos, quos alloquatur, exiſtimat.

XV.

Ad hoc argumentum ſpectat, quòd multi ſæpè Reges, & Imperatores vel ob ignauiam, vel ob flagitia regio ſunt honore,& Auguſtali à Catholicis ſpoliati, non per tumultum militarem factionesque ſeditioſorum, ſed aduocato Epiſcoporum ac Procerum concilio, cum quibus tamen ſic exutis omni dignitate eſt actum manſuetiſſimè: nihil enim præterea acerbius eſt in eos admiſſum, ſi quidem ſcelere abſtinerent. ſic ab Epiſcopis Hiſpaniarum regno deiectus Suintilla,& Rechimirus ob hæreſim, à Francis de Pontificis Romani auctoritate Chilpericus Stupidus, à Germanis de publico conſilio Carolus Craſſus, Attaulphus, Venceſlaus, & de Papæ ſententia Henricus Tertius, Ottho Quartus, Fridericus Secundus, à Polonis Boleſlaus Ferus, ab Hungaris Ladiſlaus Cunnus, ab Anglis Eduinus, à Portugallenſibus Sanctius. Sic alijs temporibus alij, quãuis non fuerint depoſiti, tamen excommunicati fuerunt à ſacris Præſulibus, templorumque ingreſſu, & ſacrorum communione dimoti: hos verò omnes longum nimis foret enarrare. Satis eſt tamen dixiſſe, Catholicos hac animi eſſe magnitudine, vt non armis & ſeditionibus, ſed iuſto, legitimoq; in primis conſilio indignis ſubijci nolint, honoremque illis haud debitum negent, vbi vident publico malo fieri, ſi permittantur ij dignitates ſummas potiri; neque Præſules noſtros exterreri, quo minus ijs palàm repugnent, atque aduerſentur,& auferant eos, quibus indigni ſunt, honores. ſic enim magnanimitas apud omnes intra virtutis confinia legitima conſiſtit.

XVI.

Ad eamdem porrò virtutem duo pertinent, quæ in Catholicorum regnis ac regionibus cunctis eſſe perſpicimus. In primis namque regium nomen à Catholicis non tribuitur niſi potentiſſimis, latiſſimeq; regnantibus principibus, cùm tamen antiqui Regem nominarent, vel qui vni oppido præeſſet, & idem videmus vſurpari à Mahometanis, & alijs. Ex quo colligitur noſtros non eſſe adeò ambitioſos in oſtẽtandis & iactandis huiuſmodi dignitatum nominibus, aucupandaque ob id populari imperitorum leuiſſimorumq; hominum opinione; & nihilominus inter

nos videas longè plurimos esse Principes, longè plurimos esse principatus, qui hæreditarij fiunt, & ad successores transmittuntur, ad quos tamen parandos ratio non admodum difficilis Catholicis est aperta, & parata; ita vt maximus sit magnanimitati locus relictus. Quę nihilominus in summis principibus, vt Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & alijs huiusmodi sic inest, vt neque intercluserint, neq; intercludat alijs sibi subiectis, quo minus ipsi possint adspirare ad aliquem tantę virtutis gradum, si intra illius terminos considéant, neque ambitione nimia torqueantur, neque exilis animi ieiunitate contabescant. Ibi namq; potissimùm virtus elucescit vbi officia illius non impediuntur vlla necessitate, & spõte quiuis ea potest præstare, non vlla vi adactus, & compulsus. Non enim magnanimus est, qui vel cunctos ad se honores summos transfert, alijsque conuenientes non impartitur, vel qui non appetit eos, quos consequi non potest.

Ex his porrò omnibus fit solis nobis esse veram perfectamque magnanimitatxm, cæteris eius vmbram tenuissimam, ac proinde nos esse ex Ecclesia Dei; cæteros nequaquam.

SIGNVM QVADRAGESIMVM QVINTVM,

Magnificentia.

Cùm nihil sit nostris magnificentius in ijs, quæ ad vera bona spectant, hinc fit nos esse ex Ecclesia Dei, ceteros nequaquam.

CAP. III.

Virtutes, quarum materia sunt res extra nos positæ, apparere plerumque haud possunt oculis mortalium, nisi facultas adsit illarum rerum. Quocirca Magnificentiæ virtus in magnis sumptibus posita haud poterit existere, vt eius opus sensibus percipiatur, nisi quis diues fuerit; & tamẽ idem potest esse pauper, & magnificus, quando paratus est ac promptissimus ad magna efficienda, si adessent opes. hinc fiet vt ille quidem Magnificus sit,

virtus namque in animo bene dispolito, ac parato, non valeat tamen officia Magnificētiæ præstare; nisi dicamus alijs alia magna esse, & pro ratione opum posse quemlibet esse Magnificum, quòd maiora efficiat, licet inops sit, respectu exiguitatis rerum suarum, quàm qui diues est, respectu opulentiæ suæ. Cùm verò virtus omnis inter Catholicos necessariò ad summum peruenerit, & hæc procuJdubio peruenit. Et quidem, si inspiciamus signum liberalitatis, eo complexi sumus vel maxima, quæ nostri in laudatissimas impensas effuderunt; Proinde & illa, quæ ibi diximus, huc tansferri possunt; si respiciam' antiquos, & alios à Christi cultu alienos, istis ea, quæ signo de liberalitate sumus persecuti, maxima erant, nobis verò non ita, quòd scilicet antiquis & alijs ita præstemus, vt quæ illis maxima erant, nobis sint exilia. Huc spectant etiam quę signo de paupertate diximus, & quo ostendimus nostrorum multos cuncta, quæ haberent, in pauperes ac pios vsus erogasse, neque sibi quidquam reliquisse, inopiam summam amplexatos. Hoc igitur signo nunc explicabimus ea tantùm, quæ ad ædificia publica, & ad vtilitatem publicam maximè facientia, & his similia potissimùm spectant; illud præfati, quòd si de ædificijs nihil aliud habentibus nisi voluptatem, & vastitatis admirationem, agamus, sine dubio superamur ab antiquis, quibus maximè cordi erat voluptas, & ostentatio. at si agatur de ædificijs, alijsq; operibus continentibus emolumēta cū maxima honestate cōiuncta, nō est q antiq se nobis audeāt cōparare.

Igitur vt exemplum sumamus à Roma, incredibile est, quàm vasta & admiranda in vrbe essent opera nulli rei seruientia, nisi delicijs effœminatorū, & iactantiæ. Visebantur enim Amphitheatra amplissima duo, quorū vnius adhuç vestigia restant admiranda, Theatra pręterea duo, Ludi quinque, Naumachiæ quinque, Nymphæa vndecim, Thermę operis immensi, vt ex Antonianarū monumentis colligitur, duodecim, Lupananaria quadraginta quinque, Arc' Marmorei triginta sex, Circi duo, Septizoniū Seueri, Moles Hadriani, Augusti Mausoleum, balinea priuata innumera. Hæc igitur omnia non nisi ad luxum & iactantiam instituta, & comparata, & quæ possent animos cōtemplantiū, & istęc admirantiū rapere extra omnem sensum, dimidium propè vrbis occupabant, vt è Publio Victore apparet. Hisce igitur in rebus nostri cedunt antiquis. Quòd

I.

Magnificẽtia antiquorũ Romæ, & Catholicorum.

si agas de ædificijs, quibus publica vtilitas & honestas continetur, prisci præ nobis nullo sunt loco. id è multis euidentissimè apparet.

Nam primo loco nulla olim Romæ erant hospitia publica ægris curandis, pauperibus alendis: hodie numerantur vigintiquinque amplissima.

Secundo, nullus erat locus publicus, in quo expositi exciperentur, & alerentur. hodie locupletissimæ sunt ædes Sancti spiritus.

Tertio, nulla erant collegia, in quibus de publico adolescentes haberent, quomodo bonis litteris erudirentur: hodie sunt hæc ampla, & opulenta, Capranicæ, Nardini, Anglorum, Germanorum, Bohemorum, Hungarorum, Gotthorum, Suecorum, Græcorum, Syrorum, Maronytarum, Neophytorum, Chaldæorum.

Quarto, nullæ domus publicæ erant, in quibus impuberes puellę, patreque orbatæ, ac pauperes discrimen castitatis adeuntes educarentur, & honestis moribus imbuerẽtur: est hodie monasterium, quod vocatur sanctæ Catharinæ funariorum.

Quinto, nullæ ædes, in quibus publico sumptu alerentur & instituerentur tum pueri, tum puellæ inopes vtroq; parente orbi: nunc sunt duæ, altera sanctorum quatuor, altera sanctæ Mariæ in Arquiro.

Sexto, nulla gymnasia, in quibus adolescentes erudirentur ad omnem doctrinarum genus: nunc præter quatuordecim humaniorum litterarum scholas, quarum singulæ singulis regionibus attribuuntur, sunt gymnasia amplissima publica duo, alterum quod Sapientiæ vocatur, alterum verò, quod est Societatis Iesu à Gregorio Decimotertio fundatum.

Septimo, nulla hospitia peregrinis aduenientibus ad sacra, quæcumque illa forent antiquis, visenda, Romæ erãt, in quibus aduenæ isti tempore aliquo sumptus de publico, vnde alerentur, haberent: hodie sunt cuilibet patentia Trinitatis, in quibus aduenę isti triduo sumptus de publico habent: præterea verò multis est nationibus suum separatim, vel ipsis extremis AEthiopibus, & Armenis; his quidem ad sanctæ Mariæ AEgyptiacæ, illis verò ad sancti Stephani post templum sancti Petri.

Octauo, nullæ ædes, in quas se recipere possent & aliquæcumq; meretrices sua scelera detestatæ honestiori se

vitæ

vitæ dare vellent: hodie sunt ad sanctæ Magdalenæ. Hæc igitur omnia cogunt nos fateri, nostros in ijs, quæ spectãt ad animos omni virtutũ genere excolendos, & opera pietatis, humanitatis, beneficentiæ exercenda, esse infinitis partibus magnificentiores antiquis: hi namque è superioribus nihil egerunt Romæ, quæ dicta est orbis epitome, nostri autem plurima. Id autem, quod nihil est, innumeris partibus est minus eo, quod multum. Sicut autem Romæ sunt hæc, sic in alijs vrbibus Catholicorum similia. Ac veluti Romæ non erant olim, sic verisimiliter neq; in alijs Ciuitatibus.

II. Magnificẽtia Gallicanæ nationis.

Rursus quanta sit nostrorum in huiusmodi genere magnificentia, collige ex alia Europæ vrbe celeberrima. Parisijs sunt sexaginta duo collegia ab Ecclesiasticis viris excitata, in quibus publica impensa aluntur adolescentes liberalibus disciplinis. Atqui haud facilè docebis ex antiquorum monumentis, à tota antiquitate, toto æuo, in amplissimo vllo regno tot excitata collegia, in quibus instrui possent sumptu publico adolescentes liberalibus disciplinis. Mirabilissimum sit igitur omnes mortales in re maximi momenti ab orbe condito haud tantum Magnificentia præstitisse in quauis regione, quantum in vna vrbe pauci viri Gallicanæ nationis. Eodem spectat, quòd olim in toto Imperio Romanorum, cui quod non aderat boni, cũctis deerat, vix numeres vllas ciuitates, in quibus essent Magistri omnium doctrinarum publico stipendio conducti, à quibus nulla mercede iuuenes erudiri possent.

III.

Nunc autem quot quæso in singulis Catholicorum regionibus? Exstat hac de re libellus speciatim conscriptus à Middendorpio, in quo habetur quot sint Academiæ publicæ in Europa, & à quibus illæ, & quo tempore fuerint excitatæ.

IIII.

Redeamus ad ædificiorum magnificentiam. Olim supra Rhenum & Danubiũ nullæ erant domus, Tuguria tantum, casæq; syluestres: id liquet è Cornelio Tacito, & alijs, nosq; signo de cultu desertorum locorum docuimus. Totus autem tractus ille terrarum est Europæ reliquæ duplũ, & amplius. I nunc, inuise loca supra Danubium & Rhenum, quæ sunt à Catholicis exculta, & ædificijs admirandis exornata, & certò cognosces antiquos illarum regionum incolas nihil prorsus habuisse Magnificum, post disseminatam verò in ijs locis Christianam religionem Ma-

Magnificẽtia Borealium populorum.

gnificentissimos fuisse certissimò videbis. siquis ad hoc argumētum singula spectantia cupit scire, legat caput de ducentis Germaniæ & Borealium regionum bonis. Hîc rem sit satis attulisse admirandam.

V. Admirabilis magnificentia Petri Dunini in Polonia.

Petrus Duninus genere Danus in Polonia vixit anno millesimo centesimo vigesimo quarto; de eo sic Cromerius: *Fertur hic Petrus septuaginta septem templa diuersis in locis in Polonia de secto lapide exstruxisse, ac dotasse, quorum pleraq; adhuc exstant, itemq; duo Monasteria.* Hæc ille. Nunc totius quæso antiquitatis res gestas memoria percurre, & vide an exstiterit aliquis haud dico è Borealibus locis, sed è quauis vel excultissima terrarū parte, haud curo fuerit priuatus nec ne, sit Rex, & Imperator, hæreticus, vel alioquin à Christi cultu alienus, qui in sacris ædificijs exstruendis par isti Petro, quem Dania tulit, & Polonia quamdiu vir vixit, excepit.

VI.

Exstat Procopij liber de Iustiniani ædificijs, in quo apparet Imperatorem illum fuisse supra omnes in sacris ædificijs Magnificum. sed quid simile habet imperator iste, qui tamen Catholicus fuisse dicitur vsq; ad extrema vitæ tempora, quib. incidit in hæresim cum Petro Dunino? Sed qui volet nostrorum magnificentiam cognoscere, poterit

VII.

& ex illo Procopij libro videre, similiter ex alio quem Bruschius quidam confecit, collegitque in eo plurima monasteria à viris Catholicus exstructa, & locupletata, vt certò sciamus in hisce operibus, quæ quidem pertinent non ad delicias & inanem gloriationē, sed ad pietatem, mentemque optimis disciplinis imbuendam, nihil esse simile Catholicis.

VIII.

Verùm quando de Borealium magnificentia nobis est sermo, non dimittamus institutum. Iacobus Zieglerus Bauarus diligentissimè Schondiæ, siue Schandinauiæ, vt nōnulla Plinij exemplaria habent, Pauloq; Diaconi, & Iornandi, spatia describit. Inter alia sic de Nidrosia, quæ abest ab æquinoctiali circulo gradibus sexagintaquinq; ab Arctico polo vigintiquinq;: *Fuit*, inquit ille, *nobilis in primis Ciuitas sub Florente Norduegiæ Imperio, continens in ambitu parochias (quasi dicas regiones vrbis) vigintiquatuor. Nunc in vici formam ferè redacta est. Vocatur lingua Germania Truttham, quasi Dryidum domicilium. Exstat hodie ecclesia cathedralis, argumentum veteris felicitatis: cui magnitudine, & laborati lapidis artificio, par opus non est sub ore Christiano. Crepido circum altare corrupta fuit incendio; hæc reparabatur eo tempore, quo ista scribimus: in quam impensa imputā-*

Incredibilis magnificētia templi Noruegiensis.

tur ad septemmillia aureorum. Atq; à tantula parte æstimatio præstantiæ fiat templi totius. Hactenus Zieglerus de Catholicorũ magnificentia. Atq; vtinam non sit nobis maximè deplorandum, fore aliquando, quod Deus auertat, vt omnes istæ regiones Aquilonis, ob hæreses, animumque in Pontifices Romanos, quibus Dei munere omnia, quæ habent, maxima bona accepta ferre debent, vt ostendimus capite de ducentis bonis, relabantur in antiquam, nisi resipiscant, barbariem, & vastitatem.

IX.

Britannia excoli cœpit à Romanis, cùm prius omnino inculta esset, & horrens; sed ex quo Christi cultus in ea propagatus est, tum maximè splendorem magnificentiæ admirandum habere cœpit. Dena millia in illa insula templa, & mille Monasteria numerabantur. Henricus Octauus vertit omnia in vsus prophanos. Condita fuisse illa, & prouentibus aucta, est clarissimum magnificentiæ antiquæ argumentum: transtulisse ad prophana, hoc quid aliud est, nisi effecisse vt omnia paulatim ruant, & ad vastitatem redigantur? Augustinus, Paulinus, Mellitus à Gregorio Magno Roma missi in Britanniam monachi fuerunt, Anglos ad ciuiliorem vitæ cultum, studia humanitatis, pietatemque Christianam perduxerunt. Per monachos ad id dignitatis, qua nunc Angli quidam superbientes aduersus sanctissimos Papas & monachos impiè latrant, peruenêre. Opera, locaque illorum subuertere, & omnium bonorum, quibus intumescunt, fundamenta conuellere, nónne maximum impietatis genus? Degenerabant posteri à maioribus suis? Quid opus facto erat? vt Angli illi, qui degeneres monachos insectabantur, monachos ipsi bonos inducerent, non totum monachorum statum tollerent, & monasteria euerterent, aut conuerterent in vsus prophanos contra magnificentiæ leges. Quod de Anglia dicimus, idem conuenit Germaniæ, ac toti Septentrioni. Per monachos enim diuinitus in illas partes opera Romani Pontificis missos est effectum, vt gentes humanitatis artes disciplinasq; reciperent; ita vt benè Munsterus adnotarit, vetustiores vrbes Germaniæ supra Rhenum & Danubium plerasque esse conditas propè Monasteria.

X.

Eiusdem magnificentiæ munus est, quod semper curæ fuit Pontificibus Romanis, egentes homines, & calamita-

bus

bus oppressos, pecunia, & opibus iuuare; quod nos persecuti sumus latè signo de fidei confirmatione. Quò referri possunt etiam scholæ per ipsos excitatæ, in quibus omnium nationum iuuenes gratis edocerentur & educarentur. Qua in re immortalem sibi apud omnes laudem, gratiamque apud Deum, Dei ipsius beneficio comparauit Gregorius Decimus tertius, à quo tredecim collegia nobilissima vt signo eodem de fidei confirmatione retulimus, in varijs regionibus sunt excitata, è quibus tria sunt in insula Japonis verè toto orbe diuisa.

XI. Sicut autem docuimus supra Rhenum & Danubium per nostros tot ac tanta in ædificijs monumenta ad maximam magnificentiæ testificationem exstare, sic in omnibus prouincijs, quas Catholici tenent, ex aliqua parte esse idem, quiuis potest colligere, in Hispania scilicet, Gallia, Italia denique ipsa. Quæ quidem Romæ vnius ruinas in ædificijs voluptuarijs, & ad ostentationem factis conqueri potest. Quas tamē ruinas Gotthi Ariani fecerunt, Totila Rege, vt Procopius testatur, eo tēpore, quo Iustinianus impiè Roma abduxerat Syluerium, & Vigilium. Sed pro voluptuarijs ijs operibus Romani Pontifices reposuerunt alia, quæ omnium bonarum disciplinarum pietatisq; seminaria forent, vt initio signi huius retulimus.

XII. Sic etiam tota Italia, & cunctis Catholicorum regionibus videre licet in agris & vrbibus monasteria, templaque magnificentissima passim dispersa. ac, veluti superiori signo ostendimus, paucissimas olim Romæ fuisse ædes impijs superstitionibus dedicatas respectu earum, quæ nunc sunt veræ pietati consecratæ, quorum numerus dicitur esse trium millium tum in ipsa vrbe, tum intra ambitum milliariorum duorum ab ipsius mœnibus, cùm prisci neque ducentas quinquaginta haberent; sic idem dicendum de cæteris locis, quę Catholici tenent; quin multò magis. Nā siquid in Italia magnifici operis est amissum, Romæ est amissum. Ac ne putes in huiusmodi sacris operibus antiquos, vel hæreticos Catholicis vllo modo præstare, vel si magnitudinem, vel si formam, vel etiam si materiam spectes ædificiorum, producamus in medium nobilissima omnium ædificia ex antiquis. Sic igitur Plinius: *Vt Circum maximum à Cæsare dictatore exstructum longitudine studiorum trium, latitudine vnius, sed cum ædificijs iugerum quaternum ad sedem CCLX. milliū inter magna opera dicamus, nónne inter magnifica basilicam*

Pli.l.36.c.25 Magnifica ædificia olim Romę, & eorum

licam Pauli, columnis è Phrygibus mirabilem, forumq; diui Augusti, templum Pacis diui Vespasiani Imperatoris Augusti pulcherrima operum, quae vmquam, Pantheon Ioui vltori ab Agrippa factum, cum theatrum antea texerit Romae Valerius Hostiensis Architectus Ludis Libonis. Hæc Plinius, magnum vocans Circum maximum, non magnificum, magnifica & pulcherrima operum, quæ facta fuerint vmquam Basilicam Pauli, templum Pacis, forum Augusti, Pantheon. Atqui templum sancti Pauli, & magnitudine, & columnarum nobilitate, similiter & templum sanctæ Mariæ ad præsepe multis partibus istęc ædificia superant. De forma quæstio foret. Templum sanè Pacis eiusdem propè formæ fuit cum nostris, hoc vno excepto, quòd illud erat in testudinem constructum, sed angustum necesse est fuerit, vt liquet è vicinis illi vetustis ædificijs. Vt vt sit, templum Societatis Iesu istis etiam longè excellentius, forma, materia, & mole. Quid autem de templo sancti Petri, quod nunc perfectum conspicimus, & admiramur, dicemus? Ac ne quis antiquitatũ stupidus laudator temerè nos loqui putet, afferamus quæ de Pantheo scribit quasi spectaculo tanti operis attonitus Ammianus: Pantheon veluti regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus consulum, & priorum Principum imitamenta portantes. Hucusque Ammianus. Atqui tholus solummodo templi sancti Petri est altitudinis cum Pantheo eiusdem supra fastigium quatuor ædium, quibus insidet medius, latitudinis verò paululo minoris, specie porrò longè excellentiori ob multiplices fenestras, capitula, bases, columnas, epistylia, & coronas. Adde illud longè præstantissimũ, quòd tholus est duplici fornice contectus, & inter vtrumq; fornicem quasi ædiculæ innumerę suis & ipsæ cameris distinctæ. Sed cùm quatuor, vt diximus, infra tholum sint tẽpla, illorũ quodlibet, mole artificio, excellentiaq; materiæ nobilius Pantheo. Præter hæc quatuor templa inter se cohærentia, & peruia, quibus insidet excelsissimè tholus, est spatium mediũ tholo respondens, quod est à pauimento vsq; ad summũ verticem altitudine duplum ad Pantheon. Adde aditum anteriorem, & fornicem posteriorẽ, vt omittamus porticum, quòd nondũ perfecta sit. Hęc omnia sanè si perpendas, rationemq; discriminis ducas, videbis tẽplum S. Petri reuera septuplo admirabilius admirabili isto Pantheo. Hoc altitudine est pedum centum nonaginta octo,

tan-

collatio cũ nostris q̃ sacra sint.

Lib. 16.

tantumdem latitudine. Atqui quodlibet ex ijs quatuor, quibus incumbit tholus supremus nostri templi, est celsitudinis maioris, eiusdéq; propè latitudinis. Superest deinde spatium mediũ cũ tholo, & pars anterior, & posterior, supersunt intercurrentia ab imo ad supremum fastigium tum molis totius, cum cuiuslibet templi spatia parietibus inclusa lato interstitio suas domunculas cum suis cameris aptè dispositas habentia: ita vt reuera hoc templum dignitate & artificio superet omnia, in quibus iactat se cum suis fabulis ostentatrix antiquitas. Est autem celsitas tantæ molis stadij dimidij plus minus, pedum scilicet tercentum, longitudo quadringentorum. Quocirca placet comparare idem templum cum Dianæ Ephesiæ fano impio, quod inter septem miracula vetustas adnumerabat. De illo sic Plinius: *Magnificentiæ vera admiratio exstat templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauêre carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est 425. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem à singulis Regibus factæ sexaginta pedum altitudine. ex ijs triginta sex cælatæ, vna à Scopa. operi præfuit Ctesiphon architectus. Summa miracula epystilia tantæ molis attolli potuisse.* Hæc Plinius. Atqui templum S. Petri perfectum propè iam videmus, cùm tamen anni octuaginta nondum sint elapsi ab eius inchoatione, neq; vel Asia tota, vel centum viginti septem Reges coierint ad eius absolutionem; in reliquis multo nobilius S. Petri templum. Sed sanè non sola Romæ templa à Catholicis exstructa priscis illis iactantiæ plenis maiora, & nobiliora, sed etiam vrbium plurimarũ. Quis namq; ignorat admirandam magnificentiam tẽpli episcopalis Mediolanensis: aut eius, quod Gratiarum vocatur, in vrbe eadem? Quid porrò dicendum de nobilissima æde S. Marci, aut S. Marci, aut S. Georgij Maioris Venetijs, de S. Petri, & Petronij Bononiæ, de S. Ioannis Euangelistæ (est opus hoc Gallæ Placidiæ Augustæ) Rauennæ, de S. Mariæ Floris, S. Mariæ Nouellæ, & sancti Spiritus Florentiæ, de S. Claræ, sancti Dominici & Episcopij, temploque & monasterio simul Neapoli? quid de alijs innumeris in Hispania, Gallia, Britannia, Germania, & oris Borealibus?

Lib. 36. ca. 14

Atq; vt hac in re finem faciamus, ne prolixiores simus, quàm deceat; rem sum dicturus incredibilẽ, & quàm prorsus exsibilarem, deriderem que, nisi scirem scriptam à viro fidei spectatissimæ, qui vidit, & affirmat interposita Dei obtestatione. Franciscus igitur Aluaresius sacerdos diu fuit in AEthiopia vnà cum legato Regis Emanuelis ad AEthiopiæ Regem misso. narratque se vidisse decem templa tota è solido vnicoq; lapide constantia. Illa mirabiliter artifices exsculpserunt à montibus, & in ædes sacras inciderunt ex vnico saxo factas. *Prima ex illis est*, quam describit, *nomine Golgatha longitudine palmorum CXX, latitudine septuaginta duorum, fornix incumbit quatuor columnis in crucem distinctis, parietes fenestræ ac portæ sculpturis elegantissimis sunt ornatæ. Subter hanc ædem est ædes altera latitudinis ac longitudinis eiusdem, sed altitudinis multo minoris. Templum totum à monte diuisum est vndique intercurrenta via ipso monte incisa latitudine palmorum septuaginta quinque. Secundum templum est sancti Saluatoris, longitudine palmorum ducentorum, latitudine centum viginti; in quinque peristylia est diuisum, quorum quodlibet habet columnas septem, ita vt omnes sint viginti octo, & sua cuique peristylio est fornix in longitudinem pertinens, medio fornix altior, reliquis depressior. E parietibus effigies rerum summo diligentique artificio elaboratæ existunt, reliquus mons à templo seiungitur excisus in profundum, latumque est interstitium solidi continuique lapidis à fronte templi palmos centum, à reliquis lateribus palmos sexaginta.* Hæc Aluaresius, qui reliqua templa eodem modo depingit. Quid igitur hîc miremur obeliscos, qui nullius sunt momenti præ istis? Ecquis antiquorum Regum à fide alienorum potuit hoc præstare, aut præstitit, quod prisci Reges AEthiopum in huiusmodi magnificentiæ operibus? Catholicos verò fuisse, & esse ex maiori parte AEthiopas alibi docuimus. Nam quantum spectat ad nonnullos eorum ritus, acutè satis Caietanus ostendit illos absque hæreseos & falsæ doctrinæ vitio & seruari potuisse, & posse. Hæc igitur nostrorum diuina magnificentia, cuius nullam laudem ferunt hæretici ad nihil aliud nati, nisi ad ruinas & vastitates, quod è signo de cessatione cladum, plagis habitabilibus, cultu desertorum locorum prodigijsque horrendis apparet. Nam quod quæso vmquam magnifici operis per hæreticos est editum? Tanta verò Catholicorum magnificentia fuit in operibus sacris vel ipso nascentis Ecclesiæ exordio, vt Lucianus introducat Critiam quem-

Templa mirabilia AEthiopicorum regum.

In Philop.

dam

dam, qui in Ecclesiam Christianam perductus itia loquitur, *Pertransiuimus ferreas portas & ærea limina: multisque iam superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse, atq; ipse quidem omnia illa contemplabar.* Hæc ille. Quanta verò fuerit Regũ Imperatorumq; Catholicorum tum munificentia, tum magnificentia, signo de amplissimis Regum donis est patefactum, sic etiam de ornatu templorum aduersus impios alibi disseruimus. Conuenit autem non modò rationi Catholicos esse in rebus sacris, & ad vtilitatem publicam pertinentibus magnificentissimos, sed etiam priscis oraculis: sic enim Dauid de Ecclesiæ regno, quod esse illi commune cum Deo tertia coniunctione ostendimus; *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi: gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.* Hæc vates. Cætera porrò, quæ pertinent ad hunc locum, peti possunt è signo de cultu desertorum locorum.

SIGNVM QVADRAGESIMVM, SEXTVM.

Temperantia.

E summa nostrorum temperantia clarissimum fit, nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. IIII.

1.Tit. 2.

2.Tim. 8.

A *Paruit*, inquit Paulus, *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Quocirca rectè nos Petrus admonet, vt sobrij simus, ac vigilemus, quod aduersarius noster diabolus circumeat quærens quem deuoret. Necesse est igitur in Ecclesia sit hæc virtus, atque ita sit, vt amplitudine maiestateque sua nos ab hæretiorum alienorumque cœtibus distinguat. Hoc autem fiet, si duo cognouerimus, summum scilicet vitij oppositi huic virtuti, in quod alieni à nobis præcipites corruerunt, & summum sobrietatis, ad

quod nostri peruenerunt. Quælibet enim res dijudicatur è summo, ad quod vel reuera peruenit, vel peruenire potest, & inde nomen accipit, ac vim suam. Ob id enim dicimus hominem rationalem, quòd ratiocinari potest; hoc eius summum, quo distinguitur à cæteris animãtibus. Signum porrò est temperantia, quamuis hîc agamus potissimùm de sobrietate illi subiecta, quòd de cæteris eius partibus in sequentibus simus acturi. Igitur aliquæ gentes aliquando visæ sunt temperatæ, cùm scilicet nullas nactæ sunt occasiones luxus, libidinisq; ingenitæ explendę, quæ foras non se dabat, non quia non inesset animis earum gentium, sed quia non habebat in quibus excurreret, & domesticæ innatæq; inopiæ, & parsimoniæ consuetudo intra cancellos frugalitatis illas continebat: vbi tamẽ copia rerum difflue-re cœperunt, tunc experimento cognitum est, nihil esse in hominibus neruorum ad virtutem capessendam, nisi quantum Deus per Christum dat Ecclesiæ Catholicæ alumnis. Videamus an id ita sit. Omnium vetustissimũ est Assyriorum Imperiũ; desijt illud in Sardanapalo: quãtus eius fuerit luxus, & intemperantia, qui ignorat, is litterarũ videtur expers: luxus eius abijt in prouerbium. In vniuersum de regno Assyriorũ, & Sardanapalo sic Iustinus: *Filius*, ait, *eius*, Semiramidis) *Ninus contentus elaborato à parentibus Imperio belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, rarò à viris visus in fœminarum turba consenuit. Posteri quoque eius exempla secuti responsa gentibus per internuncios dabant.* & mox: *Postremus apud eos regnauit Sardanapalus vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat) præfectus ipsius Arbactus, cùm admitti magna ambitione ægrè obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollicia corporis, & oculorum lasciuia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem: quibus visis indignatus tali fœminæ tantum virorum subiectum, tractantiq; lanam ferrum & arma portantes parere, progressus ad socios suos, quid viderit refert.*

Assyriorũ intempe-rantia.

Hæc ille de Sardanapalo, q. suo sepulchro hęc iussit inscribi: *Id solum, quod ebibi, atque voluptatibus impendi, habeo: reliquorum nullam sentio voluptatem.* Idem porrò præmium proposuit ei, qui nouum voluptatis genus inuenisset; quibus de rebus Cic. lib. de fin. & Tuscul. 5. Assyrijs successère Chaldæi. Quorum tanta fuit intemperantia, vt cùm Balthasar Rex vltimus illorũ à Medis & Persis obsideretur, choreis tamen & ebrietati indulgerent; & de temulentia quidẽ illius

Dan.5.

Daniel testatur, & Herodotus scribit lib.1. Post hos Persæ regnarunt, quos adeo luxus corrupit, vt Persicæ deliciæ & apparatus prouerbio dederint locum. Hinc ille: *Persicos odi puer apparatus*. Plinius autem dixit, *Persis est in luxum diues*. Et tamen à principio Persæ sic erant temperati, vt nihil amplius desiderari posse videretur, quod liquet è Cyri institutione, quam Xenophon descripsit. Narrat Athæneus lib. 11. de opulentia, & luxu Darij Regis Persarum scribens, *in eũ luxum Persarum Reges prolapsos tempore Darij vltimi Regis, vt ad caput cubilis Regij conclaue esset pariete vno intersitum quod quinq; lectos caperet, in quo semper essent auri talenta quinq; millia, quæ tre centies cẽtenis millibus coronatorum æstimantur, hoc conclaue dicebatur Regis ceruical. E regione huius erat aliud conclaue, ad quod cubilis Regij pedes vergebant, trium lectorũ capax; in eo erant tria millia argẽti, hoc dicebatur scamnũ suppedaneũ Regis. In eo cubiculo vitis erat aurea gẽmis locuples, racemos è lapillis pretiosissimis pẽsiles habẽs.* Hæc ille. Persis Græci successêre, qui cũ prius delicias Persicas abominarentur, vt è libro vltimo. Herodoti constat, eorum tamen Rex primus ac summus Alexander sic ebrietati deditus fuit, vt plures amicorum, quàm hostium dicatur occidisse. Hinc Quintus Curtius lib.4. *Intempestiua conuiuia, & perpotandi, peruigilandiq; insana dulcedo, ludiq;, & greges pellicum, omnia in extremum lapsa sunt morem, quem æmulatus, quasi potiorem suo, ita popularium animos, oculosq; pariter offendit vt plerisq; amicorum pro hoste haberetur.* & mox; *Igitur cùm intempestiuis conuiuijs dies pariter noctesq; consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat, non contentus musica artificum, quos è Græcia excitauerat, turbæ quippe captiuæ fœminarum iubebantur suo ritu canere inconditum, & abhorrens peregrinis auribus carmen.* Hæc Quintus Curtius, qui nobilissimam totius Orientis vrbem Persepolim incensam ab alio propter ebrietatem narrat, institutaq; certamina, & præmia opulentissima ijs data, qui plus bibissent. Neq; verò continentiores Alexandro fuêre illius successores: quorum nimiam incontinentiam ne sigillatim persequamur, satis erit, si supremi omnium regni, inter ea quæ suis ille reliquit, incredibilem luxum describamus ex aliqua parte. Cleopatra fuit è Ptolomæorum stirpe, quæ regnauit vltima; cuius quantus in cœnis fuerit luxus, vna res indicare potest, eam describit his verbis Plinius: *Duo fuêre vniones maximi per omne æuum, vtrumq; possedit Cleopatra AEgypti Reginarum nouissima per manus Orientis Regũ sibi traditos. Hæc* (Cleopatra) *cùm exquisitis quotidiè Antonius sa-*

Plin.l.6.cap. Persarum.

Græcorũ.

Lib.9.ca.35.

gina-

ginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, vt regina meretrix lautitiam eius omnem apparatumq; obtrectans quærente eo quid adstrui magnificentius posset, respondit, vna cœna centies H-S. absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis postero die, quo iudicium agebatur, magnificam aliàs cœnam, ne dies periret, sed quotidianã Antonio apposuit irridenti, computationemq; expostulanti. At illa corollarium id esse consumpturamq; se ea in cœna taxationẽ confirmans, solamq; se centies H-S. cœnaturam, inferri mensam secundam iussit. ex præcepto ministri vnũ tantũ vas ante eam posuêre aceti cuius asperitas vis q; in tabem resoluit margaritas gerebat auribus tum maximè singulare illud, & verè vnicum naturæ opus. Itaq; exspectante Antonio, quidnam esset actura detractum alterum mersit, ac liquefactum absorbuit, iniecit alteri manum. L. Plancus iudex sponsionis eius, eũ quoq; parante simili modo absumere, victumq; Antonium pronunciauit. Hucusq; Plinius, eadẽ Plutarchus in Antonij vita. Veniamus ad Romanos, qui Græcis successêre, de quibus sic idem Plinius, ab homine priuato victos hac in re narrans Antonium Cleopatrã. *Non ferent tamen*, ait, *hanc palmam spoliabuntur etiam luxuriæ gloria. Prior id fecerat Romæ in vnionibus magnæ taxationis Clodius tragœdi Æsopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, ne triumuiratu suo nimis superbiat Antonius penè histrioni comparatus, & quidem nulla sponsione ad hoc producto, quo id magis Regium erat, sed vt experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ: atq; vt mirè placuêre, ne solus hoc sciret, singulos vniones conuiuis obsorbendos dedit.* Hactenus Plinius. Sed quid de Lucullo dicemus, cuius si vellemus omnia recensere, nimium lectoris otio abuteremur? Pudor porrò non permittit, vt recitemus infandum luxum Tiberij, Caligulæ, Neronis Vitellij, Commodi, Heliogabali, Ælij Veri, Lucij Veri, Galieni, Carinió; Imperatorum: incredibilia sunt, quæ de ingluuie illorum narrantur à scriptoribus. Et quamuis nos hic agamus potissimum de sobrietate, tamen operæ pretium est videre, quanta fuerit Romanorum in reliquis luxuria. Audi igitur Plinium: *Et nos*, ait, *fecimus, quæ posteri fabulosa arbitrentur. Cæsar, qui postea dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo vsus est, ferasque argenteis vasis incessere tum primùm visum. mox, quod etiam in municipijs æmulantur, C. Antonius ludos scæna argentea fecit. Item L. Murena, & C. Princeps in Circo pegma duxit, in quo fuêre argenti pondo 124.* & mox: *Nero Pompei theatrum operuit auro in vnum diem, quod*

Romanorum.

Plin. lib. 33. ca. 4.

Tyridati Armeniæ Regi ostēderat. & quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis vrbem? & alibi idem refert Romæ pauperes etiam fœminas totis socculis solitas addere margaritas: vt iam non sit ostentum quamdam meretricem in vrbe insigni calceis inseruisse margaritas, maiorum nostrorum temporibus. sic etiam refert Antonium vasis aureis vsum in omnibus obscœnis desiderijs, pudēdo etiam crimine Cleopatræ; seruumque Claudij Imperatoris Drusillarum lancem habuisse argenti quingenariam, cui fabricādæ officina fuerat ædificata, octoque præter illam quinquaginta librarum. Sed quid priuatorum luxum recensemus? Nemo ignorat apud omnes plerumque gētes in more positum fuisse, vt antequam cœnarēt conuiuaturi lauarentur, vnguentis perfusi, coronatiq; lectis mollissimè stratis accumberent. Hac de causa Romæ erant thermæ publicæ amplissimæ duodecim, balineæ priuatæ octingentæ sexaginta sex, quod è Publio Victore constat. Nunc si quis Christianus haud dico cuncta ista faceret, sed quoties accederet ad mensam coronari vellet, hui quanta infamia infelix flagraret? Quid verò, si præterea posceret vnguēta, balnea, aut seminudus lecto cubaret? Monstrum diceremus. & prisci tamen hæc omnia de more agebant, quod post alios diligentissmè persecutus est vir antiquitatum peritissimus Fuluius Vrsinus in appendice ad librum Petri Ciacconi de Triclinio Quanta igitur sobrietas Catholicorū? quanta modestia? Alexander ideo Seuerus est dictus, quòd nimiæ seueritatis notaretur. & tamen hic cognomēto Seuerus vnam horā quotidiè in balneo lauabatur, vngebaturq;, atq; ita cibum sumebat ante prandium. Thermas præterea plurimis locis addidit, instaurauit, auxit. quod ex Lampridio discimus. Sed q͠d de Catone minore dicemus, illo, inquā, qui sententiam semper in Rep. Platonis, ait Cicero, dicebat, & qui locū prouerbio fecit; Tertius è cælo cecidit Cato? Annon hic, Plutarcho teste, totas noctes sæpè in compotationibus transigebat? I nunc, & admirare ex vna re antiquos. Risum mihi mouent, qui volunt priscos non nisi semel in die cibum sumpsisse. Rectius M. Antonius Muretus post Cælium Rhodiginum docet, quater illos in die comedisse. annon prandij toties meminit Homerus antiquissimus inter scriptores? Laudant aliqui Turcas, quòd varijs cibis mensas non instruant. Nunc mutatis moribus in contrarium ferri audio. Vt vt res sit, intemperantia no ex cibo-

Lib. 9. ca. 35.

rum veritate, quam parat industria, & diligentia vel patrum familias, vel œconomorum, à qua Turcæ absunt, sed ex ingluuie spectatur. Cùm Turcæ ieiunia quædam suæ superstitionis agunt, vsque ad noctem cibum non gustant: vbi aduesperascit, sic insatiabili quadam auiditate corripiuntur, vt totas noctes vorando, & bibendo consumant, vt Spanduginus, Cambinus, Nicolaus è Nicolais, ac Petrus Bellonus scribunt. Hoc singulis vsitatissimum. Et hos dicemus temperatos? Germani olim, quod Cornelius Tacitus scribit, totas noctas eodem modo in conuiuijs transigebant, temperantiæ nulla illis lex erat, quæ à virtute proficisceretur. Nunc ex quo prolapsi sunt in hæreses infandissimas, quales sint, pudet me loqui: qui volet, poterit discere ab hæretico Munstero, cuius verba retulimus signo de ignoratione ad finem. Sed qui cognoscere cupit quales sint sectatores Lutheri & Caluini, & aliarum huiusmodi bestiarum, satis est talium Magistrorum vitas legat, effrenatissimos fuisse conspiciet? quippe qui leges omnes abstinentiæ, & ieiuniorum, ab ipso Deo, Christo, & eorum legatis constitutas, fœdissimè violarint, ac fregerint. Nunc ad Catholicos veniamus, & in vniuersum prius aperiamus quid à singulis obseruetur toto orbe terrarum. Id verò est, vt bis in hebdomada, & certis præterea diebus, qui quintam propè anni partem complectuntur, carnibus haud vescantur; id singulis est præstitutum, qui rationis compotes esse cœperint. Hac verò ratione paulatim assuescimus cupiditates animi nostri intra confinia virtutis continere, & in gyrum quodammodo nostræ potestatis reuocare: ne scilicet, vbi titillatio libidinis nos attigerit, continuò rapiamur in obiecta quæque. At vbi corpus vnà cum ætate fuerit confirmatum, id est, vbi exegerimus annũ vigesimum primum, tum verò iubemur, lacte, ouis, caseo, carnibusque abstinere, ac præterea semel in die cibum sumere. Hoc omnibus Catholicis indictum videmus à plerisque omnibus obseruari, nisi corporis inualetudo, aut nimius labor, vel aliquid huiusmodi secus exigat. Atque hæc quidem communia quibuslibet Christianis; sed præter hos, sunt ordines plurimi religiosorum, in quibus innumeri mortales; ex ijs, qui sequuntur arctiora instituta SS. Benedicti, & Dominici, numquam carnes comedunt, nisi ægritudo impediat, aut aliquid aliud necessitatis, vel caritatis vinculo nos arctans. Hi præterea cùm sæpiùs diuersis temporibus se-

Turcarum.

Protestantium.

III.

IIII.

V. Temperantia Catholicorum.

mel dumtaxat in die vescantur, tertiam propè anni partem ieiunia obseruant, à lactè, caseoque, & ouis abstinentes: Arctioribus adhuc legibus Carthusiani adstringuntur. At qui vocantur Minimi, ex ordine Francisci Paulensis, numquam vel oua, vel è lacte confecta, carnésve attingunt, & eadem propè ieiunia cum superioribus obseruant. Camaldulenses verò Eremitæ dimidium ferè anni transigunt semel in die aquam panemq; sumentes. Austeriores omnium S. Bernardi sunt omnes alumni, quippe qui neq; oua, neq; carnes, neq; è lacte composita, neq; aliquid conditum, vel etiam vinum degustent. Horum porrò religiosorum, si mares ac fœminas numeres, si quis dicat esse in Europa, Africa, Asia, Indijs Orientalibus & Occidentalibus decies centena millia toto orbe Catholico, non aberrabit à vero. Atq; vt videamus adhuc, quò peruenerit temperantia Catholicorum, & quodnam sit eius fastigium summum, quod attonitos reddat impios, & videant nostros in omni genere virtutum diuinitus euchi vltra limites humanæ conditionis, ac sortis, consideremus etiam totos quadraginta dies ac noctes sine vllo cibo permansisse. Idemq; Moysi contigit. Eodem modo Christus exemplar omnium virtutum similia pręstitit in solitudine post baptismum. Et quando Christus dixit fore vt ipsius discipuli præstarent eadem, & maiora etiam, quàm præstiterit ipse, quæramus non à gentibus prorsus Christi cultu alienis, sed ab hæreticis, siue ijs qui sunt à nobis alieni, quamuis Christi se studiosos profiteantur, vt proferant aliquos à suis, qui totos quadraginta dies & noctes sine cibo illęsi durarint. Atqui nos multos è nostris enumerauimus huiusmodi, qui nostra ætate, & maiorum nostrorum vixerunt, signo de admirandis effectis Eucharistiæ, sed si vult Christus à suis maiora præstanda necesse est inueniamus, qui hac in re maiora præstiterint. Edant suos alij. Nullos poterunt. Nos edemus nostros, & quidem virtutibus alijs ornatos necui forsan dæmō imponat: & tamen si dæmon spectris suis vllos decipit, necesse est ex aduerso Christus vi veritatis suos cōfirmet, & aduersus fictitia sint aliqua vera. Nostra igitur memoria Felix è Barbarano Romani territorij non ignobili oppido virgo notissima, & sanctitate insignis tres totas quadragesimas absq; vllo cibo traduxit: quadragesima constat è quadraginta sex diebus. En igitur maiora præstita à nostris, ita constituente Christo, quam

VI. VII. VIII. IX. X. Incredibilis abstinētia quorundam Catholicorū.

quàm Christus, cùm posset, præstare voluerit. Idem diuinitus datum Catharinæ Senensi, & multis alijs, quæ ante ætatem nostram vixêre; vt retulimus signo suprà adducto. Quid autem si multo admirabiliora narrentur? fidem facit Petrus de Abano in vltimum problema decimæ sectionis se à viris integerrimis & grauissimis cognouisse suo tẽpore exstitisse puellam Nortmannicam, quæ vixerit octodecim annos sine vllo cibo, & potu. Exstat libellus Simonis Portij philosophi insignis, qui mandante Paulo Tertio disputat an fieri naturaliter possit, vt puella quædam Germanica, tum viuens viuere biennium potuerit, & tamen potuerat, nil gustans. Multa affert in vtramque partem; colligit tandem, id diuinitus prouisum, vt scirent impij Protestantes, qui ieiunia religiosa nolunt; quasi grauia, quò Deus perducere mortales possit, si ipsius se benignitati committant, illiq; fidant. Quid porrò dicemus de Simeone Stylita, qui imperante Theodosio vixit: nam fuit alter imperante Iustiniano. Ille igitur, quod Theodoretus & Sozomenus æquales illorũ temporum tradunt, ac post eos Simeon Metaphrastes, Nicephorus, alijq; multi, quadragesimo quoq; die tantum cibi paululum sumebat. Nescio an multo diuiniora narret Paulus Diaconus de Maria AEgyptiaca. Nil itaque mirandi habet, quod nostra ætate contigit sanctissimis viris Ignatio Loiolæ, & Francisco Xauerio, qui totas hebdomadas omninò ieiuni traducebant. Qualis igitur temperantia nostrorum, & qualis quæso aliorum, si singula quæ diximus circumspicias, ac perpendas? In quo cœtu diuinæ virtutes, ac propterea quinam cœtus Dei dicendus?

SIGNVM QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Clementia, & mansuetudo.

Cùm maximè Christiani sit esse mansuetum, nostri verò cunctis præstent in mansuetudine, hinc fit nos esse ex Ecclesia Christi, & Dei.

CAP. V.

D*Iscite à me*, inquit Christus, *quia mitis sum, & humilis corde*. Illi igitur discipuli erunt Christi, qui præ cunctis, cùm maximè possint delinquentes castigare, abstinent tamen, & modum vindictæ ponunt. Hinc ait Christus per Isaiam, se missum, vt annunciet mansuetis salutem. Hinc rursus de illo dictum, arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Quocirca summa erit in Ecclesia Dei mansuetudo, & clementia: è discipulis enim Christi constat Ecclesia Dei, ad eos Christus est missus, pro ipsis arguit omnes. Verùm enim verò distinguendum est aliquo modo, ne specie inani mansuetudinis decipiamur. Est enim tempus, quo non videtur adhibenda imago quædam falsæ mansuetudinis, ac vitiosæ, sed opus est seueritate acerrima. Sic enim Paulus apertissimè dicit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate, & spiritu mansuetudinis?* & Christus ipse sic iram præ se tulit aliquando, vt zelo quodam comedi, & corrodi videretur, cùm vendentes atque ementes eiecit de templo. Paulus Elymam priuauit vsu oculorum, Petrus Ananiam, & Sapphiram vita, solius comminationis verbo. Quamobrem si flagitiosos & contumaces nolit puniri, is non vocandus est lenis, atque ob id laudandus, sed est mollis, ac remissus instar Heli illius Pontificis, qui cùm filios suos delinquentes haud argueret, & coërceret, ipse miserabiliter, vt est in sacra scriptura, perijt, filij ipsius occisi, Hebræi atrocissima clade profligati, & victi, Arca Dei ab hostibus impijs capta. Quamobrem ni puniat errantes Princeps ac Præsul Catholicus, dum suis nimium vult indulgere, in manus hostium crudelissimorum dabit. Atq; ideo diuinitus cogitur instar Phinees sanguine effuso nocentum consecrare suas manus Deo. Nam nisi Phinees occidisset Hebræum, qui cum muliere aliena coibat, prorsus actum foret eo tempore de Populo Iudæo: sed *stetit Phinees*, inquit Dauid, *& placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam in generatione, & generationem.* Quamobrem iustus satis habet de medio tulisse delinquentes, ita publicæ saluti consuluisse, atq; ita mansuetudinem iustitiamque seruat. At qui crudelis est, atque atrox, satiari pæna nequit, instar feræ sæuit, cruciamentis nullũ modum ponit, noua & inusitata tormenta profert ex efferati pectoris diritate. Quocirca accedamus ad rem, videamusque apertissimè quanta sit mansuetudinis huius excellen-

Isa. 61. *Isa. 11.* *Num. 25.* *Psal. 105.*

tia

tia inter Catholicos, quàm nihil eius inter hæreticos, aut alioquin à Christi cultu alienos.

Ac primum sit illud argumento quòd nulli Christiano est ex vlla causa permissum, nisi cùm non posset euadere mortem ab eo, qui iniustè inferret, aliquem necare mortis in illum sententiam quamuis iustam proferre, aut esse in proxima causa, vt aliquis morti detur, vel ei membrũ mutiletur, si velit clericis adscribi, quibus nemo potest adnumerari, per quem vita alicui membrúmve quamuis iustè est ablatum. Quòd si quis est huiusmodi, & velit in clerum cooptari, rescripto Pontificis eget, qui non nisi legitima de causa indulgere solet. Ob id numquã permissum stringere ensem Clericis, ex quo Christus Petro dixit vt illum includeret in vagina. Sed veluti parentes tradunt alijs filios suos castigandos ad hoc vocatis, & ad huiusmodi munus electis, sic qui Clerici esse volunt, aut si Clerici sunt, officio Clericorum fungi, neque ab illo protinus ipso iure spoliari, necesse habent ad rebelles & impios coërcendos alium vocare. Numquid ita Zuinglius, qui Heluetios inter se prælijs atrocissimis adeò concitauit, vt ter signis collatis hæretici adorti Catholicos, & in eorũ fines ingressi, maximis sint cladibus affecti, ipse verò in acie pugnans est occisus? Numquid Lutherus, cuius adhortationibus, quas postea videri volebat non esse suas, Thomas Muncerus, rusticorum perditorumque collecto ingenti exercitu supra ducenta monasteria & arces in vna Franconia euertit, donec ipse cum centum millibus è suis occisus, vt scribunt Surius & Cochlæus: Quid verò de Caluino dicemus, qui atrocissimam coniurationem texuit in Franciscum Secundum Gallorum Regem matremque & fratres eius anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, ex quo tempore nulla in nobilissimo regno pax, cuncta ferè vastata, & miserabiliter euersa monasteria & templa. Atque hi sanè Zuinglius, Lutherus, & Caluinus mansuetissimi inter hæreticos & Protestantes omnium magistri, qui rectè illud didicerunt: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

I. Argum.

Iam verò non modò religiosis, aut esse clericis volentibus interdicta homicidia, membrorumq; præcisiones, sed bella vetita Christianis, neq; permissa nisi aduersus publicam causam scienter delinquentes. Quamobrẽ neq; moueri aduersus Indos nostri possunt arma, vt doctissimè con-

II. Argum.

cludit Franciscus Victoria; nisi vbi illi in nos graue aliquod publicè committant, neque emendare ex animo relint. Hæc lex antiquis, alienis à cultu Christi haud præscripta, Romani tamen haud solebant bellum mouere nisi legitimis de causis, nonnulli etiam populi Græcorum.

III. Argum. Atque vt videas Catholicæ mansuetudinis euidentissimum fructum, lege signum de intestinis hæreticorum cædibus, de inglorio & infelici exitu hæreticorum Regum, videbis hæreticos Reges à suis plerumque occisos, excæcatos, aut de regno miserabiliter eiectos, nostrorum verò Regibus paucissimis respectu hæreticorum id accidisse. Res est apertissima, nec pigeat signa illa duo percurrere.

4. Argum. Alter præterea fructus mansuetudinis huius est, quòd Catholicis est summa pax, si comparentur antiquis, & hæreticis; quod clarissimè à nobis est demonstratum signo de summa pace Ecclesiæ Catholicæ. Hinc aliud profectum, vt efferatissimæ gentes, quales olim fuisse Hungaros Rhegino scribit; Sclauinos, & Scandinauiæ populos, quæ est Dania, Noruegia, Suetia, Procopius libro de bello Gotthico; Prussos, & omnes maris Balthici accolas Polonis finitimos Radeuicus; sint per nostros ad summam mansuetudinem perductæ; quod apertissimè signo de gentibus efferis ad humanitatem perductis est à nobis demõstratum. Ab istis olim populis solebãt aut homines sacrificari, aut nulla de causa miris modis excruciari & occidi. Nam quid de plerisque Occidentalium Indiarum populis dicemus, qui filios è seruis susceptos solebant alere, vt mox adultos, ac pinguedine distentos in frusta discerperent, ipsi parentes coquerent, ac comederent? quid de Iaponibus, licet habeantur mitiores, dicemus, qui cùm premebantur inopia, liberos ipsi impuniti palàm suffocabant?

V. Ex his effectum, vt annus iam millesimus atque amplius agatur, ex quo nulla Borealis gens irruperit in Italiam, Galliámve, aut Angliam, atque in illis prouincijs consederit, Indigenis aut omninò deletis, aut expulsis, aut omni agro maiorive eius, aut bonorum parte mulctatis. Idem contigit Germaniæ Bohemiæ, Poloniæ, ex quo Christo adhæsere populi finitimi; quòd scilicet ad humanitatem per nostros perducti non adeò rapinis, cædibusq́; vt olim, gaudeant, & ad aliena inuadenda commigrent. Id verò totum

tum clarissimè ostendimus signo de felicitate Catholicarum nationum, & infelicitate hæreticarum.

VI.

Neque ille omittendus mansuetudinis fructus. Nemo historiarum paulo peritior ignorat, quàm fuerit in more positum Romanis colonias deducere. Nam simulatq; aliquis populus Romanis subiectus, ab eis desciscebat, non modò capita defectionis multabantur, sed omnes in vniuersum bonis omnibus spoliabantur, & in vrbes eorum milites ac plebs vrbana deducebantur, & coloniæ Romanorũ passim per Italiam primò, ac deinde per vniuersum orbem terrarum serebantur. Atque hic mos Romanis erat non modò aduersus hostes Reipub. sed etiam cùm dissentiebant inter se ciues, vbi pars altera vicerat, factionis domitæ bona suis addicebat in omni Italiæ vrbe, quæ inimicis suis adhæsisset: sic Sylla factitauit, Cæsar, Octauianus, & alij; ita vt Dio referat ab Octauiano multos in Italia populos colonijs inductis deletos, cùm non satis habuisset ille suis militibus agros inimicorũ distribuere, sed quando ij non satis erant, diuisit & aliorum, vt de suis Mantuanis Virgilius conqueritur eo versu:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

VII.

Nunc autem sublatus inter Christianos omninò hic mos. Nimirum longè maior nunc Christianis est mansuetudo vel aduersus acerbissimos & infidissimos hostes. Vin' huius rei exemplum luculentissimum? Carolus Magnus multis annis bella gessit aduersus Saxones, duodecies illos deuicit, duodecies illi fracta fide desciuerunt, duodecies illis Carolus ignouit, ad extremum satis habuit aliquot eorum, quòd contumaciores sensisset, è patrio solo abducere, ne perpetuas defectiones suscitarent. Affer, si potes, è tota antiquitate simile aliquod exemplum. Atque vt rem probè agnoscas, Saxones non modò Carolo datam fidem fregére, sed etiam cùm Christiana sacra accepissent, bis illa abiecerunt, atq; ita non modò humana, sed etiam diuina iura violarunt. & Carolus fuit, quod omnes norunt, omnium nostrorum pugnacissimus, & manu promptissimus. nõ igitur attuli exemplũ Regis alicui' imbellis ac desidis. Proferatur nunc contrà aut ab hæreticis, aut alijs bellicosissimus aliquis ipsorũ Rex, ac videamus nũquid simile aliquid egerit vllo tempore. Quis ignorat quantis laudibus extollatur ab omnibus Cęsar ob clementiã? Quid ita?

quia veniam dedit multis ciuibus Romanis, qui pro patria sumpsere arma semel aduersus ipsum Cæsarem contra omne ius bella mouentem, quòd istis ignouerit, omnium clementissimus ex antiquis habetur. Hui quanto interuallo distant à nostris isti? neque vmbram nostrorum prorsus assequuntur.

VIII. Sed ex alio potest adhuc dignoscere quàm sit animis Catholicorum lenitas insculpta; quòd paucissimi è nostris, si priscis comparentur, soleant ad bella procedere; quod latè persecuti sumus signo de summa pace, non est opus repetere. Id est argumento longè abhorrere Catholicos à sanguinis humani effusione, vix commoueri aliquos posse ad prælia quamuis iusta, aut quæ pro iustis habentur, si ipsorum cum antiquis fiat comparatio. At ne putes id ab animi lentitudine oriri, vide quot nobis martyrum cateruæ, qui vltrò se morti pro religione offerunt. numquid tale aliquid antiquis, aut hæreticis? & quidem nobis hæc martyrum series est perennis, acies illorum semper adhuiusmodi bella instructæ.

IX. Huc afferri etiam possent durissimæ illæ leges antiquorum in exigendo ære alieno, quibus debitores, vbi non erant soluendo, addicebantur suis creditoribus, vt eis essent loco mancipiorum, & acerbissimam seruitutem seruirẽt, plagis quotidiè miserrimè acciperentur; quæ diritas etiamnum seruatur apud Sinas, quibus optima Reipub. temperatio esse dicitur. Quid verò dicemus de gladiatorijs ludis, in quibus erat oblectamento Romanis concludere in theatro multa gladiatorum interdum millia, vt se mutuis vulneribus confoderent? An non hæc summa sæuities, compellere homines nulla de causa, nisi vt te oblectes cædibus, ad necessaria & mutua parricidia? Igitur humani sanguinis effusio erat istis Romanis voluptas magna. Hoc autem quid, nisi exuisse humanitatem, cùm tollere homines, & exuere vita ducas oblectamentum? Sed quando hęc persecuti sumus eodẽ titulo de summa pace, non est quòd eadem repetamus, satis est attigisse, atque innuisse.

Clementia Pontificum Romanorum in Antipapas.

CAP. VI.

Nunc

X.

NVnc illud summæ admirationis afferatur in medium. Norunt omnes, à Protestantibus passim iactari Papam esse instar Cyclopis, Lestrygonis alicuius, aut Polyphemi, crudelissimum scilicet omnium. videamus an ita sit. Papæ nihil æquè contrarium, atque Antipapa. Aduersus inimicissimos igitur suos inspiciam' qualis fuerit Papa, qualis inquam fuerit non vno sæculo, sed omni æuo, non vnus aut alter, sed quiuis Papa. Triginta numerantur ab aliquibus schismata, in quibus constituti Antipapæ aduersus legitimum Papam. Dinumeremus illa, & obseruemus qualis sit iste noster Polyphemus. Nam si omnium, quot vmquam fuerint ab orbe condito, principum clementissimus apparuerit, quid de ceteris Catholicis dicemus, qui non Cyclopes existimantur, sed mites?

Anno ducentesimo quinquagesimo secundo, vt quidam volunt, ortum primum schisma, cùm Nouatianus ausus est aduersus Cornelium se asserere Pontificem Romanum, impudentissimè iactans horrenda more hæreticorũ flagitia, vt ait Cyprianus, de sanctissimo Papa. Quid iste, & eius sectatores non mererentur? & tamen summi Pontifices passi sunt Romæ morari Nouatianos, haud dico vsque ad Constantinum, (quo tempore nihil non poterat Pontifex circiter annum trecentesimum decimum octauum, aut etiam multo antè) sed vsque ad annum quadringentesimum secundum, & amplius, sæculum propè totum. Innocentius namque Papa primus omnium Nouatianos vrbe exegit, vt Socrates Nouatianus est auctor. Et tamen isti Nouatiani erant omnium, qui possent, esse Papæ infestissimi, Antipapæ sectatores, primi omniũ schismatis auctores.

Lib. 7. ca. 9.

Secundum schisma excitatum est à Constantio Imperatore hæretico, cùm pulso Liberio euexit Felicem. Atq; hic non à Liberio, aut Liberij fautoribus, sed ab Arianis ipsis dicitur eiectus, aut etiam cæsus. Illud certum, nihil mali à Liberio, aut Liberij studiosis perpessum.

Tertium schisma est inter Damasum & Vrsicinum anno trecentesimo sexagesimo sexto, cùm contra Damasum Vrsicinus sic est à suis elatus, vt commissa pugna in basilica Sisinnij centum triginta septem fuerint homines occisi, si Ammiano Marcellino Christianorum hosti credendum; & tamen cum tantæ turbæ fuerit auctor Vrsicinus,

nus, impunè id tulit ille. nam Damasus, quamuis Imperatoris Valentiniani gratia floreret, nihil in illum acerbius est molitus; composita seditione, vt optimè omniũ prosequitur Sigonius, permissus est Damaso conniuente Neapoli Episcopum agere.

Quartum est anni quadringentesimi vigesimi inter Bonifacium & Eulalium, in quo de sententia Concilij nihil durius in Eulalium Bonifacius admisit, satis habens illum desistere ab insania, Nepæsinęque vrbis Episcopum esse, quamuis Imperator Honorius Bonifacio studeret.

Quintum schisma fuit anno quadringẽtesimo nonagesimo octauo inter Symmachum & Laurentium, in quo triennium totum multæ cædes in vrbe ob id factę, vt Diaconus est auctor. quid non à Symmacho pœnę Laurentius ob hæc admissa mereretur? & tamen illum Nicerinæ ecclesiæ præfecit, satis habuit vt resipiscens quiesceret.

Sextum schisma est anni quingẽtesimi trigesimi inter Dioscorum & Bonifacium, & nihil à Bonifacio in Dioscorum mali est admissum, vel in eius sectatores, & Dioscoro mox defuncto omnia fuêre quieta.

Septimum est anni quingentesimi trigesimi septimi inter Syluerium & Vigilium à Theodora Augusta commotum; neque illo quidquam Vigilius in Syluerium commisit, aut Syluerius in Vigilium.

Idem contigit in octauo in Cononem & Petrum anno sexcentesimo octuagesimo sexto.

In nono Theodorus vltrò se abdicauit, & Sergium iustum Pontificem coluit, neque in illum Sergius asperè quidquam est molitus anno, sexcentesimo octuagesimo septimo.

Decimum numerant aliqui inter Paulum I. & Theophylactum, sed non videtur vmquam Theophylactus Pontificem egisse, quamuis diu fuerit certatũ vt ipse eligeretur. Quocirca decimum schisma fuit inter Stephanum Tertium, siue Quartum, ac Philippum & Constantinum anno septingentesimo sexagesimo octauo; in quo Philippus & Constantinus vitio reuera creati in monasteria sunt remissi, in quibus ipsi prius fuerant, & vnde abducti erant ad Pontificatum: quocirca vterque suo statui & conditioni relictus.

Vndecimum quidam volunt fuisse inter Eugenium Secundum & Zinzinũ anno octingentesimo vigesimo nono: sed

sed neq; vmquam Zinzinus se gessit pro Pontifice, ex quo Eugenius est consecratus, ac nihil acerbius tulit ab Eugenio. Sit igitur vndecimum inter Benedictum Tertium, atque Anastasium, in quo Anastasius vi lectus in carcerem coniectus est, atque abdicare coactus, nihil præterea pœnę tulit anno octingentesimo quinquagesimo quinto.

Duodecimũ fuit inter Formosum & Sergium, verùm neque Sergius vmquam legitur apud antiquos egisse Pontificem Formoso viuente. Erit itaque duodecimum schisma inter Leonem Quintum, Christophorum, & Sergium Tertium, in quo Sergius vi coëgit Leonem & Christophorum se abdicare, & monasteria inire anno nongentesimo tertio. Illud verò ridiculum, quod Luitprandus, homo, qui apertè profitetur libro tertio se historias scribere, vt inimicis suis maledicat, refert ab hoc Sergio extractum è sepulchro Formosi cadauer, post annos viginti, ex quo migrarat, in Tyberim proiectum; à piscatoribus inuentum, in ædemq; sancti Petri relatum, eiq; imagines sanctorum honorẽ dedisse. Quis enim dicat post tot annos integrum fuisse huiusmodi cadauer, integrumq; permãsisse inter vndas ac vortices Tyberis, & ausos vllos referre in templum, si iussu Pontificis proiectum fuisset? Nam quod sanctissimorum quorumdam hominum cadauera diu permanserint illæsa, maximo solet attribui miraculo. Vt autem Formosus haud vituperetur; nulla tamen insigni sanctitatis laude floruit. Atque vt mendacia nostri Luitprandi apertissimè deprehẽdas, ait se id audisse à viris religiosissimis, quos haud nominat, neque refert id ab vllo probato viro scriptum, & ipsa abest annis septuaginta ab hac ætate. Addit, post obitum Formosi, eiectum fuisse ipsius successorem, delectumq; Sergium; per quem fuerit huiusmodi facinus admissum. Atqui omnes post Formosum numerãt Bonifacium Sextum, Stephanum Sextum Romanum, Teodorum Secundum, Ioannem Nonum, Benedictum Quartum, post hos omnes istum Sergiũ in schismate electum. Quamobrem posteriores aliquot scriptores nullo certo ac probato ex antiquis auctore id à Stephano factum tradunt post annum à morte Formosi. in his Sigibertus Pontificibus Romanis infensissimus. At Rhegino, qui his temporibus vixit, nihil huiusmodi refert; cũ tamẽ nihil memoratu dignũ, quodcumq; illud sit, prætermittat, qđ ad Pon-

Falsa assertio decada vere Formosi.

tifices

tifices spectet. Merito igitur Panuinus totam rem deridet. Sed veniamus ad rem nostram.

Decimum tertium schisma fuit inter Ioannem Duodecimum, Leonem Octauum, & Benedictum Quintum, ab Otthone Magno, & Romanis excitatum. In eo Ioannes profugus obijt; Benedictus Pontificatus & presbyteratus honore à Leone Octauo priuatus, in exilium missus in Germaniam.

Decimum quartum fuit inter Bonifacium Septimum & Benedictum Septimum, in qua Bonifacius Constantinopolim profugit.

Decimum quintum fuit inter Gregorium Quintum & Ioannem anno nongentesimo nonagesimo sexto; in quo Ioannes non à fautoribus Gregorij Quinti, sed ab ipsismet Romanis, à quibus cultus fuerat, & euectus, naso auribusque præcisis, atque oculis erutis, asinoque præposterè impositus per vrbem ad ignominiam summam ductus est; quòd eis occasionem dedisset impulsu Crescentis, vt Otthoni Tertio obsistentes obsiderentur, & fame diu conflictarentur.

Decimum sextum numeratur Benedicti Octaui, Syluerij Tertij, & Gregorij Sexti; in quo duo superiores sponte abdicarunt. Gregorius ab Henrico Secundo, siue persuasus, siue compulsus, & ipse Pontificatum deposuit, & in Cluniacū iussus est abire anno millesimo quadragesimo sexto.

Decimum septimum est Alexandri Secundi, & Cadaloi, qui dictus est Honorius Secundus, qui dimisit Pontificatum, & nihil pœnæ ob id tulit.

Decimum octauum fuit Gregorij Septimi, & eorum, quos in illum constituit Henricus Tertius, Clementis, Alberti, Theodorici, Maginulfi, qui naturali morte obierunt.

Decimum nonum Gelasij Secundi, & Burdini ab Henrico Quarto obtrusi. Atque hic cùm Sutrij moraretur, ciusque sectatores vias obsedissent, & cunctos Romam pergentes religionis causa latrocinijs spoliarent, à Romanis de iussu Pontificis captus, cameloque impositus ore ad caudam verso ignominiosè per celebres vrbis vias est ductus, mox Cauensi monasterio inclusus ingloriè decessit.

Vigesimum est inter Honorium Secundum & Cælestinum Secundū, anno millesimo centesimo vigesimo quarto; in

to; in eo se Cælestinus abdicauit; quo viso idem sponte Honorius fecit post dies duodecim: tum Cardinales hominis modestiam mirati, rursus illum delegêre; quocirca neque Cælestinus vmquam Pontificem se gessit. Vigesimum sit igitur Innocentij Secundi, & Anacleti cum Victore suo successore. Hoc schisma quietè sedatum sancti Bernardi opera, qui Victori persuasit, vt se abdicaret.

Vigesimum primum annò millesimo quinquagesimo nono inter Alexandrum Tertium, Antipapasque Victorem, Paschalem, Calixtũ; qui omnes naturalem mortem obiêre.

Vigesimum secundum fuit Ioannis Vigesimi secundi, & Nicolai Quinti Reatini, quem Ludouicus Bauarus euexit. Hic autem Nicolaus à Pisanis captus, & Auenionem missus ad Pontificem veniam petijt, & impetrauit, atq; honestissimè habitus in custodia in ipso Pontificis palatio, attributique ad eius obsequia serui, & ipsis Papæ ferculis semper pastus; libri ad solatium, quos vellet, dati quamdiu vixit, vt qui his temporibus vixit Villaneus testatur.

Villa. lib. 10. cap. 164.

Vigesimum tertium fuit illud, quod Gallici Cardinales excitarunt aduersus Vrbanum Sextum anno millesimo trecentesimo septuagesimo octauo, ac durauit vsque ad millesimum quadringentesimum decimum septimum, cùm in Concilio Constantiensi est electus Martinus Quintus. In hoc schismate Gregorius Duodecimus, qui omnium fuit magis legitimus Pontifex, sponte dignitati renunciauit ac potestati, & à Concilio Legatus Piceni Cardinalis est creatus. Petrus Luna, qui Gallico Papæ successit, ac minus omnium legitimus erat Pontifex, numquam voluit cedere. Balthasar Cossa metu peiorum renũciauit, & mox aufugit; captus, & in custodiam missus Heidelbergam, inde autem dolo se proripiens in Italiam latenter venit, atq; in conspectum Martini Quinti de improuiso procedens honorificè exceptus, & Cardinalis Episcopus Tusculanus ab eo creatus est.

Vltimum schisma fuit inter Eugenium Quartum & Felicem à conuentu Basileensi euectum. Felix hic compulsus est à Friderico Tertio Imperatore Pontificatum deponere. Nicolaus autẽ Quintus sponte illum dignitate Cardinalis honestauit, ac Germaniæ Legatum fecit. Ex his igitur apparet quanta sit clementia Pontificum Romanorum, quos omnium crudelissimos hæretici vociferantur.

Nam quorum Principum, Regum, aut Imperatorũ producent exempla impudentissimi isti, qui tanta fuerint vsi clementia in eos, qui contra ipsos sibi regnum vel imperium sint ausi vsurpare? qui necem nulli horum attulerint per tot sæcula? qui horum multos humanissimè & honorificentissimè fuerint amplexi? An non cogentur fateri; velint, nolint, nil clementius Pontificibus Romanis? At; inquiunt, armis se defenderunt aduersus Antipapas, armis illos eiecêre. Quid ni, quando iure haud volebant cedere Antipapæ, cùm deberent, aduocarentur adiutores bonorum Regum & principum gladij? non sine causa enim gladium portant, Dei namque ministri sunt, ait Paulus. Quod cùm verissimum sit, nihil flagitiosius Antipapa, qui aduersus Christi Vicarium tendit, nihil copernicio sius, & quod omnium maximè sit effugādum; alioquin quilibet sibi Pontificatum sumet, nisi impudentes & ambitiosi coërceantur.

Rom.13.

XI. Pōtificum Romanorum clemētia in hæreticos.

Rursus exclamant hæretici Pontifices Romanos omnium sæuissimos, quòd hæreticos tradant comburendos, cũ nemo ad fidem sit cogendus, suæ conscientiæ quilibet sit relinquendus. Hęc illi. Atqui nisi ego probem, testib⁹ ipsis hæreticis, omniũ mitissimos hac in re Papas, causa cadam. Magdeburgenses hæretici Centurias quasdam texuerunt omnium sæculorum ab ortu Christi. In his producũt singulis ætatibus testimonia antiquissimorum & sanctissimorum patrum, è quibus apertissimè constat illos eadem antiquitus sensisse cum nobis, quæ hæretici impugnant; neque ipsi diffitentur eamdem patrum illorum vetustissimorum, nostramq; in rebus fidei esse sententiam; quin, vt diximus, in tempora digerunt, vt ex illis Centurijs apparet, quę sunt in omniũ hæreticorũ manibus: sed aiunt, nęuos fuisse illos in patribus priscis, in nobis verò esse hæreses. Differentiæ istius causa nulla, nisi stoliditas aperta hæreticorum. qui deinde, vt sua confirment, adducunt interruptis tēporibus hæreticos quosdam spurcissimos, qui idē sensere cum ipsis. Sciendum porrò post annos ferè mille ducentos inductum in mores, vt hæretici traderentur igni comburendi Pontificum permissu; fuêre quidē nonnulli Reges, qui id statuerunt, at nō continuò id Pontifices summi receperunt: exemplis id patebit. Anno 1022. primus omnium, quod sciam, Robertus Francorum Rex Stephanum quemdam cum duodecim socijs flammis adiudica-

uit ob hæresim, vt Papyrius Massonus testatur. Pontifici autem Romano id insolitum fuisse apparet, quòd Berengarius cum suis ter in hæresim lapsus est, ter resipiscens damnatus à Leone Nono, Victore Secundo, Nicolao Secundo, Gregorio Septimo, quem veluti omnium sæuissimum Papam abominantur hæretici Protestãtes; & tamen igni non est addictus, vt auctor idē tradit in vita Philippi. Gregori⁹ obijt anno millesimo octuagesimo quarto. Quin anno 1154. Hadrianus Quartus, cùm Romæ versaretur Arnoldus hæreticus, id tantùm satis Papa habuit, vt vrbe ille expelleretur, quod è Sigonio apparet. Post igitur tot sæcula Pontifex Romanus in animum induxit, vt desciscentes à religione, hæreticorum testimonio antiquissima, & sanctissimis quibusque viris probatissima, flammis traderentur.

Hæreticorum crudelitas in Catholicos.

At hæretici non exspectarunt tot annos. Nam scimus ab Arianis, Eutychianis, Monothelitis, Iconomachis plurimos Catholicos miserrimè trucidatos. atque ita protinus hæretici ad arma conuolarunt, ad cædes, & homicidia atrocissima. longè igitur, si comparetur istis, clementissimus Pontifex Romanus. Post Iconomachos Græci hæresim nouam suscitare cœperunt aduersus Papam. Quocirca anno 1053. aut antè, Græci Latinos Constantinopoli expulerunt, plurimas illis quasi hæreticis iniurias intulêre, vt ex epistola Leonis Noni ad Michaëlem Patriarcham constat. Anno autem millesimo centesimo octuagesimo Andronicus Comnenus Imperator sic Græcos concitauit, vt Latinos omnes Constantinopoli commorantes, qui plurimi erant, interficerent, neque ægrotis parcerent, qui in æde hospitali Latinorum sumptibus condita decumberent, Ioanni Cardinali Pontificio legato caput amputarent, illudq; ad ignominiam caudæ immundæ canis alligarent, quo per vrbis vias raptaretur, ossa cadauerum effoderent, & in mare proiecerent. Hæc igitur tum Græci, vt Guilielmus Tyrius latè testatur, subticet Coniatas. Ne verò postea idem prosequerentur, armis nostrorum cohibiti sunt, nunc tyrannide Turcarum.

Veniamus ad hæreticos Occidentis, qui aliquid potuerint, & omittamus Arianos, & qui in Africa tot scelera perpetrarunt, Donatistas. Ludouico Septimo in Gallijs regnante exorta hæresis Albigensium, quę plurimas nobilissimi regni vrbes infecit, principes etiam potentissimos,

in his Raimundum Tholosatium Comitem, cuius ditioni amplissima regio erat subiecta; fauêre illi Petrus Tarraconensium Rex, quem Petrarcha ob id hæreticum dicit, Comes Conuenarum, Comes Foxensis, atque alij multi. Ab istis hæreticis templa euertebantur, & alia atrocissima interfectis nostrorum multis admittebantur: quocirca coactus est Innocentius Tertius principes ad arma conuocare post annum millesimum ducentesimum ab ortu Christi, & eos bello persequi; neque hæresis tamen exstincta, nisi post annos viginti octo. Ac tunc legibus ac moribus receptum, vt hæretici flammis darentur, post annos mille ducentos. Visum est namque stolidissimi esse hominis, & impudentissimi, nolle acquiescere decretis Ecclesiæ, quæ vnanimis consensus, hæreticis id confitentibus, omnium priscorum patrum & sanctissimorum sanxisset, & maiores ipsi nobis tradidissent. Pontifex igitur Romanus procul dubio clementissimus respectu tot hæreticorum, qui continuò exorti protinus Catholicos trucidant inhærentes maiorum sanctorumq; doctrinæ. Hîc clamabunt Protestantes: Nos haud sumus huiusmodi, neq; flammis, neq; gladijs agimus aduersus Catholicos, ne obseruetur ista lex aduersus nos, ne mos iste admittatur. Itáne boni viri? & quibuscum putatis vobis esse rem? cum vestri similibus forsan stultis & imperitis? An non Lutherus anno millesimó quingentesimo decimo nono, referente Sleidano hæretico, scripsit ad Leonem Decimum, se quidem erga Romanam Ecclesiam, & ipsum quoq; Romanum Pontificem sic esse affectum, vt nihil in eam moliri cogitet; tantam enim eius Ecclesiæ potestatem esse, vt præter vnum Christum in rebus humanis nihil ea sit excellentius, & se coactum ab aduersarijs quodammodo parũ reuerenter illam atque dignè tractasse, velle autem commonefacere populum, ne suum imitetur exemplum: deinde anno sequenti VVittembergæ exussit iuris Pontificij libros, & scriptis editis hortatus est omnes principes, vt armis omnibus Pontificem & Cardinales oppugnarent, & in eorum sanguine manus lauarent suas? Qualis verò fuerit Caluinus ex Apologia Francisci Balduini colligitur: fuerat enim consiliarius intimus istius hominis mansueti, qui cùm anno 1562. in Regem Galliarum, fratres eius, Catholicosque omnes atrocissimam conspirationem texuisset, ex illo nihil vmquam quietis in Gallia fuit, omnia ad miserrimam vastitatem

rem adducta. An non idem flammis Geneuæ adiudicauit Michaëlem Seruetum & Valentinum? & quî minus isti hæretici, quàm Caluinus, qui scelera omnia à Deo perfici tradit?

XII. Clementia Pōtificum Romanorum in hostes suos.

Vultis esse, ô Protestantes, mansueti in eos quos hæreticos existimatis, instar Pontificum Romanorum? Audite verò. necesse est vos permanere annos mille ducentos, & ferro non agere aduersus eos, qui heretici à vobis nominantur; tot annos enim Romani Pontifices abstinuerunt à permittenda hæreticorum cæde. neque recedere ab hoc spiritu mansuetudinis, etiam si viginti septem è successoribus Caluini & Lutheri, aut aliorũ principum hæresum vestrarum trucidentur; tot enim Pōtifices Romani ab impijs sunt interfecti. Persistere adhuc in eadem clementia, quamuis Ariani, vt Constantius, Valens, Ostrogotthique, Visigotthi, & Vandali Reges; quamuis Eutychiani, vt Zeno, Anastasius, Iustinianus; licet Monothelitæ, qualis Heraclius, Constans, Iustinianus; etiamsi Iconomachi, veluti Philippicus, Leo, Copronymus, & eorum nonnulli successores, vos ad mortem quærant, vt Romani Pontifices varijs modis per istos hæreticos Imperatores sunt quæsiti, exagitati, & oppressi, neque arma vmquam sumpsêre, nisi ad suam suarumq; rerum prorsus necessariam tuitionem, numquam hereticos flammis adiudicarunt, aut morti alicui, vbi quietè illi degebant, neque bella mouebant, nisi post annos mille ducentos: quo tempore visum diuinæ sapientiæ, qua regitur Ecclesia Catholica, veluti furiosos esse, qui aduersarentur religioni receptæ per tot annorum sæcula à sanctissimis & antiquissimis quibusque patribus, quorum seriem Magdeburgenses ipsi texunt; ac proinde constringendos, ac nisi desinant insanire, tollēdos è terra. Quantum discrimen igitur inter vestram clementiā & clementiam Pontificis Romani? potestísne inire rationem? Vos vix exacto decennio in cædes Catholicorum erumpitis, Catholici vix post annos mille ducentos. Atqui hoc spatium maius illo partibus centum viginti.

Sed nondum ratio benè inita. Licet enim clementiæ attribuatur, si quis diu pœnam differt in reos, vt resipiscant & agnoscant suũ scelus; & ideo maximè fuerit mansuetudinis in Ecclesia Catholica decretum mortis, vltimiq; supplicij in hæreticos tamdiu distulisse, quod non est in Protestantibus: attamen causa est, quæ potissimùm mãsuetudi-

nem commendat; si quis enim parceret aliquibus, quòd illi abducti essent in errorem à sanctissimis viris, plurimorumque sapientissimorum ex omni natione vnanimi per omne tempus consensu, miraculorum testificatione, iure iste esset clemens; humanitatem exuisset, si quis huiusmodi hominibus haud ignosceret. Nam quis istis fidem non haberet? At, ô miseri Protestantes, vos non huiusmodi estis testimonio virorum Magdeburgensiũ, etiam Caluini, vt signo de antiqua fide ostendimus; vos inquã nõ estis, qui antiquitati credatis, miraculis consignatæ, à sapientissimorum virorum consensu vnanimi confirmatæ. nos sumus huiusmodi. igitur exuistis humanitatem, qui in nos arma sumitis. etiam si laberemur, digni essemus venia. Vos non ita. Quin contrà digni estis omni pœna: contrarijs enim contraria debentur. Hi, quòd hæc pro se habeant, excusandi. Vos igitur, qui non habetis, nullo modo. Duo diximus per Magdeburgenses suis centurijs probata, quæ faciunt vt Ecclesiæ pœna in Catholicos sancita clemẽtiæ sit plena; primum tot sæculorum decursus, secundum testificatio miraculis comprobata sapientissimorum ac sanctissimorum virorum in vnam doctrinam tot sæculis conspirantium. Nunc aliud adijciamus, quod hæreticis haud conuenit, vt videant omnes Ecclesiæ clementiã summam. Non solet plerumq; Ecclesia flammis mortíve adiudicare illos, qui inter hæreses enutriti sunt, & quorum maiores hæretici fuêre, vt Orientalibus contingit, maximè si isti rudes sint, & nihil hæreticum moliantur, aut dicant. At si q̃s professus est fidẽ Catholicam, mox ab ea desciscat, aut eos sectetur, qui desciuerint haud ita pridem, iudicat hos dignos vltimo supplicio, quippe qui fidem Ecclesiæ datam violarint, quod prioribus haud contingit. Caluinus igitur, Lutherus, Melanchthon, & reliqui Protestantes fidei suæ sunt proditores. Nam nostra professi sunt, Ecclesię ac prępositis eius se obstrinxerunt publica professione, eadem prædicando, & sectando, quæ nos: dein verò fidem veluti transfugæ fregêre haud ita pridẽ, atq; id etiam certissimò sciunt quicumq; illis adhęrent. Nos autem contrà prorsus. Quocirca videas adhuc nullo iure suo per Caluinum Geneuæ combustum fuisse Michaëlem Seruetum, & à Bernensibus Valentinum Gentilem, à Basileensibus Dauidem Georgium, & ab alijs Protestantibus alios veluti hæreticos. Nam quamuis verè hæretici essent, atque ob id cõburendi,

rendi, tamen non minus Protestantes ceteri erant istis hæretici, quàm isti reliquis Protestantibus; omnes in eadem causa. omnes desciuêre ab Ecclesia Dei, cui soli ius in hæreticos; alijs non nisi per eam ius est vexandi hæreticos: & puniendi. Ex his etiam constat Ecclesiā Synagoga longè mitiorem. Iudæis namque lex erat, ab ipsius Synagogæ exordio, vt hæretici lapidibus obruerētur, aut alioquin interficerentur, at Ecclesiæ non nisi post duodecim sæcula. Hinc etiam mansuetior Ecclesia gentibus, quibus cùm nulla foret religio constans, cur Christianam potius, quæ à gentium sectis dissentiebat, sicut illæ inter se omnes, quarum nulli stabilitas, sanctitas, & miraculorum testificatio tot annis contingebat, quàm reliquas vexabant? postremo quantum ad hæreticos pœnamque ab Ecclesia ipsis inflictam dicimus de iudicio aliquo illorum contra eos ipsam decerni. Nam principes eorum, siue hæresiarchæ, fuêre aliquando in Ecclesia nostra, & iudicarunt eos velutí hæreticos puniendos, & comburendos, qui discrepabant ab Ecclesia nostra: ergo huiusmodi mulcta de sententia ipsorum ipsis contingit: hoc est enim, quod ait Paulus ad Titum, *proprio iudicio hæreticos condemnatos*. Sed, vt finem faciamus, quanta sit hæreticorum feritas, vt inde mansuetudo Ecclesię dignosci possit, non modò ex his, quæ adduximus, apertè inspicitur, sed ex atrocissimis tormentis, quibus Catholicos crudelissimè supra omnem humanam fidem & opinionem torquent. Catholici ob prædictas tres causas puniunt hæreticos necessariò, & iustissimè in virga ad illos veniunt; Principes, qui non sine causa gladium portant, & ministri ad vindictam malorum sunt, inquit Paulus, ad id accersunt; sed satis habent eos flammis dare, vt protinus vitam ponant. At hæretici incredibile est quanta vtantur diritate in excogitandis & adhibendis in Catholicos cruciamentis, ita vt non modò superent atrocissima illa antiquorum aduersus priscos martyres tormenta, sed omnia humani animi quamuis prorsus efferati cogitata, quod è signo de summa patientia Catholicorum liquidissimò apparet. Qua in re Cornelij Taciti recordor, qui testatur gentes olim Christiano cultui inimicissimas, quamuis Christianos omni dignos pœna iudicarēt, veluti flagitiosos ab ipsis existimatos, tamen miseratione cōmotas, cū vidissent in eos Neronē sæuire. Atqui Protestantes nostrę ætatis superant non modò

immanitate gentes illas, quando nulla illos misericordia tantillum tangit, sed omnium totius æui mortalium crudelissimum Neronem; quin collegerunt omnia inuenta quorumque atrocissimorum hominum, multa insuper addiderunt, quod signo prædicto aperitur, vt in Catholicos sæuirent. quocirca compacti videntur, veluti portentosæ bestiæ, ex omnium crudelissimorum hominum, belluarumque atrocissimarum immanissima feritate.

SIGNVM QVADRAGESIMVM OCTAVVM,

Castitas.

In Ecclesia Dei necesse est vt adsint viri casti, per quos Gentes ad Christi cultum traducantur, & qui Christi ipsius exemplo illabatam Virginitatem seruent, aut instar Mariæ, & Iosephi Virgines in matrimonio persistant, quod est in Ecclesia nostra, secus in factionibus hæreticorum.

CAP. VII.

QVæcumq; animalia videntur omnium castissima, vt apis, elephas, delphinus, ea maximè participant diuinitatis effectus, prudentissimaque apparent, sic inter hominum cœtus illis diuinitas adest, qui castitatis sunt amantiores: sed tamen multi reputantur casti, reuera autem non sunt, quamuis ab hominibus habeantur. Quocirca Deus, qui veritatem dignosci & coli cupit, pollicitus est se ostensurum, qui sint huiusmodi re ipsa. Idq; non aliam ob causam, nisi vt appareat inter hæreticos non exstare veram castitatem, sed fucatam. Audiamus Isaiam, qui sic inducit Deum loquentem, *Non dicat eunuchus, ego lignum aridum. quia hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum.* Igitur sunt eunuchi, qui se scilicet perpetuo castitatis vinculo obligarint, omnemq; sibi procreandæ sobolis aditum præcluserint, & tamen sabbata diuina festa nimirũ non custodiant, neq; eligant quæ vult Deus, neq; teneant eius fœdus.

Isa. 56.

Addit deinde idem Deus signum, quo eunuchi, de quibus loquitur, internosci possint, & ait; *Dabo in domo mea, & in muris meis locũ, & nomen melius à filijs, & filiab. nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit, & filios aduenæ, qui adhæreni Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint eis in seruos.* Hæc Deus; è quibus habemus eunuchos, de quibus agit, fore præstantiores cunctis Christianis nomine ac re in occulto, & in aperto. Nam cùm dicit, *Dabo eis locum, & nomen melius, à filijs, & filiabus*, ostendit fore, vt omnibus Dei filijs, quales sunt Christiani, precellant nomine, & loco, verbo nimirũ, & re: cũ verò addit, *In domo mea, & in muris meis*, innuit id futurũ, & in occulto, & in publico, vel vt Chaldæus interpres reddidit in omni terra diuinæ maiestatis. At cùm postremò subijcit, daturum se, vt seruiant ipsis aduenarum filij, indicat futurum, vt liberi eorum, qui Christi cultum nuper amplexi fuerint, maximo honore castos hosce prosequantur, quali scilicet serui dominos suos. Certissimum porrò est in Ecclesia Catholica principem locum tenere sacros homines, in quibus Episcopi, Pontifex summus, religiosique omnes. Idque reuera solummodò in Ecclesia nostra contingit, vt est à nobis loco suo demonstratum, Prædicti porrò omnes castitatem profitentur; quamuis ex his aliqui interdum labantur; sed alicuius crimen, neque ceteris omnibus, neque vniuersitati afferre potest vllum nocumentum. Sicut Iudæ flagitium nihil obesse dicemus Apostolorum sanctissimæ societati. Similiter Ecclesiæ nostræ solum contingit, vt aduenarum filij, eorum scilicet, qui ad cultum Christi in dies adueniunt, viros nostros sacris addictos in honore maximo habeant. Hæreticis enim negatum semper est diuinitus, vt gentes vllas ad Christi cultũ perducant. Idcirco eunuchos ipsorum respicere hoc oraculum nequaquam potest. Inquirendum porrò nobis est, qua de causa dixerit Deus hosce honores, quibus serui dominos prosequi solent, ab aduenarum filijs tribuendos eunuchis suis. An non etiam & ceteris Christianis? An nõ ab aduenis ipsis? Proculdubio res ipsa testatur, & ex historijs apertissimè dignoscitur reuerentiam præstari longè maiorem religiosis à recentibus Christianis, quàm veteribus. Sicut etiam videmus cunctas res paulatim labefactari, concidere, ac perire; & ideo opus esse vt renouentur. Sic accidit in bonis moribus, ac sanctionibus sacris, vt antiquentur, & quodammodo euanescãt, nisi restaurẽtur: quamuis

accedat & illud euentu verissimo comprobatum, qui proficiscuntur in longinquas regiones, vt ad Christi nomen exteros populos perducant, ij proposita nulla vtilitate, nullo commodo, nullo honore ducuntur; adeunt enim certissima pericula omnium rerum penuria conflictãtur, & singulis horis vitã morti apertissimæ obijciunt, & cùm Christiana religio longissimè reijciat à se cunctas delicias & illecebras; idq; prædicent illi, ac præstent; alioquin fides illis nulla haberetur; fit inde vt maximo in honore habeantur, cunctiq; suas opes in vsus sacros largissimè effundant, certent inter se de amplissimis honoribus in eos conferendis. Atq; hic status, de quo canit Isaias. Accidit deinde, vt confirmata religione homines inhient diuitijs illis, neque accedant eo animo ad sacra munia, quo par esset. Hinc aditus latissimus aperitur ambitioni, luxui, & alijs flagitijs, quæ non est opus recensere. Quocirca vix fieri potest, vt sacris hominibus ac religiosis honor debitus exhibeatur. Aduenæ porrò non videntur tanto honore, quo filij ipsorum eunuchos Christianos amplecti ea de causa, quòd plus tribui soleat confirmatis rebus, quam adolescentibus; sicuti reuera plus est in rebus corroboratis, quàm ijs, quæ suam nondum maturitatem sunt nactæ. Exemplis id fit apertissimum, rerumq; contingentium euentis quotidianis. Sed vt ad propositum redeamus, liquidò patet hoc oraculum palàm facere eunuchos hæreticorum, non esse Dei eunuchos, sed dæmonum, neque apud illos esse, quam Deus exigit castitatem, quando neque illi vllos habeant aduenas, vel filios aduenarum, quos ad Christi cultum perducant, vt ostendimus suo loco. Tanta porrò reuerentia à recentibus Christianis est habita religiosis viris, vt eos in cælitum numero reputarint, mortuosque summo sint cultu prosecuti. Nam qui sunt alibi à nobis longo ordine enumerati, quòd Catholicam doctrinam propagarint inter gentes, in sanctos relati sunt, & quamuis in toto orbe Christiano debitores sint meriti honores, maiores tamen plerumque apud eos, quibus auctores fuerunt cognoscendæ veritatis. Sicuti nostris temporibus contigit Francisco Xauerio in Indijs: cuius corpus Goæ summo apud vniuersos est in honore; cæterisq;, qui in illas oras amplificandæ religionis causa adnauigant; qui licet ab hostibus Christi multa perpetiantur, à Christianis tamen & eorum filijs mirificè coluntur, quasi parentes, à qus in lucem fuerint editi, crutiq; è te-

è tenebris impiarum superstitionum. Et quod his contingit, vsu venit etiam in omnibus, qui propagandæ apud alios religionis auctores fuerunt, vt è vitis eorum rebusque gestis constare potest. Quàm verò despecti sint Orientales monachi reuera, & Episcopi à suis Imperatoribus, ne singula persequamur, quiuis potest cognoscere ex ijs, quæ retulimus vbi est actum de fidei confirmatione, & apparet è scriptis Gregoræ, & Choniatæ. Sed quoniam cuiusuis naturæ potestas è summo, ad quod pertingit, dijudicatur, & tantum dicitur, quantum est id, quò ad extremum peruenit; vt apertissimè sciamus supremam castitatem florere in Ecclesia Catholica, producemus triplicis generis exempla illustrissima, è quibus liquidò patebit id, quod asseuerامus. Ac primo loco fuerunt è nostris, qui seruarunt vsque ad extremum vitæ illibatam virginitatem corporis, ac mentis; quamuis multis eos insidijs dæmon capere, & in laqueos impuritatis inducere sit conatus. Atque hi fuére non obscuro loco positi, vt cuiuis mentiri de illis fas fuerit, sed in omnium conspectu, quasi in eminentissimo theatro collocati, ita vt perspici ab hominibus non modò actiones eorum, dictaque, sed & cogitationes eorum se foras aliquando dare, & in apertum produci fuerit necesse. Atque hîc omittimus antiqua, omittimus fœminas. De priscis enim nulla nobis disceptatio, vel hæsitatio; sed de ijs, qui hæreses nunc furentes quandoque oppugnarunt, vel oppugnassent propter clarissimas eorum contestationes, quibus palàm cunctis fieri posset, ipsos à nobis sentire. Fœminas etiam, quæ innumeræ sunt, missas facimus, quòd illæ domibus inclusæ vel monasterijs, virginitatis amittendæ pericula non ita magna adijsse videri possent. Anno igitur millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo decessit, vt diximus, Franciscus Xauerius, qui mirum quanta terrarum spatia obierit, quot in locis sit versatus, quot hominum millibus domesticè sit vsus quotidie cum illis verba faciẽs & tractans, & nihilominus virgo migrauit è vita. Mentimur, dices. Cur autem non idem de Ignatio Loiola affirmamus, de quo Catholici ipsi memoriæ produnt, à labe libidinis, antequam Deo se penitus dederet, intactum non fuisse? An non par erat Franciscum Xauerium talem diuinitus virtutem sortiri, quem Deus elegerat ad tot ac tanta? Nemo namque Christianorum tot tra-

Primus admirandæ castitatis gradus.

ctus maris ac terræ pro Christi religione disseminanda peragauit, quot Xauerius. Tanta præstiturum decebat esse tantum. Anno millesimo quingentesimo septimo obijt Franciscus Paulanus nonagenarius, & in tam longa ætate nullo se obscœnitatis crimine, siue corpus spectes, siue animũ, cõmaculauit. Anno millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo nono, euolauit ad superos Antoninus Archiepiscopus Florentinus septuagesimo ætatis, integerrimus cãdidæ virginitatis suæ custos. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto Iacobus Picenus ex ordine Sancti Francisci, cuius vitam versibus elegantissimis depinxit Iacobus Sannazarius, & eius nomen celeberrimum fuit ob admirabiles conciones in Italia, Germania Bossina, Bohemia, Hungaria, Polonia, & Dalmatia, è terris in cælum virgo migrauit. Anno millesimo quadringentesimo decimo octauo Vincentius Fererius & ipse virgo est defunctus. Atque eadem virtute excelluerunt, qui ante hos vixêre, Nicolaus Tolẽtinus, Ludouicus Caroli Siciliæ Regis filius Episcopus Tholosanus, Ambrosius Senẽsis, Thomas Episcopus Herefordiensis, Thomas Aquinas, Petrus Martyr, Frãciscus Assisias, Dominicus Hispan⁹, Bernardus Clareuallensis, Godefredus Episcopus Ambianensis, Vencęslaus Bohemiæ Rex, alijq; innumeri, quos esset longum referre. Atque hi sint primi ordinis viri, qui virginitatem coluerunt. His succedant, qui aliquo malè affecti morbi genere, poterant, si quibusdam medicis audissent, coniugem sibi adsciscere, ac virginitate amissa vitam seruare, & tamen huic illam prætulerunt. Huiusmodi fuit ætate nostra integerrimus ille Cardinalis Robertus è familia Nobilium, qui nondum sacris erat ordinibus initiatus, & multo ante ipsum Iacobus à Calixto III. creatus Cardinalis Portugalliæ Regis filius, qui Florẽtiæ sepultus iacet in S. Miniati, cum hoc epitaphio:

Secundus gradus.

> *Regia stirps, Iacobus nomen, Lusitana propago,*
> *Insignis forma, summa pudicitia,*
> *Cardineus titulus, morum nitor, optima vita,*
> *Ista fuere mihi. mors iuuenem rapuit.*

Sic igitur Cardinaliu collegium veluti viros habuit in omni virtutum genere eminentissimos, ita & in castitate. neque enim facilè reperies vllum clericorum sæcularium, quibus duo tales adfuerint vnquam. Fuit etiam talis, teste Angelo Politiano, Michaël Verinus genere Hispanus, cu-

ius exstant disticha nonnulla de grauibus rebus, lepidè, & eleganter scripta. Denique Cazimirus Cazimiri Polonorum Regis filius, medicis coniugium concubitumq; suadentibus, si vellet esse sanus, mori maluit, quàm commuculari, vt Cromerius testatur. Sed quod omnem superat admirationem, fuêre qui matrimonij vinculo obstricti, quamuis omnia haberent proposita voluptatis incitamenta, virginitatem tamen vnà cum suis vxoribus immaculatam conseruarunt vsq; ad extremum vitæ, neq; hi vulgares viri, fœminæve fuerunt, sed Reges, ac Principes. Tales fuêre Angliç Rex Eduardus, & eius coniux; obijt ille anno millesimo sexagesimo sexto: Chunegundis Imperatrix, & Hẽricus Primus Augustus, qui floruêre post annum millesimũ; Ediltrudis Angliæ Regina, quæ trib⁹ nupta viris virgo semper permãsit, claruit ꝑ annũ septingẽtesimũ; Emericus Stephani Hungarorum Regis filius Sclauoniæ Dux vnà cum sua coniuge sub annum millesimum decimum. Cinge, siue Chunegundis Poloniæ Regina cum viro suo Boleslao Pudico nullius vmquàm concubitum experta, post obitum mariti distributis in vsus egenorum, cultumq; diuinum cunctis opibus, in monasterium se abstrudens annos duodecim vitam durissimam traduxit, & innumeris post obitum miraculis est nobilitata, vt Cromerius est auctor post Duglossum. Anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo Catharina Sueca regio genere orta, vnà cũ suo viro, vt Volaterranus tradit lib. 22. Petrus Vrseolus Venetorum Dux idem præstitit, auctore eodem lib. 4. Deniq; Alphonsus Secundus Castellæ Rex, qui miraculis est illustratus vnà cum supradictis, vt idem testatur lib. 2. Eleazarius Ariani Comes, & eius vxor Delphina sub annum millesimum trecentesimum quadragesimum floruerunt, & eadem virtutis nobilissimæ laude excelluerunt. Atq; hi sanè fuerunt similes Iosepho, & Mariæ, qui in medijs illecebris intacti, illæsiq; in medijs flammis admirabiliter perstiterunt, Christi candidissimam virginitatem secuti, atq; imitati: Pulcheria Theodosij Iunioris soror, & Marciani Imperatoris coniux idem consecuta est olim diuinitus virgo omnium virtutum cælestium donis ornatissima. Sed habentne hæretici, siue Greci, ex quo discesserunt à nobis, siue Protestantes, aliquid huiusmodi sibi cælitus datum? Habet antiquitas tota, quam nonnulli ineptissimi interdum comparare Christianis rebus audent, aliquid, quod

Lib. 9. rer. Polon.

Tertius gradus.

Lib. 10.

integritatem tãtam possit adumbrare? Vbi igitur Christus? Vbi Ecclesia Christi? an non vbi Christus propriæ virginitatis exempla spectandã proponit? Vbi sunt, qui sequuntur, vt ait Ioannes, agnum quocumque ierit? Talis credo est Lutherus Protestantium Princeps, qui fidem Deo datam, qua castitatem perpetuò vouerat, impiè violauit, & Catharinam, quæ similiter eidem se voto obstrinxerat, vxorem duxit, & plurimis, vt tantum facinus auderent, auctor fuit, homo scilicet Christi perfectissimus imitator. Idem præterea asseruit, ac scriptum reliquit, posse ancillã vocari ad concubitum à marito, cuius vxor renuit venire: & quæ non possit è viro suo prolem suscipere, illo viuente bene facere, si clam cum leuiro, seu fratre viri sui coëat, vt filios gignat. Atque hæc admirabilis pudicitia Protestantium nostrorum. Quales porrò sint Hæretici è Græcis ostendemus, vbi agemus de impuritate hæreticorum Regum; quamuis cuncti sciant, sacerdotes eorum non modò vxores habere in matrimonio, sed cùm pueros erudiant pessimè audire, ob illos apud omnes. Laici verò qui vocantur, ex quauis vel leui causa faciunt diuortium, vbi libido eos ceperit. Vt vt res sit, cùm quiduis quale sit apertissimè dignoscatur è summo ad quod peruenire potest; non enim possumus aliquid supra id quod sumus; Ecclesia verò nostra ad hoc pudicitiæ & virginitatis culmen, quod retulimus, peruenerit; hinc fiet maiorem proculdubio inter nos esse castitatem, cuius longè maximi fructus existant, cùm factionum contrariarum nullo modo similes vlli aliquando apparuisse videantur. Et sanè conuenit hæreticos esse impudicos, quippe qui sint ad mala acuti, & sagaces, ad bona verò segnes, & hebetes. sic inter animantia quæ sunt ingeniosiora, & quodammodo prudentiora, videas etiam castitatis amantissima. Ferunt apes numquam coire, & castitatem perpetuam seruare, quod Aristoteles auctor grauissimus scribit, alijq; multi tradunt. Eædem virginibus puellis gaudere dicuntur, abominari meretrices, qui cunctos vnguentis delibutos. Hæc igitur volucrum sapientissima. Inter quadrupedes fert elephas sapientiæ primas. Hic non nisi certis diebus, & in solitudine coit; vbi coierit, quasi pudeat eum facti, occulit se, mox abluit, quasi sordes cõtraxerit, & abstinet à prægnante. nulla inter elephantes adulteria, nulla ob amores certamina, quamuis ardentissimè ament, & in his homines, mulieresq; formosas, vt Plinius exem-

Animalia casta ingeniosiora cunctis.

Lib 3. de gener. animalium c. 10

Arist. li. 5. de hist animalium c. 14. c. 2. & l. 9. c. 46.

exemplis auctorum veracium probat. Delphinus, quãtum potuit obseruari, est aquatilium prudentissimus, hominisque amantissimus, quod & Aristoteles scripsit: idem verò non nisi certo tempore coit, nam & certo tempore parit: agit coniugia, suoque mari sua fœmina, vt Plinius testatur. Quæ sanè omnia certissimo sunt argumento diuinitatis effectus ijs maximè communicari, qui castitati maximè sunt addicti, cumq; sint huiusmodi Catholici, vt hoc signo apparet; contrà verò hæretici, vt tum hoc, tum signo de impura hæreticorum vita cõstat; necessariò colligitur, & concluditur, inter nos esse diuinitatem, longissimè abesse ab illis, qui sunt à nobis alieni.

Plin. l.8.c.5.
Arist. l.9.ca. 48. de hist. animal.
Plin. l.9.c.8.

Ostenditur rectè constitutum, vt ordinibus sacris initiati castitatem seruent.

CAP. VIII.

Rectè igitur de Christi sententia fuit ab Apostolis institutum, vt qui sacros ordines acciperent, ij coniugibus non essent alligati; sic enim testatur Concilium Carthaginense secundum canone secundo his verbis: *Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Hæc illud Concilium, quod habitum fuit circiter annum trecentesimum octuagesimum nonum, viuentibus Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Basilio, Nazianzeno, & Ecclesiæ celeberrimis ac sanctissimis viris: Nam si Apostolus cap. 7. epist. 1. ad Corinthios iubet coniuges abstinere à concubitu ad tempus, vt orationi vacent; sacrati certè viri, ad quos est præcipuè dictum, Sine intermissione orate; &, Oportet semper orare, & numquam deficere; semper ab omni coitu abstinebũt, vt in hac ipsa quæstione argumentantur Orig. hom. 23. in Num. Epiphanius in hæresi Catharorum, Hieronymus aduersus Iouinianũ lib. 1. & in cap. 1. epist. ad Titum. Quocirca Paulus idem ibidem iubet Episcopum esse sobrium, & continentem: quod ait, Sobrium, Græcè est σώφρονα, quod significat etiam, teste Hieronymo, castum: quod addit, Continentem, vult etiam al. omni re vxoria longè esse, vt idem Hieronymus adnotauit. Hinc vniuersum præcipit epi. 2. ad Timoth. c. 2. *Nemo militans Deo negotijs se implicet sæcularibus.* At nihil est; quod

quod magis, & quidem necessariò negotijs implicet sæcularibus, quàm coniugium; nota namq; excusatio illius nō venientis in Euangelio Lucæ cap. 14. ac dicentis: *Vxorem duxi*. Apertissimeq; Apostolus idem scribit 1. Corin. cap. 8. *Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Hæc Apostolus. Quomodo igitur permittet viros sacratos rebus vxorijs indulgere, aut illis se implicare? Ex Apostolico est itaq; instituto consono menti ipsius Christi, vt viri sacrati vxores non attingant; quales subdiaconi, diaconi, & sacerdotes. Nam tales fuêre nō modò Apostoli, sed & discipuli septuaginta duo, & ipsi diaconi, quorum quicumq; coniuges habuerunt, haud leguntur accessisse ad illas, aut rem cum illis habuisse, ex quo se deuouerunt ministerijs diuinis. Huius consuetudinis ac legis meminêre Origenes hom. 23. in Num. Cyprianus toto libro de singula. clericorum. Nam quod in extremo ait, Vt si quis habet coniugem sic habeat, vt nulla ancilla intersit, loquitur de coniuge, quæ & ipsa continentiam vouerit, vt è toto libro constat; & hoc idem statuit Concilium Arelatense II. cap. 3. Idem scribit Eusebius lib. 1. demon. Euang. cap. 9. Ambrosius lib. 1. de offic. ca. vlt. & epi. 82. ad Ecclesiam Vercellensem. Nyssenus lib. de virginitate, cap. 2. Cyrillus catechesi 12. Basilius epist. ad Gregorium presbyterum, Hieronymus contra Vigilantium in principio, Epiphanius ad finem operis contra hæreses, & hæresi 59. Chrysostomus homil. 2. de patientia Iob. Augustinus lib. 2. de adulter. coniugijs c. 20. Adde his antiquissima quæq; Concilia, Ancyranum can. 10. Neocæsariense c. 1. Nicenum I. can. 3. Arelatense can. 2 Turonense I. can. 1. & 2. cum plurimis alijs seqq. quæ singillatim recensere nō est operis instituti.

Iam quæ aduersus Nicænæ Synodi canonem proferuntur à quibusdam, confutauimus suprà signo de sanctionibus vniuersalium Conciliorum, similiter & quæ è Concilio Gangrensi adduci possent. Quod verò pertinet ad canones nonnullos, qui quasi sint Concilij sexti generalis in Trullo dicuntur editi, clarissimum est nullos in sexto Concilio fuisse scriptos ac decretos, vt testatur septima Synodus actione 4. & 5. & qui nomine sextæ Synodi habentur, ij conficti fuerunt ab aliquot Episcopis in palatio Iustiniani Secundi, quod Trullum dicebatur, & ob id illi Trullani dicti,

dicti, quorum conciliabulum fuit erraticum, vt Beda vocat libro de sex ætatibus in Iustiniano, ac reprobatum fuit, quod Paulus Diaconus etiam testatur lib.8.cap,9.

Honorabile est igitur coniugium, neque vlli prohibetur, nisi quis illud sibi prohibuerit, accedens ad ordines sacros, quibus qui se adstringit, à vinculis matrimonij debet esse expeditus. quòd si quis putans fore, vt castus sit, alligauit se illis, viam, qua castus esse Dei benignitate possit ineat, quæ cunctis, vt experimur, est aperta, quod in proposito dicunt Tertull. lib. de monoga. Nazian. orat.31. Basilius lib. de virgin. Chrysosto. & Hieronymus c.19. Matthæi, August. lib.6. confess. cap.11.

Atqui, dicunt impij & impuri, multos videmus exoriri abusus ex huiusmodi obligatione castitatis seruādæ. Haud diffitemur. Sed multo plures ac grauiores nascerentur, nisi adesset obligatio huiusmodi sapientissimè ab Apostolis inducta; neq; tamen libido effrenatorum minueretur, vt in hæreticis Græcorum & Protestantibus ipsis videmus, qui quidem fatentur luxuriam fines omnes excessisse inter eos, ex quo Lutherus emersit, quod signo de impuritate aperuimus. Quòd si res propter abusus aliquos tollendæ forent, necesse esset tollere totum mundum, & res singulas, quæ in eo sunt, quibus maximam mortalium partem plerumq; abuti certissimò videmus; quin ipsum tolli deberet Euangelium, sacramenta ipsa, quibus plurimi abutuntur, vt aiebat ad hoc propositum Nazianzenus oratione in Basiliū. sed, vt video, hæretici, cùm sint ipsi feris efferatiores nos belluis facere inferiores volunt, è quibus quæ sunt magis excellentes, virginitatem, castitatemq; maximè amplectuntur, & colunt.

SIGNVM QVADRAGESIMVM NONVM,

Humilitas.

Cùm maxima humilitas necesse sit, vt emineat in Ecclesia Dei, illa verò inter nostros potißimùm resplendeat, hinc fit nos esse ex Ecclesia Dei, nullo verò modo alienos à nobis.

CAP. IX.

Matth.11.

DIscite à me, inquit Christus, *quia mitis sum, & humilis corde.* Est igitur Christi præcipuus discipulus, qui sectatur humilitatem. Quocirca bene Petrus nos monet, vt inuicem humilitatem insinuemus; & Paulus, vt in humilitate superiores inuicem arbitremur. Disperdit enim Deus superbos, & humiles exaltat, inquit Virgo sanctissima. Hinc tot ac tantæ laudes à nostris scriptoribus huic virtuti datæ, quas, quòd nemo non sciat, duximus omittendas. Illud solum videamus, quanti fuerint Catholici in hac virtute, quæ facit vt nos haud iudicemus honoribus dignos, nec tamen facit vt nos decernamus indignos, si quidem digni cunctis pro re præsenti examinatis reuera simus, quamuis aliqua re inspecta nos impellit, vt nos constituamus indignos, vt signo de magnitudine animi à nobis est explicatum. Aggrediamur itaq; propositæ rei veritatem.

1.Petr.5.
Philip.2.
Luc.1.

I. Ac primum sit illud omnibus Catholicis commune, ex quo manifestissimè concludendum, nos omniũ esse humillimos. Suprema nostri pars, quæ cuncta moderatur, & à qua cuncta humana pendent, est intellectus. Huius est munus assentiri obiectis cogitatis tamquam veris, vel ab ijs dissentire, tamquam falsis. Hinc cuncta nostra emanant: nihil enim volumus, nihil prorsus mouemus, nisi prius aliquid ponatur, cui dederimus assensum. Ac maximi sine dubio facimus illos, maximoq; honore afficimus, quos existimamus dignos, quibus intellectus noster credat: his namq;, vt apparet, omnia tribuemus. Quòd siquis est huiusmodi, vt sibi soli credat, aut credere credíq; velit, vel interpretandis scripturis, vel alijs in rebus, is omnium superbissimus; contrà verò, qui nihil sibi hac in re arrogabit', nihil credi, crederéve sibi velit, sed alijs. Atqui Catholici omnes sunt huiusmodi, vt singuli ex illis nihil sibi credant, cuncta deferant Ecclesiæ Catholicæ, totique vniuersitati; contrà verò hæretici, vt abundè secundo libro ad finem, & principio tertij, primoq; signo explicauimus. ergo hæretici omnes, & alieni à nobis arrogantissimi, nos humillimi omnium. Inter nos enim neq; summus ipse Pontifex potest pro veris habere, quæ inciderint ipsi in animũ, sed necesse habet stare ijs, q̃ vniuersitas Ecclesiæ Catholicæ pro indubitatis habet, vel antiqua & priora concilia vniuersalia statuerũt, aut etiam summi Pontifices ante ipsum decreuerunt, in ijs, quæ sunt æternæ veri-

ritatis, ac sui natura variari non possunt. Atq; hoc est illud quod aiebat Paulus, Catholicos esse consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Hæresiarchæ omnes desciuerunt ab hac intellectus, ac proinde omnium rerum nostrorum humilitate, quippe qui in explicādis vel diuinis libris, vel decretis, à totius Ecclesiæ consensu vnanimi se auulserint, secuti sua sensa; ac propterea sunt arrogantissimi tum ipsi, tum qui eos sequuntur, quod signo de auditu fidei & antiquitate apparet. Huic succedit aliud argumentum. Agnoscere namq; & fateri sua crimina est animi ingenui, modesti, & humilis. Catholicis porrò singulis est lex, à qua discedere est religio, vt saltem singulis annis grauia quæuis delicta sacerdoti confiteantur, veniamq; precentur, statuant decretis Ecclesiæ totius ex animo parere, illiq; se subijcere. Sic itaq; duplex hîc humilitatis est munus, primum sua crimina speciatim dicere, secundum statuere animo mandatis Ecclesiæ vniuersis obtemperare. Hoc namq; honoris supremum, iussis alicuius obedire in omnibus. hoc vinculum ligat omnes Reg es, Imperatores, Papas. Hæretici se ab illo exsoluerunt, primo abrupto, à quo pendebant hæc duo. Hinc factum, quod ostendimus latissimè signo de intestinis hæreticorum & hostium cædibus, vt hæretici propter adipiscenda regna, & principatus, omnium maximè sæuierint inter se, nullis consanguineis ignouerint, & ab eorum cæde nihil se temperauerint, idemq; ostendimus de successione omnium propè regnorum, quæ fuerint illustria, & à nostra religione aliena, signo de pietate, contulimusque nostra cum alienis signo de felici & glorioso exitu Catholicorum Regum. E quibus sanè apparebit certissimò, quicumque abhorreant ab Ecclesia Dei, abripi illos violentissimo ambitionis æstu longè ab humilitatis & omnium virtutum tranquilissima statione, nostros verò non ita. Idem porrò liquet è signis de magnitudine animi, ac liberalitate, quo latissimè explicauimus nullo in cœtu magis honores, summosque, & infimos esse communicatos, ita vt singulis, modò mereantur illi, pateant, vt in Ecclesia nostra. Id autem clarissimum est humilitatis argumentum: superbi namque est cunctos ad se honores transferre, humilis communicat eos libenter, quippe qui agnoscat aliorum merita, & siquid est in se demeriti non

2. Cor. 10.

II.

III.

IIII.

V.

VI. ignoret, sic igitur & se ex aliqua parte indignum, & ex aliqua dignos alios videt. Huc etiam facit summa perpetuaque Imperatorum & Regum tum reuerentia, tum obedientia, quam semper exhibuerunt Præsulibus sacris, & ipsi in primis Pont. Romano, quam rem nos latè cõplexi sumus signo de reuerentia summa Regum: ne bis eadem repetamus, eò reijcimus lectorem. Inde constat innatam quodãmodo diuinitus Catholicis humilitatem. Non enim Reges vlli vmquam, vel Imperatores, ac Principes tantos sacris viris honores præstiterunt, vt nostri; ex quo fit, nostros humilitate cunctis præstare. Huc etiam refertur, quòd nõnulli Imperatores ac Reges Catholici amplissima sæpè regna ac ditissima supremis omnium dignitatibus contemptis reliquerunt, ac monachos induerunt, vitæq; genus humillimum sunt sectati. Id verò egerũt non animi ignauia, nõ vllo metu adacti, sed quòd Christum sibi imitandũ proposuissent, qui è superis in terras descendit, humillimumque vitæ genus & ipse sibi delegit. Tales fuerũt Lotharius Imperator Ludouici Pij filius anno 855. Hugo Prouinciæ Rex, Rachis Longobardorum 750. Sigismundus Burgundiæ 515. Bamba Hispaniæ, Veremundus Castellæ, Ranimirus Aragoniæ, Sigibertus Northumbriæ, Sebbis Angliæ, Eltheredus & Cheneredus Merciæ, Alfridus Northumbriæ, Offa & Ina Angliæ, Ceolulfus & Egbertus Northumbriæ, Henricus Quartus Daniæ, Carolomãnus Alemaniæ, Trebellius Bulgariæ, Cazimirus Poloniæ, qui deinde iussu Romani Pontificis, suorumq; obsecrationib. victus regni gubernacula recepit. Omittimus hîc principes innumeros, qui quotidie hoc factitant, vt summis inter mortales honorib. abiectis, inter humiles religiosorum cœtus obedientiæ se ignobilium alioquin præsulũ subijcere non dedignentur, nullo inimicorum terrore compulsi, vel mẽtis stupore, & inertia deiecti, quod fecêre inter Græcos Anastasius Secundus, Theodosius Tertius, Michaël Rãgabe, Michaël Quartus, Isaacius Comnenus, & Emmanuel Paleologus Imperatores, & è nostris Suantocopius Morauiæ, & Salomon Hungariæ Reges. Quod verò de maximis principibus diximus, idem patet de innumeris, qui cùm multis fulgeant inter suos insignibus honorum, tamen ijs neglectis appetunt in religiosorum cœtus admitti, admissiq; ministeria obire vilissima haud recusant, imperiaq; durissima non refugiunt; quod sanè est animi ad modestiã & humi-

VII. Regũ, qui monachos sunt professi, humilitas summa.

VIII.

militatem præclarè informati. Nullus verò mortalium cœtus est, qui vel tot religiosorum conuentus, vel hos insigni humilitatis laude sic præstantes habeat, vt Ecclesia nostra, quod signo de Religione aperuimus. Ex quo fit Catholicos humilitate cũctis præstare. Quod etiã patet ex alio. Antiqui, & gẽtes adhuc à veritate religionis lõgius positæ nobile illud Regis nomẽ tribuebãt ac tribuunt, vel ei, qui vni oppidulo p̃esset: sic Rex Vlysses, qui dominabatur Itachæ, quam veluti nidum saxo affixum propter exiguitatem sui Cicero non iniuria vocat; sic Nestor Pyli Rex: & in Palæstina Iosue triginta Reges patibulo affixit: & imperante Nerone Cottius in Italia regnabat Alpium Cottiarum Rex dictus, in quibus non nisi viculi erãt, & vasta montium spatia. At Catholici regium nomen non nisi ijs, qui summo iure latissimis regionibus & cultissimis præsit, tribuere solent. Cultissimis inquã. quid enim refert, si quis, vt de Aeolo aiebat ille, teneat immania saxa, aut interminatas solitudines, infrequentiaq; terrarum spatia? sic enim satius esset vni oppidulo dominari, quàm densissimis syluis, aut latissimis agris. Idem verò mos in appellandis Regibus est inter Mahometanos, & alias gentes, qui priscis erat. Idem namq; supremæ dignitatis nomen largiuntur potentissimis, & tenuibus alioquin principibus. Neq; verò minus humilitatem Catholicorum commendat, quòd potentissimi Imperatores ac Reges non recusarunt exsoluere imposita à sacerdotibus piacula obeundi sæpè ministerij vilissimi, si existimationem quorundã contumaciam superborũq; spectemus: quod sanè hæreticis, & alijs ab Ecclesia Catholica remotis haud contingit. Afferamus aliqua tantæ rei, sed illustrissima exẽpla. Philippus Arabs Christianus fuit, & Romani orbis Imperator. Hic ob admissa quædam, cùm vellet ingredi Ecclesiam, repulsus est à Fabiano Papa, & communione Christianorum summotus, quod est excõmunicare, neq; admissus, nisi in vltimum pœnitentium locum cæteris posteriorem: libentissimè & alacri animo Põtifici id iubenti paruit Imperator, inquit Eusebius. Est verò obseruandum, solitos fuisse antiquitus pœnitentes huiusmodi, exomologesim publicam facere in conspectu populi totius detestatos suum scelus, ob quod in pœnitẽtium locum relegabantur, sacco & cineri incubare intra tempus præfinitum, corpus sordibus obscurare, ad presbyterorum pedes aduolui, veniam precari, omnibus fratribus legatio

IX.

X. Humilitas maximorũ principum in piaculis accipiendis.

Eus. l. 6. cap. 27. hist. Eccle.

nes suæ deprecationis adiungere, vt è Tertulliano habetur. quin soliti erant vinculis constricti in similitudinem reorum procedere ad Ecclesiam, vt è Theodoreto colligitur. Sub annum 388. cum Thessalonicæ quidã fuisset in carcerem missus, ciues efflagitare à magisttatu cœperunt illius liberationem: non impetrantes occiderunt nascio quẽ, & iudices aliquot lapidibus obruerunt, inquit horum temporum æqualis Theodoretus. ob id dira in illos Theodosius cogitabat, interuentu tamen Episcoporũ pepercit; mox, ait August. lib. de Ciuit. Dei, tumultu quorundam suorum compulsus est grauissimum scelus vindicare. Iussit igitur, eorum qui adfuerant, certum numerum occidi, ita Theodoretus, & Sozomenus, qui & ipse hac ætate fuit, & Constantinopoli est versatus. Ob hæc à nullo Episcopo Theodosius est vel ab Ecclesia, vel communione eiectus. Post annos duos cùm Mediolanum venisset, in Oriente namq; Constantinopoli morari solebat, pergeretq; ad Ecclesiã, exclusus est ab Ambrosio ob hoc crimẽ, neq; per octo menses receptus; quamuis, vt sibi Ambrosium placaret, multa tentarit, suum peccatum deplorans. Quocirca ipse rectà ad illum processit, & quamuis duris obiurgatus ad eius pedes accidens multis cum lacrymis obtulit se paratum ad quoduis expiationis genus. admissus in templum toto corpore ad terram se prostrauit flèns in conspectu populi totius, omni regio cultu abiecto. Hæc igitur maximi totius orbis Imperatores. Anno nongentesimo nonagesimo sexto, Crescens Romanus patricius Gregorium V. multis iniurijs exagitatum eò perduxit, vt ad Otthonem Tertium Imperatorem in Germaniam aufugeret. Crescens Antipapam Romæ constituit, cunctosq; ad defectionem in Otthonem sollicitauit. In Italiam veniens Imperator, cuius illa tunc imperio maiori ex parte obediebat, domitis rebellibus, Crescentem obsedit in Vrbe, eumq; mox fide securitatis data captum cum alijs duodecim maiestatis læsæ damnatum suspendio necari iussit. Quòd igitur contra fidem id egisset, impositum est illi piaculũ à Romualdo Abbate, quod ille persoluit, huiusmodi. Roma egressus nudis pedibus perrexit vsque ad montem Garganum in Apuliam, ad sancti Michaëlis; tota quadragesima cilicium gestauit, in storea cubauit: quæ omnia refert Petrus Damiani, qui fuit his temporibus, in vita Romualdi. Anno millesimo centesimo septuagesimo, cùm Thomas Cantuariensis Episco-

Ter. l. 1. de pœnit. c. 89.
Theod. li. 5. c. 27. hist. Eccl.
Theo. l. 5. c. 17. histo. Eccle.
Aug. lib. de Ciui Dei 5.
Soz. l. 7. c. 24.
Sur. tom. 3.

pus reconciliatus Henrico II. Angliæ Regi in Angliam redijsset, litteris Pontificis Romani diuulgatis, quas ipse impetrauerat, suspendit à munere episcopali Episcopum Eboracensem, & aliquot alios Episcopos, qui vnà cum Eboracensi Henricum III. Henrici filium coronauerant: questus namq; Thomas est Pontifici Romano ea de re, quòd coronatio ad Cantuariensem pertineret, diceretq; id factum non sine iniuria sua, qui tunc erat in exsilio. Res perlata ad Henricum II. fuit in causa, vt recrudescentibus antiquis offensis inter alia diceret, se per vnum non posse regnare, quod verbum nonnulli excipientes, inscio Rege, Thomam trucidarunt. Rex indignè id tulit. reos ipse Romam misit: legatos, qui ipsum purgarent apud Pontificem, addidit. Admissi ægrè, difficulter impetrarunt vt Alexander III. legatos mitteret, qui rem cognoscerent, Regem vel absoluerent, vel damnarent. Missi innocentem Regem perpetratæ cædis inuenerunt. Rex autem sic ad eos est locutus, Disciplinam non refugio Christianam: decernite quod placuerit: deuotè amplectar, exsequarque decretum. quo dicto, & veste abiecta iuxta morem publicè pœnitentium, nudum se Ecclesiasticæ submisit disciplinæ. Hæc verba ipsa Neubrigensis Anglici scriptoris, qui hoc tempore vixit, flagellis cæsum more Ecclesiastico, humerisq; nudatum in publico Regem narrans. Hæc igitur Imperatores isti, ac Reges. plura adduci possent, sed his ob prolixitatem vitãdam fuimus contenti. Neque enim vel hæretici, vel alij possunt in medium proferre suorum Principum exempla huiusmodi humilitatis. Vidimus quæ communia sunt vniuersis Christianis, & quæ pertinent ad viros religiosos in vniuersum, & Principes summos: inspiciamus quæ tangunt Pontificem Romanum.

Lib. 2. c. 25.

Multis modis apertissimè ostenditur humilitatem Pontificis Romani præstare aliorum Episcoporum Principumq; humilitati, superbiamq; longius ab ipso, quam à cæteris abesse, & absuisse semper, peccaturumq; Papam, nisi exciperet summos honores tamquam Christum referenti datos.

CAP. X.

SI iustis petitionibus apud impios locus esset, rogandi forent, vt hæc legentes interim deponerent anticipatam opinionem, quam nõnulli ex ijs habere visi sunt de fastu & superbia Romani Pontificis: sed siue locũ dent iustis petitionibus, siue non dent, ego luce meridiana clarius ostendam, humilitatem Pontificis Romani, si comparetur alijs summis Episcopis ac Principibus, (inter pares enim comparatio, non impares, hinc dicta comparatio) prestare longissimo interuallo humilitati aliorum Episcoporum, & Principum, qui primarias inter homines dignitates tenuerunt.

Et quidem si beatissimus Papa Christi est Vicarius in terris, Christi inquam non amplius morituri, neq; humanis amplius conditionibus obnoxii, sed in cælo regnantis, cui subiecta esse debent omnia, & quo minus sint, per impios efficitur, nullos non honores sibi iure potest, quamdiu tenet illius personam, vendicare. Atqui ostẽdemus clarissimè, minimos omnium sibi adsumpsisse respectu aliorum Principum, qui supremas in terris dignitates sunt potiti. Quocirca similes sunt impij in abrogandis, quantum possunt, Papæ honoribus, Pharisæorum factioni, qui cum viderent Christo acclamari tãquam Regi, & Dei filio, turmis occurrentib. illi quasi triũphanti, petebant vt imponeretur illis silentium. Sed nos ostendamus propositũ: & quãdo vidimus hunc esse primum communemq; omnib. Catholicis humilitatis gradum, vt nemo credat, nisi quæ credit Ecclesia Catholica tota, & quæ diffinita sunt ab vniuersalibus concilijs, & à Pontificibus summis, in ijs, quæ spectant ad æternam veritatem; solis verò Petri successoribus contigerit, vt ab ortu Ecclesiæ Christianæ, nullos habuerint suæ sedis Episcopos, qui fuerint hæretici, id est qui recesserint in ijs, q̃ sunt fidei, siue æternæ veritatis, à concilio rum vniuersalium Põtificúmve superiorum decretis, vt signis de Petri cathedra, & perpetua Apostolorũ successione, & de fide est explicatum; hinc fit Episcopos Romanos intellectus humilitatem præ cunctis seruasse, mentemq́ue suam præ cunctis Ecclesiæ Catholicæ subiecisse, neq; tanti suas opiniones fecisse, vt eas prætulerint vnanimi Ecclesiæ Catholicæ consensui, quod hæretici fecerunt. Iam verò in ipsa Pontificia dignitate appetenda seruatas à Papis leges humilitatis longè magis, quàm à quibusuis Principibus summis, qui iure electionis assumerentur, constat aper

XI. Multiplex humilitas ac maxima omnium in Pontifice Romano.

XII.

apertissimè ex eo, quòd in electionibus Romanorum Pontificum minus discordiarum fuit inter eos, quibus ius est eligendi Pontifices Romanos, quàm inter quoslibet, quibus ius sit eligendi Reges, aut Imperatores, ostendemus hoc signo de pace, & perpetuis in Ecclesiam bellis. Quod adeò verum, vt illud admirabile & prorsus singulare contigerit Pontificibus Romanis, licet enim multa fuerint schismata, multi fuerint aduersus legitimos Põtifices creati Antipapæ, nemo tamen vnquam ex eis à contraria factione est occisus, quamuis multi Antipapę in potestatem venerint legitimi Pontificis, quod abundè est à nobis explicatum signo de mansuetudine. Id sanè apertissimè ostendit, non adeò Romanos Pontifices intumuisse, ac siuisse agi se in transuersum, vt non meminerint illius dicti, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Superbus non ita; simulatque dignitatem, siue iure, siue iniuria partam, sibi eripi, vel in discrimen ab aliquo adduci videt, protinus ad cædes & homicidia conuolat: quod videmus in Mahometanis, & nos retulimus signo de intestinis hæreticorum & hostium Ecclesiæ cædibus, & de pietate. Eodem spectat, quòd nulla sedes, nulla dignitas magis patuit omni nationi quantumuis extraneæ, vt Pontificis Romani, qui sanè est humilitatis effectus. Nam superbus in se, quantum potest, ac suos, quidquid habet honoris, transfert: humilis non ita. Similiter Pontificibus Romanis id curæ fuit, vt illi, ad quos ius eligendi Papæ pertineret, (ij sunt Cardinales) ex omni natione Catholica celebriori eligi possent, & in effectu eligerentur. Eodem modo Pontificatus nulla industria vel arte factus est hæreditarius: neque in mores induci potuit, vt Pontifici viuenti successor futurus eligeretur; sanctionibus namq; efficacissimis est prouisum per ipsos Põtifices, ne id fiat. Quòd si Papæ ambitiosi fuissent, numquam vel id statuissent, vel statuta de medio sustulissent, vt suis eam dignitatem pararet, quemadmodum videmus actum in Imperatoribus Regibusque multis creandis; quod nos signo de liberalitate, & animi magnitudine persecuti sumus. Illud præterea Romanorũ Pontificum præ ceteris ostendit humilitatem, quòd cùm tot fuerint Imperatores ante Constantinum, tot in Orientali Imperio, tot in Occidentali, & diuersis, & ijsdem temporibus, nihilominus haud legas tot, qui repugnantes inuitique inierint imperium, quot Pontifices reluctantes ad

XIII.

XIIII.

XV.

XVI.

XVII.

Pontificatum sunt adsumpti. & nihilominus post ætatem Constantini plerumq; duo fuerunt Imperatores, Orienti alter, Occidenti alter præpositus, donec in Momyllo defecit Romę Imperium, quod in Carolo Magno deinde est restauratum, & à Turcis Constantinopolis est capta. Semper autem fuit vnus, ac necesse est sit legitimus Papa. Qui verò obstiterunt, ne Papæ ipsi fierent, & tantæ dignitatis onus formidandum subierunt, fuêre Clemens I. teste Epiphanio, Tertulliano, Rufino, Gregorius Magnus, Gregorius Secundus anno octingētesimo vigesimo septimo, Leo Quartus octingentesimo quadragesimo septimo, Benedictus octingentesimo quinquagesimo quinto, vt Platina scribit, Nicolaus primus octingentesimo quinquagesimo octauo, quem Platina ait fugisse, ac latitasse, Hadrianus Secundus octingentesimo sexagesimo septimo, quod Platina scribit, Victor Secundus 1011. Leo Nonus millesimo quadringentesimo nono, Stephanus Nonus millesimo quingentesimo septimo, Victor Tertius millesimo octuagesimo sexto, Paschalis Secundus millesimo nonagesimo nono; Callistus Secundus millesimo centesimo decimonono, Honorius Secundus, Alexander Tertius, de quibus post alios Sigonius libro de regno Italiæ, Cælestinus V. Nicolaus V. & de illo quidem Iacobus Vitriacus, de hoc Platina testatur. Omnes sunt decem & septem. Quocirca non facilè reperies vllam sedem principatúmve paulo maiorem, quem tot recusarint, cùm forent ex ijs qui assumerentur ad illū, ex quo fit necessariò inter Cardinales minimè omnium regnare ambitiorem, locum magis esse humilitati. Multi porrò fuêre, qui sæpè nullo modo adduci potuerunt, vt vel appeterent hanc dignitatem, vel acceptam retinerent, vt contigit Cælestino Quinto. Quin multi acceptam deponerēt, fuit in causa, quòd inueterata quadam consuetudine constitutū videbatur, indissolubile esse vinculum, quasi matrimonij cuiusdam, inter Pōtificem & Ecclesiam, ita vt opus fuerit, cùm Cælestinus renunciauit, edere in id nouā constitutionem. Et sanè accipere, ac mox deponere hanc dignitatem, vix est, vt non sit imprudentiæ, inertiæ, & inconstantiæ simul. Nam qui fractus rerum mole, aut ponderis grauitati succumbens abijt onus, is infirmum ignauumque animum induit, & imprudentem se ostendit, cùm accepit. Rectè tamen Ioannes Vigesimus quartus, qui cum verè Pontifex esset, omnium

tamen

Tert. libr. de præscript. Epiph. hære. 27. Rufin in præf. Recog.

Papæ 17. qui inuiti Pōtificatū accepêre.

tamen primus Papatui renunciauit, vt grauissimum diuturnumque ab Ecclesia schisma tolleretur. Non malè Cælestinus, qui quodammodo compulsus accepit. Illud quidem plerumque vsuuenire cognoscimus in Pontificibus creandis, vt ambitiosi quidam Cardinales illum sæpè eligant, qui minus appetijt, & tanta de re minus cogitauit. Ex historijs autem discimus Imperatores aliquos adactos vi fuisse Imperio spoliatos, & Episcopos quosdam hæreticos, quod iniurijs exagitarentur, & curas rerum gerendarum propter animi imbecillitatem sustinere non possent, Episcopatum deposuisse, vt de Constantinopolitanis Gregoras & Choniata testantur. Sed quando quis animus sit cuiusque non nisi è verbis dignosci potest, quòd facta sæpè sint ambigua, & in vtramque partem possint declarari; idcirco videtur illud obseruandum, quòd Episcopi quidam primarij sibi nomina quædam gloriosa fecerunt, neque tamen mala: vocarunt enim se Archiepiscopos, & Patriarchas, quasi Patrum principes, & Episcoporum. Non ita Pontifex Romanus, Papam se vocauit, aut Episcopum; vt magis humilitatem seruaret in tanta celsitudine collocatus: & Papæ quidem nomine, quòd Patrem significet, caritas, qua suos amplecti, Episcopi verò, officium, quo consulere illis quasi prouisor debet, significatur. Sic etiam videas alios qui titulis plurimis, & quidem nonnulli mendacibus se ornarunt, Papa autem se humillimo omnium, nimirum eo, vt in litteris omnibus post proprium nomen subiungat, Seruus seruorum Dei. Constantinopolitanus, haud contentus se Patriarcham vocasse, quod erat ferendum, id namq; honestū cognomen, adiecit prꝫterea vniuersalis ampullosum tumorē, quasi ipse sit Princeps vniuersalis Patrū. Idem prętercea Pont. Rom. quoslibet vocat aut filios, aut fratres. Ac ne quis putet illū sibi aliqd omninò arrogare, in plerisq; sem p litteris, in omnib. certè primis, quas ad alios, vbi Pōtifex est factus, scribit, semper se imparē tantę dignitati, immeritū testatur, agnoscit reuera qui sit. Nam quis effreni impudentia tantæ potestati se parē credat? & tamen hæresiarchæ omnes incredibili sunt, qui contendunt Ecclesiā vniuersam lapsam, se verò nequaquā. Non habet hæc satis sanctissim⁹ Papa, sed vt sibi atq; omnib⁹ esset testatissimū ab ipso electionis principio nihil sibi dignitatis arrogare, cùm ducitur ad S. Ioannis in Laterano, vbi eò ventum, sedet in lapidea ac stercoraria

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

ex antiquissimo instituto sede, & illi occinitur versiculus, *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem.* sic enim fatetur se tanto gradu indignissimum.

XXIII.

Amplius anniuersario more, quinta feria hebdomadæ luctuosæ, duodecim pauperculos ex ignobili genere ortos accersit in cubiculum, dat ei noua vestimenta, & ad eorum pedes ipse summus Pontifex accidit, eosq́; abluit, abstergit, osculatur, vt vilissimis omnium maximus ipse reddat oscula; quæ accepit non sibi, sed Christo, cuius personam gerit in altissimo omnium fastigio collocatus, atque vt ab alijs euectus est, cum pedes ipsius osculantur, seu potius crucem pedibus appictam, sic ipse vltro se demittat, ac deijciat, non ad osculandos sublimissimi alicuius, qualis ipse est, pedes, sed hominum vilissimorũ.

XXIIII.

Quod igitur quidam vitio dãt Pontifici Romano, quòd filij ipsius ipsi pedes osculentur, ij vel ignorant quod effutiunt, vel odio transuersi aguntur. Vt enim mittamus ita olim fuisse prædictum, quin Christum petijsse à Patre, vt honor huiusmodi Prçsulibus Ecclesiæ suæ à subiectis exhiberetur, quod nos signo de summo Regum cultu ostendimus, addimus hîc in more positũ fuisse apud antiquos omnes, vt viros sanctissimos, & quoslibet maiores genibus flexis venerarentur, totoque corpore in terram se prosternerent, quamuis ij nulla dignitate præstarent, & alioquin essent indignissimi.

Adoratio priscis vsitata.

Genes 23. 33. 43. 49. 50.

sic Abraham dicitur adorasse populũ terrę filios Heth: & Iacob adorauit fratrem suum Esau septies pronus in terram, & fratres Ioseph adorauerunt eum proni in terram: sic mulier Thecuitis dicitur cecidisse coram Rege Dauid super terram, & adorasse eum: & Iudith adorauit Holofernem, prosternens se super terram. Hæc verò multò maiora sunt, quàm procidere ad pedes alicui⁹, & osculari crucem pedibus eius appictam. Quin apud omnes gentes fuit in more positum, vt supplices accederent ad pedes eorum, quoscumque exoratos volebant, vt apud Euripidem in Hecuba est:

Ἀγαμέμνων ἱκετεύω σε τῶν δὲ γονάτων, καὶ σοῦ γενείου, δεξιάς τε εὐδαίμονος. id est, Agamemnon supplex te obsecro, per hæc genua, per tuum mentum, & dexteram felicem. & Homerus Iliados vltimo:

χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας.

Manibus Achillis cœpit genua, & osculatus est manus.

Et

Et Cicero pro Ligario, *Tu nos iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis.* & in Antonium: *At etiam misericordiam captabas, supplex te ad pedes abijciebas.* & pro Sextio, *Frater volutatus est ad pedes inimicorum.* & ad Atticum, *Alter, qui nos sibi quondã ad pedes suos stratos ne subleuabat quidem.* & post reditum, *Cnæus Oppius ad pedes flens iaceret.* Quòd igitur Pontifex suos sibi osculari pedes patitur, quatenus ipse quidem personam Christi refert, & ijs appicta est crux, non alienũ id ab omnium gentium more, & prædictum ob oraculis antiquis, petitumque à Christo vt id fieret, quod signo de Regum cultu est explicatum. Quòd verò subijciunt aliqui Diocletiani hanc fuisse consuetudinem inuidiosam, vt pedes sibi osculandos vellet, falluntur isti: nam refert Seneca libro de Beneficijs, cap. 2. Caium Cæsarem, quem tantopere ob affabilitatem clementiamque laudant scriptores, dedisse Pompeio Pœno sinistrum pedem ad osculandum. Idemque de Caligula scribit Zonaras. Igitur Diocletianus primus fuit, qui sibi osculandos pedes quasi ipsi Deo vellet, eosque gemmis ex omni parte insignitos. At Pontifex Romanus neq; Deum se facit, & quoniam necessariò Christum refert, sicut aliqua ex parte singuli Principes ac sacerdotes, protestatur se immeritissimum qui referat Deum; & quando, vt sit oraculis diuinis, ac precibus Christi necessariò locus, osculandi sunt ipsius pedes, curat illis affigendam crucem, vt cruci hic honor omninò detur. Reliqua diximus signo prædicto. Nunc ex alijs ostendamus humilitatem Pontificis Romani. In primordijs Ecclesiæ nascentis Episcopi nihil agere solebant, nisi adhibitis in concilium presbyteris, & clero. quod colligitur è multis: sic namque Ignatius ad Trallianos: *Episcopus*, inquit, *similitudinem Dei Patris omnium gerit. presbyteri verò sunt consessus quidam, & coniunctus Apostolorum cœtus. sine his Ecclesia electa non est, nulla sine his sanctorum congregatio.* & mox: *Quid enim aliud est episcopus, quàm is qui omni principatu ac potestate superior est, & quoad huiusmodi licet pro viribus imitator Christi factus; Quid verò sacerdotium aliud est, quàm sacer cœtus consiliarij, & assessores episcopo?* & ad Magnisianos, *Vnanimes in Deo omnia facite festinetis assidente episcopo in loco Dei, & presbyteris in loco consistorij Apostolorum, & diaconis dulcissimis mihi?* & S. Cyprianus epistola ad Antonianum, quæ est 52. vel 2. lib. 4. *Quamquam nobis*, inquit, *in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, prius esse Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione*

XXV.

consi-

consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus, pariter adstantibus laicis facta lapsorum tractare rationem. & ad S. Cornelium epist. 55. vel 3. lib. 1. *De omnium nostrorum consilio placuit scribere*, & mox, *Florentissimo illic clero tecum præsidente.* & alibi, *Grauiter commoti sumus ego, & collegæ mei, qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri, qui nobis assidebant fratres carissimi, cùm cognouissemus, quod Geminius Victor.* & ad S. Stephanum Papam, *Cùm ad nos in Africam legatos misisset* (Marcianus episcopus Arelatensis) *optans ad communicationem nostram admitti hinc à concilio plurimorum sacerdotum, qui præsentes eramus, sententiam retulerit.* & Firmilianus episcopus Cæsareæ ad S. Cyprianum, *Qua ex causa necessariò apud nos fit, vt per singulos annos seniores, & præpositi in vnum conueniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt.* Hæc ille ; in Græco est, presbyteri. & S. Cornelius Papa ad Cyprianum: *Omni igitur actu ad nos perlato placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, vt firmato consilio, quid circa personam eorum obseruari deberet, consensu omnium statueretur. & vt motum omniũ, & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri perferri.* Hæc antiqui scriptores.

Epist. 65. vel 9. lib. 1.

Ep. 67. lib. 3. vel epist. 3.

Epi. 46. vel 11. lib. 3.

Papæ summa humilitas in cunctis decernendis.

Nunc perspice, ac videbis, quod cùm sit humilis suo cõsilio haud fidere, contra superbi omnia trahere in suã sententiam, nihil aliorum sensa curare, consiliúmve requirere, nullum vel episcopum, vel principem summum sic res statuere, ac statuisse semper de consilio eorum, qui dati sint à superioribus episcopis, ac principib. successori suo, vt Pontifex Romanus, qui nihil vmquam graue agit, egitve vmquam, nisi de Cardinalium consensu, quorum locum potestatemque olim tenebant presbyteri Romani, quibus curæ erant Ecclesiæ, præcipue in vrbe. Hinc semper leges in eius litteris *De consensu fratrum nostrorum.* Hos autem bis saltem vocat in hebdomada ad consilium, & publica decernenda. Ex his maior pars à defunctis iam Pontificibus sunt electi. Quocirca non potest Pontifex sibi adsciscere, quos velit suis placitis omninò adhærere. In omnibus præterea rebus habet minora consilia. Hoc Cardinalium est supremum. sic verò semper egisse Pontificem Romanum, liquet ex actis eorum publicis, quæ monumentis consignata habentur. Exemplum legimus in epistolis Gregorij Magni, & in vita Bonifacij Episcopi Moguntini. Quodcumque igitur spectes, necesse est dicas, humi-

Ep. 22. li. 9.

humilitatem Pontificis Romani cunctis præstare; si quæ diximus repetas ac perpendas, & cùm reliquis conferas, tot annorum decursa curricula mente pertractans, & non ex vno Pontifice, aut vna re causam dijudices, sed ex vniuersis. Sed scilicet malè animatos offendit pompa, qua sæpè insolennibus apparatibus incedit Pontifex Romanus; neque vident iure hæc omninò atque innumeris partibus maiora deberi vicario Christi; nã quibus olim Deus ornamentis summum Pontificem mandauit insigniri? quot, & quanta illi dari? Atqui dices, Christus ipsæ hæc haud sibi assumpsit. Verè quidem, sed data sibi ex animo propter Deum à suis retinuit, ac defendit quantum potuit humanis modis datis sibi ab hominibus ijsdem. cumque Simon ipsum tacitè accusaret, quòd sineret Magdalenam pedes ipsius osculari, redarguit Simonem Christus, vt calumniatorem, ac minus officiosum: similiter cùm Pharisæi vellent à Christo silentium turbis imponi, quæ quasi Regi occurrebant illi, acclamabant; & ad asini, quo vehebatur, pedes vestimenta sternebant, redarguit eos Christus, asserens hæc iure sibi præstari. Velle verò Christum præstari Apostolis eosdem, quos sibi honores, tamquam referentibus Christum, suprà explicauimus. Qui nolunt itaque Papis maximos honores exhiberi, illi vnà cum Pharisæis volunt Christum cruci affixum. Quid dicam? faciunt se impij isti Christo ipso maiores, qui ad pedes Apostolorum se abiecit, abstersit illos, ac verisimiliter ex amore est osculatus, exemplum dans nobis, vt quod ipse fecit, & nos faciamus. Amplius assero. Peccaret Pontifex Romanus, si honores istos non exciperet. Quo verò teste hoc assero? Ipso Christo, qui Petrum dixit non habiturum cum ipso partem, nisi à Christo acciperet hunc honorem; vt ad pedes eius se abijceret, ac vilissimum ministerium abluendi illos renueret. Ac renuet Pontifex Romanus Christum referens hæc sibi dari à filijs sibi subiectis? Christi personam, quam sustinet, deijciet? illius dignitatem non defendet? Sed est impiorum, cuncta, quæ Christum referunt, & ad Christum referuntur, impugnare, proculcare, & de medio tollere, quantum possunt. In hac verò ipsa re damnanda, semetipsos omnium superbissimos, ac pessimos, quales erant Pharisæi, manifestissimè ostendunt.

Sur. tom. 2. mense Mart.

SIGNVM

SIGNVM QVINQVAGESIMVM,

Paupertas.

In Ecclesia Dei vigere debet in primis virtus Paupertatis. Eam præ cunctis inter nostros vigere clarißimum sit, ac proinde nos esse ex Ecclesia Dei.

CAP. XI.

Matth. 5. Luc. 6.

BEati, inquit Christus, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* quæ verba nos admonent, quanta sit eorum virtus ac dignitas, qui suis se bonis ac diuitijs exuerunt, vt Christo seruirent, Deo se totos, ac diuinis deuouerent. *Si vis,* ait alibi idem, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Verùm enimuero, cùm virtutis forma posita sit in animo, non in vllis rebus externis, quæ materiæ sunt instar homini virtutum studioso, laudabiliumque actionum quasi artifici prudenti, idcirco sapientissimè Christus dixit, *Beati pauperes spiritu;* vt designet eos, qui diuino spiritu ducti cuncta abiecerũt, vt expeditius cælestium rerum meditationibus, ac diuinis rebus omnibus semetipsos dedicarent; quod appositè adnotarunt Basilius, Hieronymus, Bernardus, viri sanctissimi. Quocirca fieri potest, vt aliquis cunctis opibus vndique, veluti Iob, Dauid, & quicumque his similes fuerunt, circumfluat, & tamen paratus illas abijcere, vbi honor ipsius Dei exigeret, propter illas nec latum quidem vnguem discedat ab officio virtutis; hic re diues erit, sed spiritu pauperrimus dicetur. Tanti verò nostri in hac virtutis excellentia semper exstiterunt, atq; existunt, vt ne vmbram quidem vnius ex illis somniari sibi antiquitas, aut tota hæreticorum & alienorum colluuies potuerit. Videamus an ita sit, & totam rem clarissimè ante oculos ponamus. Ac primum sanè locum meritò sibi vendicabunt potẽtissimi Imperatores, ac Reges, qui non tenuibus & angustis regnis potiebantur, sed opulentissimis, atque amplissimis; & ijdem tamen, non vllis aduersis rebus fracti, non ignauia quadam vitæ, sed rerum cælestium vehementissimo amore succensi, dimiserunt illa, & arctissimis se paupertatis, castimoniæ, & obedientiæ legibus adstrinxerunt. Tales,

Luc 14.

Basil. q. 105. Bern. serm. de fest. omnium sancto. Hier. in hunc locũ.

les fuerunt, vt suprà dicebamus, Lotharius Imperator Ludouici Pij filius anno octingentesimo quinquagesimo quinto, Hugo Prouinciæ Rex, Rachis Longobardorum, anno septingentesimo quinquagesimo, Sigismundus Burgundiæ, quingentesimo decimoquinto, Bamba Hispaniæ, Veremundus Castellæ, Ranimirus Aragoniæ, Sigebertus Northumbriæ, Sebbis Angliæ, Eltheredus, & Chenetedus Merciæ, Alfridus Northumbriæ, Offa, & Ina Angliæ. Ceolulfus, & Egbertus Northumbriæ, Henricus Quartus Daniæ, Carolomannus Alemaniæ, Trebellius Bulgariæ, Cazimirus Poloniæ Reges, quamuis hic iussu Pontificis Romani efflagitantibus iusta de causa populis ad regni gubernacula deinde sit reuersus. fuêre inter Græcos, qui terrore inimicorum coacti, metuque mortis impendentis impulsi, aut etiam stupore quodam mentis vrgente, monachos induerint, vt Anastasius Secūdus, Theodosius Tertius, Michaël Ramgabe, Michaël Quartus, Isaacius Comnenus, Emanuel Paleologus, & inter nostros Suantocopus Morauiæ, & Salomon Hungariæ Reges. Superioribus autem admirandarum virtutum sectatoribus innumeros Principes, quos alij Reges vocarent, scimus inter nos quotidiè similes existere. Non longè abeamus. Franciscus Borgia Valentinus amplissimas in Hispania ditiones potiebatur, & ille tamen maximis opibus relictis, atque opulentissimo principatu, nostra ætate Iesu Societatem ingressus est, seuerissimaque ductus alieni, castitatis, ac paupertatis præscripta secutus est toto ætatis suæ curriculo; & nunc ijsdem vestigijs insistit, & eidem Societati præest post emensa sanctissimæ obedientiæ spatia Claudius Aquauiua, de quo nihil est quod dicamus, cùm viuat, & in omnium sit oculis. His secundo loco non iniuria succedent Imperatores, ac Reges plurimi, qui in altissimo diuitiarum potentiæque culmine diuinitus collocati, spiritu tamen pauperes fuerunt, quippe quos non obiecta externarum rerum impedimēta tenuerint vmquam, quo minus ad excelsissimum virtutū summarum fastigium cursu contentissimo peruenirent, ita vt meritò sanctis fuerint adscripti, & miraculis cælestibus diuinitus eorum sanctimonia fuerit illustrata. Tales in Hispania fuerūt Alfonsus Castus, Ferdinandus Tertius, in Gallis Ludouicus, & multorū iudicio Robertus, in Anglia Ethelbertus Cantianorum, alter Ethelbertus Orientalium Anglorum, &

II. Reges quolibet regno sancti.

eorumdem Edmundus, Chenelmus Merciorum, Osvvaldus Northumbrorum, & Angliæ totius Eduardus Secundus ac Tertius maximi Reges, in Germania Henricus Primus Imperator, in Bohemia duo Venceslai, in Hungaria Stephanus ac Ladislaus, in Slauonia Hemericus Stephani sancti filius, in Polonia Cazimirus Rex, & alter Cazimirus Princeps, in Dania Canutus, in Noruegia Olaus, in Suetia Ericus. Omnes igitur hi vitæ cuiusdam diuinissimæ fuerunt, & quamuis vndiq; omni omnium rerum copia circumfluerent, nullo tamen loco vniuersa ducebant, vbi agebatur vel de minimo virtutis alicuius officio. quocirca verè illis conueniebat, quod est scriptum, *Diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere*: &, *Beatus vir, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. quis est hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* & quod aiebat Plinius è doctorum prouerbio, *Lydius lapis facit de auro, quod aurum facit de homine*, in his ostendit, res omnes humanas ac terrenas despici omninò, & nihili prorsus fieri. Iā verò in reliquis nostris principibus plerumque, aut nihil posse, aut minimum pręceteris amorem diuitiarum, ita vt non longè absint ab hac paupertatis beatitudine, quam Christus decantat, illud manifestissimè ostendit, quod signo de pietate, de intestinis hęreticorum & hostium cædibus, & infelici hæreticorum & hęreticarum familiarum exitu persecuti sumus, nimirum ob cupiditatem regnandi, à suorum cædibus, quicumque sunt alieni à nobis, haud temperare, sed omnia ferro ac cædibus violare, idemq; signo de amicitia complexi sumus. Nostros autem, comparatione illorum diligentissimè à nobis hinc inde collata, fuisse abstinentissimos patefecimus; vt appareat nimirum, nostros opū spectris inanibus non ita, vt alienos à nobis, agitari, atque in præceps miserrimè dari. Eodem spectat, quidquid signis de liberalitate, magnificētia, & animi magnitudine recensuimus. Hæ namq; virtutes maximè faciunt ad opū despicientiam, & fluxarum rerum contemptum, qui proximè accedit ad hanc, de qua nunc agimus, virtutem. Illud autem Christianis est omnibus commune, vt neque possint ob quasuis opes vel minimum legis præceptum violare: quòd siquid habent alieni, haud possunt à sacerdotib. quibus sua singillatim peccata, quę recordantur, obligati sunt confiteri quotannis, absolui, nisi quamprimum possint restituant. Bella nobis idcirco illicita, nisi ad iniurias repel-

III.

IV.

V.
VI.
VII.

lendas

lendas, aut ablata, nisi iure reddantur, recipienda. Priscis omnia bella, modò indicerentur auctoritate publica fiebant iusta. Philosophi tamen aduersus Barbaros ea licere concedebant, vt è Politicis Aristotelis habemus. Barbaros intelligebant, qui nullis legibus raptoq; viuebant, quibus nulla erat disciplina humanior, nulla litteratura. Mahometani cuncta ferro decernenda instar bestiarum volunt. Solis Romanis nonnisi ob iniurias illatas, quas resarcire hostes nollent, olim bella inferri haud licebat: quin antequam inferrent, legatos, ac fœciales mittebant. vt mirum non sit, si tantũ Imperij fuit illis diuinitus datum. Sic itaq; Romani maximè omnium ad leges Christianas hac in re accedebant. A Catholicis verò superari oẽs, quantũ pertinet ad institutũ præsens, vt ex alienis nihil velint, hinc certissimò cognosces, ꝙ nemo est, cui sit aliquid patrimonij, qui testamentũ condens non aliquid in pias causas relinquat, ac simul in pauperes distribuendum, siquid forsan alieni haberet: nam si certò sciret aliquis se habere, id illi eidem, cui detractum fuisset, omninò esset restituendum. Quamobrem nobis hæc est proposita lex, vt prius appetenda sit infinities ipsa mors, subeũda acerbissima q̃uis supplicia, quàm quiduis, licet exiguũ, sit alicui auferendum, nisi forsan extrema viuendi necessitas ad hoc compellat. Sed cognoscamus id obseruari maximè à nostris, non modò quia ob regnandi cupiditatẽ non videmus occidi tot à Catholicis, quot ab extraneis, quod signo de pietate, intestinis hostiũ cędibus, & infelici hęreticorũ posteritate est explanatum; sed & ex eo, ꝙ à Catholicis copię militum semper minores educuntur in bella, quàm à ceteris, vt signo de pace est explicatum, id nõ ignauia accidere ostẽdimus signo de prudentia & fortitudine militari. Quid igitur est in causa, vt nostri minus ad prælia procedant, nisi quòd suo plerumq; contenti non appetunt tam vehementer, quod alij faciunt, aliena? quòd huius scilicet virtutis, de qua nunc agimus, sint obseruantiores. cuius etiam fuisse à nostris amantiores eos, qui se religioni consecrarunt, liquet ex ijs, quæ signo de liberalitate ostendimus, vbi palàm fecimus cunctos quidem clericos omniũ minimè appetijsse aliena, in his autem summum Pontificem prę ceteris Principib' ac præsulibus fuisse abstinentiorem, si summa summis comparentur. Alia namque paupertas est, aut esse de-

VIII.

IX.
Qualis virtus paupertatis in Papa.

bet viri abiectissimi, & alia viri eminentissimi omnium, qualis Pontifex Romanus, qui vt cũctorum pauperrimus esse debet, si spectes auiditatem alienorum, sic omnium dignitissimus esse debet, si personæ, quam sustinet, merita dignitatemque respicias. Idcirco quo ad se nihil appetet, nihil volet, perferet, vbi opus est, omnium maximam mendicitatem; sed dignitati, sedi, personæque, quam gerit, & eius ministris omnia, quęcumque sunt, meritò vindicabit. Cuncta namque Christo, & eius ministris debentur; illi resurgenti data sunt omnia, quæ sunt in terris, & in cælo. Dum vixit, istter mortales mortalis nihil sibi ipse arrogauit, omnia tamen sibi deberi sæpè est professus, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, inquit in Euangelio Ioannes. Sed impiorum consilio, malis artibus, ac rapacitate fit, vt neque Christo & eius Vicario cuncta, quæcumque debentur, illa tradantur, quin potius data auferantur, & ita contingat, quod Christus futurum prædixit, vt ipsius discipuli non sint, & hac in re supra ipsum, sed loculi ipsius à proditoribus, qualis Iudas, expilentur, & siquid ei largius detur à Magdalena vsque ad quamdam deliciarum speciem, vitio vertatur illi. Sed ne sæpius eadem repetamus, Papam esse omnium in appetendis rebus abstinentissimum docuimus signo de liberalitate; & ibi etiam demonstrauimus eadem de ceteris viris religiosis, ac de principibus simul prophanis. Huius est loci propria tractatio summæ mendicitatis, quam profitentur ijdem religiosi, quibus omnia sunt communia, nihil est proprium, nisi de permissu suorum præsulum concessus ijs tantùm est rerum quarumdam vsus, qui diuitem nullum facere potest, sed continet semper intra paupertatis angustos cancellos. Horum millia sunt innumera tam virorum, quàm fœminarum, toto orbe Catholico, qui vel relictis amplis opibus, vel habendarum spem, facultatemque sibi sponte precidentes, in tenuissimum paupertatis contubernium, sic se receperunt, vt non modò exspoliarint se proprietate, vt vocant, omnium rerum, sed imperio sese alieno tota vita subiecerint. Cùm verò sint horum toto orbo Catholico innumera millia, succedunt alij ex instituto sancti Francisci, quorum multitudo similiter immensa, quibus neque proprium est aliquid, neque commune; verùm vilissimi integumenti, & paucorum mobiliũ vsu, qui totus tamen pendeat à præfectorum voluntate & arbitrio, contenti, neque

Cap. 13. | X. | XI.

neque habent, quo se recipiant, suum. Hi Capuccini à nostris, Discalceati, ac Minores obseruantes appellantur. Quorum vt altissimam virtutem demirêre, rogo vt vnus aliquis è tota antiquitate, licèt ab orbis exordio ad nostra tempora singulas ætates percurras, mihi producatur ex alienis, qui possit vmbram consequi istorum. Vide quæso quid dicam singulis ætatibus sunt horum nobis multa millia; proferatur vnus contrà è mortalibus cunctis, qui toto orbe fuerunt à mundi constitutione, qui sponte tantam paupertatem sit amplexatus, qui se illi cælestis voti vinculo obligarit. Neque Democritus, neque Diogenes, neque Epictetus huc peruenerunt. Multa namque isti habuerunt, de quibus pro libito poterant statuere; at hi nihil prorsus. Illi nullo se voto adstrinxerunt; hi verò arctissimo. Quid porrò dicemus de Ioanne Syndonita, Petro Telonario, Paulino Episcopo Nolano, viroq; doctissimo, ac sanctissimo? qui omnes se vendiderunt, seruituti se addixerunt, vt pretio succurrerent egentibus, benè alijs esset, sibi malè, si quidem malè illis aliquid esse poterat? Tantæ paupertatis laus neque in cogitationem philosophorum vel hæreticorum cadit. Verè igitur ad nos pertinet illud, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

XII.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

DE SIGNIS ECCLESIAE DEI, THOMAE BOZII EVGVBINI LIB. XII.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Impuritas Hæreticorum.

Flagitiosa vita, & impura eorum, qui vel hæresum fuerunt auctores, vel inter eos principem locum tenuerunt, manifestum facit inter eos non esse Ecclesiam Christi, sed inter nos, quibus illi aduersantur.

Cap. I.

VERITAS, ac virtus illa quidem dignoscitur ex admirabili specie, quam præsefert cunctis visendam, & suspiciendam; & idcirco, quæ sit Ecclesia Christi colligi potest, & è pulcherrima ipsius forma cunctis virtutibus ornata: sed quando fieri solet, vt hominibus imperitis illudatur interdum, fucusque fiat, vel quòd in Ecclesia Christi sint etiam qui mali sunt, & ad eos dumtaxat oculi conuertantur, à quibus veluti quibusdam nubibus obiectis splendor lucidissimi Solis obscuretur; vel quòd qui peruersa sunt mente, nolint aduertere ad flagitiosissima facinora, quæ præstāt inter hæreticorū factiones; idcirco Ecclesia Dei non modò dignoscitur ex sui ipsius pulchritudine, sed ex deformitate etiam hæreticarum factionum, veluti aurum verum distinguitur à falso, vbi Lydio lapidi vtrumque fuerit adfricatum. Enimuerò sic inter hæreticos impuritas & nequitia plerumque peruenit ad summū, vt audeant illi per impudentiam summam pro virtutibus vitia venditare; quod à Protestantibus fieri palàm videmus, quibus ob id est cōmune, vt decernāt, vnam fidem satis esse ad æternam felici-

felicitatem, nihil opus esse virtutibus ac benefactis. Hinc summa inter eos, veluti & inter hęreticos alios, impuritas, scelera summa. Audi Paulum sic dicentem: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. nam fœminæ eorũ immutauerũt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam: similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes: & sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, fornitatione, auaritia, nequitia.* Hæc Paulus de ijs, qui commutauerunt, inquit, veritatem in mendacium, & ideo repleti sunt omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia. Qua in re est obseruandum discrimen inter incontinentes, & intemperatos. Hi tamquam repleti, vt Paulus ait, omni iniquitate, nullo modo abstinentà flagitijs; illi resipiscunt interdum, & inuiti quodammodo ad ea labuntur, sed protinus lapsi referunt pedem. Catholici, vbi cadunt, similes sunt incontinentibus, admoniti redeunt ad mentem. Hæretici nullũ dant consilijs & monitis locũ; quin scelera sua obstinatissimè defendunt; idcirco quotidie in pei' ruũt, & in omni facinorũ cęno volutãtur.

Antiquorum hæreticorũ impuritas.

Videamus ad id ita sit; & ostendamus huiusmodi fuisse hæresumque & hæreticorum principes. Initium faciamus ab auctoribus hæresum. De quibus sic Hieronymus ad Ctesiphontem; *Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœminarum. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos prępararet. Apelles Philomenem habuit suarum comitem doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, vt Orbem deciperet, sororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, vt infelices quosq; fœtentibus pollueret aquis, Lucitiæ opibus adiutus est. in Hispania Agape mulier virum cæcum cæca duxit in foueã, successoremq; sui Priscillianũ habuit Zoroastris Magi studiosissimum, & ex Magno Episcopum; cui iuncta Galla non gente, sed nomi-*

ne Germana huc illuc discurrentem alterius vicinæ hæreseos reliquit hæredem. rursus idem in Oseæ caput septimum; *Rarò hæreticus diligit castitatem, & quicumque amare pudicitiam se simulant, vt Manichæus, & Marcion, & Arius, & Tatianus, & instauratores veteris hæreseos venenato ore mella promittunt. Ceterùm iuxta Apostolum, quæ secretò agunt turpe est & dicere.* Hucusque Hieronymus de priscis hæreticis. Nunc audi Eusebium: *Simonis discipulus fuit Menander. Hūc secuti sunt magistrum Saturninus Antiochenus, Basilides Alexandrinus, Basilidem accepit successor Carpocrates, à quo Gnostici, & mox, isti magicas Simonis præstigias non ex occulto quidem, vt ille, sed iam in apertum iure proferendas censuerunt, & non modò philtris amatorijs curiose ab illis elaboratis, & quibusdam dæmonibus, qui eorum animis nefaria iniecêre somnia, quique illis adsessores exstitêre, verùm etiam alijs non disparibus ineptijs se iam tamquam rebus maximi ferè momenti & ponderis nobilitarunt. Porrò autem eos, qui ad perfectionem mysterij, immo verò sceleris. quod apud ipsos est, peruenire vellent, omnia, quæ sunt turpißima, eorum tamen inuentis, quæ modò docuimus, apposité congruentia moliri oportere docuerunt.* & alibi, *Quæ autem apud huius sectæ æmulos hisce secretiora, magisque arcana putantur, & quibus quæque primum, vt auribus acceperit, penitus attonitum reddi; vel potius, vt verbo quodam vtar, quod est apud illos scriptis proditum, oraculiq; loco vsurpatum* θαμβωθήσεσθαι, *id est, admiratione quadam obstupescere aiunt: & huiusmodi planè sunt, & tam plena reuera stuporis, amentiæ, & insaniæ, vt videantur non modò non honestè posse scriptis tradi, sed ne ore quidem propter insignem turpitudinem & obscœnitatem à viris modestis aliquando sine scelere efferri* Hæc Eusebius de hæreticis antiquis, de quibus sic & Irenæus; *Igitur horum mystici sacerdotes libidinosè quidem viuunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest vnusquisque ipsorum; exorcismis, & incantationibus vtuntur. Amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcumque sunt alia parerga apud eos studiose exercentur.* & alibi: *Mulierculas multas corruperunt, perfectos semetipsos vocantes, quasi nemo poßit exæquari magnitudini agnitionis ipsorū, nec sic Paulum, aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apostolorum* (tales hodie profectò Protestantes) *sed plus omnibus se cognouisse, & magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse.* Hæc Irenæus, quæ & Theodoretus testificatur.

Lib. 1. ca. 20.

Lib. 1. cap. 11.

Manichæorum.

Audi nunc, quid de Manichæis tradat Cedrenus in vita Constantij Heraclij nepotis: *Absque vllo discrimine, & metu, omnis generis libidini & obscœnitati vocant, promiscuè vtrumque sexum*

sexum lasciuia fœdantes. quando nonnulli de eorum corpore tantùm parentibus, & quidem proprijs abstinendum perhibent.

Arianorũ. Theod. l. 1. c. 4

Quales fuerint Ariani, constat ex epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, cuius hæc sunt verba: *Seditiones porrò in nos quotidie concitare, graues verè persecutiones, & interdũ lites per mulicularum impurarum sermones, quas ipsi in fraudem impulerunt intendere; nonnunquam religionem Christianam, suas tenellas meretriculas per singulas plateas turpiter circumducendo, grauißimis contumelijs afficere non dubitarunt.* Atque idem de Arianis cognoscere licet è scriptis Athanasij, & Hilarij. Ex his, quæ de antiquis hæreticorum, qui magis orbem Christianum cõturbarunt, factionibus scripta sunt, possumus intelligere quales fuerint alij, quorum mores scriptis non sunt proditi. Arianorum certè quidem secta vsq; ad Gregorij Magni tempora Occidentem tenuit, cùm scilicet anno quingentesimo octuagesimo sexto Ricaredus Hispaniarũ Rex ad nos concessit. Quin Arioaldus Longobardorum Rex, qui decessit anno sexcentesimo trigesimo tertio, valde Catholicis fuit infestus in Italia.

Nicolaitarum antiquorum, & recensum.

Post hæc in Occidente (nam de hæresibus Orientis postea dicemus) exorta est hæresis illa Vitizæ, & Roderici Hispaniarum Regis, qua fas esse asserebant sacerdotibus plures etiam vxores habere in matrimonio, vetueruntque, ne quis appellare ad Pontificem Romanum posset. Hinc Rodericus luxui deditus, cùm stuprum virgini attulisset, fuit in causa vt Iulianus puellæ pater impio consilio Sarracenos in Hispanias immitteret. Temporibus etiam Henrici Tertij Imperatores fuêre, qui dicerent fas esse sacerdotibus mulieres habere in matrimonio. Hæc hæresis dicta Nicolaitarum diutius afflixit Ecclesiam: quàm verò impuri fuerint huius infandæ hæresis sectatores, mox aperietur. Videtur autem durasse hæc vsque ad annum millesimum centesimum sextum, cùm vita migrauit Henricus. In vita Northberti viri sanctissimi est, ipsius ætate in Antuerpia Thachelinum quendam fuisse, qui Episcoporum potestatem contemnebat, sacramenta irridebat, præcipuè Eucharistiam, tria armatorum millia ducebat, innumeros sectatores habebat, filias in conspectu matrum, sponsas ante oculos coniugũ constuprabat, id sanctissimam rẽ dicẽs, credentibus illis, & loco magnæ felicitatis reputantibus ista secum & cum suis agi; aquam qua ille lauisset, religiosissimè adseruabant, & maxima cum reuerentia bibebant;

ipse mirum quanta pompa & ornatu incederet post eius mortem durauit adhuc diu ipsius secta per annum millesimum ducentesimum.

Albigensium.

Albigenses hæretici Gallias multum vexarunt, hi præter alia nuptias damnabant, & promiscuos concubitus laudabant. Fauerunt illis (vt scribunt quidam) Petrus Aragonensium Rex, Comes sancti Eligij, Princeps Fuxi, Raimundus Tholosatum Comes. Exstincti sunt Ludouico regnante, qui sanctis est adscriptus. Iisdem ferè temporibus in Alsatia plurimi conuenientes decreuerunt esum carnium licitum esse in quadragesima, fornicationem negabant esse peccatum, quòd coitus esset naturalis. Sed hi protinus cōpressi nihil intulerunt molestiæ. Post annum millesimum trecentesimum in agro Nouariensi per Margaretam & Dulcinum quemdam cœpit hæresis quædam disseminari, qua asserebatur, quod nonnulli Anabaptistæ hodie renouarunt, nihil habendum proprium, non esse Christianis Respublicas administrandas; mares & fœminæ simul habitantes in omnem libidinem prolabebantur.

Beguardorum, & Beguinarum.

His affines Beguardi, & Beguinæ in Germania, inter alia asserebant hominem sic esse posse in hac vita perfectum, vt neque iustior fieri posset; nullum coitum esse peccatum; licere quidquid natura suggesserit. Refert in historia Hirsaugiensi Trithemius in vrbe Austriæ quadam Lolardo auctore hæresim excitatam, qua asserebatur inter alia Missam, baptismum, & extremam vnctionem nihili esse, in Eucharistia esse Deum fictum, matrimonium esse iuratum meretricium genus; merita & intercessiones Sanctorum irridebant; prætextu caritatis in occultis locis coibant; & alia multa his similia, qualia Protestantes hodie decernebant. In Austria & Bohemia octuaginta & amplius hominum millia erant ex huiusmodi secta, cui sic erant omnes addicti, vt mori mallent, quàm resipiscere: hinc initium quoddam Bohemiæ perfidiæ. Eadem ferè & docebant, & agebant in quibusdam partibus Italiæ, Siciliæ, & Galliæ Narbonensis, qui vocabantur Bisochi, siue Beguinæ, & pauperes Lugdunenses, dictitantes Ecclesiam Romanam meretricem, cunctos post Syluestrum Pontifices impios fuisse: in nocturnis conuentibus post inuocationē sancti Spiritus exstinctis luminibus promiscuè cum his, quæ aderant, mulieribus, coibant. Horum reliquias vsque ad Nicolaum Quintum durasse in Marchia nonnulli scribunt;

Dubra. li. 19.

bunt, cuius iussu multi flammis traditi, reliqui in Græciā profugerunt.

Horum scelera Sigismundo regnante in Bohemia renouarunt Adamitæ, qui prodierunt ex Hussitis, Piccardi, & Thaboritæ à Dubrauio nominati. Denique hoc sæculo nostro ex inferis erupit antesignanus Protestantium Lutherus, qui decreuit, & eius decretum passim Protestantes sequuntur, & amplexantur, licere cuiuis, qui castitatem sollemni voto obligauerit Deo, virgines eidem Deo voti similiter sollemnis vinculo adstrictas, in matrimonio haberi. Idcirco gratissimam se Deo rem facere isti arbitrantur, vbi illas à proposito abduxerint, & spurcissimè constuprarint. Idem sanxit licere rem cum ancillis habere, vbi renuant aliqua ex causa vxores. & quod horret dicere, fas esse vxori cum fratre viri coire clam, si ex marito adhuc viuente prolem suscipere non potest. Hinc ipse coniugem duxit Catharinam quamdam, quæ suam Deo castitatem cōsecrarat: idem fecere ipsius imitati exēplum, Bucerus, Oecolāpadius, Carolostadius, Bernardinus Ochinus, qui adiecit non dissentiente Luthero licere plures eodem tempore vxores habere: & alij innumeri idem factitarunt, & factitant adhuc hodie passim. Ob id plurimæ in Borealibus oris sectæ spurcissimæ, quæ libidinum cunctarum fœdissimo cœno voluntentur, exortæ. Eas enumerare, nimis esset longū, Legat, cui vacabit, historias Surij, & Dubitantium Lindani. Numquid igitur inter hos Christus?

Dubr. li. 26. Adamitarum, Picardorū, Thaboritarū, Hussitarū.

Protestantium.

Impuritas hæreticorum Imperatorum in oriente.

CAP. II.

SED quod maximè illustrabit argumentum propositum, bene erit ostendere cunctos Imperatores, aut Reges, qui fuerunt à nobis alieni, & tamen Christum se profitebantur sequi, fœminis maximè addictos fuisse, quibus impellentibus sint in præceps dati, actique furiosa libidine transuersi. Initium sumamus à Constantio primo Imperatore hæretico, qui licet alioquin castus videretur, tamen (hæc sunt verba Ammiani Marcellini, quibus subscribit Eutropius) vxoribus, ac spadonum gracilentis vocibus, & palatinis quibusdam nimium quantum

Lib. 11.

ad-

addictus, ad singula eius verba plaudentibus, & quid ille aiat, vel neget, vt adsentiri possint, obseruantibus.

Valens, qui secũdo loco fuit hæreticus, verborũ lenocinijs (ait Theodoretus) coniugis suæ delinitus, in seruitutem datus est, & factus non captiuus solùm, sed etiam muliebrium verborum fallacijs obsequens.

Lib. 4. c. 11.

Zeno fuit tertio loco hæreticus. Is nisi (vt ait Euagrius) omne voluptatum genus, quod fortè occurreret, licenter & effusè consectaretur in initio ita libidinum illecebris se totum dedidit, vt à nulla turpitudine & nefario flagitio se continuerit, sed sic in illis volutaretur, vti eadem ista in tenebris & in occulto admittere abiecti & pusilli animi putaret, palàm autem, atq; in oculis omnium regale quidam esse, & solo Imperatore dignum.

Basiliscus quarto fuit (vt Zonaras scribit) moribus Zenone nihilo melior.

De Anastasio V. ex Imperatoribus hæretico nihil obscœni à scriptoribus traditum legi.

Iustinianum constat Theodoræ coniugis Eutychianæ impulsu multa contra Catholicos molitum.

Heraclius VII. ab alijs infamis fuit ob incestas cum fratris filia nuptias, vt Zonaras scribit. De Heracleona, cùm decennis fuerit deiectus ex imperio nihil habemus, quod scriptores tradiderint: neq; similiter aliquid impuri gestũ à Constante Heraclij nepote scimus, neq; de Iustiniano, quo tempore fuit hæreticus.

De Philippico sic Paulus Diaconus: *In actibus suis, & honestate indignè consumans improbabilis demonstrabatur vbiq; : erat autem hæreticus, & adulter.* De Leone Isaurico nihil obscœni inuenio traditum ab antiquis.

De Constantino autem Copronymo sic Landulphus Sagax: *Magicis maleficijs, & luxurijs, cruentisq;, sacrificijs, & caballinis stercoribus, atq; lotio delectatus, molliciebusq;, ac Dæmonum inuocationibus gaudens, atq; omnibus animas corrumpentibus adinuentionibus à tenera ætate conuiuens* De Leone Copronymi filio nihil est impuri à scriptoribus memoriæ commendatum.

Nicephorus à Zonara vocatur omnium vitiorum colluuio, ac sentina. Is inter alia abductam à proprio marito vxorem Theophantem filio Stauratio dedit in matrimonium. Cumq; pulcherrimas ex omnibus prouincijs virgines eligi iussisset, ex his duas in ipsis nuptiarum dieb. mani-

nife-

nifestê, vt omnibus eius libido nota esset, corrupit. De Leone Armenio nihil obscœni scriptum.

Michaël Balbus adeò luxuriæ deditus erat, vt scortationem peccatum nō iudicaret. vxorem duxit hic, mortua prima, Euphrosinam, quæ monacham fuerat professa. Theophilus est habitus continens, quamuis cum puella quadā, quæ vxori inseruiebat, rem habuerit. Atq; hucusq; Imperatores illi regnarunt, quos haud Græci inficiantur hæreticos fuisse.

Post hos accidit vt imperaret Michaël hæretici Theophili, de quo diximus, filius, Catholicus ille quidem, quantum visus est, sed ignauiæ deditus: quo factum est, vt Bardas eius auunculus Cæsar creatus omnia pro libidine administraret. Hic à S. Ignatio, quòd vxorem sine causa dimisisset, & cum sua nuru consuesse diceretur, ædes sacras ingredi est prohibitus. Quocirca iratus falsas ob causas sede Ignatium deiecit, Photiumq; euexit. Sed Basilio Macedone imperante Ignatius restitutus interuētu legatorum Papę Hadriani. Ex eo cœpit Photius scriptis suis Græcos à nobis alienare, quòd Papa fuisset in causa vt Ignatius reciperet dignitatem, ipse exueretur: res tamen haud venit ita in dissidium, vt nos hæreticorum loco apertè Græci haberēt. Tamen quidquid exortum est dissensionis, id habuit originem à libidine Cæsaris Bardæ. Imperante postea Constantino Monomacho, Michaël Patriarcha primus eò prorupit audaciæ, & amentiæ, Imperatore fauēte, vt nos hæreticos diceret, ac decerneret, piorum communione depellens.

Qualis verò fuerit Nonomachus, quantū pertinet ad castitatem, cognoscimus ex eo, quod Zonaras tradit, qui illum delicijs ac voluptatibus deditum fuisse scribit, adijcitque perditè amasse consobrinam vxoris suæ, eiusque consuetudine clam principio, pòst haud dissimulanter vsum, coniuge viuente, ac conniuente. Tanta verò ob id infamia flagrabat, cum res publicas negligentissimè administraret, vt & seditio populi grauissima fuerit aliquando in eum commota, & Oriens totus à Turcis occupatus, ipso amoribus dumtaxat operam dante. Nihilominus Græci resipuêre, quamuis visi sint semper plurimi ex ijs alieno esse in nos animo.

Rursus verò sub annum millesimum centesimum octauum Græci apertè à nobis desciuerūt, & Andronico Com-

neno Imperium per vim sibi arripiente in nostros crudelissimè sæuitum, Qualis verò, quantum pertinet ad pudicitiam, fuerit Andronicus, scimus ex eo, quod Choniata scribit, illum Theodoræ patruelis incesto amori operam dedisse, & eam veluti vxorem circũduxisse, cùm fugeret Imperatoris Manuelis iram hoc & alia ipsius flagitia persequentis. Idem cùm postea inuasisset Imperium, nepotis sui, quẽ de medio sustulerat, sponsam sibi matrimonio iunxit. Denique idem sciptor sic de illo memoriæ prodidit: *Luxu corruptus cùm cœtu scortorum & pellicum in loca deserta & temperata secedere, & ferarum more cõualles, & herbosos saltus consectari solebat, vt gallinarum gallus gallinaceus, aut hircus caprarum ductor, aut vt Bacchus Thiadas, & Mænadas, sic ipse amicas suas antecedebat tantum non hinnuli pelle, & crocoto indutus. Ac certis diebus à paucis aulicis, ijsq; intimis, veluti per transennam videbatur. Tibicinis verò, & meretricibus omnem aditum patefaciebat, easque quouis tempore ad colloquium admittebat, voluptati, vt Sardanapalus, indulgens, qui sepulchro incidit ea se habere, quæ comederit, & pro libidine egerit. Erat Epicureus, & Chrysippeus morbo luxuriæ corruptus, & amore perditus. Herculem quinquaginta Thyestis filiabus stuprandis imitabatur: sed quia tantum illi roboris ad lasciuiam non suppetebat, vt ille Ioleum contra rediuiuam hydram implorabat, sic ipse virilia vnctionibus & delicijs firmabat. Vescebatur item nilotica bestiola crocodilo non absimili, quem scineum vocant, à quo cibo cùm pleriq; abhorreant, tamen tentiginem excitat, & ad rem veneream paratos facit.* Hucusq; Choniata de impuritate Andronici Comneni, cuius culpa factum vt Græcià nobis maximè alienarentur, & in hæresi sua obfirmarentur. Hinc vbi arripuit Imperium, cùm pleriq; Antistitum Græcanicorum profiterentur se nobiscũ sentire, vt suprà ostendimus, & reuera multa intercederẽt necessitudinis, & Christianæ caritatis vincula nobiscum cum illis, nullum genus sæuitiæ exercendæ in nostros Constantinopoli commorantes omisit: idq; nulla de causa: ossa ipsa cadauerũ è sepulchris eruta, & in mare demersa. Atq; hi scilicet hæretici, hæreticorumq; Imperatores.

Huic successit Isaacius Angelus. de quo, quod spectat ad pudicitiam, sic idem scriptor: *Erat in victu sumptuosissimus; & de ferculis distribuebat ijs, qui mensæ adstabant. Mensam omninò Salomoniam, aut Sybariticam habebat, & nouis vt ille vestibus quotidia vtebatur. Nec erat eius conuiuiũ aliud, quàm collis panum, saltus ferarum, piscium mare, vini oceanus: alternis diebus lauacris se refrigebat;*

ciebat; pastillis, & vnguentis omnis generis delibutus instar pauonis superbi se ostentabat, & vt sponsus è thalamo, aut vt Sol ab Oriente, ita ipse è palatio quotidie prodibat gaudebat facetijs, & mollibus cantilenis: morionibus, scurris, histrionibus, parasitis, mimis, cantoribus palatij fores patebant; cum quibus rebus & hominibus vtiq; Bacchi & Veneris intemperantia coniungitur, cæteraq; bonum Imperij statum corrumpere solita. Hæc Choniata de Isaacio Angelo.

Cui successit frater Alexius Angelus, siue Comnenus. De vtrisque verò sic idem: *Angelici nominis fratres cùm alijs rebus imperium perperam administrabant, vt iam diximus: tum pecuniæ cupiditate æstuantes, neque iustis rationibus opes augere volebant; nec ea, quæ coëgerant, conseruabant, sed ambabus manibus dißipabant, non tam superuacuo comitatu, & pretioso corporis ornatu, quàm meretricibus, & cognatis Reip. prorsus inutilib. largiẽdo. Vnde nouis vectigalibus institutis, non modò Romanas vrbes, sed etiã Latini nominis gentes, quantum poterãt, tributis vexabant.* & mox: *Vir mollis & effœminatus res peßima & molestißima est, cui qui parent, quid infortunij, quid extremi periculi non subibunt? id quod ipsis Romanis* (sic iste vocat semper Constantinopolitanos) *accidit, cùm aduerso quodam fato in molles, ignauos, & voluptarios Imperatores incidissent.* Hucusq; Choniata. Post hos paucis diebus imperarunt Alexius vnà cum Isaacio patre, & Murzuflus. De quorum castimonia ob exiguum tempus Imperij, nihil idem scriptor, quamuis alioquin ob perditos mores valde illos vituperet.

De Murzuflo tamen sic idem: *Erat homo à pubertate libidinosus, & salax, & duas iuuenculas vxores per iniuriam repudiarat.*

Post hos imperarunt aliquandiu Latini, quorum primus Balduinus, de quo sic idem Choniata, vt videas discrimen inter Catholicos, & hæreticos, quantum pertinet ad castimoniam. *Vir erat,* inquit, *pius, & modestus, ne impudico quidẽ adspectu mulierem intuitus, quamdiu à sua coniuge abfuerat. Vacabat diuinis laudibus, neceßitatibus conflictantes subleuabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat, & quod maximũ est, bis qualibet hebdomade vesperi proclamari iubebat, ne quis in suo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigisset.* Hæc ille Græcus scriptor infensissimus Latinis, vt in eodem met regno & imperio cognoscamus, quodnam sit discrimen inter Catholicos, & hæreticos Imperatores quo ad castimoniæ puritatem. Exacti sunt Imperio Constantino-

Laus Balduini Imperatoris, & pudicitia.

poli-

politano Latini per Michaëlem Paleologum, qui nobilcum sensit, vt alibi est demonstratum. Non ita filius eius Andronicus, qui vetuit iusta patri suo, quasi hæretico persólui.

Ac sicut nihil habemus, quod scriptum sit obscœni de Michaële Catholico, sic impurum fuisse ipsius filium Andronicum hæreticum, colligimus ex ijs querelis, quas ab vxore habitas de illo veluti homine obscœna sectato narrat Gregoras, qui omnibus modis vitia Andronici sui benefactoris obtegere in suis libris studet, has tamen querelas haud vituperat veluti falsas, sed quòd indignum foret eas ab vxore iactari.

Andronicus ex filio nepos auo Andronico est suffectus; de quo sic idem Gregoras: *Cùm iam adolescentiæ limen ingressus esset, quo tempore voluptatum ardor maximus existere solet, omnis castigationis & modestiæ inimicus fuit, in regia præsertim potestate, & flore adolescentiæ. Ad hæc æquales eius omnium earum cupiditatum, quas effrenes adolescentiæ libidines ferunt, ministros, atq; auctores sese præbuerunt.* Hæc ille, qui deinde nonnulla per impudicitiam gesta ab Andronico speciatim narrat. nobis sit satis vnum retulisse, è quo turpitudo Andronici colligi potest. Deturbauit Imperij potestate Andronicum auum, & protinus Isaiam Patriarcham sui studiosum sede antea per auum Cōstantinopolitana spoliatum restituit. id quo modo publicè sit actum, sic idem recenset: *Isaiam, inquit, in patriarhicum solium restituit, nullis Episcopis, aut presbyteris sequentibus, aut antecedentibus, sed tibicinibus, & tibicinis, saltatoribus, & saltatricibus, cum lætis canticis comitantibus; quarum tibicinarum vna probatissima equo virili habitu conscenso, & prius milites sequebatur, & tum etiam Patriarcham antecedens solitis & meretricijs nugis ipsum Patriarcham & cæteros ad obscœnum risum facilè commouebat.* Hæc ille, vt Imperatoris hæreticis inhonestatem dignoscas.

Post obitum Andronici arripuit contra fas Imperij gubernacula, & multo tempore illa tenuit Cantacuzenus; de quo Chalcocondilas: *Rex*, inquit, *in Macedonia agebat luxuriosiore victu, & intemperatiore dissolutus.* Hæc ille scriptor.

Cantacuzeno deiecto imperauit Ioannes, de quo sic idem: *Ferunt*, ait, *hunc insanientem amore muliebri plurima indecora commisisse, delectatumq;, psalterijs harumq; consuetudine delinitū curam decenter administrandi regni negligenter omisisse.* Hucusque Chalcocondilas, qui narrat ab eodem per scelus abductā

filij

filij sui sponsam, quòd pulchra esset, quam sibi connubio iunxit. Atq; hæc sanè de Ioanne, post quem regnauit Manuel, de quo nihil, quod impurū, sit tradidêre scriptores.

At in Ioanne ipsius filio secus. Nam præter ius vxorem legitimam repudiauit, & cùm bella hostilia vrgerent, in Peloponneso moras trahēs amori importuno mulieris, q̄ amabat, operam dabat, inquit Chalcocondylas. Hic postea ad nos concessit, & actis concilij Florentini subscripsit, hæresim suam detestatus, quod tamen Gręci habere ratum noluerunt. Post hunc paucis annis imperauit Constantinus; captaq; à Turcis Constantinopolis, & Imperium Græcorum prorsus euersum. Ex his apparet quales fuerint Imperatores hæretici, qui Orientem tenuerunt, immundissimi scilicet, & omni libidinum labe polluti.

Impuritas hæreticorum Imperatorum, aut Regum in Occidente.

CAP. III.

Videamus de Imperatoribus Occidentis, qui oppūgnarunt Ecclesiam Catholicam: nemo namq; apertè forsan ex istis hæreticus fuit. In his primus se offert Henricus III; qui aduersus Gregorium Septimum successoresq; illius acerrima bella gessit. Hic qualis fuerit, audi Dodechinum scriptorem Germanum: *Henricus Abbatiam Fuldensem pro adulterio, Monasteriensem Episcopatum* (quod dicere & audire nefas est) *pro Sodomitica immunditia vendidit; quæ si impudenter negare voluerit, teste cælo, teste terra, omnes etiā à furno redeuntes scioli concludent.* Hæc Dodechinus reijcit in annum millesimum nonagesimum. Deinde anno millesimo nonagesimo tertio adijcit: *Conradus filius Henrici Imperatoris patri suo hac de causa rebellauit. Henricus Rex Adelheidam Reginam, quam duxerat vxorem, odio cœpit habere; ideo incarcerauit eam, & concessit vt plerique ei vim inferrent; immò filium hortabatur, vt eam subagitaret. Quo recusante patriū polluere stratum; eum adhortando Rex, non suum, sed peregrini filium esse affirmauit cuiusdam Principis de Sueuia; cuius etiam faciem prædictus Conradus plurimum aßimilauit. Regina autem post plurima & inaudita malorum genera sibi innocenter illata, de custodia, qua tenebatur, quoquomodo Dei miseratione liberata ad potentißimam tunc tem-*

poris fœminam Mathildam nomine fugiendo peruenit: quæ susceptam Reginam ad venerabilem virum perduxit Vrbanum Apostolicæ sedis Antistitem. cuius prouoluta pedibus, profusis lachrymis, atque intimis singultibus, omnem suæ, quam pertulerat, calamitatis intimauit miseriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miseratione compassus, facta concione Catholicorum, denuò Henricum Regem excommunicauit pro illicitis, ac nefandis, omnibusque seculis inauditis rebus in legitima vxore perpetratis. Hæc Dodechinus. Lambertus Schafnaburgensis vixit iisdem temporibus, quibus hic Henricus, ac refert verba Saxonicæ legationis, quibus, qualis esset hic Imperator, describitur: *Vt relicta, inquit, interdum Saxonia, in qua iam à puero residens otio atque ignauia pene emarcuisset, etiam alias regni sui partes inuiseret, vt vilißimos homines, quorum consilio seque remque publicam præcipitem dedisset, de palatio eijceret, & regni negotia regni principibus, quibus ea cōpeterent curanda, administranda permitteret. Vt abdicato grege concubinarum, quibus contra scita canonum attrito frontis rubore incubabat, Reginam, quam sibi secundum Ecclesiasticas traditiones thori sociam regnique consortem delegisset, coniugali loco haberet, ac deligeret, vt cætera flagitiorum probra, quibus dignitatem regiam adolescens infamauerat, nunc saltem maturato sensu & ætate abdicaret.* Atque hæc satis de Henrico Tertio. De Quarto, qui tamen resipuit, & Ecclesiam Catholicam postea est amplexatus, quamuis aliquando oppugnarit, nihil habeo quod dicam. Helmoldus tradit eius acta ab Eggeardo memoriæ prodita, sed adijcit, & ait de scriptore huiusmodi, Bona Henrici amplissima laude extulit, at malefacta aut omnino tacuit, aut in melius interpretatus est.

Post Henricum Quartum Fridericus Primus visus est iniurius in Ecclesiam Catholicam. Sed reuera hic errore ductus fauebat vni ex ijs, qui Pontifices reputabantur, vt Radeuicus latè describit. Vbi se deceptum cognouit, rediit ad mentem. nihilominus incontinentiæ nota non caruit omninò. sic enim de illo Dodechinus anno millesimo centesimo quinquagesimo sexto: *Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam vxorem duxit repudiata priore legitima vxore apud Constantiam; vnde in Ecclesia grauißimum exortum est schisma.* Ita scriptor ille.

Post hos fuit acerrimus Ecclesiæ Catholicæ hostis Fridericus Secundus, de quo sic inter alia Ioannes Villa-

laneus scriptor diligens, & verax: *Hostis, ait, humani generis deprehendit Fridericum vitio libidinis valde irretitum. quocirca ipsius impulsu vitiauit sobrinam Imperatricis, ac Reginæ virginem, quæ erat inter puellas domesticas. & Augusta malè habita, ac deserta conquesta est cum patre suo Rege Ioanne de iniurijs à Friderico viro sibi factis, ac nepti suæ. Ob id Ioannes Rex indignatus cum Imperatore expostulauit, eique est minatus. Imperator vxorem verberauit, in carcerem detrusit, cum ipsa amplius habere noluit rem, & vt rumor fuit, morte affecit.* Hactenus Villaneus. At Crantzius Germanus sic de Friderico in vrbe Victoria à se condita sedes habente: *Contraxit*, inquit, *Fridericus eò habitas prius, & tunc primum captas speciosissimas mulieres, quibus à spadonum grege custoditis viridaria, vineas, hortos, & consitiones cum villis apud Victoriam vrbem lautissimè procurabat.* Hæc Crantzius. Sed & Cuspinianus homo Pontificibus summis infensissimus, & qui multa apertissima mendacia aduersus eos comminisci contra historiæ fidem non erubescat, sic de Friderico Secundo scriptum reliquit: *Has*, inquit, *præclaras virtutes contaminarunt, atq; obscurarunt etiam quædam vitia, sæuitia scilicet hominis, & libido immensa, qua præter gentis morem concubinas multas & scorta aluit.* Ita Cuspinianus.

Post Fridericum Secundum Ludouicus Bauarus Ecclesiam Catholicam persequi est visus: atq; hic, vt Crantzius testatur, ab amantissima sui domina, vt creditur, venenata potione est necatus, atq; ita effrenis ei libido nō modò puritatē, sed vitam simul abstulit. Post hos nulli in Occidente Imperatores Ecclesiam Catholicam vexarunt. Hos verò potius, vt vocant, schismaticos, quàm hæreticos voluimus recensere, vt appareat quàm sit affinis libido & turpitudo mendacibus sectis, & à vera Dei Ecclesia sese abiungentibus. Quamuis enim crimen incontinentiæ interdum regnet inter Catholicos principes, hæretici tamen multis partibus superant proculdubio, quicumque è nostris vitijs huiusmodi sunt aliquando irretiti, à quibus tamen expediuerunt sese ad meliorem frugem redeuntes, vt liquidò constet hæreticorum impudicitiam nullo temporis termino, nisi mortis, ac nullius legis ciuilis, aut etiam naturalis repagulo concludi. Nunc quando quales fuerint hæreticorum summi principes aperuerimus abundè, quales etiam fuerint plerumq; hereticorum sectæ, ac sint etiā,

quæ conturbant hodie Christianam Rempublicam; inspiciamus quales sint hæreticæ nationes, quæ ante multum tempus à nobis se abalienarunt. Huiusmodi sunt quidam Græci in primis, & quicumque opiniones eorum populi sunt secuti. Et quãuis alicui forsan satis esse videretur ad spurcitiem istorum designandam, ex ipsorum scriptoribus aperuisse qui forent Imperatores eorum, vt qui essent subiecti intelligamus, cùm verum sit illud, Quales sunt principes, tales in Republica reliquos solere esse ciues; tamen vniuersales, ac publicos, receptosque ipsorum mores consideremus. A Græcis multa contra Christianæ castitatis leges vsurpantur, è quibus impuritas nationis apparet. In his vnum sit satis recitasse. Cuilibet ex quacumque causa licet, approbantibus id Episcopis, vxorem dimittere. Id verò est libidinibus cunctis ansam maximam dare.

Henricus Octauus Angliæ Rex illicito amore Annæ Boleniæ exardescẽs cõtra fas omne Catharinam repudiauit, quæ legitima vxor illi erat. Is qui de origine schismatis Anglicani scripsit, Annam tradit Henrico filiam fuisse ex illicito coitu susceptam. Vide quanta impij Regis intemperantia; vt habere vxorem non sit satis homini incõtinenti ad edomandam petulantiam. Deprehensam deinde Annam in adulterio Henricus Rex capite plecti iussit, tertiamque vxorem duxit Ioannam, quæ in puerperio decessit. cũ quarta Ducis Cliuensis sorore diuortiũ fecit. Quintã adulterij reã mandauit obtruncari. En castitas hæreticorũ principum. En vt libido data licentia nullo modo constringatur, sed augeatur magis, & latissimè per omnes campos excurrat. Inter Græcos laxis habenis intemperantia passim vagatur, plurimiq; ex ipsis exsultant, vbi filium specie liberaliori nanciscuntur, quem tradere possint Mahometanis, ac Turcis, vt illo abutantur ad obscœnos libidinis vsus, gradumque sibi ex hoc faciant ad magistratus & opes. Nam qui vocantur à Turcis Bassæ, plerumq; sunt ex huiusmodi pueris, qui vel spadones sunt, vel à spadonibus aluntur, & ad impurissimas Turcici Regis delicias conseruantur. Videamus quid hac in re nationes aliæ Græcanicis opinionibus addictæ sequantur. Gregorius Interianus mores Zigorum describit, quippe qui versatus sit inter illos: ij vocantur vulgò Circassi: apud eos in more positum refert, vt frater occidat sæpiùs fratrem, & sequenti nocte cum ipsius vxore

Nationũ, quæ hæreses quorũdam sequũtur impuritas.

xore concumbat, coniugemque sibi adiungat, nam plures habere illis est permissum. Atq; hæc nobilium Zigorũ consuetudo. quales sint plebei, ex hoc vno, quod de nobilibus recitauimus colligere possumus. Magna scilicet inter istos castitas, & caritas in fratres. Moscorum latissima sunt regna; ex hæresi sunt Græcanica. Apud eos fœminę quidẽ nobiles in primis pudicitiam colunt, cæteræ omnes nihili ducunt, & corpus venale habent. tantaq; inter eos est alioquin impuritas, vt quàm nos fornicationem simplicem vocamus, & maximum crimen, vt est, reputamus, illi neq; vllum peccatum ducãt, quod apparet è Moscouia optimi ac doctissimi viri Antonij Posseuini è Societate Iesu, qui nomine Gregorij XIII. Legatus diu fuit apud eos, & è cõmentario Pauli Iouij de rebus Moscouiticis. Atq; hæc de moribus eorum, qui hæresim Græcorum quorũdam sequũtur.

Dictum verò est abundè à nobis suprà, quales sint, qui Protestantium mendacijs adhærent, vt virgines Deo deuotas à sacro proposito abstractas ad matrimonia cõpellant, vt fas esse decernant cum ancillis concumbere, vbi non sit copia vxoris; quin addant vxori eidem licere fallere maritum, & ex ipsius fratre prolem suscipere. Hæc communia cunctis Protestantibus decreta anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. VVigandus emisit libellum de bonis ac malis Germaniæ. Is est Lutheri studiosissimus, & inter alia tradit octauum malum politicum esse in Germania exortum luxuriam, quæ omnes verecundiæ fines perruperit, atq; excesserit. Hinc, vt diximus, hæreses spurcissimæ exortæ, de quibus Surius in historijs suis, & Lindanus in Dubitantio. Quòd si exemplũ petas alicuius Regis, qui alicui sectæ Protestantium fauerit, Henrici VIII. factum sit instar omnium nobis, qui legitimas vxores absq; legitima causa repudiauit, & cum filia ex illicito coitu nata incestas nuptias contraxit. Exemplo sit Elisabetha Anglię Regina, quæ nullum vmquam sibi virum voluit adiungere, quò liberius scortari cum quolibet per summam licentiam posset; nonnullosq; è suis amasios vario prętextu, vt patrata à se facinora tegeret, occidi iussit.

Nonnulla verò obseruanda in his quæ diximus, ac primum sit illud. Quoties Imperatores Occidentis in opiniones peruersas, & à Catholica veritate aliquo modo alienas inciderunt, quales videntur fuisse Henricus III. Fridericus II. ac Ludouicus, Bauarus, quos tamen potius schismaticos

nominatim, quamuis hæreticorum fautores, tum Pontifices Romani haud tulerunt impietatem illorum, sed quantum fuit in ipsis omnes dignitate priuarunt. Quin vbi Græci ex aliqua parte melius nobiscum sentiebant, iidem Pontifices Romani sic aduersati sunt Imperatoribus Orientis, vt necui noceret à subiectis hæretici imperium, ab obedientia illorum populos auocarint. Hinc Gregorius II. Italiç bonam partem subduxit Imperio Leonis Iconomachi anno septingentesimo ducentesimo septimo.

Secundum nobis dignum notatione videtur. A principio heretici non in apertam, pudendamq; (siqua tamẽ est, cuius homines non pudeat) libidinem prorumpunt, sed paulatim prolabuntur, & ad extremum præcipites dantur. ob id omnium pessimi quicumque Imperatores in aliqua secta vel aliorum postremi fuerunt, vel atrociores in Catholicos. Tales fuêre Zenõ, Anastasius, Copronymus, Monomachus, & omnium perditissimus Andronicus Comnenus.

Terium sit illud. quemadmodũ non ita impudicus, qui interdum labitur, & ad extremum saltem resipiscit, quales aliquando è Catholicis principibus nonnulli, sic impudicissimi omnium, qui vel totam vitam ducunt in libidine aliqua vel varia & omnis generis, vel, quod est supremi flagitij, id licere decernunt: ac tales Græci, Protestantes, & in vniuersum cuncti hæretici. Nam Græci quidem statuũt fas esse maritis vxores quas habent legitimas, quauis de causa repudiare, deniq; Moscouitæ volunt fornicari haud esse peccatum. at Protestantes omnium prorsus impurissimi libidini vacare necessarium ducunt, veluti (inquit Lutherus) excreare, tussire, & alia id genus: deniq; laudabile reputant virgines Deo dicatas à proposito auellere, & in matrimonio habere. Igitur omnium pessimi, qui sunt huiusmodi, existimari debent: vt appareat quanta sit intemperantia hæreticorum, neq; inter ipsos esse Ecclesiam Dei. Sed videamus cæteris etiam flagitijs hæreticos esse coopertos.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM SECVNDVM,

Vitiositas alienorum.

Im-

Imperatores hæreticos non modò impuros, sed flagitijs omnibus fuisse coopertos multis aperitur. tum de Imperatoribus à Christo alienis.

CAP. IIII.

CVM verè dictum sit, quales in Repub. principes, tales etiam reliquos solere esse ciues; & fieri non possit vllo modo, vt cuiuslibet hæretici vita in aperto proponatur; satis esse nobis est visum, si hæreticorum Imperatorum quales fuerint mores ostendamus: idq; non vnius, aut alterius, sed omninò singulorum: alioquin vnus Iudas toti vniuersitati Apostolorum sceleris admissi notam nullo modo potuit inurere. At inter hæreticos videas plerosq; omnes Imperatores facinorosos; Catholicos non ita; quin si qui tales ex ijs fuerunt, necesse habuerunt resipiscere, vel gradu sunt deiecti, vt ostendemus.

Primus, quod diximus, ex Imperatoribus Constantius fuit hæreticus: de illo sic Ammianus: Cùm esset in negotijs alijs principib. medijs comparandus, si affectatæ dominationis ansam quandã reperisset, hanc sine fine scrutãdo, fasq; eodem loco ducens, ac nefas, Caligulę, & Domitiani, & Commodi immanitatem facilè superabat; quorum æmulatus sæuitiam inter imperandi exordia cunctos sanguine & genere contingentes stirpitus interemit. & rursus: Augebat etiam amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta plus odiorum ei, quàm pecuniæ conferentium. Hocq; multis intolerantius videbatur, quòd nec causam aliquãdo audiuit, nec prouinciarum indemnitati prospexit, quum multiplicatis tributis ac vectigalibus vexarẽtur. Atq; hucusq; de Constantio.

De Valente sic idẽ: Carnifex, & vnci, & cruentę quæstiones sine discrimine vllo ætatum & dignitatũ per fortunas omnes & ordines grassabantur, ac pacis obtentu vitium detestandum agitabatur, infaustam victoriam execrantibus vniuersis internecino quouis bello grauiorẽ. & mox: Nam vt quisq; ea tempestate ob quamlibet valuerat causam regiæ propè accedens, & aliena rapiendi auiditate exustus, licèt apertè insontem arcescens, vt familiaris suscipiebatur, & fidus ditandis casibus alienis. Imperator enim promptior ad nocendũ, criminantibus parens, & funereas delatio

nes adsciscens per suppliciorum diuersitates effrenatius exsultauit. & deinde. Exin cùm superata luctibus ferocia deflagrasset; proscriptiones, & exsilia, & quæ minora quibusdam videntur, quamquã sint aspera, viri pertulêre summates; & vt ditaretur alius genere nobilis, & fortè meritis locupletior, actus patrimonio præceps, trusúsq; in exsilium consumebatur angore, aut stipe precaria victitabat. nec non modus vllus exitialibus malis impositus, quamdiu Principem, & proximos opum satietas cœpit, & cædis. Hucusq; Ammianus de Valente secundo ex hæreticis Imperatore.

Sequitur tertius Zenon, quem tyrannidem exercuisse, ac multos pro beneuolentia, quam versus illum præstiterant, trucidatos Euagrius scribit. Hinc Zonaras ait: Imperiũ certè quidem Zeno, nòn vt Rex, sed planè vt Tyrannus administrauit. fratrem habuit Cononem ipso flagitiosiorẽ, hominem sanguinarium, cui mactationes hominum voluptati erant. Hæc Zonaras, qui multos recenset optimos viros per summum scelus à Zenone interfectos.

Lib. 3. c. 27.

Quartus est post hos Basilicus, quẽ Zenone nihilo melioribus moribus fuisse Zonaras idem tradit.

Quintus est Anastasius, cuius vitia cunctis modis occultare conatur Euagrius: de eo sic reliquit scriptum Suidas: Anastasius in Imperio Romano Aristocratiam instituit, magistratus & honores vendidit, iniustis hominib. pepercit, & ad insatiabilem pecuniæ cupiditatem conuersus prouincias expilauit. Ad insòlentem nouumq; morem, quem induxit, viri boni sunt consternati. Barbaros namq; Imperio imminentes non armis propulit, sed pacem auro mercari solitus est: Defunctorum bona curiose inquisiuit, & publicam passim omnibus conciliauit inopiam.

Sextus est Iustinianus, qui à principio maximè Catholicus fuit, post decennium fautor hæreticorum, & ad extremũ hæreticus. De quo sic Euagrius: In Iustiniano tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis, atq; adeò absurda rerum alienarum appetitio, vt omnia subiectorũ bona his, qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures, immò innumerabiles, qui multa bona possidebant, causa falsa, commentitiaq; conficta omnibus fortunis multauit. Quòd si qua meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciẽs

Lib. 4. c. 29.

con-

consuetudinem se vllam cum eo vel coniunctionem habuisse simularet, statim omnia iura, ac leges, modò Iustinianum turpis lucri socium constituisset, eius causa euersæ iacuerunt, facultatesque omnes illius, qui falsò in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translatæ. Rursus idē de factionibus aurigarum Prasina, & Veneta: Placuit Iustiniano ita vehementer in alteram factionem eorum, qui Prasini dicuntur, animo propendere, vt impunè possent meridie in media ciuitate aduersarios trucidare, & non modò non pænas metuerent, verùm etiam dignarentur honoribus, adeò, vt inde multi homicidæ existerent. Licebat autem illis in ædes alienas irrumpere, thesauros diripere in illis reconditos, hominibus suam ipsorum salutem ac vitam diuendere; & si quis magistratus illos cohibere moliretur, suo ipsius capiti creauit periculum. & mox: Inde factum est, vt qui alterius erant factionis, cùm à domicilijs suis fugissent, & à nemine vsquam exciperentur hospitio, sed velut scelera vbique exagitarentur, tendere insidias viatoribus, spoliare, cædes facere cœperint. Ita vt omnia loca nece improuisa, direptione, & reliquis id genus maleficijs redundarent. Interdum animo in contrariam sententiam mutato, eius generis homines interfecit; legumque permisit potestati etiam eos, quos ante passus fuerat more barbarorum in ciuitatibus impia scelera conficere. sed ad ista singillatim persequenda mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicendi. Atque ea, quæ diximus, satis esse possunt ad coniecturam de reliquis eius facinoribus faciendam. Hæc Euagrius de Iustiniano.

Lib. 4. ca. 31.

Heraclius est Septimus ex hæreticis Imperator, qui diu Catholicus fuit, deinde Monothelita. sæuitia illius in eo maximè apparuit, quòd cùm defunctæ vxoris Eudoxiæ funus duceretur, fortè puella quædam barbara prospectans, sputum imprudens in feretrum deiecit: ob id comprehensa, & cremata Imperatrici defunctæ infeliciter est litata. Idem cùm didicisset magnam Romanæ Reipublicæ ruinam à circumcisis imminere, Iudæos omnes quicumque Romano subessent Imperio, immerentes alioquin, & insontes, pessimo crudelitatis exemplo trucidari iussit.

Post hos octauo loco est Constans, qui tanta immanitate fuit, vt non modò multos Catholicos sanctimonia præstantes necarit, sed fratrem suum Theodosium è medio sustulerit.

Nonus est Iustinianus Secundus, qui quomodo administrauit Imperium, sic Zonaras: Fuit apud Iustinianum, inquit, eunuchus quidam gratiosissimus, qui & sacellarius est designatus, nomine Stephanus, genere barbarus, crudelitate & immanitate plusquam barbarus, grauis omnibus non tantùm in rebus gerendis, sed in pœnis etiam infligendis; neque is plebeios dumtaxat, sed potentissimos etiam inuasit; adeò vt & Imperatoris matrem verberarit. Idem Imperator monachum quoque Theodosium pridem inclusum Generalem designauit, qui nec ipse improbitate eunucho Stephano cedebat. Cùm autem ab his Respublica multis malis afficeretur, Imperator omnium odia suscepit. Hactenus de Iustiniano, qui postea rediijt ad mentem.

Decimus est Philippicus Bardanes, qui supra duos annos regnauit, & visus est, inquit Suidas, inhonestè, & supinè Imperium administrare. adijcit Zonaras: Ad res gerendas erat omniũ ineptissimus, & ingenio planè sinistro.

Vndecimus est Leo Isaurus, Constantinus verò Copronymus eius filius duodecimus ex hæreticis Imperator, de quibus ita Landulphus Sagax, qui per ea tempora vixit. Quæcumque sub Leone impio Christianis euenerunt, siue circa orthodoxam fidem, siue super ciuilibus dispositionibus, siue super turpis lucri quæstu, & auaritia, per Siciliam, & Calabriam, & Cretam adinuenta pariter & imposita, siue in Italiæ apostasia propter huius cacodoxiam, siue in fame, & pestilentia, gentiumque pressuris, vt particularia taceam, in præcedentibus ostendentur capitulis. dignum autem est de cetero, & imperij filij eius tãquam à Deo, qui omnia perspicit contemplantè veraciter, & non superfluè ad vtilitatem posteris, & miseris, qui nunc in cacodoxia illius versantur, ludibria exsequi, quę ab hac decima indictione ipsius Imperij primi anni vsq; ad 14. indictionem mortis illius impiè gessit. Hic enim perniciosissimus, & agrestis ferus, tyrannicè, nec legitimè abusus Imperio, primum quidem à Deo, & intemerata matre ipsius, ac omnib⁹ sanctis abscedit magicis maleficijs, & luxurijs, cruentisq; sacrificijs, & caballinis stercoribus, atque lotio delectatus, mollitiebusq; ac dæmonum inuocationib. gaudens, atq; omnibus animas corrumpentibus adinuentionibus à tenera ætate conuiuens. quia verò paternum principatum cum malitia suscepit non modicam in breui tem-

Lib. 21.

pore

pore demonstrat nequitiam, ita vt ab omnibus ob impudentiam confestim odio haberetur. Hæc Landulphus. At Suidas in hunc modum: E leone nata est versuta pardalis, de serpentino semine aspis atrox, & serpens volaticus, è Dane Antichristus. Hic patris imperij, & impietatis successor, & libidinibus, & dæmonum inuocationibus, & alijs improbis studijs deditus, atq; vacans, eximium instrumẽtum, & supra modum oportunum patris sui & præceptoris exstitit diaboli. & mox: Venerem colebat, & humanas hostias immolabat vltra vrbem, vbi Sanctę Mariæ æde destructa, & in carnificinam mutata, Mauram locum illum dixit, in quo sacra illa peragebat, & pueros mactabat. Testimonio est Flauij puer, quem occultè ab eo immolatum Deus patefecit. Hactenus Suidas.

Tertius decimus est Leo Copronymi filius, qui supremis vitæ suæ mensibus hæreticum se professus est Iconomachum, cùm prius Catholicum prorsus egisset, neque qualis futurus esset in reliqua vita potuit cognosci, ob exiguum tempus, quo postea regnauit.

Quartus decimus est Nicephorus Generalis, de quo sic Zonaras: Fuit pecuniæ auidissimus, auaritia inexplebili, summaque perfidia, & vt ita dicam, omnis improbitatis diuersorium; ac ne ad exiguum quidem tempus benignitatem erga subditos simulare potuit; sed statim iniurijs impleuit omnia, ac ne ijs quidem pepercit, quorum opera ad imperium peruenerat. & mox: Cumq; colluuio quędam, & sentina vitiorum esset omnium, alia atque alia ad subditos atterendos comminisci non destitit. quorum plerisque omissis, paucorum mentionem faciam, gustū duntaxat tamquam de pleno dolio lectoribus præbiturus. Hęc Zonaras, qui deinde multa ab isto Nicephoro hæretico patrata facinora recenset. At Landulphus Sagax, cùm plurima istius Nicephori flagitia narrasset, sic tandem conclu dit: Huius principatu Christiani grauiorem nullo tempore sunt consecuti: omnes enim, qui ante se imperauerunt, ambitionibus, & luxurijs, atque barbaricis crudelitatibus superauit; de quibus per singula prosequi, & posteris incredibile, & nobis erit laboriosum.

Decimus quintus est Leo Armenus, quem quamuis hęreticum plurimis de causis Zonaras laudat, sed tamen adijcit de illo: Sæuus erat, & implacabili ira, contra delinquentes ob modica delicta pœnas atroces irrogans.

De Michaële Balbo Amorrhæo sexto decimo ex hæreticis Imperatore, sic idem scriptor: Prophetas irridebat, dæmonas esse pernegabat, scortationem peccatum non iudicabat, iurandum sese Deum vniuersi moderatorem monebat. Iudæ salutem ominabatur. Pascha alieno celebrari tempore affirmabat. Litteraturam quoque est adeò auersatus, vt ne pueros quidem ea permiserit erudiri; ne vel vesaniæ ipsius coarguendę atque refellendę instrumēta alij inde pararent.

Septimus decimus est Theophilus, quē probat in multis Zonaras, quamuis quàm truculento foret animo ostenderit in Theophobi cæde, quem ob inanes suspiciones animam ferè agens occidi virum de Republica optimè meritum iussit, caputque afferri sibi; & manu imposita contractis capillis dixisse fertur; Neque ego Theophilus sum, neque tu Theophobus. quibus dictis; animam exhalauit anno octingentesimo quadragesimo secundo.

Decimus octauus est Constantinus Monomachus, quo imperante est ausus Michaël Patriarcha Occidentales excommunicare anno millesimo quinquagesimo tertio: de hoc sic Zonaras idem: Nulla ratione, prudentiue cōsilio, vel dignitates, vel pecunias est largitus. sed & dignitates promiscuè in indignos contulit; & si fiscum eodem exhauriri die contigisset, nihil referre putauit. & ad finem hic Imperator cùm se benignum & liberalem perhiberi vellet, in eo tamen neque modum, neque artem adhiberet à virtute magnificentię in vitium profusionis est deuolutus. publicam enim pecuniam ita dilargiebatur, vt neque quibus, neque quantum, neque quando esset tribuendum obseruaret. Nam cum Manganorum monasterium ædificaret, quod ob adamatam Selærenam incohasse fertur, vt eam tum in venatione habitantem per speciem structuræ inspiciendæ crebrius viseret, fisco, & publicis thesauris exhaustis, ad pecunię inopiam redactus, neque illicitis quæstibus abstinuit, sed cum prouinciæ quædam essent immunes, quæ pro omnibus vestigalibus locorum angustias tuerentur, & barbaros aditu Romanorum ditionum prohiberent; custodijs abolitis tributa ijs prouincijs imperauit. illud certè quidem, si quis verè consideret, ei acceptum ferri potest, quòd Oriens Marte barbarico est subactus. Hæc Zonaras de Monomacho, qui tamen resipuisse

fertur, quantum pertinet ad alienatam in nos, siue, vt Græci vocant, Latinos, voluntatem.

Andronico deinde Comneno prorsus à nobis desciuêre Græci sub annum millesimum centesimum octuagesimum tertium. Hic autem Comnenus, qui discessionis huiusmodi princeps fuit, qualis esset, sic describit Choniata: Cùm Andronicus à veteribus immolari boues, & nidore placari numina didicisset, eamdem sequi rationem noluit: sed, vt eius facta probabant, immanitate omnibus superiorum temporum immanissimis tyrannis superior, homines sacrificare per scelus instituit, spretis Christianæ religionis legibus, quæ hominem potius conseruandum esse, quàm perdendum, nec totum mundum cum eius animo comparandum docent. Quis insanus Cambyses, aut crudelis Tarquinius, aut Echetus, & Phalaris tyranni crudelissimi talia perpetrarunt? Qui Tauroscythæ, quorum legibus mactantur hospites, quorumque moribus errabundus Andronicus infectus fuit, ita in captiuos sæuierunt? & mox: Is vir, cùm eam veluti lineam in animo suo descripsisset, ad quam crudelitatis suæ amussim exigeret, eam sibi diem periisse putabat, qua non excellentem aliquem virum aut iugulasset, aut excæcasset, aut saltem obiurgasset, aut Titanico vultu terruisset. & post: Quo fiebat, vt ea tempestate homines mæsti & soliciti viuerent, nec securi somnum caperent, sed subitò territi expergiscerentur, Andronicũ in se irruere rati, aut eos cernere quos asper ille implacabilis & inexorabilis trucidarat.

Vigesimus est Isaacius Angelus, de quo sic idem Choniata: Isaacius, vt in dicendo nulla distinctione, ita etiam in agendo adeò nulla moderatione vsus est, vt parum abesset, quin vlciscendis inimicis Andronicum imitaretur. & post, Ea fuit audacia (ne quid dicam grauius) vt sacra vasa prophanaret, & templis auulsa mensis suis adhiberet. & mox, Licere dicebat Imperatoribus omnia; & inter Deum & Regem, quod ad terrenarum rerũ gubernationem attineret, non eam esse repugnantiam, quæ sit inter negationem & affirmationem, contendebat. & deinde; immẽsi sumptus efficiebant, vt in prouinciam mitteret homines corruptos, qui magistratus auctionarentur. quæ causa erat, vt Respublica pessum iret. Nam pecunia per vim & fraudem quæsita, etiam bene partam vnà corrumpit, & absumit.

Vige-

Vigesimus primus est Alexius Angel⁹, de quo sic idem: Imperatoris cognati, omnes auari homines, & crebris Imperatorum mutationibus nihil aliud edocti, nisi furari, rapere publica, tributa depeculari, & cumulare diuitias: si ab aliquibus vt apud Imperatorem gratiosi, adibantur, eos spoliabant; & coactam pecuniam in suam rem conuertebant; quæ tanta erat, vt priuatorum hominum conditionē superaret. Vnde cum alijs in rebus ita peccatū est, vt in nullo alio Imperio, tum Romana Respub. funditus interijt, & magistratus peius quàm prius vænales exstiterunt. Cuiuis licebat præesse prouinciæ, & summum apud Romanos gradum dignitatis consequi. Ita factum, vt non modò triuiales & circumforanei homines, nummularij & institores, sed Scythæ etiam, & Syri excusso veterum dominorum iugo, Augusti crearentur. Harum rerum omnium, vt dictum est, primaria causa fuit Imperatoris facilitas, ne leuitas dicam, & ingenium Imperio ineptum: eò accedebat familiarium eius ingluuies, & quorundam inexplebilis auaritia. Itaq; mulierib⁹, & cognatis eius Resp. ludibrio erat. Ipse verò, quid rerū gereretur, nō magis norat, quàm qui in extrema Thule habitant, & mox: Ob iniquitatem multiplicatam caritas vulgo refrixit, vt integræ ciuitates Græcæ patria cupidè relicta ad Barbaros in colonias abierint. Nam crebræ tyrannides subditis sobriam viuendi rationem extorserunt. & pleriq; Imperatores rapinis assueti, nihil in suos moderati vel cogitarunt, vel fecerunt. & pòst: O celebre Romanorum (sic iste semper vocat Cōstantinopolitano Imperio subiectos) imperium, & omnibus gentibus admiranda, & adoranda maiestas? Quales tyrannos pertulisti? quibus iniurijs exagitata es? quales amatores in te insanierunt? quales homines es amplexa? qualibus te substrauisti, & oscula præbuisti? quales corona, & diademate, & purpureo calceo exornasti? grauiora vtiq; ab illis pertulisti, quàm Penelope à procorum frequentia. & deinde: Quis te à tyrannicis istis amplexibus per vim vindicabit, & ad veterem castimoniam & libertatem reducet?

Alexio huic successit Alexius nepos vnà cum Isaacio patre, qui Imperio fuerat expulsus de quibus sic idem; Alexius pluribus, & grauioribus peccatis magnificum & inclytum Imperij Romani nomen fœdabat, vt qui paucis comitantibus in barbarorum tentoria traijciens, crapulæ, & aleæ vnà cum illis per totos dies indulgeret. Eius verò colluso-

res

res diadema aureum & gemmatum ei detractum suis capitibus, illi verò laneum hirsutum pileum imponebant. neque vero Alexius dumtaxat ob huiusmodi res apud honestiores Latinos, & modestiores Romanos exsecrabilis habebatur, sed pater eius Isaacius nihilominus inuisus erat, cùm rursus absurdarum opinionum intemperijs agitaretur, & diuinationibus, atq; oraculis fœtidioribus, quàm prius, incumberet.

Vigesimus tertius ex hæreticis Imperator fuit Murzuflus, de quo sic idem; Imperio citra controuersiam potitus Ducas mutationes rerum parturiebat, & conturbare omnia in animo habebat homo callidus, & arrogans, qui prudentiam in dissimulatione & cunctatione ponebat, ac beneficia subinde in Meteonis ætatem differebat. Imperauit hic tantùm menses duos, dies sexdecim. post quem Latini diu tenuerunt Imperium Constantinopolitanum, vsq; ad Michaëlem Paleologum, qui nobiscum sensit.

Non ita filius eius Andronicus, quem vigesimum quartum possumus ex hæreticis Imperatorem nominare, qui qualis fuerit in administrando Imperio, sic Gregoras, quamuis eius studiosissimus, enarrat his verbis; Magistratus, & patres familias, & Tribunos plebis, & ædiles, & prętores, & monachorum rectores omnes videas impudentię & petulantiæ seruire, nec ex officio quicquam facere, aut velle, aut posse. Hæc ita se habere ex ijs, quæ iam dicemus, constabit. Nam cùm Turcarum perniciosę irruptiones increbescerent, nec vllis vel domesticis, vel auxiliaribus copijs, aduersante Deo, repellerentur, alia via Imperator id est aggressus, lubrica illa quidē, si verè consideres, & æquitatem spectes, non tamen prorsus imprudenti, tam aduersis & iniquis temporibus. Nam annua subditorum tributa augere statuit, quibus diuisis partim in alios vsus conferret, parte à finitimis hostibus pacem redimeret; quod perinde fuit, ac si quis amicitiam luporum mercatus multas sibi venas incideret, eorumq; ingluuiem suo sanguine saturaret. Vnde publicani & exactores sumpta occasione alij alios anteuertere studuerunt, quisque plura se exacturum pollicens, si id munus sibi mandaretur. Hæc Gregoras ostendens cunctos Græcorum rectores impudentiæ & petulantiæ ob id seruisse, quòd Imperator nimijs tributorum exactionibus seruiret contra æquitatem, hinc neminem officium suum fecisse.

Lib. 8.

Vigesi-

Vigesimus quartus Andronicus Iunior, qui magnę impietatis fuit, auumque suum Andronicum perpetuis seditionibus ac bellis exagitauit cum magna plurimorum cęde, quoad eum deturbaret Imperio, & in luctu miserijsque viuere vsque ad mortem compelleret, vt latè Gregoras describit, qui quamuis vitia vtriusque Andronici obtegere contendat, tamen ad extremum fatetur adeò malè ab istis Imperij gubernacula tractata, vt nemo esset, qui Imperatoriæ disciplinæ instituta teneret, ac posteris difficile esset quid officij foret scire. Hinc Chalcocōdilas ait: Andronicus filius, cùm auus senio confectus esset, ad regiæ dignitatis culmen conscendere gestiens, inimicitias ex aperto cum auo suscepit: cùm autem esset impudentior, & præfactior, quàm vt meliora consulenti pareret, Græcos in grauissima discrimina adduxit. Accersit enim Triballos, Græcorumque optimates in regni curam adhibitos sibi concilians, effecit, vt nemo amplius Græcorum Europæ accessu Turcas prohiberet. Tunc temporis capta est Prusa, quam fame domitam in ditionem redegit Otthomanus. In potestatem venerunt & alia Asiæ oppida, vnde maxima Turcis per vniuersam Asiam accessit potentia; transgressique in Europam, Thraciam grauissimè afflixerunt. Hæc Chalcocondilas. Atque hæc satis mihi videntur de Imperatoribus Constantinopolitanis hæreticis dixisse: nā quomodo se gesserint reliqui, quàm crudeliter, & sceleratè, mox loco suo conuenientius aperietur.

Flagitia hæreticorum Imperatorum, aut Regum in Occidente.

CAP. V.

NVnc quales fuerint Imperatores Occidentis, qui modo aliquo in hæresim declinare sint visi, aut hæreticos fouere, ostendamus. Ex his primus est, vt diximus, Henricus Tertius, de quo sic Saxones apud Lambertum Schafnaburgensem: Nos solos sibi peculiariter elegit, quos secundùm Prophetæ elogium in plaustris ferreis trituret, quorum regionibus post initum semel principatum numquam excederet, quibus post erepta patrimonia libertatem quoque eriperet, & natalibus omnium in-

um infamitatis durissimæ seruitutis iugum inijceret, ad quorum oppressionem singulis montibus colliculisque præsidium imponeret, vt aquas nostras pecunia bibere, & lingua nostra pretio comparare cogeremur; quorum vxores & filias militibus suis publicæ libidinis victimas prostitueret; quorum terram, quod omnium, quæ passi sumus, grauissimum ducimus, in auditis adinuentionibus, nec Christiano ore nominandis incestaret. Hæc Saxones. at Lambertus idem de Henrico hæc scripta reliquit; Coloniensis Episcopus offensus his, quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio, petijt à Rege vacationem deinceps dari sibi ad rerum publicarum administrationem, causatus in senium iam vergentem ætatem, & laboriosis regni negotijs minus minusque in dies sufficientem: quod Rex haud difficulter annuit; quia prauis libidinibus suis, & iuuenilibus ineptijs iamdudum animaduerterat eum grauiter offendi, & plerumque quantum salua regia dignitate poterat pro virili portione obniti. Is ergo vbi se in sua recepit, Rex tamquam seuerissimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frenis præcipitem se dedit. Hæc Lambertus. Cuspinianus autem sic de illo: Henricus adolescentiæ vsus libertate Saxoniam incolere cœpit, venationi operam dare, & luxui; principes alios contemnere, nobiles opprimere, ignobiles efferre, filias illustrium obscurioribus coniugare, præsidia non ijs, quibus debuit, committere, licentius omnia agere permissione illorum, qui Regi non ministrabant, sed potiùs imperabant. Vnde omnium in se traxit odia, qui rebellionem machinantur, conspirationem faciunt, detractiones in Principem confingunt. quidquid enim præscribebant illi Regi faciendum, hoc fecit. quem volebant, exaltauit, aut deposuit, rebus suis magis, quàm regni consulentes, & sic in omnibus quæstum curantes. Hinc effrenis adolescens multa præter decorem regium faciebat. Hæc ille Imperatoribus amicissimus, Pontificibus Romanis iniquissimus scriptor.

Post Henricum non iniuria ponemus Fridericum Secundum, qui hæreticorum fuerit studiosus; in quo Cuspinianus idem, quamuis plurima mendacia aduersus Pontifices, vt crimina eleuet huius Imperatoris, turpissimè comminiscatur, immensam fuisse sæuitiam scribit. Nobis

ſit ſatis teſtimonium proferre Alberti Crãtzij, quo quàm facinoroſus homo fuerit Fridericus, apparet. Eſt hic ſcriptor Germanus; Maluit inquit ille, vir malignus Fridericus, Eccleſiam lacerare, quàm amplificare, maluit rodere viſcera eius, quàm fidem Chriſti propagare. malignitatem eius vel in vna re euidenter eſt videre. Fratrem Regis Tunitij Sarracẽum baptizari, & ſacris Chriſtianis initiari properãtem auertit. Et alibi idem de excitatis opera Friderici in Italia Guelphorum & Gibellinorum factionibus; Fridericus, inquit, poſtquam ſuos vbiq; notos habuit, eorum, qui aut diuerſarum cenſerentur partium, aut qui neutris vellent conſentire, expugnata oppida, locaq; populatus eſt, & diuerſarum partium patria pulſos omnes in ſuam redegit poteſtatem. non nullos è veſtigio interfici, quoſdam effoſſis oculis in Apuliam relegari, quoſdam per diuerſa cruciatuum genera ad morem vſq; fecit laniari. & pòſt; Captos diuerſarũ partium Rhegienſes, Mutinenſes, Placentinos, Bononienſes, atq; Hetruſcos ante vrbis Parmæ portas promuraliaq; truncari, laniariq;, & baliſtis maioribus in Vrbem ſemiuiuos proijci curauit: nec à mulierCularum pudore eſt temperatum, ſiquando pauperculæ in agrum delatæ in Sarracenorum & Friderici ſatellitũ manus inciderent. Sed & paulo antè: Sarracenos adeò fouit Fridericus, vt eos mercede conductos magis, quàm ceteros Chriſtianos in militia caros habere ſit viſus. præterq; arma tractantes, multos ex ea barbarie ampliſſimis per Italiam & Siciliam honoribus & magiſtratib' euexit. Eiuſque gentis amore in Chriſtianos eſt adeò debacchatus, vt Luceriam Apuliæ ciuitatem, eiectis populariter Chriſtianis, Sarracenis dederit habitandam. cuius facti memoria inde ad poſteros peruenit, quòd diu Luceria Sarracenorũ ſit appellata. quacumq; autẽ ratione ſit factum, pietate in Lucerinum Epiſcopũ vir alioqui ſceleſtus eſt vſus, quem cum Chriſtianis duodecim permiſit Epiſcopium inhabitare. Sed legem in regione promulgauit, qua Sarracenos adeò voluit ſaluos eſſe, vt contendentes cùm illis impunè occiderentur. quin etiam alia impietate, atque inſania, vt Sarraceno non magis ſibi militanti, quàm in Africa degenti commodaret, eſt vſus; qui forma præſtantiores per Siciliã mulieres, & ſuum Italiæ regnum, concupitas virgines à parentũ ſinu, matronaſq; à maritorum complexu rapi, & paſſus fuerit, & curauerit. Hactenus Crantzius.

Lib. 8. Saxo. cap. 9.

Cap. 14.

Poſt

Post Fridericum Secundũ Ludouicus Bauarus pro hæretico est habitus, ac damnatus. Huius sanè nõ admodum insignia flagitia leguntur, qualia Henrici Tertij, & Friderici Secundi; sed tamen aliqua leguntur; in his, quòd contra fas omne à Ioanne Henrico Bohemorum Regis filio vxorem per vim abstraxerit nomine Margaritam, quam filio suo collocauit in matrimonio, vt dotis nomine amplissimum patrimonium consequeretur; quòd fidem datam sæpius violarit principibus viris, vt Ioanni Bohemiæ Regi, & Italicis nonnullis, de quibus Ioannes Villaneus. Ex his igitur, quæ attulimus, apparet, quales fuerint hæretici Imperatores, vitijs scilicet omnibus cooperti, vt sciamus etiam tales plerumq; esse illorum subiectos. De Catholicis Imperatoribus talia, totque, ac tanta nullo modo leges. & illud sanè valde mirum, nullum ex hæreticis Imperatorem fuisse à labe ingentis alicuius facinoris immunem; nam singulos ordine recensuimus, & in medium produximus eorum testimonia, qui partes illorum vel sequerentur omnino, vt in Græcis vidimus, vel essent ipsorum gentiles.

Nostrorũ ꝓbitas hæreticorum testimonio comprobata.

Iam verò nostri si comparentur hæreticis, & alijs, huiusmodi sunt, vt pessimi è nostris sint meliores optimis aliorum, summos summis, infimos infimis, vt recta sit collatio, comparando, quod signo de sanctitate apertissimè explicatur. Interim nostros esse meliores non alio probetur testimonio, quàm aduersariorum. Hæc sunt ipsa verba Pauli Eberi, qui post Lutherum & Melanchtonem primas tenuit in schola Vvittebergensi, quæ præfatus est in commentarijs Philippi super epistolam ad Corinthios. Tot, inquit, & tantis confusionibus & scandalis deformatur totus Euangelicorum cœtus, vt nihil videatur minus esse, quàm quod profitetur. Nam si ad docentes respicias, videas quosdam vel ambitione, vel æmulatione, vel curiositate doctrinam corrumpere, & falsam doctrinam audacter spargere, aut pertinaciter tueri, aliquos non necessaria certamina serere, & fouere implacabilibus odijs, aliquos religionem inflectere, fingere, ac refingere ad cupiditatem & nutum vel dominorum, vel cœtuum, quorum gratiam pluris faciũt, quàm gloriã Dei, & veritatis ꝓpagationem; aliquos verò vniuersum id, quod vera docẽdo exstruxerũt, morũ licentia, & turpitudine vitę rursus destruere. Hi neui conspecti in ordine profitentium doctrinã cęlestẽ nõ pos-

sunt non contristare pios, & multos ab Euangelij studio reddere alieniores. Rursus si ad auditores oculos conuertas, videbis religionis ac libertatis Christianæ fœdissimũ abusum, contemptum, & neglectionem sancti ministerij, disputationum profanitatem, direptionem bonorum Ecclesiæ, ingratitudinem erga fideles ministros Dei, disciplinæ laxationem, effrenem cõtumaciam iuuentutis, & aliorum vitiorum segetem in dies vberrimam succrescentem; quæ mala intuens non potest non vehementer animo percelli, & interdum quassari fluctibus dubitationum ambigens, an hic cœtus possit esse Ecclesia, in quo tantum sit distractionũ, confusionum, & enormium vitiorum. Hucusque Eberus, de doctoribus & asseclis Protestantium nostræ ætatis.

Cõc. 4. super c. 2. Luc. Smidelini.

Audi nunc Smidelinum de istis loquentem: Vt sciat totus mundus, & agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco comessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant. vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubũt, & excoriant. precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes. idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantoperè blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, factus, elatio, atq; hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum. Hæc ille.

In postilla super Euãg. Dominicæ primæ Aduentus. Lutheri.

Sed quid Lutherus? Mundus, inquit, in dies fit deterior: sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis immodesti, & indisciplinati, multoque deteriores, quàm fuerint in Papatu. Hucusque Lutherus, cui maximam fidem dicunt habendam Protestantes.

Imperatores à Christi cultu alienos fuisse omnium impurißimos, ac flagitiosißimos, ostenditur testimonio antiquorum.

CAP. VI.

RECẽsuimus singillatim quales fuerint Imperatores hæretici, & hæresum nostræ ætatis primi auctores, vt ex ijs colligamus cuiusmodi sint asseclæ illorum, com-

comparationem fecimus alibi ſigno de ſanctitate inter optimos eorum duces, ac peſſimos è noſtris: ſed ne cui veniat in mentem, putare melius fuiſſe priſcis illis, antequā Chriſti cultus ab omnibus Imperio Romano ſubiectis palàm reciperetur, ac tum minus turpitudinis fuiſſe, ac facinorum inter mortales, placet ſingillatim recenſere quot, & quanta fuerint facinora in antiquis illis Imperatoribus, à Chriſtiana religione alienis, vt certò ſciamus quantum virtutis ſit inuectum in terras per filium Dei Chriſtum: vt verè cecinerit vates ille de temporibus Chriſti è verſibus & vaticinijs Sibyllæ:

Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis.

I. Igitur primus ſit nobis Imperator Octauianus Auguſtus; Cæſar namque Dictatoris potius extrema vita quàm Imperatoris nomen tulit: qui Triumuir regnauit annos vndecim, menſes 9. dies 6. ſolus annos quadraginta tres, menſes 11. dies 18. de quo ſic victor: Cùm eſſet cibi ac vini multi, aliquatenus verò ſomni abſtinens, ſeruiebat libidini vſque ad probrum vulgaris famæ. nam inter duodecim catamitos, totidemque puellas, accubare ſolitus erat. & paulò antè: Fuit, inquit, paululum impatiens, leniter iracundus, occultè inuidus, palàm factioſus; porrò autem dominandi, ſupra quam exiſtimari poteſt, cupidiſſimus, ſtudioſus aleæ luſor. Hæc Victor. At Suetonius ita: Prima iuuenta variorum dedecorum infamiam ſubijt. Sex. Pompeius eum, vt effœminatum, inſectatus eſt. Marcus Antonius adoptionem auunculi ſtupro meritum. item Lucius Marci frater, quaſi pudicitiam delibatam à Cæſare, Aulo etiam Hirtio in Hiſpania tercentum millibus nummum ſubſtrauerit; ſolituſque ſit crura ſuburere nuce ardenti, quò mollior pilus ſurgeret. ſed & populus quondam vniuerſus ludorum die, & accepit in contumeliam eius, & aſſenſu maximo comprobauit verſum in ſcæna pronunciatum de Gallo matris Deum tympanizante:

Videſne vt Cynedus orbem digito temperat.

Adulteria quidem exercuiſſe ne amici quidem negant, excuſantes ſanè non libidine, ſed ratione commiſſa, quò facilius conſilia aduerſariorum per cuiuſq; mulieres exquireret. & pòſt: Poſtea quoque, vt ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quæ ſibi vndique etiam ab vxore conquirerentur. aleæ rumorem nullo modo expauit, luſitque ſimpliciter & palàm oblectamenti cauſa etiam ſenex.

Hucuſque Suetonius, qui & antea ſic de eo ſcripſit: Auguſtus reſtitit aliquandiu collegis, nequa fieret proſcriptio, ſed inceptam vtroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum ſæpè perſonam per gratiam & preces exorabilibus, ſolus magnopere contendit necui parceretur. Hæc Suetonius de proſcriptione à Triumuiris facta, quam Syllana crudeliorem fuiſſe Dion tradit, & in eam multos ob diuitias fuiſſe relatos.

II. Secundus Imperator fuit Tiberius, qui regnauit annos viginti duos, menſes ſex, dies viginti ſex, quem fuiſſe ſcribit Victor ingenio peſſimo, truci, auaro, immani furore in inſontes, noxios ſuos pariter, & externos. addit cum Suetonio ob ebrietatem vocatum Caldium Biberium Meronem, pro Claudio Tiberio Nerone. Sed audi Suetonium, qui ſic de illo: Nouum officium excogitauit, à voluptatibus, præpoſito equite Romano T. Cæſonio Priſco: ſeceſſu verò Capreenſi, etiam ſellariam excogitauit ſedem arcanarum libidinum, in quam vndique conquiſiti puellarum & exoletorum greges, monſtroſique concubitus repertores, quos ſphintrias appellabat, triplici ſerie connexi, vt inuicem inceſtarent ſe coram ipſo, vt aſpectu deficientes libidines excitaret. cubicula plurifariam diſpoſita tabellis ac ſigillis laſciuiſſimarum puellarum & figurarum adornauit, libriſq; elephantidis inſtruxit, necui in opera edenda exemplar imparatæ ſcænæ deeſſet. In ſyluis quoq; ac nemoribus paſſim venereos lucos commentus eſt, proſtranteſq; per antra & cauas rupes ex vtriuſq; ſexus pube Paniſcorum & Nympharum habitu, palamq; iam, & vulgato nomine inſulæ abutentes Caprineum dictitabant. maiore adhuc & turpiore infamia flagrauit, vix vt referri, audiriq;, nedum credi fas ſit, quaſi pueros primæ teneritudinis, quos piſciculos vocabat, inſtitueret, vt natanti ſibi inter fœmina verſarentur, ac luderent, lingua, morſuq; ſenſim appetentes, atque etiam quaſi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulſos, inguini, ceu papillę admoueret, pronior ſanè ad id genus libidinis, & natura, & ętate. & mox: Fertur etiam in ſacrificando quondam captus facie miniſtri acerram præferentis nequiſſe abſtinere, quin penè vix dum re diuina peracta ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret, ſimulq; fratrem eius tibicinem, atque vtrique mox, quòd mutuò flagitium exprobrabant, crura fregiſſe. fœminarum quoque & quidem illuſtrium capitibus

tibus quantopere solitus sit illudere euidentissimo apparuit Marloniæ cuiusdam exitu.& alibi: Procedente tempore etiam ad rapinas conuertit animum, deinde exemplis quibusdam recitatis addit, Galliarum, & Hispaniarum, Syriæq;, & Græciæ principes confiscatos ob tam leue, ac tam impudens calumniarum genus, vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. plurimis etiam ciuitatibus & priuatis veteres immunitates, & ius metallorum, ac vectigalium ademptа. Sed & Vononem Regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem Populi Romani, cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, & occisum. Refert deinde idem Suetonius Imperatoris eiusdem crudelitatem in consanguineos. coniunctos, matrem, filios: nam Germanicum nulla de causa occidi iussit, sicuti & nurum, Neronemq; & Drusum nepotes. eadem fuit sæuitia in amicos: nam cùm viginti consiliarios è numero principum ciuitatis quasi optimos sibi delegisset, vix duos reliquit superstites; ceteri omnes occisi. Denique sic auctor idem: In omne, inquit, genus crudelitatis erupit, numquam deficiente materia, quum primò matris, deinde potum, & nurus, postremò Seiani familiares, atque etiam notos persequeretur. post cuius interitũ vel sæuissimus exstitit. & mox: Singulatim crudeliter facta eius persequi longum est. generatim veluti exemplaria sæuitiæ enumerare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem, ac sacer. animaduersum in quosdam ineunte anno nouo: accusati, damnatiq; multi cum liberis, atq; etiam vxoribus suis. interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent. decreta accusatoribus præcipua præmia. omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.

III. Post Tiberium tertius imperauit Caius Caligula annos tres, menses decem, dies nouem, de quo sic idem: Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, pleno que conuiuio singulas infra se vicissim collocabat, vxore supra cubante. ex his Drusillam vitiasse virginem prætextatus adhuc creditur. & mox: Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, vt quas sępè exoletis suis prostrauerit. & paulò pòst: Pudicitiæ neq; suæ, neq; alienæ pepercit. M. Lepidum, M. Nestorem Pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur commercio mutui stupri.

Valerius Catulus consulari familia iuuenis stupratum à se, ac latera sibi contubernio eius defessa etiam vociferatus est. super sororum incesta, & notissimum prostitutæ Pyrallidis amorem non temerè vlla illustriori fœmina abstinuit; quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatis, præterque pedes suos transeuntes, diligenter, ac lentè mercantium more considerabat, etiam manu alleuans, si quæ pudore submitterent; quoties deinde libuisset, egressus triclinio, quum maximè placitam seuocasset, paulò pòst recentibus adhuc lasciuię notis reuersus vel laudabat palàm, vel vituperabat, singula numerans bona, maláve corporis, atque concubitus. Rursus de eodem: Non minore, inquit, liuore, ac malignitate, quàm superbia, sæuitiaque penè aduersus omnis æui homines grassatus est, & antè: Leue, ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractauerit. Ptolomæum Regis Iubæ filium consobrinum suum (erat enim & is M. Antonij ex Helene filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam adiutores imperij, quibus omnibus pro necessitudinis iure, proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est. nihilo reuerentior, leniorque erga Senatum. & deinde: Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, remotoque ordinario apparatu, rapidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoque pegmares, patres familiarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subijciebat: ac nonnumquam horreis præclusis, populo famem indixit. & post multa crudelitatis exẽpla enumerata subijcit; Non temerè in quemquam, nisi crebris, & minutis ictibus animaduerti passus est, perpetuo, notoque iam præcepto ita fieri, vt se mori sentiat. & mox: Queri etiam palàm de conditione temporũ suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquẽ terræ optabat. & mox: Ad rapinas conuertit animum vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere. & pòst: Vectigalia noua, atque inaudita primùm per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones, tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. & multis relatis subdit: Ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit, distinctisque & instructis

structis pro loci dignitate compluribus cellis, in quib. matronæ ingenuiq́; starent, misit circum fora & basilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinem iuuenes, senesq́;: præbita aduenientibus pecunia fœnebris, appositiq́; qui nomina palàm subnotarent, quasi adiuuantium Cæsaris reditus. Atq; hæc de Caligula satis.

IIII.

Cui Claudius successit, de quo sic Victor: Hic ventri, vino, libidini fœdè obediēs, vecors, & propè hebes, ignauus, ac pauidus, libertorum & cōiugis imperijs subiectus fuit. & mox : Huius vxor Messalina primò clam, mox passim, quasi iure, adulteris vtebatur. ex quo facto plures metu abstinentes exstincti sunt. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasq; nuptas & virgines scortorum modo secum pro posuerat, coactiq; mares vt adessent. quòd si quis talia horruerat, adficto crimine, in ipsum omnemq́; familiam sæuiebatur: vt magis videretur ipsa imperare viro, quàm Imperatori nupta esse. ita liberti eius potestatem summam adepti stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabant. è quibus Felicem (de hoc fit mentio in actibus Apostolorum) legionibus Iudææ præfecit. Posidi Eunucho post triumphum Britannicum, inter militarium fortissimos, arma insignia, tamquam participi victoriæ, dono dedit. Polybum inter Coss. medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominum se gerens ipsius domini: Pallasq́; prætorijs ornamentis sublimatus, adeò diues, vt causante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio vulgatum sit, abundè ei pecuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur. Hæc Victor : at Suetonius, vt cætera omittam ; Sæuum, inquit, & sanguinarium natura fuisse, magnis, minimisque apparuit rebus. & idem, Libidinis in fœminas profusissimæ marium omninò expers.

V.

Hinc suffectus est Nero ; de quo quid attinet dicere? satis sit attulisse verba Victoris. Eo, inquit ille, dedecore Nero reliquum vitæ egit, vt pudeat memorare huiscemodi quemquam: eò progressus est, vt neque suæ, neq; aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palàm conuocato Senatu, dote dicta, cūctis festa de more frequentantibus, nuberet. pelle tectus feræ vtriusq; sexus genitalia vultu contrectabat ; matrem etiam stupro contaminauit, quamquam postmodum interemit. Hæc Victor. Innumera verò, & incredibilia crudelitatis, li-

bidinis,ac rapacitatis eius exempla referunt alij, Suetonius,Tacitus,Dio. Ne excogitari quidem possunt facinora, quæ Nero admisit.& sanè pudet ea referre.

VI. Veniamus ad Galbam,qui sextus est Imperator;de quo sic breuiter Victor:Iste in adolescentes infamis ad vescendum intemperans fuit.Imperauit hic menses septem, dies

VII. septem.occisus est ab Otthone,qui Imperium tenuit menses tres, dies quinque; de eo sic idem Victor; Vita omni turpis, maximè in adolescentia. Ob ib Suetonius ait, ipsum Neroni placuisse congruentia morum, & consuetudine mutui stupri.

Cap.13.

VIII. Cap.14. Post hunc imperauit Vitellius menses octo,dies quinq;. Eum tradit Suetonius adolescentiam Capreis egisse inter Tiberiana scorta Spintræ cognomine notatum,ac postea sequenti ætate omnib.probris contaminatum,& mox non profundæ modò,sed intempestiuæ,ac sordidæ gulæ, pronum verò ad cuiusq; & quacumq; de causa necem, atque supplicium.

IX.. Cap.16. Nonus est Imperator Augustus Vespasianus, alioquin laudabilis,sed vt in hæc verba Suetonius tradit; Sola est,in qua meritò culpetur,pecuniæ cupiditas. non enim côtentus omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse,& auxisse tributa prouincijs,nonnullis & duplicasse, negotiationes quoq; vel priuato pudendas propalã exercuit coëmendo quædam,tantũ vt pluris postea distraheret. nec candidatis quidem honores,reísve tam innoxijs, quàm nocentib.absolutiones venditare cũctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemq; ad ampliora officia ex industria solitus promouere,quò locupletiores mox condemnaret;quibus quidem vulgò pro spongijs dicebatur vti; quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Hæc Suetonius.

X. Cap.7. Post Vespasianum Titus imperauit annos duos, mẽses duos,dies viginti,cùm Vespasianus rerum potitus esset annos nouem,menses sex. Titum ante adeptum principatũ, maximam tradũt exercuisse crudelitatem;ad mediam noctem comessationes,ait Suetonius,cum profusissimo quoque familiarum extendisse. nec minus in eo suspecta fuit libido propter exoletorum & spadonum greges, propterque insignem Reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur.suspecta & rapacitas,quod constabat in concionibus patris nundinari præmiariq; solitum.

de-

deniq; propalam alium Neronem & opinabantur, & prædicabant. Hæc de Tito Suetonius, antequam regnaret, quē principatu adepto, mores omninò mutasse scribit.

Quàm verò dissimilis illi Domitianus frater imperauit annos quindecim, dies sex: De eo Victor sic. Atrox, inquit, cædibus bonorum supplicia agere cœpit, ac more Caligulæ dominū sese Deumq; dici coëgit, segnisq; ridiculè, remotis omnibus, muscarū agmina persequebatur; furēs libidine. cuius fœdum exercitiū, Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat. XI.

Duodecimus Augustus imperauit Cocceius Nerua, quē nemo optimum fuisse Imperatorem negat. XII.

Illi suffectus est Traianus: eum verò licèt optimū vocēt scriptores, tamen amoribus puerorū, vinoq; deditum fuisse tradit Dion, quod & AElius Spartianus in vita Hadriani confirmat, & Iulianus Imperator in Cæsaribus. XIII.

Hadrianus post hunc imperauit. Hunc Dion scribit ob multas cædes infensissimum cunctis fuisse & Spartianus, omnibus inuisum. præposteræ verò libidini fuit adeò addictus, vt Antinoum, quo abutebatur, in Deos iusserit referri; magicis artibus operam dedit. XIIII.

Hadriano successit Antoninus Pius; Post hūc M. Antoninus Philosophus; ambo verò optimi, quāuis Philosopho nō nulla vitio dentur, sed leuia, si aliorū mores intuearis. Cū illo simul regnauit Lucius frater, de quo sic Iulius Capitolinus inquit; Nō solū licētia vitæ liberioris, sed etiā adulterijs, & iuuētutis amorib. infamatus est, siquidē tantæ luxuriæ fuisse dicitur, vt etiā postquā de Syria redijt, popinā domū instituerit, ad quā post conuiuiū Marci diuertebat ministrantib. sibi omni genere turpiū personarū. fertur & nocte perpeti alea lusisse, quū in Syria concepisset id vitium; atq; in tātum vitiorum Caianorum, & Neronianorum, ac Vitellianorum fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria. Et mox: Vitæ fuit semper luxuriosæ, atq; in pluribus Nero, præter crudelitatem, & ludibria. XV. XVI. XVII.

Decimus octauus est Commodus, qui solus imperauit, annos duodecim, mensis octo, dies quindecim: de quo sic Victor, Sæuior omnibus libidine, auaritia, & crudelitate: nulli fidus, magisque in eos atrox, quos amplissimis honoribus donisq; extulerat. At Dion, qui illo tempore vixit, in hunc modum: Perturbarem historiam, si scriberem accuratè de singulis, quos ille adductus non solū falsa XVIII.

calumnia,& suspicione non vera,verùm etiam propter opes maximas,nobilitatemq́; generis,& excellentem præstantiam doctrinæ,atq; ob alias virtutes interfecit.& Lampridius; A prima,inquit,pueritia,turpis,improbus,crudelis,libidinosus,ore quoq; pollutus,& constupratus fuit.& mox: Romam vt rediit, subactore suo Antero post se in curru locato,ita triumphauit,vt eum sæpius ceruice reflexa oscularetur:etiam in orchestra hoc idem fecit.& postea ipse cum trecentis concubinis,quas ex matronarum meretricumq́; delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentisq́; aliis puberibus exoletis, quos æquè ex plebe ac nobilitate nuptusq́; forma disceptatrice collegerat in palatio, per conuicia & balneas bacchabatur. & deinde: Lucillam sororem cùm compressisset,occidit:sororibus dein suis cæteris,vt dicitur,constupratis, consobrina patris complexibus sui coniuncta,vni etiam ex concubinis matris nomen imposuit,& vxoris, quam deprehensam in adulterio exegit,exactam relegauit,& postea occidit. Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari iubebat, nec irruentium in se iuuenum carebat infamia,omni parte corporis,atque ore in sexum vtrumq; pollutus. Deniq; iudicio Senatus vocatus est sæuior Domitiano, impurior Nerone. dictumque, Qui omnes occidit,vnco trahatur;qui vtrumq; sexum occidit,vnco trahatur;qui sanguini suo non pepercit,vnco trahatur,& alia multa.

XIX. Post Commodum imperauit Pertinax; de quo sic Capitolinus:Reuera erat illiberalis,ac propè sordidus. Excepit Imperium Pertinacis Iulianus, ac tenuit menses duos, dies quinque;de quo sic Spartianus:Obiecta sanè sunt Iuliano hæc,quòd gulosus fuisset,quòd aleator,quòd armis gladiatoriis exercitus esset,eaq; omnia senex fecerit,quum antea numquam adolescens his vitiis infamatus fuisset. Iuliano successit Seuerus, ac summam rerum tenuit annos decem & septem,menses octo,dies tres: de quo Spartianus eum crudelissimum vocans ait; Multos inter hæc causis vel veris vel simulatis occidit. damnabantur autem pleriq; cur iocati essent,alii cur tacuissent,alii cur pleraq; figurata dixissent. & mox: Infinita multorum cæde crudelior est habitus.

XX.

XXI.

XXII. Post hunc imperauit Antoninus Caracalla, Malè, inquit,Spartianus,moratus; vt patre duro crudelior,auidus cibi,vini etiam appetēs,suis odiosus, & præter milites prætoria-

torianos Omnibus castris exosus. & mox; Omnium durissimus, & vt vno complectamur verbo, parricida (fratrem namque Getam interfecit) & incestus (quòd nouercam vxorem duxisset) patris, & matris, & fratris inimicus.

Antonino hoc interfecto, arripuit Imperiū Macrinus, cum filio Diadumeno, tenuitq; annum vnum, mensem vnum, dies viginti octo: de eo sic Capitolinus; Longum est eius crudelitates omnes aperire. & mox: Reddidit etiam Mezentij supplicium, & iterum viuos etiam homines parietibus inclusit, & struxit. Hinc addit appellatū pro Macrino Macellinum. XXIII. XXIIII.

Post hos imperauit Heliogabalus annos tres, menses nouem, dies quatuor, qui tantæ impuritatis fuit, vt eius obscœna facta referre nullo modo pudor sinat: qui volet, legat Lampridium, & Herodianum. XXV.

Post illum rerum potitus est Alexander Seuerus, Mammeæ dictus, annos tresdecim dies nouē: atq; hic optimus omnium Princeps; quamuis Iulianus Imperator in suis Cæsaribus neget. XXVI.

Post hunc Imperium tenuit cum filio Maximinus Imperator, ita moratus, inquit Capitolinus, vt ferarum more viueret, ac nihil prætermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari, dum persequitur, ait Victor, pecuniosos, insontes pariter, noxiosq;. XXVII.

Inde imperarunt tres Gordiani annos ferè sex, è quibus senior laqueo sibi vitam præcidit. Huius filius, vt narrat Capitolinus, mulierum cupidissimus fuit, & habuisse decretas sibi concubinas viginti duas fertur; vixitq; in delicijs, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus. Ex hoc nepos modestè imperauit Imperator, quòd si addas Balbinum, & Pupienum, qui cum eo per aliquod tempus imperarunt, erit trigesimus quartus. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

Post hos imperauit Philippus cum filio annos quinq;, cum superbum vocat Capitolinus. Inde Decius cum filio annos duos humaniter visus est aliquibus imperare. His successêre Gallus, & Volusianus, qui rerum potiti sunt annum vnū, & menses sex, nihilq; omnino, inquit Eutropius, clarum gesserunt. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

Post hos Romanis rebus præfuêre Licinius, Valerianus & Gallienus annos septem. & de Valeriano quidem Victor in hunc modum: Parentibus est ortus, inquit, splendidissimis, stolidus tamen, & multum iners, neq; ad vsum aliquem XXIX. XL XLI.

liquem publicum officio, consilio, seu gestis accommodatus.

XLII. Capto deinde à Persis Valeriano, Gallienus cum filio tenuit Imperium, natus, inquit Pollio, abdomini, & voluptatibus dies ac noctes vino, & stupris perdidit orbem terrarum. & alibi vocat eum hominem luxuriosissimum, & ad omne dedecus paratissimum. & mox: fuit nimiæ crudelitatis in milites, nam & terna millia, & quaterna militum singulis diebus occidit. & semper noctibus dicitur popinas frequentasse, & cum lenonibus, mimis, scurrisque vixisse.

XLIII. XLIIII. XLV. Dum hic imperium rexit, Tyranni variè Rempublicam lacerarũt. Post illum Claudius imperauit bonus princeps annum vnum, menses decem, dies quindecim, eoque defuncto Quintillus dies quindecim.

Inde Aurelianus annos quatuor, menses vndecim, dies septem, sæuus, inquit Victor, & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filij sororis interfector. dicitur præterea, inquit Vopiscus, huius fuisse crudelitatis, vt plerisque senatoribus simulatam ingereret factionem coniurationis, ac tyrannidis, quò facilius eos posset occidere.

XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. Post hunc laudabiliter imperarunt Tacitus & Florianus menses duos, dies viginti, deinde Probus annos quinque, menses quatuor optimè, vt è Vopisco apparet.

Post hos imperauit Carus cum filijs Carino & Numeriano Cæsaribus annum vnum; eoq; exstincto Carinus cũ fratre annum similiter vnum. de quo sic Vopiscus: Carinus homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis (pudet dicere, quod in litteras Oncsimus retulit) ipse quoq; malè vsus genio sexus sui, enormibus se vitijs, & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quousq; relegauit, pessimum quemq; elegit. & mox: Vxores ducendo, ac reijciendo, nouem duxit, pulsis plerisque prægnantibus; mimis meretricibus, pantomimis, cantoribus, atq; lenonibus palatium impleuit. & Victor: Hic Carinus, ait, omnibus se sceleribus inquinauit, plurimos innoxios fictis criminibus occidit; matrimonia nobilium corrupit. Talis igitur, iste Imperator.

LI. LII. LIII. Post hunc imperauit Diocletianus annos viginti, è quibus decem & octo vnà cum Maximiano Herculeo. & de Diocletiano quidem sic Eutropius ait; Admodum subti-

lis ingenio fuit, & qui seueritatem suam aliena inuidia vellet expellere. De Maximiano autem in hunc modũ scribit; Vir fuit ad omnem asperitatem sæuitiamque procliuis, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers. & Victor sic; Maximianus cognomento Herculeus ferus natura, ardens libidine, consilijs stolidus, ortu agresti, Pannonióq;.

His deinde abdicantibus administrarunt Imperium Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus annum vnum, menses decem, dies octo, quo tempore vita migrauit Constantius Chlorus, illiq; suffectus Constantinus anno ab ortu Christi tercentesimo sexto, cùm simul etiam Maxentius Romæ, & Maximinus in Oriente arripuêre Imperium. & de Maxentio quidem qui profligatus est à Cõstantino Imperij anno quinto, & in Tyberim mersus, ita Eutropius: Maxentium Constantinus Romæ aduersus nobiles omnibus exitijs sæuientem apud pontem Miluium vicit. & Zozimus: Bello per Maxentium in hunc modum exstincto, latus Sycophantis apertus est campus, omnes propè dixerim, quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant, velut Alexandri partium sectatores deferendi, nec vllis omninò parcebatur, dum alij necarentur, alij facultates suas amitterent. quin & Romæ triumphatum ob perpetrata Carthagine mala. & Maxentij quidem rerum his ita gestis, & omnibus per Italiam, & in ipsa vrbe per summam crudelitatem libidinemque habitis, hic status erat. De Maximino ita Victor: Maximinus vino ebrius, quædam correpta mente aspera iubebat. Hunc sustulit Licinius, & per aliquod tempus in Oriente Imperium tenuit, donec iussu Constantini est occisus. De Licinio sic idem Victor: Auaritiæ cupidine omnium pessimus fuit Licinius, neque alienus à luxu Venereo, asper admodum, haud immediocriter impatiens, infestus litteris, quas inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat. Ac talis Licinius, quem possumus annumeratis Cæsaribus aliquot Imperatorem sexagesimum, si Iulium Cæsarem voces Imperatorem, quamuis non tulerit Augusti nomen, numerare ex ijs, qui CHRISTI nomen haud colue̊re; quibus quæ turpitudo vitæ foret, quæ immanitas morum, liquidò patet. hinc Romæ erant publica, & omnibus aperta absoletorum loca, ita vt ausus fuerit Neto legem promulgare, qua virũ viro palàm nubere liceret,

LIV. LV. LVI. LVII. LVIII.

quod

quod ipse exemplo consignauit, ac stabiliuit. & quamuis huiusmodi dedecora nonnullis Imperatoribus maximo essent odio, inter tot enim fuisse aliquos non ita contaminatos, quid mirum? tamen haud potuerũt illa eluere. Quocirca testatur Lampridius, Alexandro Seuero, qui amicissimus fuit Christianorũ, sicuti & Antoninus Philosophus, haud tantum fuisse virium, vt loca absoletorum Roma tollere posset, quamuis id plurimum cuperet, atq; eniteretur. Sed ad rem nostram. Inspice, si placet, nunc vitas Imperatorum, qui nobiscum sensêre, & Catholici fuerunt: ac videbis, neq; tot vllo modo, neq; tanta in illis vitia fuisse. In hæreticis fuerunt sanè, sed plerumq; non ita magna. Vnus Lutherus est inuentus, quem tamen secuti sunt omnes Protestantes, qui eamdem cum Heliogabalo omniũ spurcissimo Imperatore sententiam tenuit vna in re. Nam sicut ille fas esse voluit sibi virginem Vestalem constuprare, sic Lutherus virgines vero Deo dedicatas edixit palàm fas esse in matrimonio habere. Sed profectò hac in re flagitiosiores quicumq; adhærent Luthero. Heliogabalus enim non sanxit in vniuersum id licere; at Lutherus, Caluinus, & alij id seriò & ex animo constituerunt, & mordicus adhuc tenent, Domitianum spurcissimum Imperatorem superantes, qui Vestalem virginem, quòd fidem non seruasse diceretur, vltimo supplicio affici iussit. En Protestantium nostrorum puritas, en candor. Sed institutum nostrũ prosequamur. Quemadmodum flagitiosiores proculdubio quicunq; ex antiquis à nobis alieni fuerunt, & Christo primas haud detulerunt, sic etiam qui nunc principes alias religiones venerantur, exempli gratia Mahometani. Notum namq; est omnibus in quanto obscœnitatis cuiuslibet cœno voluuntur eorum principes, quantis sint facinoribus cooperti. An non illi loca innumeris concubinis & cynedis suis designata solent habere? An non consanguineos suos, fratres, ac filios, adde etiam patres palàm de medio tollere audent regnandi causa? Effert multis laudibus Paulus Iouius Ismaëlem cognomento Sophum potentissimum nostra ferè ætate Persarum Regem. At qualis hic quæso? An non hic est, qui suam matrem Neronis exemplo necari iussit, vt Ioannes Maria Angiolellus, qui in ijs locis per ea tempora fuit, luculentissimus est testis? An nõ idem in vrbe Taurisio multis puellis ac pueris abreptis per vim à suis parentibus impudicissimè præter alia est abusus

Cap. 13.

sus,& alijs postea dedit abutendos, aliaq; facinora horrenda admisit, quæ in itinerario, quod Angiolelli narrationibus est adnexum, continentur? Sed de Mahometanis alias loco suo. Nūc satis sit nobis ostēdisse, quāta fuerit antiquitus Imperatorum turpitudo, Lutherumq; & Caluinum in vitandis virginibus Heliogabalo & Domitiano deteriores. sed hoc interest, quòd virgines illæ suam virginitatem Vestæ falso numini dedicarant, nostræ verò Deo. Igitur tantò vitiosiores cum suis Caluinus & Lutherus Heliogabalo & Domitiano, quantò propè falso verum, Vestæ Deus ipse præstat.

Incredibilis impuritas Lutheri & Caluini.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM TERTIVM,

Intestinæ alienorum cædes.

Prædictum est fore, vt hostes Ecclesiæ intestinis ac domesticis inter se cædibus sæuiant ac dilanientur. id accidere omninò hostibus Ecclesiæ nostræ euidentissimè demonstratur.

Cap. VII.

NON habuit satis Spiritus sanctus designare atq; indicare hostes Ecclesię, & eorum flagitia vno vel altero signo, vt inde quænam foret ipsius sanctitas elucesceret; sed plura prædici voluit. Hinc ait idem Deus ad Ecclesiā verba faciēs; *Qui iudicauerunt te, iudicabo, & filios tuos ego saluabo & cibabo hostes tuos carnib. suis, & quasi musto sanguine suo inebriabūtur.* Hęc Deus apertè prædicēs fore, vt hostes Ecclesiæ seditionibus maximè inter se dilanientur. Rursus idem Deus aduersus Israëlem, qui secesserat ab alijs tribubus, & vitulos aureos Dei veri numine abiecto colebat, inquit; *In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis, vir fratri suo non parcet, & declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur, vnusquisq; carnem brachij sui vorabit.* Hucusq; Deus. Hinc factum semper plerūq; videm', vt nemo ferè princeps aliquis insignior inter hæreticos exstiterit, quin is fuerit à suis cognatis vel intimis interfectus, vel crudeliter tractatus, & ipse

Isai. 9.

inuicem suos aut intimos, & cognatos miserrimè trucidarit, aut atrocissimè vexarit. & quod hæreticis accidit, etiam cæteris accidisse constat, qui Ecclesiæ sanctæ infesti fuerunt: vt appareat verè dictum, *Vir fratri suo non parcet, & cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Hinc accidit etiam fidos quosq; & consiliarios ad flagitia perpetranda aduersus Ecclesiam à suis Regibus ad extremum pessimè habitos, ac necatos. Videamus an ita sit, & singillatim percurramus exitum cuiusq; Imperatoris, ac Regis hæretici, quantum fieri potest, & ipsorum facta ad hanc rem spectantia, ad memoriam reuocemus.

Imperatorum hæreticorum cædes.

Primus ex Imperatoribus hæreticus, vt alibi attigimus, fuit Constantius. Hic Dalmatium, Gallum Cæsares patrueles suos occidit: quin, ait Ammianus, cunctos sanguine, & genere contingentes stirpitus interemit. Ipse autem cùm victus à Persis audisset Iulianum à militibus Augustum creatum tendere aduersus ipsum, cum exercitu dolore horribilis nuncij oppressus interijt, tam diris cruciatibus, ait Ammianus, vt carnes eius instar foculi arderent, neq; manus possent illis admoueri. Deniq; de illo sic idẽ scriptor; *Vt in externis bellis hic Princeps fuit saucius, & afflictus, ita prosperis succedentibus pugnis ciuilibus tumidus, & intestinis vlcerib. Reipublicæ sanie perfusus horrendã.*

Valens ex hæreticis fuit Imperator secundus. Huius salutem, non abnuimus, inquit Ammianus, sæpius per occultas coitiones in occulta demersam, ferrumq; ad iugulũ eius propè adactum à militatibus; ac multi tradunt à Gothis, quos ipse sibi fœdere impietatis hæreticæ vinxerat, illum concrematum: sed auctor idem, qui fuit ijs temporibus, scribit illum dum manibus imperitis suorum foueretur, exemptum, & occisum, ne Romanus Imperator in hostium manus veniret, & mox cadauer eius exustum.

Tertius fuit Zeno. Hic quomodo obierit, ita Nicephorus: *Fertur etiam, cùm eum Ariadna coniux odisset, cùm epilepsiæ doloribus distenderetur, & speciem defuncti præberet, viuum adhuc ab illa sepulchro inclusum esse. Alij verò tradunt, cùm ex ebrietate sensum omnem amisisset, in tumulum coniectum esse, & postquam ad se ipsum per sobrietatem rediisset, in ipso monumento exclamasse, vitam se solam, non etiam Imperium petere, paratumque esse tuniis iureiurando interposito eo cedere: neminem autem illum ea dicentem, propterea quod coniux Ariadna id prohiberet, miseratum esse.* Hæc Nicephorus.

Porrò

Porrò testis est tum Nicephorus, tum Euagrius, ac Zonaras, Zenonem varijs seditionibus, quas ipsius propinqui continenter excitabant, semper agitatum. fuit illi socrus Berina, cuius frater Basiliscus Zenonem deiecit Imperio. Sed postea ipse Basiliscus à Zenone victus ac depulsus vnà cum coniuge, & liberis, in Cappadocia iussu Imperatoris affinis est trucidatus. Mouit etiam aduersus illum, & signa contulit Martianus itidem ipsi affinis: Ilus similiter, ac Leontius. Atque hæc satis de Zenone, & Basilisco ipsius propinquo.

Quintus est Anastasius, cui fuit vxor Ariadna Zenonis coniux, à qua, vt Zonaras ait, in Eutychij & Dioscori sectã est impulsus. Atq; hic fulmine cælitus demisso est exstinctus, vt creditur: nam cùm tonitrua horrendum in modum resonarent, atq; ipse perterritus alios atq; alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo est mortuus inuentus, vt Zonaras ait.

Sextus est Iustinianus, ac septimus Heraclius: sed hi duo extremis suæ vitæ diebus in hæresim, credo imprudentes, inciderunt, quantum colligitur è scriptoribus; & ideo vltioni diuinæ, de qua nobis est sermo, obnoxij non fuerunt.

Non ita Heracleonæ contigit, & eius matri Martinæ, per quos Constantino Heraclij filio, cùm annum vnum regnasset, vita est ablata. His etenim accidit, quod prædixit Deus. & Heracleonæ quidem nasus est præsectus: Martinæ abscissa lingua, amboq; Imperio priuati sunt, & in exsilium missi.

Nonus est Constans, qui Theodosium fratrem necauit, & ipse in Sicilia ab Andrea intimo suo necatus.

Decimus est Iustinianus, qui à Leontio amicissimo suo & Græciæ Duce Imperio per aliquod tempus est spoliatus, nasusq; ipsi præ sectus, idemq; exsilio multatus. Resipuit hic tamen extremis vitæ temporibus, cùm recepisset Imperium.

Vndecimus est Philippicus, qui à Senatoribus quibusdam luminibus, & Imperio priuatus est anno septingentesimo duodecimo.

Duodecimus est Leo, quem non attigit quidem pœna, de qua agimus, sed ex intestinorum morbo, inquit, Zonaras, animam infeliciter emisit. eoque imperante Sarraceni Byzantium obsederunt, & Thraciam latè sunt populati.

Successit illi filius Constantinus Copronymus, decimus tertius ex Imperatoribus hæreticus: cuius exitus sic à Landulpho describitur: *Copronymus diuinitus in cruribus est plaga perculsus, quæ Græcè ἄνθραξ appellatur; & hinc febri validißima detentus Hadrianopolim redijt à subiectis humeris in lecto delatus; & perueniens Selimbriam, nauim ingressus est; cumque ad rotundum peruenisset castellum, miserabiliter in chelandio moritur, clamans, & dicens; Viuens adhuc igni sum inexstinguibili traditus. Atq; eodem ferè modo infeliciter obijt filius eius.*

Leo quartus decimus ex hæreticis Imperator. Decimus quintus est Nicephorus, qui à suis in prælio fugiens est interfectus.

Leo Armenius à Michaële Balbo, quem valdè extulerat, & multis beneficijs amplificauerat, est occisus. Hic est decimus sextus. & Michaël quidē, filiusq; ipsius Theophilus à suis nequaquam sunt interfecti. Sed illud animaduersione dignum, quod spectat ad argumētum præsens. Theophilus vbi adeptus est Imperium, omnes qui Leonem necarunt, & patri Michaëli fuerant auxilio ad Imperij assecutionem, necari in vnum coactos & ipse iussit. Sequentes Imperatores vsq; ad Andronicum Comnenum non ita à nobis alieni fuerunt, vt nos hæreticorum loco, quod alibi ostendimus, reputarent; atq; ob id non omninò hostes Ecclesiæ, pœnæq; obnoxij, de qua nobis est sermo.

Ab hoc Andronico, quem decimum nonum possumus ex hereticis Imperatorem numerare, tot cædes Grecorum cuiuslibet generis factæ per summam crudelitatem, vt eas enumerare vix vllus posset; qui volet hæc cognoscere, scripta Choniatæ legat: sed ipse ad extremum peremptus crudelissimè opera Isaacij Angeli, filij similiter ipsius, duo Ioannes, & Manuël excæcati, & miserrimè interfecti.

Vigesimus sit igitur Isaacius, quem frater Alexius, & oculis, & Imperio priuauit; de quo inquit Choniata: *Summam sibi caritatem, & obseruantiam pollicebatur.*

Vigesimus primus Alexius, ab Alexio, qui ex Isaacio fratre nepos illi erat, est occisus. Alexius verò ab Alexio Duca, qui cognomento dictus est Murzuflus, cùm familiaritate esset illi intima, vt Choniatas ait, coniunctus, & summis beneficijs affectus, miserrimè laqueo est suffocatus.

At Murzuflus vigesimus tertius è turri in præceps à nostris, qui Constantinopolim ceperant, datus infeliciter perijt.

Post hos Constantinopolitanum Imperium tenuit Andronicus Paleologus ex hæreticis vigesimus quartus Imperator: hic varijs seditionibus à nepote Andronico ætate tota exagitatus tandem deponere Imperium coactus est, ac monachum profiteri.

Vigesimus quintus Andronicus nepos, vt auum deijceret, & solus regnaret, mirum quantas hominum strages auo fauentium fecerit. Gregoras cuncta recenset. Hic moriens Ioannem filium, qui annũ duodecimum agebat, Cantacuzeni tutelę commisit. At hic pupillum perfidus homo priuauit Imperio, sibiq; arrogauit, & Orchanem Turcarũ Regem data in matrimonium filia sibi affinem contra sacrorum Christianorum iura adsciuit.

Nihilominus Ioannes maior iam factus Cantacuzenũ regno deturbat, & monachum profiteri compellit. Propter hæc euenit, vt Turcæ, qui Andronico seniore imperante Asiam ceperant, & in Europam transmiserant, dissidentibus inter se Græcis plurima loca occuparint. Quin Ioannes cum Amurathe Turcarum Rege inijt societatem, & in omnibus illi operam dedit. Quid multa? Comitabatur Ioannes Amurathem quæcumque ad bella perrexisset. Quocirca cùm in Asiam traiecisset, illum secutus, & Imperium filio Andronico gubernandum dedisset, isque aduersus Turcas arma sumeret, victus, & captus à patre Ioanne filius infelix est excæcatus; & quicumq; è Græcis cum illo aduersus Amurathem conspirarant, si patres habuissent, à patribus proprijs, ita cogente Amurathe, proprijs sunt manibus atrocissimè necati, vt Chalcocondilas refert. Viden' vt oracula diuina apertissimum sortiantur euentum, vt hostes Ecclesiæ Greci cibati sint carnibus suis, quasi musto sanguine suo inebrientur, vir fratri suo non parcat, carnem brachij sui deuoret? An non caro patris, caro filij? Talis itaq; vigesimus ex hæreticis Ioannes, Græcique. Sed reliqua videamus.

Andronicus hic paulò pòst à Turcis adiutus Constantinopolim cepit, Ioannem patrem, & Emanuelem fratrem in vincula coniecit, & vsu luminum priuauit, quem receperat ipse ex aliqua parte, cùm fuisset à patre, vt diximus, excæcatus. Hæc accidêre regnante inter Turcas Baiazite, vt lib. 2. Chalcocondilas refert.

Post hæc deiectus iterum Andronicus, & Emanueli Imperium commissum, quod ille ex pacto tributarium Tur-

cis,per quos expulerat fratrē,fecit. Emanuel habuit filios Ioannem,qui Imperio est potitus,Theodorum,Constantinum,Demetrium,& Thomam.

Inter Ioannem & Theodorum perpetua ferè bella fuêre,vt lib. 7.idem Chalcocondilas refert. Et Ioannes quidē trigesimus ex hæreticis Imperator,qui tamen postea Concilio Florentino interfuit,& ad nos concessit.Quo defuncto,ad Constantinum fratrem,fratribus alijs id ægrè ferētibus,ac dissidentibus,Imperium delatum,qui à Turcis occisus,captaq; Constantinopolis anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio.

Capta porrò Constantinopoli superstites erant ex Emanuele Thomas,& Demetrius,quibus multæ vrbes in Græcia parebant. Ex his Thomas contra pacta conuenta bellum mouit ope Turcarum fretus aduersus Demetrium fratrem,quem cepit,& in carcerem detrusit, inediaque necauit,& ipse paulò pòst à Turcis est obtruncatus. En qui finis hæreticorum,quæ feritas atrocissima ipsorum,vt omninò intestinis cædibus inter se sæuiant, ac miserrimè dilacerpantur. An non vera oracula diuina? A quibus igitur Ecclesia Dei?

Narrantur cædes intestinæ aliorum hæreticorum Regum & Imperatorum.

CAP. VIII.

SED prosequamur quæso institutum,& his multo maiora aperiamus. Numquid enim soli Imperatores Orientis hæretici diris huiusmodi obnoxij fuerunt? Visigotthos constat Arianos fuisse vsq; annum 585. quo Recharedus cepit regnare. Horum Rex primus Alaricus in Italia decessit,nondum regni sedibus certa vlla in regione collocatis.

Visigotthorum Arianorum.

Ataulphus prior in Gallia Narbonensi consedit,& mox in Hispanias concessit. Barchinoneq; inter epulas à suis domesticis est occisus.

Ab hoc secundus Sigericus similiter à suis est interfectus.

Tertius Vallia cum Romanis & Catholicis optimè sensit,& in Vandalos Arianos,inquit Iordanus, cum suis sæuijt,

uijt, & prouincias aliquot Imperio Romano restituit.
Non ita Theudoricus quartus, qui in prælio aduersus Attilam victus occubuit.
Thurismundus quintus à Theudorico & Friderico fratribus est interfectus.
Theudoricus autem sextus ab Eurico fratre. Hic propria morte defunctus est.

Vasæus in Chronico.

Alaricus octauus in prælio à Francis exstinguitur.
Geselicus IX. à Theudorico regni potestate vitaque priuatur.

Post Theudoricū nepos Amalaric⁹ ab exercitu suo apud Narbonā iugulatur. Atq; hic Rex X. necatur ab Alarico: pòst Theudis, Theudiselus, & Agila à suis de medio sublati.
Quartus decimus est Athanagildus, quem Catholicum fuisse scribit Lucas Tudensis, licèt occultum. Inde regnat Leouigildus, quem similiter supremo vitæ tempore nobiscum sensisse tradit Gregorius Turonēsis, negat Gregorius Magnus id omninò factum: agnitam ab illo quidem veritatem tradit, sed non cultam; consentiunt omnes tamen de voluntate & consilio ipsius Recharedum filium ad nos concessisse. Atq; hucusq; Visigotthorum Reges Ariani, sic è xiiij. Reg. hæreticis à suis occisi nouem.
Veniamus ad Ostrogotthos, qui in Italia regnarunt.
Horū primus Rex Theodoric⁹, qui horribili spectro perculsus occubuit, regnauitq; cum Athalarico filio.
Quibus succedens Amalasuenta necatur à Theodohato, quem consortem regni & matrimonij adsciuerat.
Theodohatus à Vitige interemptus, Vitiges à Belisario captus.

Ostrogotthorum Arianorum.

Ildobaldus, atq; Araricus à suis Gotthis interfecti.
Totilas, ac Teias à Narsete, sic ex octo Reg. hereticis quatuor occisi à suis.
Longobardi pleriq; Ariani fuerunt. Ex his primus Alboinus à Rosimunda vxore veneno dato exstinguitur.
Clepho à familiari, & Autharis similiter à suis, ille ferro, hic veneno. Agilulphus, & Aldaualdus Catholici fuerunt.

Rodaldus Rhotari succedēs à Longobardo perimitur ob vxoris stuprum. Aripertus Catholicis adnumeratur.

Longobardorum Arianorum.

Gundebertus dum pugnat de regno cum fratre Perthari to occiditur à Grimoaldo, quem vocauerat in fratrē. Post Pertharitum Catholici omnes fuerunt.

Quod si exempla Imperatorum Occidentis quæras; ex his primus hæreticus est iudicatus Henricus Tertius, qui à filio Henrico Quarto victus in bello, captus, Imperio spoliatus, in vincula coniectus, à cunctis deniq; destitutus miserrimè decessit.

Huius mores est secutus Fridericus Secundus, qui à Mãfredo filio est suffocatus; & ab eodem Conradus & Henricus fratres exstincti veneno, ipse in prælio occisus Ludouicus Bauarus hanc pœnam videtur effugisse. sed mihi quidem nondum satis liquet ipsum fuisse apertè hæreticum; contumacem certè quidem, & temeraria ac superba sentientem, è quibus non omninò hæreticum fuisse, sed ad hæresim tendere quantum adhuc benè scio, colligitur.

Borealium Protestantium.

Veniamus ad Reges nostræ ætatis, qui ab antiquæ Christianæ religionis placitis atq; institutis desciuerunt. Primus è Regibus, qui tantum facinus est ausus, anno millesimo quingentesimo vigesimo primo fuit Christiernus Daniæ Rex. Is quantam crudelitatem exercuerit, quamdiu regnauit, in omnes siue hostes, siue amicos, est sanè incredibile. Ad extremum pertæsi omnes illius immanitatẽ, duce Christiano ipsius patruo, ceperunt arma. Miser captus, & cauea ferrea inclusus est vsq; ad mortem à Christiano patruo, qui regnum arripuit, expulso nepote, ad quem iure pertinebat eiecto patre Christierno: est autem captus anno millesimo quingentesimo trigesimo secũdo, ex quo depulsus est vndecimo, cõtra fidem datam: Surius ait eum sublatum tandẽ veneno dato post obitum Christiani. Verebatur enim Fridericus eius nepos, ne quid seditionis oriretur. Obijt Christianus anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo; ipsique filius Fridericus successit. Huic adhuc regnanti, quid euenturum sit, videbimus. Munsterus hæreticus tradit in sua Geographia Christierno successisse Fridericum patruum: quo defuncto sub annum millesimum quingentesimum trigesimum tertium, Ioannes eius filius est electus Rex, quem frater Christianus regno deiecit. In Suetia Gustauus Rex à nobis secessionem fecit. De illo sic Natalis Comes: Gustauus Svvetorum Rex post annos triginta quinque sui regni naturæ concessit, cum multa suorum popularium lætitia, quorum vniuersam propè nobilitatem in morem Tarquinij Romani deleuisset, veritus ne quod Imperium illegitimè occu-

De crudelitate Christiani Reg.

Munst. li. 4 Geogr.

occupasset, legitimè sibi extorqueretur. ad hoc impulerat etiam innata quædam alienæ opulentiæ sitis, & auaritia, & cupiditas, propter quam in omne genus hominum crudelissimè sæuiebat.

Huic successit filius Henricus ab initio bonus, mox, vt idem scriptor testatur, furibundus, & inhumanus. Hic detinuit in vinculis Ioannem fratrem, qui Henrico in furorem verso solutus, rerumq; potitus est. & diu fuerunt sæuissima bella inter consanguineos superstites ob regnandi cupiditatem, Carolo fratre Regis Ioannis plurimas in eum seditiones ac bella concitante.

Henricus Octauus Angliæ Rex anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto Catholicæ religioni nuncium remisit. Ab eo, vt omittamus Annam Boleniam, securi etiam percussa Hauarda coniux, frater eius, & soror similiter occisi, Thomas pater, ac Regis socer de illo optimè in plurimis prælij meritus in vincula detrusus. Suffectus est illi filius Eduardus, qui post aliquot annos veneno dictus est perijsse, quod illi propinandum curarat socer Dux Sufolciensis, qui regni hæredem curarat instituendam filiam suam.

Post eius, ac Mariæ mortem, nunc Elisabetha Annæ Boleniæ filia rerum summam in Anglia tenet. Quid illi futurum sit, apparebit. In Scotia regnabat Maria Stuarda Catholica, quam capite plecti iussit hoc anno Elisabetha Angliæ Regina. Illa post obitum Francisci Secundi Galliarum Regis nupserat Darelio è veteri Scotorum stirpe nato. Eum Iacobus Reginæ frater, sed nothus, regnandi desiderio interfici curauit, auersa in sororem culpa, quam vt ma gis redderet tanti criminis suspectam, cuidam Boduelo nubere coëgit. Illa vbi se collegit, in Angliam venit è Scotia in Galliam nauigans. Ibi ab Elisabetha in carcerem nul lo iure detrusa. Hac via Iacobus gubernacula Scotici regni hæreticus homo inuasit, electa Regina Catholica & leuiro interfecto. Sed haud impunè illi fuit. Nam mox anno millesimo quingentesimo septuagesimo, ab intimo suo est occisus; ac post mensem decimum octauum similiter à suis interfectus Comes Liri euxensis Caluinista, qui Scotici regni administrationem ceperat.

Hæc igitur hæretici inter se Reges, & inter suos domesticos, ac propinquos. Numquid similia inter Catholicos? Varia fuêre inter Catholicos bella: sed huiusmodi in suos

vel consanguineos, vel intimos crudelitates tam breui præsertim tempore, ac tam crebræ, id nullo modo. An non hoc verum? Audi illustrissima exempla. Anno nongentesimo octuagesimo septimo regnare cœpit in Gallia Hugo Capetus, & adhuc ei⁹ familia per annos sexcentos regnat. Ex ea prodierunt Reges viginti septem Catholici omnes. Nullibi scriptum reperies per tot annorum spatia ex illis vllum fuisse à fratre, vel germano, vel patruele, non dicam necatum, sed neq; expulsum regno, neque in vincula coniectum. Fuêre aliquando seditiones, at huiusmodi nihil, quale inter hæreticos Reges, tam breui tempore, tam frequens. Mirandum sanè, sed oraculis diuinis omninò consentiens. Audi adhuc maiora, anno nongentesimo & sexagesimo secundo Ottho Magnus Germaniæ Rex Imperator est creatus. Ex eo Imperatoria dignitas in Germania fuit per annos sexcentos viginti quinque, ac numerantur ab aliquibus triginta tres Imperatores. Ex his duo, vel ad summum tres excommunicati. Henricus III. à filio Henrico, qui parum Catholicis æquus fuit, ac Pontificibus expulsus in summis ærumnis miserrimè decessit. Fridericus Secundus Henricum filium in vincula coniectum necauit inedia, ipse postea à Manfredo filio est strangulatus. At qui nulli id Catholico Imperatori in Germania contigit. Quid dicam in Germania? Annus agitur supra 1270. ex quo Imperatores nomen Christo dare cœperunt. Audi tum numquam à proprio filio Imperatorem patrem suffocatum, & ab ipso patre filium peremptum, vt à Manfredo excommunicato excommunicatus Fridericus, & à Friderico patre filius Henricus interfectus. Numquam verò Imperatores Catholici à proprijs filijs in eas angustias coacti, in quas compulsi ab hæreticis filijs hæretici Imperatores, vel Occidentales, vel Orientales. sed quales inter se hæretici Reges, qualesq; nostri quo ad cædes, singillatim nos explicamus signo de felici exitu Catholicorum, & infelici hæreticorum Regum.

Breuis cōparatio nostrorū cum superioribus.

Vin' plura? Audi miserabiliora, vt hæretici sanguine proprio quasi musto inebrientur, & cibentur hostes Ecclesiæ carnibus suis. Amurathes primus Turcarum Rex tertius instituit, vt Græcorum filij ætatis tenerioris à parentibus subditis abstracti nomen Mahometi darent, & Ianizeri dicerentur, quibus ad prælia vteretur. His Asiam, Græciamque totam, & finitimas his regiones hæresum plenas,

plenas, maximè Græcanicarum, redegit in potestatem. Ab his ad internecionē ferè deleti Græci, ab his inquam Græco sanguine vt plurimum natis; quicumque verò è Græcis supersunt, qui Christum colere se profiteantur, mirum quot modis ab istis Ianizeris diuexentur. En vt hostes Ecclesiæ carnibus suis cibentur. Amurathes porrò ille in Græciam vocatus est, & admissus à Calo Ioanne Paleologo Imperatore aduersus suos bellum gerente, vt Turcis scilicet, ac Ianizeris è Græco sanguine ortis Græcum sanguinem propinaret: quod factum ex maiori parte, & ex omni in dies fieri deflemus aduersus eos, qui vel Græcanicos ritus sequuntur, vel aliàs hæreses in Hungaria, & locis Germaniæ proximis; in quæ Turci sæpius excursiones facere solent, & hominum prædas agere. in quibus quicūque pueri sunt, adscribuntur ordini Ianizerorum; vt adultiores facti aduersus gentiles suos ac propinquos arma sumant, bella gerant, & effundendi sanguinis sitim non in alijs expleant, quàm in suis & hæreticis ante alios omnes, quorum in ijs regionibus est longè maxima copia, multo maior certè quidem, quàm Catholicorum.

De Otthomanis Ecclesiæ Catholicæ inimicis.

CAP. IX

SEd quando qui Mahometem sequuntur, Ecclesiæ sunt etiam Catholicæ inimici; videamus aliqua ex parte, an vltio diuina, de qua nobis est sermo, homines istos contingat, & an cibentur illi carnibus suis, & sanguine suo quasi musto inebrientur. Otthomani nunc principem locum tenent in Mahometis sectatores. Hi trahunt origenem ab Otthomano, qui Andronico imperante Turcis in Asia præesse cœpit.

Eius filius Orchanus, vt regnaret, tres fratres occidit.

Orchani successor, ac filius Amurathis, alterū fratrem necauit; alter ne necaretur, effugit.

Baiazethus Amurathis progenies, & hæres septem fratres morti dedit. Hic est, quem Tamerlanes vicit, & in seruitutem miserrimam deduxit.

Musulmanes Baiazethi filius, vt regnaret, Iesum fratrē peremit.

Moses Musulmanem fratrem, Mosem frater Mehemetes strangulauit.

Huius filius Amurathes eiusdem filium Mustapham suffocauit.

Mahometes Amurathis soboles fratrem quinquēnem interficit.

Mahometis filius, & successor Baiazethes Gemem fratrem regno expulsum sæpius ad mortem petijt, cùm Rhodum profugisset, & mox Romam sedente Alexandro Sexto aduectus esset.

Selimus Baiazethis proles ipsum Baiazethem patrem necauit Corchutum; & Amurathem fratres, & ex fratribus nepotes quinque.

Selimo filius fuit Solymanus, cui nulli quos occideret fratres fuēre; sed filium Mustapham, & ex eo nepotem prorsus immerentes interfecit.

Breuis cōparatio nostrorūcum superioribus.

Selimus Solymano patri successit, à quo quinque tum fratres, tum nepotes occisi.

Ab eius verò filio & hærede Amurathe, qui nūc regnat, quinque fratres strangulati. Atque hæc sanè Otthomanorum crudelitas. Numquid simile inter Catholicos? Carolus Quintus, & Ferdinandus fratres fuēre, nihil vmquam fuit inter eos discordiæ. Ferdinando tres filij, Maximilianus, Ferdinandus, Carolus. numquam dissensere inter se, & partiti sunt regna singulari pace, & beneuolentia semper deuincti. Maximiliano quinque liberi fuēre, ac sunt, Rodulphus Imperator, Albertus, Ernestus, Maximilianus, Matthias, ij viuunt concordes, & vnanimes. Non ita Otthomani, Regesque Suetiæ Ioannes, Henricusque fratres, & Daniæ Christiernus, & Christianus, & huius nepos Federicus.

Persicorū Regum.

Ac ne quis putet solis Otthomanis hanc inesse feritatem, vt fratres inter se occidant; ostendamus idem contingere alijs Regibus Sarracenorum. Conuenit inter omnes post Otthomanos principem locum tenere Persarum Reges. At quales hi, vide quæso. Angiolellus, cui subscribit Iosaphat⁹ Barbarus, hæc narrat. Assambeius Persarum Rex obijt anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo, quatuor filijs relictis. Ex his natu minimus à ceteris fratribus strangulatus. Iacobus maior alium necauit,

Angio. c.10. Iosap. c.18.

uit, cum alio pactus est. Mox ipse veneno ab vxore dato exstinctus est anno millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto. Inde varia inter Persas pręlia fuêre, varij Reges. Iouius à prædictis scriptoribus non nihil dissentit. In hoc tamen conueniunt, ab Ismaële Sopho occupatum Persarum regnum, fugatosq; aliquot ipsius propinquos, qui illud inuaserant. Ab hoc Ismaële necata propria mater, vt ex Itinerario, quod scriptis Angiolelli & Iosaphati est adiunctum, colligi potest. addit Natalis Comes ab eodem contra datam fidem Assambei nepotem, cui se velle regnum recuperare ac restituere profitebatur, obtruncatum. Successit Ismaëli Thammas, à quo interfecti duo fratres, Elias, & Samus. Nunc regnat Chadabenches ex isto Thammaso natus, qui Cadairem ferro, Ismaëlem veneno vtrumque fratrem sustulit. Quòd si hæc exempla haud sufficiunt, satis sit attulisse ea, quæ Thuneti Regibus euenerunt. Mulcasses enim ætate patrum nostrorum duodeuiginti fratres partim trucidauit, partim ferro oculis cādente admoto excæcauit, vt regnum solus teneret. Sed paulò pòst ipse Mulcasses à proprio filio Amida eodem modo est oculorum lumine priuatus, & vnà cum eo duo ipsius filij, & Amidæ fratres. Neque Amidæ tamen regnum quietum fuit à bellis ac seditionibus fraternis: nam superioribus annis regno est expulsus, quod tandē peruenit in manus Turcarum.

Tunetensium.

Quòd si animum vertas ad Imperatores Romanos, qui à Christo fuerunt alieni; cùm quinquaginta & octo aut plures numerauerimus, videbis omnes intestinis insidijs occisos, & vi ferri aut veneni sublatos, septem dumtaxat exceptis, Vespasiano scilicet, Traiano, Hadriano, Antonino Pio, Antonino Philosopho, Seuero, Claudio Chloro. iam verò quales inter se fuerint reliqui Reges, est explicatum latè signo de pietate. Atqui hoc est euidentissimum signum maximæ apertissimæque feritatis. Igitur ad rem nostram: necesse est à nobis esse Ecclesiam Dei, quando constat ipsius hostes carnibus proprijs cibari, sanguine proprio quasi musto inebriari. An non ita? Hæretici Imperatores plerique omnes, ac Reges à suis de medio sublati, idemq; ceteris eius inimicis Christi numen haud colentibus contigit. Quòd nostris ita non euenisse adeò liquet, vt cùm ex vna Capeti familia tot Reges numerentur in Gallijs per annos sexcentos, nemo ex ijs fuerit occi-

sus vm-

sus vmquam à suis, nec regno similiter expulsus. Idem cō-
tigit Portugalliæ Regibus, qui per annos ferè quingentos
ex vna stirpe orti imperarunt. Alijs porrò Regibus magis
minúsve euenêre eadem, quò magis aut minus religionis
Catholicæ studiosi fuerunt; quod signo de felici exitu Ca-
tholicorum, & infelici hæreticorum latè discutimus. At
inter Catholicos, inquies, interdum bella videmus. Quis
negat? Hoc vrgemus. non adeò intestina Catholicis, vel
odia, vel mala, longius hæc ab ipsis absunt. Ergo meliores
proculdubio Catholici Reges, & Imperatores. Quod si
Principes, & quicumque etiam Principibus ipsis sunt sub-
iecti, quod nemo sanæ mentis negabit. E quibus fit Eccle-
siam nostram diuinam, quando ad bonitatem Dei, vnde
omnia bona dimanant, propiùs accedit. Sed quanto inter-
uallo recedunt à diuinitate hæretici, quibus, vt apparet, est
mos in propinquos, domesticos, ac suos sæuire? An quan-
to belluæ? Ego verò dixerim verè longè maiori. Vix enim
reperias vllum belluarum genus, quod in alias sibi vel
sanguinis coniunctione proximiori, vel aliqua re, qua de-
uinciri illæ soleant, adstrictas, edat vllum crudelitatis ex-
emplum. quin dixit ille;

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vmquam, nisi in dispar feris.

Igitur ad alia transeamus: de feritate namque hæretico-
rum satis, vt mihi videtur, est à nobis dictum.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Ignauia hæreticorum aduersus hostes.

Prædictum est fore, vt qui recedunt à Deo, ad extremum sint imbelles, & ignaui aduersus hostes suos, quales esse deniq; hæreticos omnes apertißimè demonstratur.

CAP. X.

Cap. 2.

CONqueritur Isaias de populo Israëlitico, & ait; *Re-
pleta est terra eius idolis; opus manuum suarum adorauerūt,
quod fecerunt digiti eorum.* Vbi hæc conquestus est, &
alia

alia nonnulla ex his pendentia, adiungit; *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem.* Hæc Isaias, vt sciamus fore, vt quoties populus aliquis à Deo recedit, continuò imbellis euadat, & quod adijcit idem vates, Effœminati dominentur ei. Verè namque cecinit Dauid: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt; nos autem surreximus, & erecti sumus.* Hinc alibi idem: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Igitur videamus quales hac parte hæretici, & quales eadem in re Catholici. Et quidem fieri potest, vt aliquis hæreticus sit in bellicis rebus & fortior, & peritior aliquo Catholico. nam quis hoc inficietur? Sed omnia pensari solent ac debent ex maiori parte. Igitur plerumque hoc accidit, vt ignauissimi sint hæretici, fortissimi nostri, & rei bellicæ tractandæ peritissimi. Ac ne possint effugere argumentum, inspiciemus quales fuerint hæretici imperatores ac Reges in suis regnis tutandis, ac qua les nostri in ijsdem met conseruandis, vbi à nostris administrata fuerunt. & certò comperiemus, tum demum venisse illa in manus hostium Christi, ac prorsus concidisse, vbi hæretici imperarunt.

Cap. 3.

Psalm. 19.

Exordiamur ab Imperio Romano; quod quamuis multis varijsq; concussionibus diu fuerit agitatum, & antequã Constantinus nomen Christo daret, & illud ad Christianos perueniret, stetit tamen semper. Sed anno quadringentesimo septuagesimo quinto, cùm Zeno hæreticus imperaret in Oriente, ad quem cura tunc Occidentis etiã spectabat; Momyllus verò Augustulus in Occidente similiter & ipse hæreticus Arianus, quamuis non legitimè creatus esset, (ad Zenonem namque electio Imperatoris ex more tum pertinebat) Imperium Romanum extremam ruinam fecit. Odoacer, namq; Herulorum Rex in Italiam irrupit, Romam cepit, & finis Imperio Occidẽtali tum datus. Cur non antea datus? An non sub annũ quadringentesimum decimum Gotthorum Rex Alaricus Romam ceperat, Honorio Catholico Occidentis Imperatore, quamuis in vrbe tum regnaret Augusti potestate Attalus Arianus? An non iterũ sub annum quadringentesimum quinquagesimum quintũ, eadem Roma capta à Genserico Vandalorum Rege, cùm Maximus inuasisset Imperiũ necato Valẽtiniano?

Zona. tom 3.
Sigo. li. de occid. Imp.
Euag. libr. 2 & 3.

Imperium Occidẽtale euersum hæreticis imperãtibus.

Quid

Quid igitur fuit in causa, vt Imperium Occidentale haud corrueret, cùm venit in potestatem Regum fortissimorum à quibus erant exercitus è militibus veteranis constãtes? Agè verò Ricimer Arianus Gotthorum, qui Romanis militabant, dux, homo summa perfidia, Auitum imperio spoliauit, Maioranum per maximum scelus occidit, Seuerum veneno sustulit, Anthemium deniq; anno quadringentesimo septuagesimo secundo necauit ac Romam cepit; & Imperium tamen Occidentale stetit. At vbi venit in manus hęreticorum, actum de tota re, illicò perijt, haud potuit exsurgere. Cùm scilicet Orestes Gotthus Arianus militiæ magister filium suum Momyllum Augustulum creauit Imperatorem, cùm Zeno hæreticus in Oriente imperaret, cuius erat tunc Occidenti Imperatorem dare, & eius casum, quod ceteri fecerant, sustinere. Igitur tales in Occidentali imperio administrando hæretici omniũ procul dubio inertissimi.

Nam quis ignorat quales fuerint Catholici? In quibus primum se offert Constantinus ille Magnus, qui cùm toties signa cum hostibus contulerit, numquam est victus: & tamen anno trecentesimo septimo cum fortissimis Francorum Regibus pugnauit, Asarico, & Gaisone, & sequenti cum Bructeris; mox tercentesimo nono Maximianum Imperatorem arma aduersus se parantem Massiliæ oppressit; postero Bructeros iterum fudit; tercentesimo autem & duodecimo Maxentij Imperatoris exercitum in Taurinis profligauit, & paulò pòst eiusdem copias innumeras ad pontem Miluium, quo tempore in Tyberi est submersus Maxentius Imperator; sequenti Francos in Gallias irrumpentes repressit, decimoquinto post tercentesimum Licinium Imperatorem ad Cibalas vicit, & vicesimo primo Sarmatas, vicesimo autem tertio rursus Licinium, & trigesimo tertio Sarmatas, & Gotthos. Vndecies igitur signa contulit cum hostibus acerrimis Constantinus, & victor exstitit semper, numquam victus à quoquam. Denique tantum cunctis gentibus incussit terrorem, vt ab anno tercentesimo vigesimo tertio, vsq; ad trigesimum, primum per annos octo nullum in orbe Romano fuerit bellum. Eant modò antiqui, & extollant Augustum, quòd tertiùm clauserit Iani templum, cùm fateantur annum integrum non ita permãsisse, motaque subinde asperrima bella. Vni

hoc Constantino cõtigit, vt pace iucundissima per annos octo imperante illo orbis Romanus frueretur.

Sed quid ego hæreticos omniũ maximè imbelles cum bellicosissimo Imperatore conferam? Qui reputatus est ab aliquibus omnium nostrorum inertissimus, proculdubio hæreticos istos, quibus imperantibus Romam Imperium in Occidente corruit, bellica virtute superauit. Theodosius senior Honorium filium decemnem moriens Occidenti præfecit anno tercentesimo nonagesimo quarto. Hic omnium traditur à quibusdam fuisse ignauissimus; & nihilominus aduersus Imperatores septem, qui varijs in locis aduersus ipsum sumpserunt arma, stetit inuictus, & ijs exstinctis incolume Imperium Romanus moriens reliquit. In Britannia namque Marcus, & Gratianus, & mox etiam Constantinus, qui & in Gallias irrupit, in Italia Attalus, fauente Alarico Gotthorum Rege, in Hispania Maximus, in Gallijs Iouinus, ac Sebastianus Augusti nomen ac potestatem sibi assumpserunt aduersus Honorium: similiter ex Africa exercitum classemque rebellem duxit Heraclianus Comes, qui mox interfectus. Radagaisus Gotthus cum ducentis militum millibus, cùm Romam tenderet, ad Fesulas trucidatus. Alaricus ab ipso prope Hastam fusus. & ne quid deesset, quæ in ipsius exitiũ facere possent; Stilicho, in cuius tutela relictus est Honorius à Theodosio patre, in eum conspirauit, qui paulò pòst insidijs detectis est necatus. Tot igitur insidijs, tot armis vndique petitus Imperator hic imperium Occidentis conseruauit, quãuis nulla non pars eius aduersus ipsum coniurarit, nihil defuerit & ad imperij, & ad Imperatoris extremam perniciem per annos viginti nouem, quibus post mortem patris imperauit. & hic nostrorum ignauissimus existimatur.

inertissim' è nostris fortior hæreticis.

Sed quando ostendimus imperantibus hęreticis Imperium Occidentale euersum; videamus idem contigisse in Orientali. Et quis ignorat illud in Turcarum potestatem fuisse adductum Constantino hæretico imperante anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio? Sed vt appareat palàm, quàm fuerint nullius animi & consilij Imperatores omnes hæretici, recenseamus singillatim quæ acciderint ipsis rerum summam tenentibus.

Orientale imperium euersum hęreticis imperantibus.

Et de Constantio quidem constat, quàm sæpè fuerit

turpiter à Persis victus, vt inter alios Ammianus, qui fuit ijs temporibus, testatur.

Valens à Gotthis est occisus, & concrematus, qui ob id in Græciam sese effundentes, flammis, ac ferro cuncta vastarunt.

Euag. lib. 3. Zeno summo cum dedecore à Basilisco exactus, eoque regnante, vt Euagrius scribit, in Oriente Barbari Scenitæ loca omnia populati sunt, Hunni verò Massagetæ Græciam Græciæque contermina loca nemine resistente.

Haud dissimilis Zenoni fuit Basiliscus, qui postea & ipse ab eodem Zenone est expulsus, cùm breui tenuisset Imperium. Narrat idem Euagrius, à Theodorico Gotthorum Rege multas clades Græciæ regionibusque propinquis illatas.

Anastasius per nonnullos duces aliqua contra Sarracenos & Persas feliciter gessit, à quibus imperij Romani cõfinia turbabantur, & vastabantur. Nihilominus illo imperante Hunni Hauares, vt scripsit Paulus Diaconus, è Caspijs portis erumpentes, Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Pontumque latè sunt depopulati. neque minora perpessus est à Vitaliano Anastasius in Græcia. Zonaras addit à Bulgaris Illyricum vastatum, copijs Anastasij miserrimè trucidatis. Iustinianus Imperator cùm supremo vitæ tempore inciderit in hæresim; qualis postea futurus esset in re bellica, non potuit apparere.

Heraclius quamdiu perstitit in veritate doctrinæ, plurima felicissimè aduersus Persas gessit; vbi Monothelitarũ sententię adhęsit, à Mahomete, ac Sarracenis, Syria, & AEgypto est spoliatus.

Constans fuit hæresis eiusdem, illique Sarraceni eripuerunt Africam, Aradum insulam prorsus inhabitabilem reddiderunt, Cyprum vastarunt, Isauriam ferè cultoribus cunctis viduarunt in seruitutem abreptis.

Iustiniano Secundo imperante Sarraceni Armeniam ceperunt, neque vmquam orientem vniuersum deformare incendijs, ait Zonaras, & Christianos abducere in seruitutem destiterunt.

Philippicus Iconomachus Iustiniano successit: quo rerum summam tenente, Bulgari, inquit Zonaras, vniuersam Thraciam populati ad ipsam vsq; vrbem cuncta incursarunt, magnaq; pręda, & captiuis ferè innumeris abductis

domum

domum se receperunt. Sed & Agareni Orientem eodem modo tractarunt.

Leone Isaurico regnante Masalmas Arabum Dux igni ferroq; Thraciam fœdans, ipsam Constantinopolim obsidione cinxit, & plurimas Christianis locis vastitates induxit; Cæsaream Cappadocię cepit. Tulcimin etiam, Sarracenorum similiter Dux, multis cladibus Asiaticas prouincias deformans, innumeros captiuos abduxit.

Copronymo imperante Gizid Sarracenorum Princeps Cyprios omnes in Syriam transtulit, Turcæ è Caspijs portis erumpentes Armeniam prædati sunt, Sardiniam præterea Sarraceni occuparunt.

Leo filius Copronymi paucis mensibus hæreticum se professus est, ac gessit; quo tempore, vt Landulphus Sagax scripsit, Sarraceni quædam loca Armeniæ in suam potestatem redegerunt.

Nicephoro verò imperante multas Asiæ regiones occuparunt, copias Imperatoris sæpè fuderunt, donec annuum tributum illi imponerent. Bulgari præterea varijs incursionibus Thraciam deformarunt, donec eorum Princeps Chunno, siue Chrumus, ipsum Imperatorē obtruncauit, exercitum fudit, plurimosq; in seruitutem abduxit.

Leone Armeno rerum potito Bulgari occupatis trans Istrum cunctis iam regionibus Constantinopolim obsederunt, Hadrianopolim verò vrbem Thraciæ celeberrimam ceperunt.

At Michaële Balbo imperante Mahometani Cretam Siciliamq; in suam potestatem redegerunt, ac nōnulla Apuliæ, Calabriæ, finitimarumq; regionum loca.

Theophilus ter cum maximis copijs, maximaque suorum cæde à Sarracenis est profligatus, ita vt vix ipse incolumis effugere posset. Amorium ipsius patria captum. quantus verò populus, inquit Zonaras, fuerit abductus, dici non potest. Mulierum puerorumq; multa millia abreptæ.

Monomacho regnante totus Oriens vsque ad orā Constantinopoli continentem subactus à Turcis. Pazinacæ verò omnia trans Istrum rursus occuparunt. Iam verò cùm Græci ope nostrorum, vt aliàs diximus, Asiam recepissent in illa expeditione nobilissima, quam indixit Vrbanus Secundus in Concilio Claramontano, cùm Gottifredus Bolli[o]nius Hierosolymam cepit; Imperatores autem Constantinopolitani, Græcique anno millesimo centesimo

octuagesimo primo, Andronico Comneno rerum summam tenente, rursus à nobis discessissent ad hęresim suam reuersi, contigit, vt rursus omnia in potestatem Turcarum paulatim adducerentur, maximè verò postquam Andronicus Paleolog⁹ à nobis palàm discessit, & Michaëli patri, quòd nobiscum sensisset, iusta vetuit persolui: quocirca illo imperante Turcæ cunctas Asiæ prouincias occuparunt, quinimmo in Europam traiecerunt ipso adhuc viuente. Denique perseuerantibus eius nepotibus in hæresi eadem, Græciam ferè totam ceperunt donec tandem sub annum millesimũ quadringentesimum quinquagesimum tertium Constantinopolis capta Constantino hęretico regnante, Imperiumq; Orientale prorsus excisum.

De Ignauia hæreticorum in Occidente.

CAP. XI.

NVnc ad Occidentale veniamus. de quo sanè, quamdiu fuit Orientali adiunctum, Imperatoribus ambobus de consilio communi vtrumque administrantibus, ita vt superstitis esset defuncto Imperatorem substituere, iam satis est dictum. Ostendimus enim prorsus euersum Occidentale Imperante in Oriente Zenone hæretico, ad quem spectabat Occidenti Imperatorem dare, quamuis Momyllus Augustulus imperaret, qui & hæreticus Arianus erat, neque legitimè, sed contra fas omne fuerat creatus. Sed postquam Leo Tertius anno octingentesimo primo rursus Occidenti Imperatorem dedit, coronatusque est ab illo Carolus Magnus, nullus ex ipsis hæreticus omninò videtur fuisse. Pro hæreticis tamen condemnati Henricus Tertius, Fridericus Secundus, & Ludouicus Bauarus; qui cùm multa, priusquam à recta sententia & veritate declinassent, fortissimè visi essent gessisse, postea tamen inglorij decesserunt.

Et Henricus quidem Tertius ab Henrico filio turpiter acie victus, & Imperio spoliat⁹ miserrimè è vita migrauit.

Fridericus autem Secundus à Parmensibus, quos obsederat, fœdè profligatus, ac fugatus, in Apuliam se recipiens, à Manfredo filio mox est strangulatus.

Ludouicus verò Bauarus cùm multa molit⁹ esset in Italia, rescindi cuncta viuens vidit, & ab aliquo ex aduersa-

rijs semper est conflictatus in Germania, donec improuisa morte, equo, quo vehebatur, delapsus, est sublatus. Idcirco veniamus ad Reges hæreticos; & inspiciamus quæ fuerit eorum bellica fortitudo.

Ac sanè nullo modo negandum ex hæreticis Regibus inueniri aliquos, qui bellica laude præstent aliquibus è nostris. Sed nos hîc maiorem partem spectamus, asserimusque hæreticos ad extremum sic effœminatos, vt facillimè eorum regna perdantur, ad nihilum redigantur, & nihil habeant singularis. An non ita? Memoria repetam' Arianorum regna, & aliorum hæreticorum singillatim.

Gensericus Vandalorum Rex anno quadringentesimo vigesimo septimo accitus à Bonifacio, summo dolo, ac perfidia cepit Africam quamdiu stetit in illa prouincia illorum regnum? vsque ad annum quingentesimum trigesimum quartum per annos scilicet centum, & septem, & quoties iusto bello petiti sunt à nostris Vandalorũ reges, toties ferè sunt profligati. denique à Belisario Vandali in Africa nullo ferè negotio fusi, captus eorũ Rex Gilimer, Africa recepta.

Procop. li. de bell. Vand.

Attaulfus Gotthorum Rex, Honorio permittente, cùm Placidiam sibi ipsius sororem despondisset, sedes in Gallia fixit Narbonæ anno quadringentesimo vndecimo; sed anno quingentesimo sexto à Clodoueo Rege Francorum Catholico Gallia expulsi Visigotthi: cuius cùm deinde partem recepissent ope Theodorici Ostrogotthorum Regis rursus eiecti à Theodoberto sub annum quingentesimum trigesimum tertium, ita vt non amplius eorum regnum durarit, quàm annos centum viginti duos. In Hispania sanè perstitit Arianorum Visigotthorum potestas, vsq; ad annum 586. quo Richaredus Catholicæ se religioni adiunxit. Visigotthi in Hispanias ingressi sunt anno quadringentesimo decimo quinto; itaque tenuerunt illas annos centum septuaginta vnum, nullam aduersus Catholicos tempestatem commouentes, nullam publicam molestiam illis exhibentes.

Vasæus in chronic.

Ostrogotthi Italiam tenuerunt ab anno quadringentesimo nonagesimo tertio, vsq; ad quingentesimum quinquagesimum secundum per annos scilicet quinquaginta nouem; mox à nostris exterminati. Itaq; hæretici Ariani, qui aduersus Imperatores hæreticos fortissimi fuerunt, ideoq; Imperium Occidentale, quod in manus hæretico-

Sigon. libr. de occ. imp.

rum venerat, discerpserunt, atque euerterunt, vbi cum nostris manus cōseruerunt, ad extremum victi, deletiq; sunt, vel ad nos spontè conuolarunt. Et sanè, si quid vmquam roboris fuit in hæreticis Regibus, id maximè eluxit in Arianis, qui tamen nullo modo nostris comparandi. Nihilominus ceteros inspiciamus, & initium sumamus ab vltimis Occidentis regionibus.

Vasæus in Chron.

In Hispania Vitiza & Rodericus hæretici fuerunt post annum septingentesimum secundum, quibus regnantibus Sarraceni Hispania ferè tota sunt potiti, maximo Roderici Regis exercitu ad internecionem conciso. E Regibus Hispaniæ an alius fuerit hæreticus, certò non constat. Petrarcha quidem libro de vita solitaria Petrū Castellæ Regem scribit hæreticum fuisse, scelestissimum quidem cuncti scriptores nominant: vt vt res sit, prelio victus est, & postmodum necatus, Henrico fratre in ipsum mouente sub annum 1369.

In Gallijs Chilpericus Rex Sabellianus fuit hæreticus, vt Gregorius Turonensis, qui fuit ijs temporibus, scriptū reliquit. Ab hoc nihil præclarè gestum. fuit à sicario occisus homo inertissimus. Atque hi quidem in Europa antiquitus hæretici Reges. fuit & in Bohemia Gregorius Podebrachius, qui cùm multa diu conturbasset, ne in manus Matthiæ Regis Hungariæ cunctis amissis veniret, mors effecit.

Præter hos sunt illi, qui Græcanicas opiniones sequuntur, aut olim secuti sunt, vel omninò, vel ex parte. In his Bosnæ Reges, VValachiæ, Bulgariæ, & Seruiæ: è quibus nemo ferè est, qui egregiam laudem meruerit aliqua re præclarè gesta. Bulgarorum Reges tamen aduersus hæreticos Imperatores plurima fortiter olim confecerunt: de quibus Græcarum rerum scriptores. Hi nunc omnes seruiunt, si qui sunt in ijs locis Principes, Turcarum Regi.

Est præterea Moscorum, qui vocatur Magnus Dux, non enim regio nomine est ornatus, qui auorum nostrorum memoria cœpit caput extollere, cùm prius ille pareret Tartarorum Regibus. & hic principatus ante annos ducētos & quinquaginta cœpit Ioanne Danielis filio rerum ad flumen Moscam potito, vt Sigismundus Herbersteinus scriptum reliquit. Nōnulla deinde ante annos ferè cētum per Moscouiæ duces illustria perfecta aduersus Scythicas ac Boreales gentes. quin innumeras in aciem copias educentes,

centes multum negotij per aliquod tempus Poloniæ Regibus dederunt. Anno prætere a millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo Liuoniam in suum ius adduxerunt. Erat illa prius Theutonicorum militum, qui superioribus annis vnà cum suo magistro hæresim Lutheranam fuerant amplexi, & antea soliti erant Moscouitas vincere, non ab illis vinci. Sed ante paucos annos Stephanus Poloniæ Rex bellicosissimus, & Liuoniam, & Poloschiam Moscouitis eripuit, & plurimis eos prælijs contudit exemplo maiorum suorum.

Attingunt penè confinia Moscouitarum, regna, vt vocantur, Mengrellorum, Iberum, Georgianorum, Zygorum, qui Circassij nominantur. Atque hi tum Græcanicas opiniones sequuntur, tum præterea falsa quædam sua. Ex his nullus vmquam Rex aut Princeps aliqua re gesta maximè illustris. latrocinijs ac prædationibus indigenæ dant operam. Hac in re valent aliquid, subitis atque improuisis excursionibus. Eorum porrò regiones horridæ, ac squallentes; è quibus nihil speres vmquam, quamuis in illis sedem figas, nisi vt homines aliquos abducas aliquando in seruitutem. Quocirca finitimi Reges ac Principes Mahometani, vt Tartari, Armeni, Persæve, solent agmine facto sæpè in illas incursare, vt dumtaxat hominum prædam faciant. quæ cōstant omnia ex ipsis peregrinationibus, quas in scripta retulerunt à se factas Angiolellus, Barbarus, Contarenus. Ac ne quis forsan intemperiem cæli dicat esse in causa, quòd homines Iberes, Mengrelli, Georgiani, Zygíve artibus bellicis haud multum valeant, sciant cuncti sub eodem tractu aëris esse illos cum Belgis, Germanis, Anglis, Hungaris, & Polonis, à quibus quot & quanta sint gesta in Orientalibus præcipuè expeditionibus, vel ipsi Græci scriptores testantur.

Sed quid nos externa & longinqua conquirimus? Audiamus illustrissima, & domestica. Ante annū millesimū trecentesimum septuagesimum Turcę sedem fixerunt Hadrianopoli in Thracia, incolumi adhuc stante ac vigente Imperio Constantinopolitano. Inde bella gerere cœpit eorum Rex nō minus aduersus Imperatorem Græcorum, Regesque Græcanicæ superstitioni addictos, quàm Reges Hungarorū, & Polonorum. Non minus hominum, rerūq; militariū Gręcis erat quā nostris, immo multo magis illis.

Cōparatio inter hęreticos ac nostros cum præliantur cū Turcis pro Regionibus Catholicis.

Quid enim Constantinopolis non habebat, quid Græciæ omnium florentissimæ & amplissimæ prouinciæ poterat deesse? Quid igitur? Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta Constantinopolis, & mox Græcia omnis domita, VValachia, Seruia, Bosna in potestatem Turcarum redacta. Nullæ exstant reliquiæ Imperij Græci. Octuaginta annis tota res transacta. Non ita res feliciter processit Regi Turcarum cum Regibus Hungarorum. Nam licet anno millesimo trecentesimo nonagesimo sexto ad Nicopolim fusus fuerit exercitus maximus Hungarorum Sigismundo regnante à Baiazete Turcarum Rege, postquam sedes in Thracia Turcæ fixêre anno ferè vigesimo sexto, & innumera prælia conserta inter Turcas & Hungaros; Hungarorum tamen regnum stetit per annos centum & septuaginta integrum, & nulla ferè parte læsum. Et quamuis anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo Solymanus maximam & optimã Hungariæ partem sui iuris fecerit, aliqua tamẽ eius pars haud negligenda cum regia dignitate perstat omnino. Quòd si virus Lutheranæ perfidiæ Hungariam non peruasisset, veluti floret Polonorum regnum non minus finitimũ Turcis, quàm Hungarorum, sic istorum vigeret. Et tamẽ haud omnia Hungarici regni deleta, vt Imperij Constantinopolitani, regnorumq; Græcanica sequentium. Nam neque Hungari omnes hæretici. Agè verò, multa Græcorum loca, in his Creta, Cephalene, Zacynthus, Corcyra, & alia sunt in ditione Venetorum in medijs Imperij Turcici visceribus ferè. quid est, quòd nondum venerunt in eius potestatem, vt omnia, quæ Græci olim tenebant? Quamquam nullam securitatem locis illis ego præstarem, quòd in illis soli propè sint Græci suis hæresibus addicti. Attamen aliquid roboris bellici vult adhuc inesse ijs Deus, quòd in potestate sint Catholicorum; neq; eodem loco esse, quo ea, quæ & hæreticorum plena sunt, & hæreticis principibus parent. Hæc enim breui momento, quasi diuinis viribus destituta, illa non omninò derelicta, non nisi post lõgum saltem tẽpus expugnantur, vt accidit Cypro, quæ quamuis vndiq; Sarracenicis armis post Hierosolymas captas per annos quadringentos cincta fuerit, numquam tamen in hostium Christi manus, licèt hæreticorum Græcorũ plena, post tot sæcula potuit venire.

Igitur, vt valeant hæretici aliquando seditionibus cõcitandis,

tandis, proditionibus, subitis incursionibus, dolis; vbi ventum tamen ad aciem, vbi quis cum pari exercitu vel è nostris, vel etiam ex alijs in eorum conspectum prodit, pugna committitur, vix est, vt hæretici vel aliquãdo vicerint, vel adhuc vincant. An non hoc verum? Consule historias, cuentaq; omnium hæreticorum Imperatorum, Regumq; memoria percurre: ac verissimum quod proposuimus argumentũ videbimus, ignauissimos hæreticos, ijs, qui haud hæretici sunt, collatos.

Vis' omnium recentissima exempla? Anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Principes Lutherani conspirarũt aduersus Carolum Quintum, tota Germania commota, copiæ innumeræ in eum concitatæ; peditũ millia octuaginta, equitum decem millia sub signis habebant Lutherani, Carolus autem equitum nouem millia, peditum quadraginta quinq;, & tamen profligati prorsus Lutherani. anno millesimo quingentesimo trigesimo primo Heluetij hæretici ter à nostris victi fuère. Notissimũ porrò in Gallijs ter exercitus Lutheranorum longè maximos à nostris diuerso tempore signis collatis esse cæsos. In Belgijs cùm Principes Germaniæ Protestantes, Angliæ Regina, nõnulliq; Gallorum Dynastæ aduersus Philippum Regem coniurassent, præfectis Philippi exclusis, attamẽ quoties pugna commissa, toties hæretici tot vndiq; auxilijs circumuallati, tot Principibus suppetias ferentibus, superati, vrbesq; cunctæ receptæ. Sed cùm Germani antiquitus bellicosissimi fuerint, quales sint hodie ex quo sunt hæretici pleriq; audi Munsterum hæreticum. *Quantum verò attinet ad rationem hodierni victus, sciendum plerosque Germanos hodie in conuiuijs bellaces, & strenuos esse, præsertim cum noctes & dies bibendo æquauerint, ac omnes cyathos exsiccauerint. nullas possunt nuptias, nulla conuiuia, nullos celebrare conuentus, nisi ad extremam ebrietatem alter alterum ad pocula inuitet, atque ita repleat, vt, quod dictu etiam pudendum est, coram seruis ac vernaculis rursum potum euomat vinum, sub mensaque impudicè meiat, non sine bonorum & Deum timentium virorum summa exsecratione, & cum semiamens, immò demens potiùs in stratum collocatur, tum triumphus ingens excitatur, tum risus, tum cachinnus exoritur. atq; inter nobiles plerosque, qui præesse debent Reip. eamq; tutari, ac defendere, præcipuè fit. nemoq; cẽsetur bellicosus, nisi fiat ebriosus. qui enim plurimum pot ãt, iudicantur magis strenui & bellicosi. ante nostra tempora, cum nobilium erat conuentus; veluti pugiles, lucta, disco, cursu corpora exerce-*

Lib. 3. Geogr.

bant, vt fierent bello aptiores : nunc poculis certant, quomodo alter alterum superet. O tempora, ô mores, his artibus, his studijs vincemus Christi hostes Turcas? non fiet. Hæc Munsterus. Ad summam concludamus hæreticos nulla laude rei bellicæ præstare, ignauissimos esse, effœminatos. Nam cùm venêre in eorum manus Imperia summa, prorsus euersa sunt exiguo temporis spatio, cùm stetissent illa annos mille ducentos, ac viginti octo. tot enim quidam numerant ab vrbe condita vsque ad extrema tempora Momylli Augustuli. Alia verò paulatim diminuta per eosdem, ac sæpius per Catholicos ad integritatem suam restituta, denique per illos breuî funditus excisa, cùm stetissent annos mille centum & viginti duos : tot enim numerantur ab anno trecentesimo trigesimo primo, quo Constantinopoli Imperium est constitutum, vsque ad millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium, quo Turcæ illam ceperunt, Ignauissimi ad extremum sunt hæretici, quòd eorum plerumque regna vel breuî deleantur, vel sordeant. Ignauissimi postremò, quod vix est, vt aliquando signis collatis exercitus Catholicorum superare potuerint. Sed quando natura turbulentissimi sunt omnium, seditionibus, dolis, proditionibus improuisis, excursionibus plurimum valent interdum, nulla re scilicet bona, pessimis multum.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM QVINTVM,

Ignorantia hæreticorum.

Hæreticæ factiones cunctæ ad extremum peruenerunt ad summam bonarum artium ignorationem, quamuis antea in ijs maximè excelluerint. quod est argumentum non pertinere illas ad Ecclesiam Dei.

CAP. XII.

QVatuor sunt virtutes hominibus datæ post illas tres maximè diuinas, fidem, spem, charitatem, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Ab istis cætera

tæ omnes pendent, ac proficiſcuntur. Illis maximopere Deus excoluerat Adamum, & Euam primos in terris Eccleſiæ diuinæ, ac totius humani generis parentes. Dæmon aſtu illos circumuentos ferè omninò ſpoliarat. Quid igitur? Idem nunc agit cum ijs, qui de Eccleſia, quaſi de Paradiſo quodam deturbantur. Virtutibus cunctis nudat, quantum poteſt: ita vt apertiſſimè videamus hæreticorum factiones ſingulas in extremam diſciplinarum omnium inſcitiam præcipites dari. An non ita? Numquid in illis temperantia, quando oſtendimus eos adeò luxui ac libidini deditos? Numquid in ignauis, vt aperuimus, fortitudo, quæ verè dici fortitudo poſſit? Numquid iuſtitia, cùm ſint illi flagitijs omnibus cooperti, homicidę propinquorum, ſacrilegi, & rapaces? Reliqua eſt prudentia. At hæc vel in contemplandis, vel in agendis rebus ſpectatur. Si actionem reſpiciamus; vidimus quales hæretici ſint vel in ſuis regnis conſeruandis, vel in cæteris ex præſcripto Iuris adminiſtrandis. Nunc aperiamus illorum conuenticula denſiſſimis omnium diſciplinarum, quæ expediant humano generi, tenebris ignorantiæ tandem inuolui. Vt, quando tria ſunt beſtijs innata libido, ſæuitia, & inſcitia, & hæreticos demonſtrauimus ſummæ libidinis eſſe, & crudelitatis: appareat etiam quantum pertinet ad rerum bonarum ſcientiam pecoribus eſſe ſimillimos; & in illos quadret, quod ait Dauid, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* & quod exclamat Baruch, *Diſce vbi ſit ſapientia, vbi ſit virtus, vbi ſit prudentia, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus; vbi ſit lumen oculorum, & pax.* Hæc Baruch de hæreticis optimè, & alijs à Deo ſeſe alienantibus, quorum ſapientiam Deus ad extremum, quod ait Iſaias, ſtultam facit, & obſcurat inſipiens cor eorum.

Iſa. 44.

Ac ſanè, quantum pertinet ad rerum bonarum doctrinam, longè ſunt deteriore loco hæretici, quàm cæteri omnes. *Nam facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus*, ait Petrus, *& melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mãdato.* Quocirca Sarraceni, ſiue Mahometani habẽt, in quibus ſe iactent, præſtantes viros in re medica, Auicennam, in rerũ naturalium peritia Auerroëm. Hęretici quicumq; fuerunt ab ortu Chriſti vſq; ad noſtra tempora, non habent quos iſtis opponant; neq; ipſi Græci, ex quo à nobis deſciuerũt,

2. Pet. 2.

Hæretici cunctis imperitiores.

cum tamen ab ipsis antiquitus profecti sint artium doctrinarumque omnium principes. Quin Sarraceni primis ferè ijs temporibus, quibus adhæsêre Mahometi, & Asiam ceperunt, adeò rudes erant artium, disciplinarumque omnium, quibus excoli solent animi, ac perpoliri humanum genus, vt neque artem numerandi scirent, neque superesse publicis negotijs administrandis possent, vt ex historijs Landulphi Sagacis apparet. Ideò necesse habebant Arabes cuncta credere Christianis, quos sibi subiecerant. & in vita Theophili Zonaras scriptum reliquit, Arabum summum principem summopere contendisse, vt ad eum transmitteretur Leo Philosophus, à quo discerent sui, quæ ad rerum naturalium scientiam spectabant, cuius illi prorsus expertes erant. At vbi se Græci à nobis alienarunt, summa rerũ facta commutatio, Sarraceni longè Græcis doctiores effecti. Illudque adnotandum hac in re; noluisse Deum, qui ex Arabibus rerum naturalium peritia excelluerunt, in Oriente aut Græcia illos nasci, sed in Occidente: Auicenna namque Hispalensis, Auerroës Cordubensis fuit, vterque Hispanus. perinde ac si longissimè à Græcis & Orientalibus, ex quo à nobis se abiunxerunt, scientia rerum naturalium profugiens in maximè dissitas terras, ad exteros maximè populos, qui non procul à Catholicis abessent, diuinitus admonita commigrarit, atq; Occidentali, non Orientali solo id muneris daretur.

Habent sanè à principio hæretici aliquos non mediocriter eruditos; neq; simul atq; à nobis abscedunt, continuò ignorantiæ tenebris inuoluuntur, sed post aliquod tempus. quod duabus ex causis accidere solet. Harum prima fit, quòd Deus vult illis omnem prorsus ansam præcidere sese excusandi, quasi bonis litteris destituti non potuerint assequi veritatem. Altera est illa, quòd si quos habent litteratos, ij plerumq; è nostris fuêre, & à nostris in humanioribus disciplinis instituti. Talis quippe fuit inter Græcos Photius, ac Theophylactus, qui fuerunt in nostros & Catholicos paulo audaciores, non tamen ausi sunt nos hæreticorum loco reputare. Tales olim fuêre Apollinaris, Arius, Eusebius Cæsariensis, ac nostra ætate Lutherus, OEcolampadius, Philippus Melanchthon, Caluinus, Beza, Petrus Martyr, alijque huiusmodi: vt appareat illos, qui inter hæreticos principem locum tenuerunt aliqua in

re

re bona, id à nostris didicisse, à nostris furatos; ideoq; postea hæreticorum factiones in profundissimam ignorationis caliginem corruere, ac demergi.

Annon hoc verum? Converte oculos ad illam artium bonarum disciplinarumq; ferè omnium matrem & nutricem Græciam. En vt illa nunc squallet, vt horret. Quis eius non misereatur? quis eius extremam calamitatem non maximè deploret? Quos illa antiquitus doctissimos homines tulit? Quæ lumina in omni doctrinarum genere produxit? Nunc autem ab anno millesimo ferè, ex quo magis à nobis cœpit abscedere, per annos sexcentos, neminem propè possis ciere in vllo artium bonarum studio excellentē: mediocres forsan aliquos tandem reperies. Andronico certè imperante, ante annos credo ducentos & quinquaginta, Gregoras tradit neminem fuisse in vniuersa Græcia, qui posset cum nostris de rebus diuinis disputare. & modò nullus in ea vel mediocriter eruditus. Si quis vult aliquid doctrinæ addiscere, è media Constantinopoli Romam proficiscitur ad collegium, quod Græcis edocendis Gregorius XIII. erexit. Cur non idem Græcis suis præstitit Magnus ille Dux Moscouitarum? cur non Rex Georgianorum, vel Iberum, vel Mengrellorum, qui Græcanicos ritus sequuntur, neq; Imperio Turcarum sunt subiecti? ne dicas ideo è Græcis neminem in litteris proficere posse, quòd à Turcis opprimantur: cur ex istis, quos memorauimus, populis nemo vel mediocriter eruditus exstitit vmquam? Fuerēte inter nos ac Græcos hac sententiarum discordia, duo fuerunt è Græcis, quos summis comparare possis, Nicephorus Blemmydes, & Ioannes Bessarion. Illum Gregoras vocat diuinum, peritissimum, multis virtutibus insignem, varia eruditione tum sacrarum, tum prophanarum litterarum perpolitum. Gregorius Pachymeres ait ea mente fuisse, vt corpore illa non alligaretur. & sanè talem fuisse ipsius scripta declarant. Quantus verò sit Bessarion, quis ignorat? lege illius libros. His duobus neminem ante annos octingentos in tota Græcia doctrina pares inuenies. Atqui vterque nobiscum sensit. Quid verò illud? Episcopi omnes Græcorum deliguntur è grege monachorum; inter quos communi decreto est excommunicatus, quicumque philosophiæ studet, quod scribit Petrus Bellonus obseruationum lib.1.c.40. Nihil autem magis facit ad assecutionem veritatis, quàm philosophia rectè percepta. Quocirca dæmon

Imperitia Græcorum

Greg li. 3.

mon

mon,vt Græcos altissimis ignorãtiæ tenebris inuolueret, hoc egit,vt Episcopi eligerentur è monachis, & monachi necessariò propè imperiti forent,aut carerent maximo ad perceptionem veritatis instrumento.

Respice nunc AEgyptum,Syriam, cæterasq; Asiæ prouincias.Agitur annus ferè millesimus, ex quo illæ à nobis discesserunt,hæreticis,ac præcipuè Monothelitis cũcta perturbantibus.& potest aliquis ex illis proferri,qui tinctus dici possit aliqua doctrina? Obfuerunt Sarraceni Reges, in quorum potestatem sunt adductæ? At cur non obfuerunt Romani,qui nihil non egerunt,vt Christianam religionẽ iam tum nascentem funditus excinderent,& omnibus bonis penitus exspoliarent? & tamẽ istis imperantibus, quos viros nobis vna Alexandria dedit,Panthenum,Clementẽ, Hammonium, Origenem, in omni doctrinarum genere excellentissimos?

Agè verò,regnarunt in Italia Ostrogotthi, in Hispania Visigotthi,in Africa Vandali: primas per eos inter homines tenuerunt Ariani;eorum decretis se adiunxerunt Constantius & Valens Imperatores,tercẽtum totos annos Rempublicam Christianam perturbauerunt. Adducant si possunt,quinam ex ijs aliqua in re publicæ vtilitati expediente præ cæteris floruerint. Monothelitis adhæsêre Heraclius, Constantinus, Constans, & Iustinianus Secundus per aliquot annos; plurimi eos sunt secuti. quem proferent qui Reipublicæ Christianæ ex eis vlla in re præ reliquis profuerit? Philippicus, Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo Armenus, Michael Balbus, Theophilus Imperatores imaginibus sacris infesti fuerunt, & innumeros habuerunt asseclas. quæ vtilitas per eos vllo ingenioso inuento est allata Reipublicæ Christianæ, aut generi humano? Afferant omnes isti, qui per tot sæcula summam rerum tenuerunt, aliquem è suis, qui præstiterit in aliqua scientia, vel arte hominibus fructuosa. Post annum millesimum quadringentesimum hæresis Hussitarum Bohemiam peruasit, & adhuc eam magna ex parte tenet. potest aliquis ex eorum grege nominari, cui laus debeatur egregia ob aliquod gestum, inuentum, excogitatum vtile hominibus? Sed vt appareat clarius per hæreticorum factiones id agi, vt in summam liberalium disciplinarum atque artium ignorationem corruat huma-

num

num genus; præter ea, quæ dicta sunt, illud ostendit. Leo Armenus Iconomachus de industria nobilissimam bibliothecam Constantinopoli vnà cum OEcumenico magistro,& cõtubernalibus suis viris doctissimis comburi iussit. Michaël verò Balbus litteraturam sic est auersatus, vt ne pueros quidem ea permiserit erudiri, regnauit hic annos tresdecim sub annum octingentesimum vigesimum primum. Michaelis exemplum sequitur Moscouitarum Princeps, per quem nemini licet è suis alicui doctrinæ operam dare, cùm tamen vastissima terrarum Borealium spatia teneat. Hinc tanta rerum inscientia Moscouitæ premuntur, vt credant à suo Principe cuncta sciri vel occultissima cordis, intimas etiam cogitationes, ab illo proficisci mala, bonaq; omnia, inualetudinem, valetudinem, vitamque,& mortem. tantus illorum mentes oppressit stupor. & sanè quid esse in causa dicemus; quòd in regionibus Moscouitarum, Iberum, Cholchorũ, Albanorum, Mysorum, Dacorumq; nullus exstiterit vmquam, qui vel infimum locum teneat in arte aliqua, vel disciplina liberali? cùm tamen Mosci, Iberes, Cholchi, Albaniq; ex omni parte, Mysi verò,& Dacæ ex aliqua Imperium Turcarum non agnoscant. Scimus amplissimas eorum terras,& in eodem cæli tractu, quo Poloniam, Hungariam, Germaniæ partem superiorem, Angliamq;,& Scotiam, sitas esse. Sed illas scilicet hæretici semper tenuerunt, ac tenent, has numquam, nisi temporibus hisce supremis. Sicut enim suprà vidimus nationes illas, quæ se nostræ Deique adiunxerunt Ecclesiæ, continuò noua instituta, atq; illa humanitatis plena complecti, diuinitusq; cælestium ac terrenarum rerum doctrinis illustrari; sic quicumq; populi ab illa recedunt, in obscurissimam deniq; caliginem ignorantiæ delabuntur, ac corruunt: à cõtrarijs enim contraria nascũtur. Quocirca eumdem casum, nisi resipuerint, subibunt ad extremum loca omnia Protestantium.

Stupor Moscouitarũ.

Audi an rectè colligam. præter ea, quæ dixi, anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, Martinus Lutherus editis scriptis euulgauit nullo modo Philosophiæ operam dandam, soli diuinorum librorum lectioni insistendum. Idcirco Philippus Melanchthon cum plurimis suis huiusmodi studia abiecit, ac multo tempore egit pistorẽ, clausęq; multis in locis scholæ. Mox tamen tantæ eos sto-

lidi-

liditatis pœnituit,& ad pristina redierunt, vt Surius notauit in historia sua. Verumtamen illud verum,quod cecinit de ijs,qui litteris dant operam,vates quidam:

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit,fecitq; puer,sudauit,& alsit,
Abstinuit Venere,& Baccho.

Pro.20. Quod & in diuinis libris ac monitis habetur,cũ dicitur: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectabitur,non erit sapiens.* Sciunt porrò omnes Lutherum principem Protestantium Saxonem fuisse, & è Saxonia prodijsse. De Saxonia verò honestissima quondam laudatissimaque regione audi quid Munsterus hæreticus, & Catholicis infestissimus,in sua Germaniæ descriptione scriptum reliquit libro tertio: *Saxones,*inquit, *hordeum & triticum serunt; è quibus non solùm candidißimum panem efficiunt, sed etiam ob vini caritatem,potum ceruisiam quæ adeò sitienter & immodestè ab ipsis bibitur, vt vbi in symposijs conuiuijsque pocillatores nec cyathis,nec cantharis sat infundere poßint, repletum mulctrale apponant; & scutella iniecta hortentur quemque pro libito potare. dictu incredibile est quantũ huius liquoris in se immodestißima gens capiat; quantũ mutuò ad bibendum cogant, & hortentur. nõ sus,non taurus tantum ingurgitaret.non ad ebrietatem & vomitum potesse sufficit; sed rursus ad ebrietatem dies noctibus, noctes diebus continuantes, qui cunctos potando superat, is non solùm laudem, & gloriam deportat, verùm etiam pro quo contenderunt,ex benè olentibus herbis aut rosis sertum,aut quid aliud in præmium. Serpit eheu ab illis perditus mos.ferè in totam Germaniam; vt eo modo etiam vina fortißima bibantur cum ineffabili malo. Hospiti,aut alteri, cum locum,in quo bibitur,subeunti potum quotquot habent adsurgunt, & porrecto poculo ad combibendum officiosißimè hortantur. Inimicus arbitratur, qui sæpius inuitatus non prætenta causa compotare recusat cæde nonnunquam & multo sanguine tantum dedecus expiatur.* Hucusq; Munsterus,è quibus intelligitur veluti è Saxonia duce Luthero erupit virus hæreticæ prauitatis in omnem Germaniam, sic perditum hunc morem ebrietatis cum ineffabili, inquit ipse,malo, quod cædes, & multus sanguis consequatur,erumpere in eamdem. Quæ cùm ita sint, necesse est Germaniam fieri aliquando (quod Deus auertat) extorrem ab omni sapientia,cui sit perditus mos,ineffabile malum,quod sanguis & cædes consequatur. Ad summam sic concludamus. Nulla hæresis vmquam fuit, quæ sola suorum sectatorum multitudine superaret Ecclesiam Dei,sed

post

post illa Ecclesiæ prima incunabula tot hæreses eruperunt ex inferis, vt simul iunctæ tantam colluuiem satellitum collegerint, vt ferè maior exstiterit aliquando numerus hæreticorum omnium, quàm Catholicorum. Et tamē mirum, numquam inter eos exstitisse aliquem sæculo vllo, cui laus eximia debeatur ob aliquod opus humano generi vtile, vel qui in aliqua excellenti doctrina inter primos numerari possit. Percurre omnes ętates, omnes sectas, euolue historias: & verissimū, quod dicimus, ex omni parte videbis, ac maximè miraberis. Aliquem tamen locum tenere ij videri possunt, qui à nobis & inter nostros enutriti, litterisque ac disciplinis imbuti ad illos veluti perfugæ transuolarunt. Cæteri plerumque Grammatici dicaces, & garruli, qui leuissimè aliquid è reliquis doctrinis attigerint, ac de summis rebus audeant ferre sententiam, & instar pædagogorum sibi esse cum suis pueris rem putent, qui ad illorum dictata sileant, & obstupescant, interpretationes admirentur, & extollant. Huiusmodi fæcis eluuione vrbes Protestantium mirificè scatent.

Ex hęreticis nullus vnquā præ cęteris vlla in se bona excellens.

SIGNVM QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Turpissimi calumniantium aliorumque progressus.

Turpissimi calumniantium alienorumq; progressus in vitijs Ecclesiæ obiectis, aut alijs quibuscumq; ostendunt quæ sit Ecclesia Dei.

CAP. XIII.

ANtiquissima est omnium propè gentium lex à iure naturali deducta, vt calumniator eamdem subeat pœnam, quam voluit in alios iniustè irrogare. Huius est in veteri lege mentio frequentissima, in duodecim tabulis, in ipso Romanorum iure, quo cautum, vt quod quisq; iuris in alterum statuerit, vel obtinuerit, ipse eodem iure vtatur. sic erat in more positum apud Athenienses, Spartanos, & cunctos, qui constitutionibus optimè latis re

gerentur, populos. Et sanè naturæ omnium rerum conuenit, vt, siquid aufertur alicui debitum, reponatur illi aliquando tantumdem. Sic elementa videmus inter se quodãmodo ex partibus commutari, sic omniũ rerũ vicissitudines naturales, & quod alicui ex aliqua subtrahitur, id ex alia rependitur; ita vt æqua lance cuncta pensentur, & suo modo exæquentur. Cùm verò hæretici & impij non verentur impudentissimis sæpè mendacijs monstrosa comminisci, in vulgus efferre, sctiptis mandare, pro veris iactare aduersus Ecclesiã Dei, & Põtifices eius sanctissimos; illa verò sint falsissima, fucis tamen obtecta, dolisq; artificiosis operta; Deus permittit, vt calumniatores isti, concinnique falsitatis artifices nõ modò in illa crimina labãtur, sed turpissimos in ijs progressus faciant, & in profundissimum illorum gurgitem voraginemq; apertissimè ruant; vt nihil vltra istorum ruinas mente ipsa excogitari possit. Id verò non modò conueniens est ipsi iustitiæ vniuersitatem rerum moderanti, sed oraculis priscis. *Da illis* (inquit vates de impijs & calumniatoribus) *secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum.* Bonus autem quisque, & vnà cum bonis Ecclesia precatur, *Redime me à calumnijs, vt custodiam mandata tua.* quin de ipso Christo dictum, *iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* sic enim contigit quod alibi est scriptum, *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.* Videamus igitur an quæ dicimus vera sint, & enumeremus singillatim, quæ sunt mẽdacissimè obiecta Pontificibus summis, & Ecclesiæ Dei, gradusq; distinguamus, quos in ijs vitijs impij fecerunt.

Psal. 27. *Psal. 118.* *Psal. 72.* *Psal. 104.*

Primum sit itaq; vitium libido, quam Caluinus ac Lutherus obiecerunt Præsulib. sacris, (quorum nonnullos haud negamus aliquando lapsos) & Ecclesiæ Dei, cui nihil officere possunt vitia priuata alicuius, quæ publico decreto damnantur.

Progressus Lutheri. & Caluini obscœnissimi in impurissima libidine.

PRimus gradus. licet, ait Lutherus, marito ancillam vocare, cum qua coire possit, vbi vxor non vult venire. Lutherus lib. de vita coniugal.

Secundus gradus, vni plures eodem tempore vxores habere. Lutherus in propositionibus de bigamia editis anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo, propositione 65. & 66. & 62. & sequentibus, idem docet in explicatione in Genesim edita anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, in cap. Gen. 16. vt etiam citat hæc loca Bellarminus tom. 2. Controuersiarum, de sacramento Matrimonij lib. 1. c. 10.

Tertius. non minus est necessarius viro coitus cum muliere, quàm spuere, excreare, mingere, & alia huiusmodi. Lutherus lib. de vita coniugali.

Quartus gradus. licet vxori alicuius clam coire cum leuiro, etiamsi maritus viuat, ex quo filios non habeat, vt è leuiro possit illos suscipere, atque ita bellè virum suum decipere.

Quintus gradus, omnia vota monachorum, & monialium sunt impia, irrita, & omninò soluenda Lutherus. lib. de votis monasticis, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 13. Confessio Augustana art. 27. & VVitebergensis cap. de votis monasticis.

Hoc est contra Isaiam cap. 15. Deut. cap. 12. Num. 30. Gen. 28. Matth. 19, & 1. Timoth. 5. Concil. Ancyr. can. 18. Chalced. can. 16. Carthaginense 3. cap. 33. Toletanum IV. cap. 55. Turonense II. cap. 16. Ignatium epist. ad Tharsenses. Dionys. Eccles. Hier. cap. 6. par. 2. Tertullia. lib. de velandis virg. Clemen. Alexandrinum Strom. lib. 3. Origen. hom. 23. in Num. Hilarium in Psal. 64. Eusebium lib. 4. de vita Constantini. S. Cyprianum lib. 1. epist. 11. & libro de habitu virginum. Athanasium libro de humanitate verbi, & lib. de virginitate. Basilium epist. vltima, & initio constitutionum monasticarum, & lib. de virginitate, Nazianzenum oratione de obitu Patris. Epiphanium hæresi 61. & 48. Ioannem Chrysostomum homil. 15. primæ ad Timotheum, & epist. 6. ad Theodorum lapsum. S. Ambrosium lib. 3. de virg. Hieronymum ep. ad Sabinianum, Augustinum lib. 1. de adulterinis coniugijs c. 24. deniq; contra Deum, Christum, sanctos omnes, totamq; antiquitatem.

Sextus gradus. vt hæc exemplo homo abominãdus con-

ſignaret, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, publicè edito libello ſummis laudibus extulit Leonardũ Choppen, qui nouem moniales è monaſterio Nymicenſi abduxit VVitebergam tempore paſchali. quin exacto bienio, cùm Catharina Bore vna ex ijs monialibus diu vagata eſſet inter auditores Academiæ VVitebergenſis, Luthero nupſit monacha monacho. Huius exſecranda deinde ſcelera plurimi in Germania, & oris Borealibus ſunt imitati, & adhuc imitantur.

At Caluinus non modò hæc approbauit, ſed cùm præposteræ libidinis conuictus fuiſſet adhuc adoleſcens, & flammis ob id adiudicatus, interuẽtu amicorum liberatus eſt, in exſiliũ pulſus è Gallia, ſtigmatiaq; infami ad humerum notatus Geneuam tandem conceſſit, vbi impudicè adhuc adoleſcentibus eſt abuſus, vt vndecimo capite ipſius vitæ habetur. Ab alienis verò mulieribus violandis, & ſollicitandis, vbi ſe occaſio quæuis tulit, non abſtinuit, vt multis exemplis ſingillatim refertur vitæ ipſius cap. 15.

Septimus iſtorũ gradus eſt, quòd nulla opera bona, nullum virtutis ſtudium conſtituunt eſſe ad ſalutem neceſſarium. Caluin. Inſt. lib. 3. c. 17. ſect. 2. Lutherus lib. de ſeruo arbitrio, & de captiuitate Babylonica: & eius nos ipſa verba inſolentiſſima ac ſpurciſſima ſuprà adduximus.

Ad ſummam, qui fuerit hæreticorum omnium progreſſus in hoc crimine, dicant ipſi hæreticorum magiſtri. VVigandus Lutheri diſcipulus libro de bonis ac malis Germaniæ, octauum numerat malum in Germania exortum Lutheri ætate, luxuriam, quæ omnes verecundiæ fines perruperit, atq; exceſſerit.

Secundum vitium, ſacrorum bonorum & fructuum profuſio mala, ac diſſipatio.

PRimus gradus. Lutherus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio edidit libellum, quo principes prophanos hortatur, vt omnia bona Eccleſiaſtica ad ſe transferant, & in ſuos vſus conuertant. Notiſſimũ eſt illius opera editam fuiſſe epiſtolam nomine Argyrophylacis, qua viam principibus oſtendit, qua facilè collocupletentur, bona ſacra diripiendo. quin anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ediderat librum, quo Papã, Cardi-

dinales, Episcopos interficiendos, & in eorum sanguine manus lauandas, ipse autem VVittebergæ publicè libros Pontificij iuris exussit; quæ Surius ac Cochlæus narrant.

Secundus gradus. Lutherus in epistola Teutonicè scripta, cui titulus, *Fidelis admonitio ad omnes Christianos pro seditione & rebellione præcauenda*, prædicit se, si biennium viuat, curaturum ne sit campana, turris, missa, vigiliæ, cappa, cucullа, rasura, regula statuta. refert hæc acta Cochlæus ante annū millesimum quingentesimum vigesimum quintum, quo Thomas Muncerus collecto exercitu rusticorum multas multis in locis Germanię vastitates edens, inter alia demolitus est ducenta propè, vt quidam scribunt, monasteria.

Tertius gradus. Notissimum cunctis est, innumera non modò monasteria, sed templa etiam funditus euersa fuisse à Caluinistis in Gallia, à cæteris Protestantibus in terris Septentrionalibus, & in vna Anglia monasteriorum & ædium dena millia in prophanos vsus conuersa, ac turpissimis etiam hominibus donata. Quocirca Paulus Eberus successor Lutheri, ac Melanchtonis in schola VVitebergensi, hæc ait præfatus in commentarijs Philippi super epistolas ad Corinthios: *Rursus si ad auditores oculos conuertas, videbis religionis ac libertatis Christianæ fœdißimū abusum, contemptum, & neglectionem sancti ministerij, disputationum prophanitatem, direptionem bonorum Ecclesiæ*. Hæc ille, quæ nos latius retulimus signo de impura hæreticorum vita.

Quartus gradus. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Caluinistæ in Gallia non modò monasteria & templa innumera subuerterunt, sed etiam corpora sanctorum multa combusserunt, quæ inter alios latè refert Surius. egerat & multo antè idem Henricus Octauus, vt è Nicolao Sandero in libro de causa & origine schismatis Anglicani apparet.

Quintus gradus. In quos vsus à Protestantibus conuersa sint Ecclesiastica bona cum suis fructibus, discat qui volet è verbis Munsteri hæretici, quæ nos retulimus signo de summa ignoratione hæreticorum; in omnia nimirum flagitia: vt verè lamentatus sit Lutherus, suos homines effectos deteriores, quàm prius essent sub Papa, verba illius recitauimus signo de hæreticorum impura vita ad finem.

Tertium vitium. Papa, inquit impius Caluinus, ac Lutherus, & eorum sectatores, labitur in suis decretis.

PRimus gradus. *Immò, inquiunt homines impudentissimi, errarunt omnes Doctores Christiani.* ita Lutherus lib. de seruo arbitrio, & passim Caluinus, & Magdeburgenses in suis Centurijs. retulimus eorum verba nos signo de vna fide ad finem.

Secundus gradus. *Immò sancti omnes errarunt.* ijdem locis ijsdem. quin ait spurcissimus Lutherus, sanctos istos, nisi ante mortem reducti sint, neq; sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere.

Tertius gradus. *Immò concilia cuncta errarunt.* Lutherus libro de Concilijs, Caluinus lib. 4. Inst. c. 9. §. 8.

Quartus. *Immò Apostoli omnes errarunt.* Luther. eod. lib. conciliorum, vbi agit de Concilio Hierosolymitano. Centuriatores idem scribunt, ac statuunt, ac singillatim cunctos Apostolos malæ doctrinæ arguunt. Centur. 1. lib. 2. cap. 10. & Cent. 2. multis locis. Vide Canisium lib. 1. de corruptelis cap. 11.

Quintus gradus. Ipsa virgo Maria lapsa est in errorem, quippe quæ aliquando nutauerit in fide, aiunt turpissimus Lutherus cum suis; ille in postilla Euangelij Dominicæ tertiæ post Epiphaniã, & in Euangelio Centurionis; Centuriatores Centur. 1.

Sextus gradus. Christus ipse lapsus est, inquit scelestissimus omnium Caluinus, vt eius verba recitauimus signo de vna fide ad finem.

Septimus gradus. Ipse Deus (horret animus istorum scelerum verba referre) est efficax omnium malorum & errorum causa. sic Lutherus, & Caluinus, vt eorũ loca nos retulimus eodem signo de vna fide ad finem.

Octauus gradus. Sed numquid vlterius progredi istorũ potest impudentia? Sine dubio lector haud poterit animo comminisci, quò possit vlterius: & tamen vlterius processit. sed quonam? Non est, quòd te torqueas lector, non poteris inuenire à temetipso. Hi summi impudentiæ magistri cum suis. Audi igitur. Cùm velint indubitatam fidẽ suis dictis, & interpretationibus ad sacram scripturam haberi, necessariò sequitur, vt hoc dicant ista flagitia.

Cunctæ creatæ mentes, Deus ipse errat, inquiunt impij. Nos Caluinus ac Lutherus cum nostris non erramus. O exsecrandam insaniam.

Quartum vitium. Papa detrahit Imperatoriæ potestati.

PRimus gradus. Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Lutherus scripsit libellum de sæculari potestate, in quo nihil nõ aduersus eam vociferatur, principes dicens vt plurimũ esse vel præcipuos Moriones, vel deterrimos nebulones, eoq; scripto in vulg⁹ edito, multa ad concitandas seditiones interserens, Imperatorẽ; cæterosq; tyrannos appellat, quibus omni via sit resistendum, & obuiam eundum. Sequẽti verò anno alium libellũ misit in lucem, de mercaturis, & fœnore, in quo mercatores oẽs mirè exagitat, enumerans mala, quæ ex illis accidere quo quo modo possent Germaniæ, & omniũ reos illos faciens, aduocãs cũctos ad eorũ perniciẽ, subijciẽs principe eorũ socios esse ad expilãdos ac spoliandos Germanos. edidit & aliũ cõtra duo Cæsaris mãdata, in quo vocat principes Imperij stolidos, fatuos, insanos, furiosos, amentes, moriones, eisq; Turcam decies meliorem, & prudentiorẽ, adijciens breui illos omninò perdendos; quòd eorum dominatum homines nec possent, nec vellent, nec sanè deberẽt ferre diutius. Hæc verba refert etiam scripta à Luthero impius Sleidanus, ac recitat Surius anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Quo tempore Thomas Muncerus collectis centum millium rusticorum copijs cuncta ferro atq; igni vastare cœpit in Germania, ita vt in vna Frãconia diruerit ducẽta nonaginta tria tum monasteria, tum arces, vt Cochlæus scribit. In omnibus ciuitatibus primarijs est tumultuatum. Imperatoria ac sæcularis potestas in omnem contemptum, odium, & discrimen per Lutheri voces ac libros adducta. Sed cùm mox cæsi essent rustici, Lutherus homo sapiẽs aduersus eos scripsit. volebat videri afferre se verbis medicinam ad ea vulnera, quæ ipse suo facto inflixerat.

Secũdus gradus. Anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto Albertus Brandeburgicus magnus Magister ordinis Teutonicorum subtraxit ab omni Imperatoriç potestatis obedientia, cui prius aliqua ex parte subiectæ erãt,

duas potentissimas ac nobilissimas Prouincias, Prussiam, ac Liuoniam; Lutheri namq; dogmata amplexus, vxorem duxit, regiones in Ducatus formulam redegit, & Regi Poloniæ prorsus illas addixit; & haud multò pòst Dux Moscouiæ Liuoniam cepit. Sic itaq; exstinctus maxima ex parte nobilissimus ordo Theutonicorum, & opulentissimæ vt vocant Commendæ, quibus Germani nobiles potiebantur, ad nihilum redactæ: duæq; prouinciæ ab Imperio sunt omninò alienatæ per Lutherum, & Lutheranos. Extulit ad cælum summis laudibus factum Alberti Lutherus epistola ad Cardinalem Moguntinum, quam Cochlæus recitat, anno 1526.

Tertius gradus. Cùm Lutherus antea scripsisset nō licere bellum geri à Christianis aduersus Turcam, idq; multis probare cōtendisset, vt in assertione 34. artic. apparet, quin libris editis vociferaretur Turcam decies meliorē principibus Germaniæ, qui nullo modo, ferri diutius deberent; & iam Germania seditionū plena esset, libellumq; edidisset de bello contra Turcas, in quo asserebat haud licere cōtra illos præliari, vt Cochlæus refert anno 1529. annoq; 1526. Solymanus Turcarum Rex in Hūgariam profectus, cæsoq; cum copijs Hungarorum Ludouico ipsorum Rege, Germanis eum destituentibus, neq; vllam ferentibus opē, multas nostrorū strages edidisset; factum est vt illud regnum tandem venerit in potestatem Turcarum, quibus aditus est apertus ad perpetuas in Germaniam excursiones faciēdas: vt iam maximè sit toti Germaniæ, & Imperio metuendum; quòd idem Turca bis ac ter maximos Germanorum exercitus fuderit, & conciderit, & in viscera Germaniæ penetrarit, Italis à Pontifice missis frustra auxilium ferentibus, vt è Surio & Iouio liquet.

Quartus gradus. Imperator antea de Pontificis permissu, vbi opus erat, plurimas pecunias exigebat à clero ex Ecclesiasticis bonis decimarum nomine, cùm mouebat aduersus Turcas, aut alios nominis Christiani hostes, iisque copias ingentes alebat, cùm sit illud verum, pecunias esse bellorum neruos, nunc quando incitante Luthero Principes prophani inuaserunt in ea bona, nihil ex eis potest Imperator corradere, neq; ab alijs Principibus ita potest exigere, vt à clero Imperator, quod cupit. Sic itaq; languet eius potestas, & concidit omne robur.

Quintus gradus. Anno millesimo quingentesimo trigesimo Lutherani Principes cum multis ciuitatibus Smalcaldiæ fœdus ineunt, & rursus anno sequenti illud confirmant, cumq; multa in Imperatorem mouissent, anno tandem millesimo quingentesimo quadragesimo sexto totam propè Germaniam varijs artibus impellunt in Imperatorem, Duce Saxoniæ, Hassiæq; Lantgrauio belli totius antesignanis, cùm Turcarum Rex ipsi Germaniæ imminens extrema queq; minaretur, incredibilis militum numerus educitur in Imperatorem, qui vix à Turca impetratis inducijs, Lantgrauium, Saxonemq; profligauit, & cepit. hæc post alios Surius latè. Sed anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Anabaptistæ, qui à Lutheri lerna se exortos iactant, inaudita sunt ausi in VVestphalia, quæ lector apud eumdem Surium videre potest.

Sextus gradus. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Solimanus cum exercitu maximo in Hungariam venit: pergit aduersus illum Maximilianus potentissimas copias ducens, in his erat Ferrarię Dux, Italiq; plurimi cum illo, quem præfecit exercitui toti Imperator.

Contrà autem Friderici quondam Saxoniæ Ducis filius Lutheranus eodem tempore in Germania aduersus Imperatorem mouet, multa oppida capit, multas infert multis locis vastitates, efficitque, ne Imperator, quas è Germania suppetias exspectabat, habere posset, & pari exercitu procedere aduersus Turcarum Regem. coactus itaque his seditionibus castra ponit in confinibus Germaniæ, ibi considet. Solymanus autem Sighettum, Iauarinumque propugnacula firmissima expugnat, & quas vult victorias refert ob tumultus à Lutheranis excitatos. Hæc post alios Natalis Comes in historia sua.

Qualis porrò fuerit Papa in fundando, stabiliendo, extollendoque regno Imperioque Germaniæ simul perspici apertissimè potest signo de cura Pontificis in conseruandis Catholicorum regnis, & Imperijs.

Et nunc sanè fracta & concisa iacet Imperatoria potestas, per hæreses varias in varia discerptis Germaniæ principibus; ita vt, nisi Deus opem ferat, ad interitum pergere videatur.

Quintum. Mendacia.

QVintum, quod sæpè impij sunt ausi nostrorum aliquot obijcere; est mendacium. Quo vitio sic Prote-

stantes omnes sunt vndique cooperti, vt ex illo sint omni ex parte compacti, & facti omnes.

Ioannes Dietenbergius in duabus confutationibus Lutherum conuicit octingentorũ septuaginta quatuor mendaciorum: quod refert Surius anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio, in Chronico suo. Nos signo de vna fide è libris Caluini ostendimus eius viginti mẽdacia, blasphemiasque simul horrendissimas aduersus Deum & Trinitatem dumtaxat, in quibus ipse sibi repugnauit. quid igitur fecisse illum in ceteris credemus? Sed duobus gradibus explicemus tot ab eis ac tanta mendacia dici, quot ac quanta à nullo vel dicta sunt, vel dici vmquam possunt. Primus autem gradus sit quem diximus.

Secundus est, qui apparet detectus in scriptis Roberti Bellarmini, qui acutè in quacumq; quæstione tractat (innumeras autem tractat) primo enumerat mendacia à Protestantibus aduersus nos ac veritatem conficta, ostenditq; quemlibet ex hæreticis sibimetipsi repugnare, ita vt necessariò sequatur mentiri. sic itaque innumeræ sunt istorum falsitates.

Tertius tamen est gradus; quòd ostendimus nos signo de vna fide, à Luthero Melanchtone, & Caluino affirmatum esse, Deum non modò permittere omnia scelera, sed efficienter & efficaciter ipsum illa operari; addidit Caluinus, compellere, ac destinare ad illa homines, ac dæmonas. Lutherus, & Melanchton visi sunt resipuisse ab exsecrabili hoc maledicto; perstitit in eo semper Caluinus, & tamen idem contrarium dixit, vt è scriptis eius aduersus Libertinos liquet, quæ nos eodem signo adduximus. Igitur cùm sibi dissideant in tanta re quilibet istorum, necessariò in alterutra parte sunt mendacia.

Tot autem sunt numero, tantaq; magnitudine, vt neq; plura, neque maiora excogitari possint. Maiora, quòd sint aduersus ipsum Deum: plura, quòd flagitia plura nõ possint esse, quàm quę fient à mortalibus, ac dæmonibus.

Et tamen hac in re fuerunt artificio incredibili, quod potuerint ac scierint tot mendacia ac tanta in vnum mirabiliter includere. Quid igitur ad hæc dici potest? Hoc quãtum ad Protestantes.

Nam de Græcis, quicumq; sunt hæretici, nihil est quod afferamus, cùm locum prouerbio inter aliquos dederit Græcia mendax, & Ars Pelasga: idq; nos nolumus admit-

tere,

tere, quod asseueremus plurimos Græcos & sinceros, & veraces, quamuis ipse Paulus Apostolus de Cretensibus dictum verè velit, Cretenses semper mendaces. Sed tamen quicumque è Græcis vmquam fuerunt hæretici, cunctos mortales mendacijs superarunt, vt ex actis ipsis vniuersalium Conciliorum in Græcia celebratis apparet. Qualis autem Photius primus auctor schismatis, & hæresum, elagantissimus concinnator falsitatum fuerit, liquet ex illa narratione, quam Sanctus Antoninus suis historijs ad finem attexuit.

Tit.1.

Sextum. Mendacium à Græcis obiectum.

Papa non vult vniuersalia Concilia celebrari, ac valere, sic Nilus cum Grecis dicebat, vt liquet ex eius libello Græcè scripto, quem citat Gesnerus in sua bibliotheca, & exstat in Vaticana.

PRimus gradus. Decem Concilia vniuersalia sunt celebrata, ad quæ multi è Græcis Episcopi venerunt, pleriq; nullo modo. est igitur falsissimum, quod ait cum suis Nilus. Nam anno millesimo centesimo decimo tertio celebratum fuit primum Concilium Lateranense Episcoporum nongentorum, ac plurium, Callixto Secundo sedente. meminit eius Onuphrius, & Platina, Secundū est Lateranense secundum anno millesimo centesimo trigesimo nono, Innocentio Secundo, Episcoporum circiter mille, vt ijdem scribunt. Tertium, Lateranēse tertium, anno millesimo centesimo octuagesimo, Episcoporum tercentum; Alexandro III. meminit eius Gulielmus Tyrius lib.20. cap.26. in historia belli sacri. Quartum, Lateranense quartum, Episcoporum quadringentorum septuaginta trium, anno millesimo ducentesimo decimo quinto, Innocentio tertio. refert Onuphrius, Palmerius, Platina. Quintum, Lugdunense primum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, Innocentio Quarto. auctores sunt Palmerius, Onuphrius, & Gallici historiarum scriptores. Sextum, Lugdunēse II. Episcoporum septingētorū septuaginta quatuor, ad quod misere legatos Græci, Michaële Paleologo procurante, vt docuimus signo de fidei cōfirmatione, celebratum est anno millesimo ducen-

tesimo septuagesimo quarto. Septimum, Viennense Episcoporum tercentum, anno millesimo trecentesimo vndecimo, huius exstant constitutiones dictæ Clementinæ. Octauum Concilium est Florentinum, Eugenio Quarto; sub annum millesimum quadringentesimum trigesimum nonum: ad quod Græci plurimi venerunt. Nonum est Lateranense quintum, Iulio Secundo, & Leone Decimo sedente. Decimum est Tridentinum, in quo adfuère sex Cardinales, quatuor ex his Legati, Archiepiscopi triginta duo, Patriarchæ tres, Episcopi ducenti viginti octo, Episcoporum procuratores innumeri, vt refert Gaspar Villapandeus. Posset his adnumerari Constantiense; quod cùm non sit à Catholicis omninò receptum, idcirco præterimus. Hic igitur primus & apertissimus mendacij gradus à Græcis iactati.

Secundus gradus. Papa sæpius Constantinopolim misit suos legatos, vt de rebus controuersis communi cõsilio ageretur; ac sæpius per eos ad mentem reuocati Græci, vt ostendimus signo de fide confirmata. Numquã verò Græci legatos è suis vllos ad nos misere, communémve causam procurarunt; quin potius omnibus nos iniurijs affecerunt, nullũ genus odij aduersus nos omisere, vt eodem signo apertissimè explicauimus.

Tertius. Tantum abest, vt ad concilia communia venire voluerint, vt cum nostris ad controuersias componendas verba facere recusarint, cùm misisset ea de causa Pontifex Romanus Constantinopolim legatos, Andronico Paleologo iuniore imperante, quod Gregoras libro decimo narrat, & nos eodem signo retulimus.

Quartus. Cùm in Concilio Lugdunensi veritatem Catholicam fuissent amplexati Michaële Paleologo imperante, & Nicephorus Blemmides vir ab ipsis doctrinæ ac sanctitatis nomine laudatissimus pro nobis non multo antè scripsisset, simul ac defunctus est Michaël, decreta Concilij Lugdunensis respuerunt, omnes Catholicos acerbissimè vexarunt Andronico seniore imperante. Non igitur Papa est, qui concilia renuit, sed qui ex Græcis hæretici sunt, ipsi ea contemnunt. hæc eodem signo aperuimus.

Quintus gradus. Eugenius Quartus inuitauit eos ad Concilium Florentinum, quin sumptus dedit, vt venirent: venêre plurimi eorum cum Patriarcha Iosepho, & Imperatore Ioanne; assensere Concilij decretis, in Græciam

reuersi plerique fidem violarunt,& testatissimum cunctis fecerunt, Catholicíne, an Græci concilia nollent.

Septimum. Catholicis obiecerunt Protestantes, quòd concilia nollent.

LVtherus enim, cùm audisset à Leone Decimo damnatas esse suas pestilentissimas doctrinas, prouocauit ab illo ad concilium generale, protestatus sese illi subijcere omnia sua, acquieturum se omninò illius decretis; quod Surius refert in annum millesimum quingentesimũ decimum nonum. Et exstat Lutheri ipsius ad concilium generale appellatio.

In Comitijs Augustæ, Norimbergæ, Spiræ, Ratispone, & VVormatiæ publicis semper eadem protestatio est repetita à Principibus & alijs hæreticis, quocirca Protestantium nomen est illis affictum. Quin ob eam causam anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo conscripta est Augustæ de communi plurimorum consilio, & assensu, Caroli Quinti formula quædam eorum, quæ quilibet credere, ac sequi impunè posset; & appellata est Interim, quòd scilicet quiuis posset sequi conscripta, donec à Concilio secus diffiniretur. Videamus igitur an Papa sit, qui Concilium noluerit, an verò Protestantes, qui toties aduersus Papam Catholicosq; vociferabantur.

Primus igitur gradus, quem fecerunt impij in hac obiectione vitioque, est, quòd cùm iam fuisset à Paulo Tertio indictum Conciliũ vniuersale, Lutherus continuò aduersus omnia concilia scripsit, carpens illa singillatim, proscindens, dilaniansq; probris, ac maledictis. Exstat liber.

Secundus gradus. Inuehitur furentissimè in vniuersos Apostolos, Petrum, Paulum, cunctosq; Christianos Ecclesiæ primæuæ, qui in Concilio Hierosolymitano adfuerũt, expostulans grauissimam ab illis in mortales allatam calamitatem, quòd decreuerint abstinendum à sanguine & suffocato (ad tempus hæc statuta fuerunt, vt obsecundaretur Hebræis) inquiens non ferendam tantam iacturam, qua vesci nõ liceat capreis, leporibus, ceruis, cuniculis, anseribus, turdis ceterisq; auiculis, & quod intolerandum, lucanicis, farciminibus, iusculis, quæ non solùm pipere condiuntur, sed etiam sanguine vel liquido tingũtur, vel crasso &

ſo & coagulato infarcitur. Hoc ille quaſi abominandum flagitium aduerſus Apoſtolos Eccleſiæ Chriſtianę fundamenta ſcriptis mandauit.

Tertius gradus. Cùm Tridentum Concilio delectus locus eſſet, quòd ea ciuitas eſſet in Germaniæ confinibus, & Imperio Romano ſubiecta, ad illud ſæpius inuitati nulli Proteſtantium venire voluerunt.

Quartus. non modo inuitati ad illud venire noluerunt, ſed vt venirent tanto tempore exſpectati, quanto nulli vllo tempore ſunt exſpectati, ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, vſque ad milleſimum quingenteſimum ſexageſimum tertium, idq́; ſub quinq; Pontificibus, Paulo Tertio, Iulio Tertio, Marcello Secundo, Paulo Quarto, Pio Quarto, ne forſan malè animati in aliquem ex ijs Pontificibus, cōqueri poſſent alium non adfuiſſe.

Quintus. quod numquam factum fuit, pleniſſima illis ſecuritas fidei publicæ interuētu data eſt; & data ob quoduis crimen admittendum, ac ter etiam publicè repetita, ac diuulgata. Vt enim peti poſſet eam dari, non tamen ob quodlibet crimen, nec toties eam repeti iuſtum videri poſſet, quod deſideraretur.

Sextus. vix indictum eſt Concilium Tridentinum, & continuò Proteſtantes, qui manſuetiores omnibus haberi volunt, toties Concilium petierant, facultatem liberam cuiuis credendi quodlibet dari volunt, arma ſumūt, in Carolum Quintum bella mouent, Tridento appropinquant, ita vt plurimi Epiſcopi metu perterriti profugerint: & qui Concilium toties efflagitaſſe videri cupiebant, ijdem Proteſtantes, vt diſſolueretur, arma arripuerunt. Hoc eſt igitur ad ſummam, quod volebant.

Septimus. Exſtat Philippi Melanchtonis liber editus omnium Proteſtantium nomine, in quo concludit, vt detur facultas non modo ſacerdotibus, ſed etiam laicis iudicare de rebus Theologicis controuerſis; quod eſt priſtinis ſæculis inauditum. Præterea verò, vt poſtquam ſic fuerit iudicatum, nihil tamen doctrinæ contrariæ damnetur. Hæc ille, Proteſtantium conuentus. Et quî fieri poteſt, vt Concilium iudicet aliqua de re controuerſa, & alteram partium non condemnet?

Atqui ex hoc vltimo & ſuperioribus neceſſariò colligitur ab iſtis omnia Concilia damnari, & euerti, non modò facta, ſed etiam facienda, nec ſolùm facta iuxta priſcū Ec-

clesiæ morem, verùm facienda iuxta ipsorum voluntatē, belloque illa persequenda esse de sententia ipsorum. An hoc est appellare ad Concilium generale? An hoc est à Papis Concilia repudiari?

Octauum. Papa iactat se esse supra scripturam diuinam.

HOc est omnium mendaciorum mendacium mendacissimum. Nullus namq; magis diuinæ scripturę fuit vmquam sponte subiectus, vt Papa, quippe qui numquàm recesserit à fide Catholica, cuius fundamentū conuincens hęreticos, & alios scriptis diuinis aliquid deferentes, est sacra scriptura. Idcircò est autem subiectus ac fuit, quòd inhęreat interpretationibus vnanimi consensu ad illā allatis à sanctis doctorib. concilijs vniuersalibus, & Ecclesia toto orbe per omne sęculū diffusa. Videamus autem, quàm præcipites in hoc vitium corruerint hæretici.

Primus gradus. Non placet vulgata editio Latina. sic hæretici omnes hodie, qui quantum possunt, conantur aliquid in medium proferre, quò ostendant non consentire illam cū codicibus Hebraicis. Aduersus illos egregiè post alios scripsit Hebraicarum litterarum scientissimus Lucas Brugensis quo ad totam scripturam; quo ad psalterium solidissimē omnium Gilbertus Genebrardus.

Secundus gradus. Immo nulla versio, quæ hucusq; sit. Audi aliud mirabilissimum, vel quæ futura vmquam sit. O homines omnium, qui fuerint, aut futuri sint, sapientissimos. Ita volunt Zuingliani, Anabaptistæ, & Caluinistæ fœces hominum stolidissimorum, vt liquet è præfatione Tigurinæ editionis.

Tertius gradus. Hebræa multis locis corrupta. Nam Caluinus Instit. cap. 6. §. 11. ait lectionem ab Hebræis inuersam cap. Isaiæ nono. In vulgata namque est, *Et vocabitur*. Hebræi verò corrupto libro legunt, *Et vocabit*, quos ob id latrare ait Caluinus. Similiter Hæbrei psal. 21. legunt; *Sicut leo manus meas*. Vulgata rectius habet; *Foderunt manus meas*. ob id Caluinus adhærens vulgatæ eodem loco inuehitur in Hebræos. Et sanè Caluinus non malè his locis. sed nos hîc ostendimus, nebulones istos ignorare quid dicant.

Quartus gradus. Non placet liber Iob. sic impius Luth. in conuiualibus sermonibus, & de libris veteris ac noui

testa-

testamenti, asserens esse fabulæ argumentum, ad proponendum patientiæ exemplum.

Quintus. Neque liber Ecclesiastis. Idem loco eodem.

Sextus, neque Baruch. Caluinus lib.3. Instit. cap.20. §.8. & Chemnitius in Examine quartæ sessionis Concilij Tridentini.

Sed illum tuentur Clemens Alexandrinus lib. 1 Pædagog. cap.10. Ambrosius lib.1. de pænitentia cap.8. Basilius lib 4. in Eunomium, Augustin. lib.18. de Ciuit. Dei cap.33.

Septimus, neque libri Thobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabęorum. Ita Magdeburgenses lib.2. Cent.1. cap.4. Caluinus lib.1. Instit. cap.11. §.8. & lib.2. cap.5. §.18. Lutherus, & Zuinglius in præfationibus Bibliorum à se conuersorum.

Contra hos est Concilium Carthaginense iij. can.47. Gelasius I. cum septuaginta Episcopis in decreto de libris sacris, Augustinus lib.2. doctrinæ cap.8. Isidorus lib.6. Etymol. cap.1. Cassiodorus lib.1. diuin. lect.

Neque quemquam moueat, quòd aliqui Catholici secus opinari sint visi. Quidquid enim dixêre hi, Ecclesię decretis subiecerunt; & ideo magis his adhæserunt, quàm suæ dubitationi, vt ostendimus signo de vnanimi consensu doctorum.

Octauus gradus. Non placet epistola Pauli ad Hebręos. Ita Lutherus in prologo epistolæ illius, quem Magdeburgenses cum suis sequuntur. ab his tamen dissentit Caluinus, quamuis dubitet an Pauli sit. Contra hos est Concilium Laodicenum can.59. Carthaginense iij. can.47. Ephesinum 1. & Chalcedonense approbantia duodecim capitula Cyrilli cap.10.

Nonus. Non Placet epistola Iacobi, & Iudæ. Lutherus in prologis epistolarum; quem sui sequuntur. Contrà Caluinus.

Sed eas receperunt Cõcilia supradicta. Gelasius in Concilio 70. Episcoporum. Origenes hom. 7. in Iosue. Athanasius in Synopsi. Hieronymus epistola ad Paulinum de studio scripturarum. Augustinus libr.2. de doctrin. Christian. cap.8.

Decimus. Non placet Apocalypsis. Ita Luther. in prologo ad illum librum. Luthero subscribunt Brentius, & Chemnitius. Aduersus hos pugnant Caluinus ac Magdeburgenses.

Illam recipiunt Ancyranum Concilium can. vltimo, Carthagin. iij. can. 47. concilium Romanũ Episcoporum septuaginta Gelasio sedente, Toletanum quartum can 16. cum innumeris Patribus tam Græcis, quàm Latinis, quos citat Robertus Bellarminus tom. 1. lib. 1. cap. 19. qui videndus est, quòd omnibus obiectis doctissimè suo more respondeat.

Vndecimus. Lutheranis placet versio, quam Lutherus dedit in lucem. At qualis hæc? Talis, vt in ea mille & plura loca proferantur, in quibus Lutherus aliquid immutauit, ab omnibus codicibus discrepans addendo, aut detrahendo, vt adnotauit Cochlæus anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo. Quocirca nonnulli ex hæreticis palàm desciuerunt ob id à Luthero: in his Bucerus, qui sic dialogo contra Melanchthonem, *Lutheri lapsus in vertendis explanandisque scripturis manifestos esse, nec paucos* Idem testatur confessio Mansfeldensis ab Osiandrinis dictum. Quod de Lutheri versione dicimus, idem repetimus de versione aliorum, quorum deprauationes aliquot insignes refert Canisius libro primo de Corruptelis verbi Dei cap. 1.

Duodecimus. Cùm nullam probẽt hæretici editionem linguæ vllius, præterea verò multos è biblijs libros à sanctissimis viris & concilijs, tam in Oriente, quàm Occidente approbatos truncent; versiones ipsorum sint deprauatissimæ, videndum, quales isti sint in diuinæ scripturæ interpretationibus. Tales profectò, vt nihil repugnantius inter se fingi possit. Claudius Sainctes libro de rebus Eucharistiæ controuersis profert octuaginta interpretationes inter se dissonas ad illa verba: *Hoc est enim corpus meum.*

Quis igitur quæso se supra scripturam dicit esse, ac facit? An scelera ista, quæ nullum codicem contendunt esse indubitatæ fidei vllo modo, quæ nullam versionem probãt; quæ libros integros explodunt, quæ detrahunt, addunt, vt lubet; quæ inter se dissidentes interpretationes adducunt? An Papa cum suis, qui editionem vetustissimam non patitur immutari, in admittendis sacris libris concors est sanctissimis viris, & Concilijs Ecclesiæ toto orbe diffusæ per omne tempus; explicationes ad illam probat eas, quæ similiter ijsdem sint probatæ? Vide igitur istorum, dementiámne dicam, vel impudentiam summam?

Coactus itaque veritate Lutherus libro de veritate corporis Christi in Eucharistia contra Zuinglium protulit hæc verba, *Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersæ scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

Et Conradus Pellican⁹ Zuinglij sectator, cùm bis psalterium vertisset ex Hebraico, sic deniq; in præfatione anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti: *Tanta, inquit, dexteritate, eruditione, & fide Hebraica, quo ad sensum, concordare deprehendimus vulgatam editionem psalterij, vt eruditißimum, pariterque pijßimum, & verè prophetali spiritu præditum fuisse interpretem Græcum & Latinum non dubitem, quamquam alicubi dissentiat à punctis Hebraicis, quibus nunc Iudæi vtuntur, quæ olim non fuisse similia ambigere cogor, & quarumdam litterarum mutationem factam suspicio sit conferentibus singula diligenter.* Hæc hæreticus ille.

Nonum. Papa asserit se immutare & instituere posse sacramenta.

HOc est aliud omnium mendaciorum mendacissimum mendacium. Catholica namq; est & omnium sententia, ab vno Christo institui potuisse sacramenta quo ad formam verborum, materiamque, è quibus illa constant: & his nihil addi, nihil imminui potest. Deus namque solus infundere valet gratiam, quæ peruadit essentiam nostram soli diuinitati peruiam; & ad amandum præ cunctis Deum, nos à cunctis rebus seiungens, transfert. Hoc asseruit semper, & asserit Papa cum suis, vt est in Concilio Florentino, ac Tridentino. Sed videamus quales hæretici, qui hoc obiecerunt, hac in re; ipsorumq; testimonio & facto aduersus ipsos vtamur.

Conc. Triden. seß. 7. can. 1.

Primus gradus. Cùm Catholica Ecclesia docuerit semper esse septem sacramenta, & ita conuenerit semper Occidentalibus, & Orientalibus, vt liquet abundè è libro de septem sacramentis Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis, qui in multis bibliothecis exstat, & in nostra habetur, quam reliquit Congregationi Achilles Statius; hæretici suæ ruinæ hîc primum gradum faciunt.

Primo loco Lutherus libro de capt. Babylonica asserit vnũ tantũ esse reuera sacramentũ, sed plura sacramẽtalia.

Secun-

Secundo, contendit eodem libro esse duo. & Philippus Melanchthon in Locis communibus anni vigesimi primi, & vigesimi secundi cap. de signis. Chemnitius 2. par. Examinis. cap. de sacramentorum numero.

Tertio. Mox ibidem Lutherus vult esse tria, Baptismũ, Eucharistiam, Pœnitentiam. sic denique idem scripsit anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto contra Louanienses, & Augustana confessio artic. 13.

Similiter Caluinus vult esse tria, sed non eadem cum Luthero. Hæc enim ponit Caluinus, Baptismũ, Cœnam Domini, Ordinationem. Instit. lib. 4. cap. 19. §. 31 & cap. 14. §. 20.

Quarto. Philippus Melanchthon in Locis anni trigesimi sexti, quinquagesimi secundi, quinquagesimi octaui, contendit esse quatuor, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiã, Ordinationem. hoc sequitur Lossius in catechismo anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi.

Quinto. Idem Philippus in Locis anni millesimi quingentesimi quinquagesimi octaui vult & matrimonium esse sacramentum; cùm dicat habere quòd de ipsius sententia exigitur ad sacramentum.

Sexto. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, vt Sleidanus refert libr. 20. conuenerunt Lipsiæ Theologi VVitebergenses, ac Lipsenses; & in his Melanchthon, ac statuerunt, confirmationem, & extremam vnctionem esse sacramenta. sic itaq; septem posuerunt.

Quis igitur hac in re tam graui inconstantiam nebulonum non stomachetur? An non isti semetipsos constituunt sacramentorum diffinitores, qui, vt lubet, quot volunt faciunt, imminuunt, addunt maxima instabilitate?

Secundus gradus. *Nulla sacramenta sunt ad salutem necessaria.* hoc inquiunt hæretici Lutherani, & Caluinistæ, qui soli fidei attribuunt iustitiam nostram: ita vt velint Caluinistę infantes Christianorum sine baptismo vllo saluos esse. Hanc nos opinionem confutauimus libro primo. In adultis namque necessarium baptisma vel re, vel voto; in pueris, quando nullum potest eis adesse votum, re necessarium est. Sic itaque hæretici isti necessitatem sacramentorum tollunt.

Tertius. *Nihil aliud*, inquiunt Caluinistæ, ac Lutherani, *efficiunt sacramenta, nisi quòd sensibus nostris obiecta, ad fidem nos excitant, nostram fidem alunt per quam iusti simus.* sic Luther. lib.

de capt. Babyl. ca. de bapt. & anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, assert 1. & anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio, libro contra Cochlæum. Philippus Melanchthon in Locis editis anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, & in apolog. anni millesimi quingentesimi trigesimi ad articulum 13. & libro contra Anabaptistas, vbi ait, sacramento, vti pictura, voluntatem Dei nobis ostendi. Eamdem sententiam sequitur Caluinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 6. vbi eadem similitudine picturæ vtitur, & §. 17. & 18.

Et quamuis isti aliquando scribant, sacramentis gratiam contineri, & per illa donari, interpretantur tamen contineri excitando fidem, donari excitando, & alendo illam solummodo, vt egregiè deducit Robertus Bellarminus lib. 7. cap. 2. tom. 1. vt habet Caluinus in Antidoto Concilij. sess. 7. can. 5. & 8. & Chemnitius in Examine eiusdem, Beza libro de summa rei sacramentariæ, quæst. 2.

Sic itaque efficaciam sacramentorum, quibus infunditur gratia ex opere operato, tollunt contra diuinæ scripturæ, & totius Ecclesiæ toto orbe per omne sæculum diffusæ consensum, vt libro primo est explicatum.

Quartus. *Non sunt necessaria certa verba in sacramentis*, sic Lutherus libro de capti. Babylon. cap. de baptismo. Brentius in catechismo suo cap. de baptismo. Zuinglius libro de vera, & falsa religione, cap. de baptismo. Sed contra hos, vt cetera omittamus, est Irenæus lib. 1. cap. 18. Tertullianus libr. de baptis. Cyprianus epistola ad Iubaianum. Athanasius serm. 3. contra Arianos. Basilius hom. in sanctum Baptisma. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Augustinus lib. 6. contra Donatistas cap. 25.

Quintus gradus. Nō placet hæreticis præcipuis nomen sacramenti. Lutherus lib. de capt. Babyl. cap. de matrimo. anno millesimo quingentesimo vigesimo, & libro de abroganda Missa, anno millesimo quingentesimo vigesimo primo. Melāchthon in Locis editis anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, & anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo. Zuinglius lib. de vera & falsa religione, cap. de sacramentis. Caluinus libr. 4. Institut. cap. 14. §. 13.

Contrà, Lutherus lib. contra cælestes Prophetas par. 2. ait sibi dissidens contra Carolstadium nos debere & oportere vti hoc nomine sacramenti.

Et sanè Antiqui omnes Patres vsi sunt hoc vocabulo. Cyprianus lib.2.epist.1. & epist.3. & lib.4. epist.7. Lactantius lib.4.cap.17.Hilarius in illud Psal.121. Et abundantia diligentibus te.Hieronymus in cap.44.Ezechielis,& in cap.1. Malachiæ. August. epist. 118. lib.2. de doctrina Christiana cap.3.denique qui vsi sunt illis Apostoli verbis Ephe.5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo,& in Ecclesia.

An non igitur hæretici isti faciunt se supra sacramenta, è quibus tollunt nomen, efficaciam, verba, necessitatem, numerum? quid igitur illis reuera relinquunt? Quomodo Papa facit se supra sacramenta, qui adhærens vnanimi totius Ecclesiæ toto orbe per omne sæculum diffusæ consensui, tuetur numerum, necessitatem, substantiam, efficaciam, nomenque sacramentorum?

Decimum. Papa facit se supra omnes in interpretandis sacris scripturis.

PRimus gradus. *Mea doctrina est supra Papam.* id passim iactant Protestantes,& in hoc se maximè gloriantur, cùm tamen hęc sit nota aduersus hęreticos,vt signo de Petri cathedra ostendimus.

Secundus gradus. *Immo supra omnes Doctores.* Hæc est altera nota aduersus hęreticos,vt signo de vnanimi doctorum consensu est explicatum. Hoc de se Lutherus iactat libro contra Regem Angliæ,& in prologo aduers. Ecclesiæ status. Philippus in Locis cap. de Ecclesia. Brentius in confessione VVittebergica, Caluinus lib.4. Inst. cap.9.§.8.12. 13.Chemnitius in Examine sess.4. Qui omnes volunt priuatum quemlibet esse iudicem in interpretādis sacris scripturis omnium doctorum, sanctorum, conciliorum, totius Ecclesiæ,vt apparet in ijs locis.

Tertius. *Quin supra omnes sanctos.* ijdem locis adductis.

Quartus. *Amplius, supra omnia concilia.*

Quintus. *Supra Ecclesiam totam.* sic ijdem locis allatis.

Sextum addidit Lutherus, asserens se esse supra Angelos; & mille Ecclesias, ijsdem locis.

Septimus necessariò sequitur hos omnes; quē sanè Lutherus expressit contendens suam doctrinam è cælo esse, & à Deo sic enim libro illo aduersus Ecclesiasticorum statum: *Volo audiri, & iuxta doctrinam S. Petri doctrinæ meæ ratio-*

nem & fundamentum ostendere coram vniuerso mundo, eamque habere iniudicatam à quolibet, etiam à cunctis Angelis. & ibidem; se certum esse, quòd Christus doctrinę ipsius magister sit.

Octauus. Quatuor homines Magdeburgenses historiarum Centurias quasdam longissimas quolibet sæculo texuerunt; in ijs ætate qualibet, vt possunt, afferunt in medium doctores antiquos hęreticorum, qui pro hęreticis sint habiti semper homines omni vitio cooperti, & qui Lutheri, & Caluini, & eiusmodi scelerum doctrinam tueantur. sic itaque non Christus, non Deus, sed hæresiarchæ omnes sunt istorum magistri; & qui Catholicis doctoribus, sanctis, & concilijs se noluerunt subijcere, hæresiarchis se subiecerunt.

Nonus. apertissimè Lutherus libro de Missa angulari ait Diabolum nocte quadam sibi adstitisse, & multa argumenta suppeditasse aduersus Missam, quibus respondere haud possit, & quibus ipse fretus in eam scripserit. Similiter Zuinglius fatetur nocte quadam sibi dormienti apparuisse spiritum (se verò ignorare, albus, an ater fuerit) & dixisse illa verba, *Hoc est corpus meum*, intelligenda per similitudinem, sicuti illa, *Petra autem erat Christus*. eodem modo Caluinus ait se facere non posse, quin scriptis suis in alios iactet conuicia, quòd hoc sit non ingenij, sed genij sui. Atque ita fatetur, se quodam genio malo abripi in scriptis suis ad maledicta. En igitur, quò prolapsi sunt isti, & quò se prolapsos confitentur, vt se Dæmoni obnoxios, auscultare, & obedire vti magistro fateantur.

Adactus itaque veritate Lutherus libro 1. contra Zuinglium, & OEcolampadium, scripta hæc reliquit. si diutius steterit mũdus, iterum fore necessarium, propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, vt ad conseruandam fidei vnitatem conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. Hæc ille. En vt, qui nolunt stare doctoribus priscis, sanctis, concilijs, Ecclesiæ toti, Angelis ipsis, asserant hæresiarchas aliquos opinionum suarũ magistros, asserant ipsum Diabolum suum magistrum.

Vndecimum. Papa cum suis obscurat ac tollit memoriam Passionis Christi.

HOc est omnium patentissimum mendacium. Nam signis, verbis, factis sic nostri memoriam passionis

Christi

Christi insculpere conati sunt animis hominum, vt stigmata Christi crucifixi sint nostrorum corporibus multis diuinitus impressa, & exstent reliquiæ nobilissimæ id testificantes, vt signo de spiritu precum, & admirandis affectionibus cadauerum sanctorum liquet. Verùm demonstremus ab impijs istis contrarium prorsus tentatum; ita vt summis viribus contenderint abradere, & ad nihilum redigere facta, verba, signaque omnia, quibus Christi crucifixi memoria mētibus nostris infigeretur. sit itaque istorum gradus.

Primus. Nam cùm nostri ex instituto Apostolico obseruarent quadragesimam, vt imitarentur Christum, qui totidem dies ieiunus permansit, obseruarentq; antequam celebrarent die solemni memoriam passionis Christi, vt sic insigni facto & imitatione mentibus nostris illa infigeretur; isti hanc consuetudinem prorsus exterminarunt. Esse autem quadragesimam ab Apostolis de sententia Christi institutam; consentiunt Orientales, Indi, Syri, Armeni, AEthiopes, Græcique, tradunt Apostolici canones, can. 68. vt habent ipsi Greci. Ignatius epist. ad Philippenses. Irenæus apud Euseb. lib. 5. cap. 24. histor. Eccles. Orig. hom. 10. in Leuit. Cyril. catech. 18. Nazianzen. orat. in sanctum Lauat. Basil. orat. secunda de ieiun. Ambrosius serm. octa. de quadragesima. Chrysost. hom. 1. in Genesim. Paulin. epi. 6. ad Aman. Hieron. in ca. 9. Mat. in cap. 3. Ioan. Aug. ep. 118. & 119. & sermon. quadraginta quatuor de quadragesima.

Secundus. Apostoli similiter instituerunt, Christi mentem secuti, vt ieiunium sextę feriæ obseruaretur, quòd tum Christus sit cruci affixus, atque ita nobis memoria huius rei altissimè inhæreret. Hæretici nostræ ætatis hoc sustulerunt. Esse verò ab Apostolis hunc morem Christi factis & menti consonum inductum, testantur omnes prædictæ nationes id obseruantes, ac præterea canon. 68. Apol. Ignatius epist. eadem 8. Clemens Alexand. Stro. lib. 8. Origen. hom. 10. in Leuit. Tertullianus cap. 14. aduersus Psychicos, Hieronymus epi. 28. in fine, Epiphanius in compendiaria doctrina in fine, Augustinus epist. 118. ad Ianua. Cyril. in Leuit. lib. 10.

Tertius. De iussu Christi est ab Apostolis instituta Missa sacratissima, cui cuncti Christiani saltem quibuslibet festis diebus interessent: in ea vestes sacerdotis, motus omnes corporis, gestus, verba, totaque celebritas nihil

aliud referunt, quàm Christum cruci affixum. Hanc tenent cunctæ nationes ab Apostolis traditam, vt apparet è lyturgijs à Pamelio collectis, & nos persecuti sumus secunda coniunctione. Hanc isti vt aliquid abominandum, ex impulsu, & consilio Diaboli, vt Lutherus ipse testatur, exterminarunt.

Quartus. Ieiunia multa, & alias corporis afflictiones temporibus & hominibus pro conditione singulorũ conuenientes Apostoli ijdem ad hunc finem sanxerunt, vt exemplo Christi nos pati aliquid & vellemus, & assuesceremus, vt optimè persequitur Cæsar noster in Annalibus sub annum Domini quinquagesimum septimum. At is nostrorum temporum scelestissimi hæretici, vt Christi crucifixi memoriam reuera è terris abolerent, cuncta exterminarunt.

Quintus. Ad eamdem Christi memoriam renouãdam, nobisque imprimendam, mos est acceptus ab Apostolis, vt crucem, crucisque imaginem veneremur, vt nos docuimus in coniunctione prima, lib. 2. cap. pen. & vltimo ostẽdimus. hoc impij repudiarunt.

Sextus. ab ijsdem fuit Apostolis acceptum, vt frequentissimè signum crucis manu nobis signaremus, quod codẽ loco ostendimus, vt hoc scilicet modo Christi crucifixi imago sæpiùs animos nostros pulsaret. Id flagitiosissimi exploserunt.

Septimus. Crucis, Christiq; crucifixi imaginem tolli è tot templis, è tot locis, in quibus olim conspiciebatur in plurimis Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Septentrionisq; regionibus, enixi sunt exercitibus factis, cædibus, & omni genere armorum, & iniuriarum; vt neque imago, neque signum, neque vlla memoria passionis Christi exstaret.

Ad vnam tantùm rem prædicari, & exstare illam voluerunt, vt inani recordatione fiduciaq; eius concepta Christo crucifixo quàm dissimillimi euaderemus, & in omnibus flagitiosissimi propter impunitatem, quam consequi ex illa confidentissimè speramus.

Duodecimum calumniantium obiectum est, Quòd merita Christi minuamus.

PRimus gradus istius criminis, quẽ fecerũt hęretici, est, Quòd cùm nos dicamus Christum meruisse, vt posset insti-

instituere septem sacramenta, quorum multa sæpius itera ri possunt, & quibus infunditur gratia, caritasq; diuina in homines bene animatos, vt sæpè docuimus; impij Protestantes dixêre ijs tantùm excitari & ali fidem, per quam remissa nobis peccata speremus, ac certò credamus, vt suprà est ostensum.

Secundus. Nos dicimus ijsdem dari spem, qua futurum nobis persuadeamus, vt Deus per ea sacramenta vim det, qua peccata mortifera vitemus. Impij Protestantes asserunt non ita esse, non dari hanc spem per merita Christi.

Tertius. Nos dicimus per merita Christi non modò hanc spem dari, sed vim præterea, qua crimina cuncta mortifera haud admittamus. Impij contrà. Caluin. Inst. li. 3. c. 11. sect. 15. & c. 15 sect. 5.

Quartus. Nos asserimus per merita Christi nobis efficaciam dari, qua possimus obseruare in grauibus Dei legem, & mandata. Contrà impij decernunt, fieri non posse hoc per merita Christi. Caluinus Inst. lib. 2. c. 1. sect. 9. & locis suprà adductis.

Quintus. Nos asserimus per merita Christi nobis concedi, vt mereamur æternam vitam, gloriamq; , vt habetur Rom. 8. 2. 6. 5. Gal. 5. 2. Cor. 5. Ioan. 1. Luc. 1. Act. 13. Philip. 2. 3. 1. Thess. 2. Ephes. 1. Tit. 1. 1. Timot. 3. 1. Cor. 10. quod argumentum latè persequitur ac doctè Stapletonus lib. 6. de Iustificatione.

Impij volunt per merita Christi non esse nobis meritum, vt mereamur.

Sextus. Nos asserimus Christum meruisse, vt Sancti mereri per eum possint primum gratiæ motum, pœnarumq; aliquā remissionem: quod nos in tertia coniunctione docuimus. Impij contrà, nolunt id nobis Christum meruisse.

Septimus. Eò tandem peruenêre impij, vt decernant Christum sibi gloriam corporis non meruisse. Caluinus Inst. lib. 2. cap. 17. §. 6. Cùm tamen Paulus Philip. 2. dicat, ideo Christum exaltatum, quia factus est obediens vsque ad mortem.

Octauus. Adeò Christi dignitatem minuunt, vt illi imponant obliuionem, desperationem, & alia huiusmodi exsecranda portenta, quæ nos signo de vna fide ad finem persecuti sumus.

Decimum tertium Calumniantium obiectum est, Quòd Papa efferat se supra alios potestate sua.

PRimus gradus. Impij dicunt se posse intelligere scripturas, & intellexisse melius, quàm cũctos Doctores.

Secundus. Immò quàm cunctos sanctos.

Tertius. Quàm Ecclesiam totam.

Quartus. Quàm Apostolos ipsos.

Quintus. Quàm Angelos cunctos, vt nos è Luthero suprà retulimus.

Sextus. Impij dicunt, *Eiusdem loci, meriti, ac dignitatis est quilibet è nostris scelestißimus, atq; è superis quilibet: vt iam falsum sit illud* (si quidem verum dicerent ista flagitia) *Qui soluerit vnũ de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Matth. c. 5. &; *Nullus maior inter natos mulierum Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.* Luc. 7.

Septimus. Addunt scelera, *Quilibet è nostris, est par meritis, & dignitate Virgini ipsi Mariæ.* Hæc enim diabolica vox Lutheri, cui auscultant isti in sermone de Natiuitate Virginis. *Sumus pares matri Dei, & æquè sancti sicut illa, nisi quod non possumus esse Dei matres, sicut illa fuit.* Hæc ille Satan.

Decimum quartum obiectum nobis est vitium à Græcis ignorantiæ, vt in litteris Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani ad Leonem IX. legimus.

SED quem gradum fecerint in hac Græci, haud sinit nos commemorare maximus dolor, quo nolentes, & oppressi, videmus nobilissimam olim nationem densissimis ignorantiæ tenebris circumfusam, vt neq; priscæ propriæq; linguæ artem calleat, nisi à nobis discat. reliqua ostendimus signo de vnanimi doctorum consensu, & ignoratione hæreticorum.

Decimum quintum nobis obiecêre Græci Simoniam, vt apparet è litteris, quas ad eos respondens dedit Gregorius IX. emissas nuper in lucem à Gerardo Vossio.

Et

ET neq; idem dolor permittit, vt explicemus, quàm miserè corruerit in hoc crimen illustrissima natio; cùm sciamus à Turcarum Rege Episcopos euehi, & deijci inter Græcos pretio, & quò plus è Græcis aliquis offert ac largitur Turcarum Regi, eò magis ille extollitur ad dignitates, & amouentur qui sunt in eis, cùm plerumque maiori data pecunia in se transferri aliquis Episcopatum cupit, ægreferentib. id alijs Grecis. Sic aliqui sunt, qui libẽter sinãt pueros suos formosiores, & indolis generosioris, nomen dare Mahometi, vt præposteræ impiorum Principum libidini seruientes ad supremas inter eos præfecturas extollantur, & suis propinquis hac impietatis via benefaciant, siquid huiusmodi benefactum potest esse. Id nunc passim fit à multis Græcis, quod nequidquam cæteri indignãtur, sicut nos indignamur à nostris mali aliquid fieri, & contumaces excommunicamus.

Decimum sextum obiectum. In Ecclesia Catholica est Antichristus.

Videamus, quos hi gradus fecerint appropinquando ad Antichristum.

PRimus. Antichristus veniet secundùm operationẽ Satanæ. sic ait Paul. 2. Thes. 2. Atqui professus est ipsẽ Lutherus lib. de Missa angulari se venire aduersus diuinissimam Missam ex operatione Satanæ, & cum eo plus vno salis modio comedisse. Caluinus autem fassus est, excusans se cum Brẽtio, maledicta, quibus vndiq; sui libri scatent, non esse ingenij sui, sed genij: non boni certè. cùm mala sint, sed mali. Zuinglius verò ait se ignorare, an ille spiritus, qui aduersus Eucharistiam ipsum commouit, fuerit ater, an albus. Quòd si bonus fuisset, tenebræ illum non obscurassent, cùm in Deo tenebræ non sint vllæ.

Secũdus. Antichristus veniet in omni seductione iniquitatis. Paulus ibidem. Protestantes verò omnes hac via se ducunt ab Ecclesia, & pristina veraq; fide mortales, quòd asserant licere per Christi fidem omni se iniquitate contaminare. quin, ait Lutherus, quantò sceleratior es, tantò vicinior gratiæ. Atque ita per Christum licèt esse dissimil- *Ser. epis. Pet.*

limum

limum Christo,& Antichristum. quo quid repugnantius?

Tertius. Ait ibidem Paulus, iam tum suo tempore, quo ad Thessalonicenses scribebat, anno Christi, vt colligit Baronius noster in Annalibus suis, 53. Antichristum operari mysterium iniquitatis, & hoc propter hæreticos à Simone Mago iam tum suscitatos aduersus Ecclesiam Dei, Petrumque ipsum, vt Theodoretus ac Sedulius in loci illius explicatione scribunt, & August. tradit lib. 20. de Ciui. Dei, c. 19. Simon autem Magus inprimis docuit opera non esse necessaria ad salutem, sed fidem satis esse, vt testatur Iren. lib. 1. c. 20. Hoc impium dogma, quasi magnum mysteriũ, passim iactant, atq; extollunt impij Protestantes: sed est mysterium iniquitatis, quia prætextu illius omnis iniquitas operitur, & admittitur, ac veluti res sancta consecratur quasi mysterio quodam.

Quartus. *Antichristus extollet se supra omne, quod colitur.* quæ quidem verba, & hanc admittunt interpretationem, vt Antichristus aduersus omnes sanctos bella gerat, cultumque oppugnet illorum, sicut habetur in Apocalypsi, quòd bestia aperiet os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant, & idem repetitur Dan. c. 11. Suprà autem docuimus à Protestantibus asseri sanctos errasse, errasse ipsum Christum, qui est tabernaculum Dei verum, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; præterea verò contendi Deum esse efficacissimum auctorē, & artificem proprium omnium malorum: quæ est blasphemia longè exsecrandissima.

Quintus. Antichristus quantũ in se auferet sacrificium Missæ, vt scribit Hippolytus libro de consummatione sæculi, & habetur Danielis cap. 11. Atqui omnes Protestantes Missam tollunt, & sacrificij vim non habere contendunt.

Sextus. Antichristus crucis signum contemnet, & impugnabit, vt Hippolytus eodem loco scribit. & hoc ait Paulus sectatores Antichristi futuros crucis Christi inimicos, ad Phil. c. 3. Protestantes verò pleriq; omnes crucis signum derident, & insectantur.

Septimus. Antichristus erit auctor discessionis, siue, vt habetur in Græco, apostasiæ, vt ibidem Paulus dicit, cùm ait, *Nisi venerit discessio primùm*. nomine autem discessionis Antichristum intelligunt, quòd apostasiæ caput sit futurũ,

Chrysostomus, Theodoretus eo loco, Augustin lib. 20. de Ciuit. Dei c. 19. At Lutherus apostata vnà cum Protestantibus cunctis vehentissimus est auctor apostasiæ ab omni religionis, pietatis, & operum bonorum nexu, ab omni vinculo obedientiæ maioribus cunctis, ipsi Deo deniq; debitæ, vnum relinquit nexum; & vinculum, vt Christo fidas, & nil refert si alioquin in omnibus aduersus Christũ Deumq; prælieris. Sta cum Christo in hac vna re, inquiunt, nil refert, si in omnibus, quæ sunt omniũ maxima, à Christo discedas. An hoc est esse cum Christo, abuti Christo aduersus Christum, an verò esse Antichristum?

Octauus. Antichristus omnibus se hæreticis, eorumque opinionibus antiquis adiunget, ac propterea à Ioanne Apostolo hæretici vocantur Antichristi in epistolis suis, & eodem modo à cæteris scriptoribus sacris. Protestantes verò cuncti priscas ferè omnes hæreses ex inferis rursus euocarunt in apertũ, vt ostendimus signo de vnanimi doctorum consensu.

Nonus. Antichristus erit mulieribus deditissimus, vt habetur vndecimo cap. Danielis. Lutherus autem dixit licere non modò cum ancillis coire, sed etiam cum coniugibus suorum fratrum, si quidem filios ex eis non habeant, addit fas esse plures vxores habere. Atqui nullas leges producere vllus potest, quæ tantam libidini licentiam peccandi faciant, vt primo obiecto ostendimus Lutherum fecisse. Verùm maior dari non potest ab vllo, quàm detur à Protestantibus, qui fas esse aiunt quoduis crimen admittere apud Deum, modò fidas Christo. Apud omnes porrò gentes est hoc vsitatissimum ius, vt vota castitatis Deo nuncupata quemuis adstringat; Protestantes irrita, & impia dicunt, vt suprà ex illorum libris planum fecimus. Igitur & hoc contra iura gentium aut omnium, aut plurimarum, aut sapientiorum Protestantes decernunt, vt se apertissimos Antichristi satellites prodant, atq; ostendant.

Protestantes Antithei, & Athei.

DEcimus itaque sit illorum gradus. Non placet, inquiunt, nomen Trinitatis. Hinc Lutherus ex epist. D. Ioannis sustulit illud, *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* &

ex litanijs illud erasit, *Sancta Trinitas vnus Deus.* Caluinus eodem modo nouus grammaticulus, nullo modo Theologus, dixit, non sibi placere nomen Trinitatis, quia cùm sit fœminini generis iungatur cũ Deo nominis masculini: ac proinde impius addit, *Est nomen Hermaphroditum.* Atqui placuit sanctissimis ac doctissimis viris, Dionysio cap.3. de Diuin. nominibus, & exordio libri de mystica Theologia, Iustino lib. de expositione fidei, siue de Trinitate, Athenagoræ in Apologia, Gregorio Thaumaturgo in formula fidei apud Euseb. lib. histor. Eccles. cap. 24. Nazianzeno orat. de pace. quin in concilijs iuramentum interponebatur per Sanctissimam Trinitatem, vt in actione prima Chalcedonensis apparet.

Vndecimus. *Non placet nomen Consubstantialis, siue* ὁμόσιου, ait Lutherus aduersus Latomum. atq; vt insigni hæc mendacio magis ornaret, addidit, neq; Hieronymo placere in epistolis ad Damasum, cùm tamen in secunda dicat. *Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum mundi Saluatorem, per* ὁμόσιον *Trinitatem.* Atqui placuit hoc nomen toti antiquitati, & Ecclesiæ, vt è Synodo Nicæna & sequentibus constat.

Duodecimus. Melanchthon VVitebergensis pædagogus in Locis communibus anni millesimi quingentesimi trigesimi noni, *Necesse est,* inquit, *in Filio aliquid esse diuinæ naturæ, non totum,* & anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. *Testatur,* ait, *per Ioëlem Deus, non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiæ Dei.* Hæc ille constituens Filiũ, & Spiritum sanctum non vnius eiusdemq; omninò cũ Patre, & Filio substantiæ, contra totius antiquitatis, vnanimemq; Ecclesiæ consensum diuinis scripturis apertissimè consignatum. Quàm verò exsecrãda in Spiritum sanctum fuerit ausus euomere ebrietatis ac Tartareæ crapulæ plenus Caluinus, diximus signo de vna fide.

Decimus tertius. Vt suprà vidimus eodem signo de vna fide, idem Caluinus viginti inter se repugnantia pronunciata scripsit, eadéq; continẽtia abominãdas blasphemias, ex quib. fit, cùm sint repugnãtia, vt Deus tollatur; cùm sint blasphemiæ, vt aduersentur Deo; q aduersantur Deo, faciunt ipsum cũ suis antitheum, q repugnant inter se faciunt atheũ; cum verò sint viginti, sequitur, vt gradibus viginti præceps corruerit in voragines hæresum, & cæcitatis. Hic igitur gradus Caluini continet, vnus cũ sit, viginti gradus.

Decimus quartus. Melanchthon, id est nigræ possessionis, aut terræ mortalis, è tenebris scilicet Cymmerijs emissus, hæc scripta reliquit: *Natura diuina non est quidem lacerata, aut mortua sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æterni Patris.* At Lutherus in suis magnis Postillis dixit imperitos quosdam facere hominem Christum omnipotentem. Idemq; Lutherus lib. de Concilijs asserit fore, vt Eutyches condemnatus in synodo Chalcedonensi, Nestorius in Ephesina, sedeant iudices condemnaturi Episcopos, qui adfuerunt in ijs concilijs, à quibus hęreseos condemnati fuerunt. Atque ita tum Nestorianus, tum Eutychianus est Lutherus. Idemque facit cum Melanchthone, quo ad essentiam diuinam Filium Patre minorem, quod est Arianorum. Sed & auctores concordiæ in Saxonia confectæ duce Andrea Schmidelino, cap. tertio, articulorum controuersorum, inquiũt, Tota totius personæ Christi obedientia nobis imputatur: exponunt deinde, quid sit tota persona, & aiunt significari duas naturas; atq; ita diuinam Christi naturam faciunt obedientem naturæ Patris, ac proinde minorem. Sic igitur Antichristi, Antithei, & Athei: non enim simul esse possunt, vt Christus sit vnius eiusdemq; naturæ cum Patre, & eius natura fuerit obediens naturæ Patris, eiq; subiecta. Minor est Christus, obediens, subiectus quantum ad humanam naturã, vt est in symbolo Athanasij, & Sancti Patres docent. Hinc Petrus, *Christo igitur passo in carne.* & Paulus, *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* mox, *Humiliauit semetipsum factus obediens, vsque ad mortem.* Quocirca in carne passus est, in forma serui obediuit. Eadem cum Luthero docuit Caluinus, vt aperuimus signo de vna fide.

1. Pet. 4. *Philip. 2.*

Decimus quintus. Idem Caluinus ait lib. 1. Inst. cap. 13. susceptam esse extra tempora ab æterno Dei verbo personam mediatoris. Ac ne possis dicere hîc accipi ab ipso personam pro officio, ipse dixit §. 6. *Personam voco subsistentiam.* & toto illo capite personam vocat incommunicabilem substantiam. Sic itaque duas in Christo statuit personas. Eidem subscribit Beza aduersus Brentium asserens duas in Christo vniones hypostaticas, vnam in corpore & anima simul personaliter vnitis, alteram in verbo & homine ad vnum Christum personaliter constituendum coeuntibus. Sic itaque Christum cum Nestorianis purum hominem à puro Deo distinctum faciunt, eumq; diuinitate spoliant

duas-

duasq; personas constituunt, quarum vtramq; Beza vult nouo commento esse vnum Christum; quasi duarum personarum compactio quædam fiat: cùm tamen hoc sit personæ, vt realiter distinguatur ab alia, indiuiduaq; sit quæuis persona. Eadem Brentius lib. de humanitate hominis Christi, & Smidelinus in thesibus.

Decimus sextus. Lutherus concione de Natali Domini, & in homil. Dominicæ primæ post Epiphaniam, Zuinglius in confessione sua ad Carolum V. art. 1. Caluinus in c. 24. Matthæi, Beza lib. contra Andream Iacobi de duabus naturis Christi, volunt, veri Antichristi cùm sint, animam Christi ipso momento conceptionis non fuisse plenā gratiæ, & veritatis, cùm tamen hoc expressè Ioannis cap. 1. habeatur, & Isaiæ cap. 11. dicatur fore, vt super florem, qui ascendet de radice Iesse, requiescant omnia Spiritus sancti dona. Quamuis Christus experientia sensus profecerit in scientia, & gratia, non habitu, & euidentia illius, sed vsu, & functione, quibus postremis multa ignorauit, sed habitu, & euidentia intima diuinitus infusis cuncta creata sciuit: diuinitus infusis inquam: alioquin humano modo secus, siue vt quiuis homo. Ambro. in c. 17. Luc. Nazian. orat. 4. de Theol. Cyril. lib. 9. thesau. c. 4. Athanas. serm. 4. contra Arianos. Ambrosius lib. 8. de fide, c. 9. Nazianzenus orat. in Basilium. Hieronymus. c. 11. Isaiæ, & in c. 31. Hieremiæ. August. de peccat mer. & rem. c. 29. & lib. 15. de Trin. c. 26. Cyril. lib. 20. thesauri ca. 7. Chrysosto. hom. de Trint. tom. 3. Isti igitur Antichristi Christum faciunt quo ad naturam diuinam minorem Patre, deinde hominem purum, qui tamen Deo cõiunctus sit, non vt nos ponimus in vna persona filij Dei, sed duabus personis subsistentibus, coëuntibus tamen, vt videntur dicere. Postremò faciunt Christum instar aliorũ mortalium ignorantem.

Decimus septimus. Cùm nos dicamus idiomata diuina communicata Christo non respectu naturæ humanæ, sed personæ diuinæ, in qua Christi natura humana subsistebat. Ambro. lib. 2. de fi. c. 4. Aug. lib. 4. de Trin. c. 13. Cyril. in Apolog. quarti anathema. Concil. Chalced. act. 5. impij volunt humanam Christi naturam esse vbique quia diuina est vbique, & quia persona est vbique. Perinde ac si quis dicat, Christum conceptum vbique, passum vbique mortuum vbique, & innumera huiusmodi portenta nihil non humanum diuinumque miscentia, & confundentia. Quod

nihil

nihil est aliud, quàm Deu mtollere. Creata namque finita necessariò sunt; cùm Dei potentia ac præsentia nullius creatæ rei confinibus possit contineri, & exhauriri. Isti autem cùm volunt CHRISTI humanam naturam, quæ creata est, protendi loco, quatenus protenditur Deus, Deum rei creatæ terminis includunt, ipsius infinitatem tollunt. Hoc igitur monstrum commentus est Lutherus ser. de Sacr. cœ. Domi. Brentius dilatauit, Schmidelinus cũ Chemnitio defendit, multi ex hæreticis ipsis sunt abominati, vt ante illos abominati sunt Cyrillus catech. 14. Ambr. lib. 2. de fid. cap. 4. August. tract. 78. in Ioan. Cyrill. Alex. lib. 11. ca. 21. in Ioan.

Supremus sit, quòd Deum auctorem efficacissimum constituêre omnium scelerum. Lutherus in assertione artic. 36. Melanchthon in cap. 8. epist. ad Rom. qui tamen postea videtur resipuisse. sed omnium maximè Caluinus tam horrendam blasphemiam exsecrabilibus modis defendere conatur, tum alibi, tum in Institutionibus suis, vt docuimus signo de vna fide. Ex his omnibus apparet, ab hæreticis turpissimos in omni vitiorum genere, quæ sunt ausi falsò nobis obijcere, factos esse progressus, & in eorum profundissima præcipites corruisse. Quo ipsorum testimonio contigisse ostendimus nos signo de impura & flagitiosa vita hæreticorum, cap. 5. ad finem. Et quando iactant se tenere rectam fidem, quam nullo modo volunt esse in Ecclesia Catholica, nos apertissimè signo de interitu fidei demostrauimus, per hæreticos omnem fidem Christi tolli, per nostros reparari neq; illis fidem conuenire, quoniã non sit illis fides ex auditu, non sit vna, antiqua, perpetua, indubitata.

Illorum denique inanem fidem, testimonio ipsorum, proficisci ac nasci à Diabolo, docuimus signo de vnanimi doctorum consensu ad finem. Quanti verò sint nostri in omni virtutum genere, singillatim clarissimeq; est à nobis explicatum.

Alieni ab Ecclesia Catholica necessariò videntur in peiora paulatim delabi, aut præcipites ferri.

CAP. XIIII.

2. *Tim.* 3.

VErissima est igitur illa Pauli sententia superioribus consona, & hæreticorum simul impiorumq; certissima nota. *Mali autē*, scribit ille, *homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.* Quod adeò verum, vt necessariò contingere videatur. Quod tum suprà adductis, ac manifestissimis exemplis, tum verò subiectis, & rationibus, & euentis comprobatur. Nam primo loco naturaliter humanum genus sic est affectum, vt in maiora paulatim scelera, nisi cæleste succurrat auxilium, vel in dies labatur, vel præceps feratur. Quod alienæ à nobis gentes etiam nouerunt. sic enim poëta Venusinus:

Posteri deteriores.

I.

Hor. l. 3. *od.* 7

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox datura
Progeniem vitiosiorem.

Sed longè ante ipsum Cilix Aratus:

Οἵην χρύσειοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο
Χειροτέρην, ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξείεσθε. id est,

Vt verè ex auro geniti liquere parentes
Peiorem sobolem, vos autem deteriorem.

His autem vetustior Homerus:

παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Pauci etenim nati similes genitoribus, atqui
Plures peiores patribus, pauci meliores.

Nota porrò antiquorum fabula de ætate aurea, argentea, ferrea, quæ videntur expressa fuisse ex illa Nabuchodonosori statua, quam visam in somnis Daniel describit. Hoc itaq; antiqui scriptores Græci ac Latini de peioribus ætatum progressibus obseruatum sunt testati. Et verò necesse est ita sit. Secundo namq; loco illud considerandum, in sola Ecclesia Catholica (cuius non ferream, sed auream gentem toto mundo surrecturam prædixit è carminibus Sibyllinis vates) id contingere, vt nemo sibi credat: alienorum porrò cœtibus hoc necessariò euenit, vt quilibet vel sibi credat, vel eum sequatur ducem, qui sibi, cæteros ætatis suæ contemnēs, crediderit. Hoc omnium malorum caput esse ostendimus latè principio tertij libri, ac longè esse ab Ecclesia Catholica, genuinum verò malum cunctorum, qui dissentiunt à nobis. Hinc veluti è fonte deriuatur illud,

II.

Ratio supe tiorum.

vt

vt quilibet existimet cælo demissum, quod sibi placuerit: atque, vt ait ille,

....sua cuique Deus fit dira cupido.

Virg. Aeneid. 9.

& alius; *.... sibi quisq; profectò*
Est Deus.

Oui. Meta. 8.

Ac bene Aristoteles philosophabatur in Politicis libri primi capite tertio, eum qui in communi societate nequit esse, vel esse bestiam, vel Deum. Quamobrem, cuius animus dissentiet ab antiquissimo colentium Deum cœtu, erit ille sine dubio bestia. Tales verò hęresiarchæ, quos tum libri tertij initio, tum signo primo aperuimus in communi Ecclesiæ societate neq; velle, neq; posse consistere. Ac sanè quodammodo fit ex necessitate quadam, vt qui se ab Ecclesia Catholica diuellunt, non credant nisi sibimetipsis, ac proinde bestijs adnumerentur. Necessariò namq; euenit in rebus sacris, aut diuinis, vt plurimæ temporis progressu quęstiones excitentur. Alieni porrò à nobis nō possunt ciere & ostendere certos vllos viros, qui diuinitus dati sint, & semper dentur, qui certò diffiniant illas, & quib. indubitata fides ex institutione diuina sit habenda, neq; tamen ipsi sibi credant, sed habeant necesse superiorum decretis ac legibus omninò stare, consilioq; prudentum, qui fuerint ex omni natione delecti, vtantur, diuinæ scripturæ tamen in omnibus præferentes. Nos autem Catholici habemus istos cælitus datos, nimirum Episcopos toto orbe diffusos, & in vnam fidem conspirantes, ipsumque Pontificem Romanum, qui quidem sunt obligati iuxta diuinam scripturam superiorum Pontificum, vniuersaliumque Conciliorum ritè confirmatorum sanctionibus, in ijs quæ sunt æternæ veritatis, adhærere, & ijs conuenientia constituere: viros autem doctissimos ex omni natione delectos in consilio semper adhibent, & audiunt disputantes, qui adductis in medium sacris scripturis, sanctorumque & perissimorum declarationibus, argumentis etiam petitis vndecumque veritatem maximè illustrant post accuratas & longas discussiones, fusasq; ad Deum preces; quę clarissimè singillatimque sunt à nobis explicata signo de indubitata fide, item de Concilijs vniuersalibus, & perpetua Apostolorum successione, denique de Petri cathedra. Quamobrem cùm prudentia & sapientia sola sit recta ratio omnium agendorum, siue actio sit intima, & in ipsa mente conquiescens, vt cogitatio, ratiocinatio,

III.

iudicatio; à quibus emanant habitus perficientes intellectum, siue actio procedat ad externa; prudentia & sapientia porrò innitantur quibusdam principijs immobilibus, indubitatis, ac fixis; cùm non sit alienis ab Ecclesia nostra vllum principium fixum, quod credant, & ex quo moliantur aliquid quantum pertinet ad sacra; sine dubio nullibi consistent, & extra omnes prudentiæ regulas positi, in vna desipientia & stoliditate conquiescent. Inquient, credo, diuinam scripturam fore illis pro summo principio; vel ea quæ lumine naturali certissima dignoscuntur. Sed hoc responso nihil efficitur. Diuina namque scriptura in diuersas & contrarias distrahitur interpretationes & sensa. Necesse est igitur diuinitus certi viri dentur omni ætate ac tempore inter se concordes, & vnanimes in cunctis (quod est proprium Catholicorum) qui repugnantiā tollant, & componant. Diuina verò sunt remotissima à lumine naturali, & paucissima sunt ex illis, quæ tenuiter assequi mente possimus: ita vt rectè dixerit Aristoteles, intellectum nostrum in diuinis cognoscendis esse veluti vespertilionem in Sole contemplando.

Cùm non habeant igitur alieni ab Ecclesia nostra, in quo firmiter & indubitatè possint cōsistere, necesse est eueniat illis, quod de impijs est scriptum, *Cor impij, quasi mare feruens, quod quiescere nō potest, & tamquam puluis, quod proijcit ventus à facie terræ.* ac, *Deus ipsorum culpa ponat eos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, misceatq; in eis spiritum vertiginis.* Id verò ita esse, constat è signo de fide vna.

Isa. 57. Psal. 1. & 82. Isa. 19.

Rursus, quando ijdem sibimetipsis credunt, aut eum sequuntur, qui fuerit huiusmodi, atque ita ab amore proprio irretiti rapiuntur, contingit vt in flagitiosiora miserimè semper in dies deuoluantur, & in peius proficiant; quod explicauimus hoc signo: non habent enim ob amoris proprij culpam, cùm sint sine fide, diuinæ gratiæ speciale auxilium, quod eos reuocet, cohibeat, ac retrahat ab immani scelerum casu, quò feruntur quotidie in præceps.

En itaque causa, cur primò quidem dissentientes à nobis nullibi considant. Dein verò in peiora quotidiè ruant. Primi mali labes prima, quòd non habeant cælitus designatos certos viros omni ætate, quos in ambiguis sequantur, qui tamen & ipsi haud sibi credant. secundi autem, quòd sibimetipsis necessariò credant. Sunt verò hæc om-

nium benè agendorum prima principia. Alterum quidē, quòd diuinitus concessi viri semper adsint nobis, quibus habeamus indubitatam fidem, neque tamen ipsi sibi credant, quin eo, quo diximus modo, res decernere sint assueti precibus disputationibusque adhibitis peritissimorum virorum, qui diuinas scripturas, explicationesque earum desumptas ab intelligentissimis & per omnia concordibus Catholicæ doctrinæ ex omni antiquitatis æuo scriptoribus producant ad quæstionem, de qua agitur, decernendam. Alterum, ne credamus nobismetipsis, aut ijs, qui tales fuerunt. Quocirca cùm minimus error in principio, maximus existat in fine; qui dissident à nobis in istis duobus principijs, necesse est ad finem raptentur in enormissima errata, ac bestiæ, quod aiebat Aristoteles, euadant; veluti duæ lineæ in angulum acutum cohærentes nihil ab initio videntur inter se disiungi, sensim tamen nonnihil separantur, sed quò longius progrediuntur, cò remotiores fiunt, longissimè procedentes remotissimæ apparent, latissimoq; interuallo & immenso inter se diuidun tur, & absunt.

Id verò clarissimis clarissimorum nationum euentis palàm nos faciemus, ostendentes, quibus illæ progressibus & casibus in superstitiones absurdissimas, sceleraque horrendissima sint prolapsæ quo ad tria, nimirum quo ad sacra, quo ad corporum pudicitiam, & quo ad aliorum res. Primum pertinet ad Deum, secundum ad semetipsum tertium verò ad alios quoscumque. Quibus sanè tribus omnia continentur, quæ in humanum genus præcipuè cadũt, & hominibus quouis modo contingunt; quo ad rem propositam declarandam.

In quàm nefandas superstitiones paulatim Romani sint prolapsi.

CAP. XV.

AB initio Romani, quamuis multos colerent Deos, repudiabant tamen omnes fabulas, quibus cæteræ gentes turpia multa & flagitiosa Dijs imponebant, vt locuples est horum testis Dionysius Halicarnasseus libro historiarum secundo. Quin imagines eorum nullas vo

lebant, quòd nimirum superæ mētes ab omni corporis materia sint omninò seiunctæ, ac perstitêre in hac consuetudine centum sexaginta annos, inquit Plutarchus in Numa. Præterea verò licet multos admitterent Deos, vnum tamē, qui tum ipsis, tum cæteris præsideret, ac cuncta moderaretur, agnoscebant, ac venerabantur. sic enim vates ille adhuc antiquitatem spirans:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaq; tristitia,
Diuosq; mortalesq; turmas
Imperio regit vnus æquo.

Videamus autē, quibus illi gradibus in impietatis profundo paulatim fuerint demersi.

Primus est, quo Romulum, latrocinijs, fatricidio, Sabinarumq; raptu damnandum, cælo inseruerunt, templa illi condiderunt, sacra instituerunt, ac pro Deo sunt venerati.

Secundus est, quo Floram ex Senatusconsulto superis adnumerarunt. Ea fuit famosissima, ac ditissima meretrix, quæ opulentissimum patrimonium populo Romano ex testamento reliquit. Huic beneficio vt aliquam gratiam referret ille, vti Deam coli iussit. Ad abolendam verò sceleris infamiam, cùm Flora vocaretur, finxêre illam floribus, ac cunctis è terra enascentibus, quæ florerent, præesse; institutique ludi floralia. Remansit tamen turpitudinis memoria, anniuersariumque exemplum. Stato namque die meretrices in publico totius populi conspectu corpora nudabant, & impudicissimis motibus adspicientes ad libidinem concitabant. tradunt id Varro, & eum secutus Lactantius Firmianus. Hæc igitur quantum ad Floram. Mittimus ineptissimos illos Deorum nomine vocatos, Pallorem, Pauorem, Febrim, Sterquilinium, Cloacinam, qui primis sæculis in cælitum numerum sunt à Romanis relati. Eodem gradu cuncta hæc habeantur ridicula, & portentosa. Quid enim stultius, quàm putare esse Deum, cui curæ sint inprimis stercora, cloacæ? aut quid his immundius?

Tertius est gradus, cùm conditæ vrbis anno quadringentesimo sexagesimo primo aduectus est Epidauro Romam anguis AEsculapij, illiq;, & ipsius generis fœcundissimo, vt Plinius scribit, attributi honores diuini rem totam latè describunt Valerius Maximus libro primo, cap. octauo, Liui. lib. decimo, & Florus in epitome libro vndecimo.

cimo, Ouidius Metamorph. lib. decimo quinto. Sic itaque serpentes loco Deorum sunt habiti his temporibus à Romanis.

Quartus gradus est. Anno quingentesimo quadragesimo nono aduecta est maximis cæremonijs Romam Cybele magna Deorum mater: ierunt illi obuiam ad mare P. Scipio Nasica vir optimus omnium iudicatus, cum matronis omnibus Romanis. Dea verò illa erat lapis quidam, quem vocabant incolæ Pessinuntis in Phrygia, Ideam matrem Deorum. Excepta verò est ab omni ciuitate effusa in occursum, thuribulis ante ianuas positis, ac thure accenso, & in æde Victoriæ collocata: & pridie Id. Aprilis instituti ludi, & sacra Megalesia appellata. Sic igitur populus Romanus eò peruenit, vt saxum crediderit omnium Deorum matrem, diuinosq; illi tribuerit honores, fabulisq; plurium Deorum ex vna satorum matre fidem præstiterit. refert hæc Liuius lib. 19. quamuis Halicarnasseus tradat lib. 2. Romanos tamen abhorruisse adhuc à fabulosis superstitionibus huiusmodi magna ex parte, & idcirco vir & mulier Phryges in vrbe Cybeles sacra peragebant. Qui multa in hanc rem (ridendáne, an flenda dicam?) vult videre, legat Gyraldum Syntagmate quarto de historia Deorum. Illud ego addiderim, scriptum esse à Strabone libro decimoquinto à Cretensibus in omnes regiones manasse ciuitatum rectè gubernandarum disciplinam, & ab ijs etiam Cybeles istius superstitionem: quod Virgilius libro 3. sic tradit:

Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ
Centum vrbes habitant magnas: vberrima regna.
Maximus vnde pater, si ritè audita recordor,
Teucrus Rhæteas primum est aduectus in oras,
Optauitq; locum regno; nondum Ilium, & arces
Pergameæ steterant, habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaq; æra,
Idæumq; nemus, & fida silentia sacris,
Et iuncti currum Dominæ subiere leones.

Hæc ille. Vt sciamus ex ista insula tum pessimos mores, tum superstitiones latè disseminatas. E Snida habemus isti Deæ cinædos fuisse sacros. id valde exagitat Augustinus libro de Ciuitate Dei secundo, cap. 4. Castratos eos fuisse notissimum est. Neque verò mirum. Cretenses namque

præposteræ libidini fuerunt omnium deditissimi, vt è Strabone retulimus suprà libro secundo, cap. pen. Ad istas porrò Cretensium superstitiones Hieremias respexit, cùm dixit: *Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi, si mutauit gens Deos suos; & certè ipsi non sunt Dij.* Hæc propheta sanctus ostendens ex insula ista commenticias Deorum narrationes, & cultus impios non parùm profectos. Insulas enim Cethim cuncti interpretantur insulas Græciæ. sed nos institutum prosequamur.

Quintus gradus est, cùm spurcissimi Imperatores cœperunt publico decreto haberi loco ipso Deorum, & eodem quo Dij, modo coli. Nam Iulio Cæsari etiamnum viuenti diuini honores attributi: quod his verbis Tranquillus declarat: *Non enim honores modò nimios* (Cæsar) *recepit, vt continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter Reges, suggestum inter orchestra; sed & ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali tensum, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta Deos puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine.* Hæc Suetonius; qui mox addit eadem data illi post obitum ex S,C. *Laudationis*, inquit, *loco Cos. Antonius per præconem pronunciauit S.C. quo ei diuina simul atque humana decreuerat, item iusiurandum, quo se cuncti pro salute vnius obstrinxerant.* Huc usq; ille. Quin cùm septem noctes visa esset Cæsare defuncto stella cometa, creditum est eam fuisse Cæsaris animũ, qui in cælum subuolasset. Hinc Virgilius:

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Et Horat. lib. 1. ode 14.

. . . . micat inter omnes
Iulium sydus, velut inter ignes
Luna maiores

Ducto autẽ principio consuetudinis impiæ à Iulio Cæsare cuncti propè sequentes Imperatores sunt in superos à Senatu relati, quamuis pleriq; omnes forent scelestissimi, vt docuimus suprà suo loco.

Sextus est gradus, cùm recepta sunt intra vrbẽ sacra Aegyptiaca, siue, vt Virgilius ait, omnigenum Deorum monstra. Dion quidem scribit anno septingentesimo decretum fuisse à Senatu, vt fana Serapidis, atq; Isidis, quæ priuatim

uatim nonnulli sibi construxerant, euerterentur. idemque rursus post annos septem iusserunt Aruspices. Septingentesimo autem, & duodecimo, Coss. Lepido, & Planco, Serapidi, & Isidi templum publico decreto constitutum, vt libro quadragesimo septimo idem tradit. Rursus tamen Agrippa vrbem curans septingentesimo trigesimo tertio anno statuit, ne quis intra quingentos passus AEgyptia sacra in suburbano haberet. At Imperator Tiberius illa omninò proscripsit anno Imperij vigesimo, AEgyptios sacerdotes egit in crucem, statuã Serapidis in Tiberim projici mandauit. Et nihilominus imperante Nerone, publico solemnique decreto fuerunt omnes AEgyptiorum superstitiones sancitæ. sic enim Lucanus:

Dion. li. 40.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim,
Semicanesque Deos, & sistra mouentia luctum.

Quocirca Commodus ipse Imperator sacra Isidis, inquit Lampidrius, coluit, caput rasit, anubim portauit: id verò erat, faciem portare, vt loquitur Tertullianus, caninam, sistrumque manibus pulsare. Sic igitur Romani ad omnia monstra colenda, de quibus cap. pen. libri secundi locuti sumus, in præceps sunt acti.

Septimus est gradus, cùm fuit ab Hadriano Imperatore in Deorum numerũ relatus Antinous ipsius cinędus, vrbs illi ædificata, sacra instituta, ludi anniuersarij decreti, cunctique honores diuini publica lege attributi, quin stella de ipsius nomine vocata, quasi in ea cæli parte consederit puer spurcissimus. retinet illa adhuc apud aliquos nomen. totam rem Dion tradit in Hadriano. Hinc Prudentius in Symmachum tum viuentem:

Quid loquar Antinoum cælesti sede locatum?
Illum delicias tunc Diui Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem.

Octauus gradus est, quo prouexit se impius Diocletianus. Antea namque Iulius Cæsar diuinos sibi honores decerni, vt vidimus, ille quidem passus est, nõ tamen id ipse iussit. Eius exemplum videntur imitati successores. Caius deinde Caligula constituens se medium inter simulacra Castoris, & Pollucis, adorandum venientibus exhibebat, seq; Latialem Iouem salutari passus est, templum proprium, sacerdotes, & hostias exquisitissimas ipse sibi ordinauit, vt Suetonius refert. Anno autem Christi octuagesimo

nono Domitianus appellari & scripto & voce ab omnibus voluit Dominus, ac Deus, quod Suetonius in eius vita tradit. Hinc Martialis dixit:

Edictum Domini, Deique nostri.

Addidit Philostratus in Tyanæo eum decreuisse, vt pro filio Palladis reputaretur, & vocaretur à cunctis, neq; tamen sanxit, vt haberetur pro Deo, quamuis haberi vellet, ac maximè alioquin studeret.

At Diocletianus credi voluit à Ioue propius sibi esse genus; & idcirco mandauit appellari se Diocletianum Iouium; Maximianus verò ipsius socius Herculeum, quasi ab Hercule prognatus esset. Hinc Mamertinus Panegyrico sermone, quem Maximiano Herculeo dixit, ita scriptum reliquit; *Verißimum est, te, cùm ad restituendam Rempub. à cognato tibi Diocletiani numine fueris inuocatus, plus tribuisse beneficij, quàm acceperis. Neque enim cùm Reipub. nauim secundus à puppi ventus impelleret, salutarem manum gubernaculis admouisti, sed cùm ad restituendam eam post priorum temporum labem diuinum modò, ac ne id quidem vnicum sufficeret auxilium, præcipitanti Romano nomini iuxta Principem subijsti, ea scilicet auxilij opportunitate, qua tuus Hercules Iouem vestrum terrigenarum bello laborantem magnæ victoriæ pace iuuit.* Hæc Mamertinus. Addit Eutropius de illo scribens; *Imperio Romano primus* (Diocletianus) *regiæ consuetudinis formam magis, quàm Romanæ libertatis inuexit, adorarique se iußit, cùm ante eum cuncti salutarentur: ornamenta gemmarum, vestibus, calceamentisque indidit.* Hæc Eutropius. Sed Eusebius in chronico sub annum ducentesimum nonagesimum sextum ita scriptum reliquit; *Primus Diocletianus adorari se vt Deum iußit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri, cùm ante eum omnes imperatores in modum iudicum salutarentur & chlamyde tantùm purpurea à priuato habitu plus haberent.* Hucusque Eusebius. Quod autem quidam scribunt similiter primum Diocletianum voluisse pedibus suis oscula inferri, videntur & hi falli. Nam Seneca lib. de beneficijs, cap. duodecimo, idem moris fuisse aliquando Caio Cæsari tradit. Addunt alij, & hanc consuetudinem Caligulæ fuisse, testemque Zonaram in eius vita adducunt, sed in eius codice Latino nihil tale reperi, Græci non potui nunc ad manus habere copiam. Dion tamen in eius vita hoc tradit. Osculari autem pedem, non est habere pro Deo. Quocirca Diocletianus & voluit, & iussit se veluti Deum coli. Ante ipsum nonnulli passi sunt, non-

nulli

nulli voluerunt, non autem sunt eò dementiæ progressi, vt id iuberent, quod Diocletianum fecisse Eusebius illorum temporum scriptor narrat.

Amplius, vt ab ipso tempora ipsa pendere viderentur, lege lata decreuit annos numerari ab initio sui principatus, atque ita signata legimus nonnulla Epiphanij & Ambrosij scripta. Durauit huiusmodi mos numerandi annos vsque ad Iustinianum, quod Beda in vita Iustiniani notauit. Aptissimè igitur in Diocletianum quadrat Antichristi oraculum, quod est apud Danielem: *Et putabit quòd possit mutare tempora, & leges.* Dan. 7.

Hic namque est ille Diocletianus, qui omnium reuera acerbissimum dirissimumq; ob ipsius diuturnitatem, multiplicemq; atrocitatem bellum mouit in omnes Christianos, ac res eorum, primus eorũ libros comburi iussit, templa deijci, cunctosq; interfici præcepit toto orbe Romano. Hinc legitur incisa huiusmodi in Hispanijs inscriptio:

Diocletian. Iouius Maximian Herculeus Cæs.
AVGG. Amplificato per Orientem & Occidentem
Imperio Rom. & nomine Christianorum deleto
qui Remp. euertebant.

&;

Diocletiano Cæs. AVG. Galerio in Oriente
Adopt Superstitione Christi Vbique deleta &
cultu Deorum propagato.

Atque hi sunt gradus superstitionum, quos Romani fecerunt, à quibus longè eos abduxerat Numa Pompilius, Plutarcho teste: Tullus verò successor eos iterum dedit præcipites in illas, quod in Pompilij vita ad finem Plutarchus idem scribit, quamuis eos à vero cultu semper abfuisse constet.

Chaldæorum turpissimi progressus in superstitiones.

CAP. XVI.

HAud putandũ nobis est Noë posteros breuì ad impietatem deflexisse, ac manifestè repugnãtia diuinæ bonitati, sapientiç, & potentiç credidisse. Vixit enim Noë post diluuiũ tercentũ quinquaginta annos. Posteri verò Noë inter se diuisi sunt, & in alias alij terras abi-

Gen. 9.

abierunt viuente Phaleg, qui vixit annis ducentis triginta nouem, natus post diluuium centum & vno, quæ summa est tercentum triginta. Quo temporis spatio iam contigerat gentium dispersio à turre Babylonica in vniuersam terram; ita vt dicat scriptura diuina, *Dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum*.. quasi nulla fuerit regio, in quam iam tum non penetrarint illi. & nihilominus constat, viuentibus Thare patre Abraham, ipsoque Abraham, corrumpi cœpisse verum Dei cultum in Mesopotamia, quæ regio prima omnium coli & inhabitari cæpit. sic enim capite vigesimo quarto Iosue Deus loquitur: *Trās fluuium habitauerunt patres vestri abinitio Thare pater Abraham, & Nachor; seruieruntq; Dijs alienis.* Hæc Deus. obijt autem Thare, quantum colligitur e Genesis cap. 11. tercentum nonaginta sex annis post diluuium, cùm iam superstitiones impiæ exortæ essent in Chaldæa.

Gen. 10. Gen. 11.

Chaldæi porrò omnium gentium vetustissimi ignem quasi ipsum Deum coluerunt ex antiquissimo tempore. Hinc multi interpretantur illa verba, *Deus eduxit eos* (Abraham, & alios) *de Vr Chaldeorum*, id est de igne: Vrnamque Hebraicè est, Ignis.

Gen. 11.

Non videntur autem quemuis ignem generatim coluisse eodem modo, sed eum quem iactabant cælo delapsum. & quem seruabant perpetuum: qui mos in omnes prope celebriores gentes pertransijt. Hinc Ammianus Marcellinus libro vigesimo tertio: *Feruntque etiam, si iustum est credi, ignē cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cuius portionem exiguam, vt faustum præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.* Hæc ille. Strabo autem libro decimo quinto de Cappadocibus agens scribit, apud eos magos fuisse multos, quos Pyrethos vocabant; & addit, *Suntque Pyrethia septa ingentia, in quorum medio ara est: in ea Magi & cinerem multum, & ignem inexstinguibilem seruant: quò quotidiè ingreßi imprecationes faciunt.* Rursus idem narrat Pyreum, Latinè dicas, igneum, Athenarum propugnaculum fuisse in saxo vetusto conditum, ibique templum Mineruæ, & lucis inexstinctæ lychnum, virginumque custodum domum, quam struxit Idainus. Plutarchus tamen tradit ignem sempiternum in Pytaneo conseruatum a mulieribus matrimonio solutis. Ab AEgyptijs etiam sempiternum ignem custoditum videtur asserere Diodorus. De Persis autem sic Procopius libro de

bello Persico: *Hic magnum Pyreum est, quod Persæ Deorum maximum venerantur, vbi ignem perpetuum custodiunt Magi: atque alia quidem diligenter sacrificantes cum vaticinio in rebus maximis vtuntur. Hic est ignis, quem Vestam olim Romani vocabant* Hucusque Procopius. Ac de Romanis quidem, quod ignem Vestæ nomine colerent, perpetuumque Vestalibus virginibus id curantibus tuerentur, est cuiuis notum.

Hinc Ouidius in Fastis:

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur Virgo est, quæ semina nulla remittit.
Nec capit, & comites Virginitatis amat.

Hanc verò consuetudinem, siue superstitionem, à Troianis ad Romanos profectam volunt. Ob id Virgilius libro secundo:

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem
Æternumque aditis effert penetralibus ignem.

Eamdem verò fuisse cum penatibus Dijs, & fabulosis laribus, contendunt. Sic namque idem vates:

Sacra suosque tibi commendat Troia penates.

Ob id Macrobius in tertio scribit, Vestam vel è numero penatium, vel eorum comitem fuisse; Consulesque, Prætores, ac Dictatores, cùm magistratus inibant, rem sacram facere solitos Lauinij penatibus pariter, ac Vestæ.

Renouabatur autem quotannis. Ouidius in Fastis:

Adde quòd arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Quòd si quando exstinguebatur, tamdiu tabula felicis materiæ verberabatur, quamdiu concepisset ignem.

Hunc igitur impietatis primum gradum fecisse videntur Chaldæi; ad quem nobiliores quippe populi peruenerunt. Hinc Iamblichus agens de mysterijs Chaldęorum sic ait; *Sacerdos ad ignem ascendit intelligibilem, quod tamquam finis omni præsagio sacrificioque debet esse propositum* Hęc ille.

Secundus est impietatis gradus, quo Regi Belo, à quo conditam Babylona volebant, diuinos honores attribuerunt, templumque magnificentissimum, quod Herodotus describit, erexerunt. Cyrillus libro tertio cõtra Iulianum prodit Belum etiam Arbelum nuncupatum, primumque à subditis hominem Dei nomen accepisse, eique Assirias gentes & finitimas sacrificia fecisse, & eum coluisse. idem tradit Eusebius in chronico suo. Hieronymus in cõmen

tarijs in Oseam ait à Semiramide Belum patrem in Deos relatum, qui Hebraicè dicitur Bel, eumdemque esse cum Baal. Illius habetur mentio apud Danielem cap. 14. Plinius lib. 37. cap. 10. scribit, Belum fuisse apud Assyrios omnium Deorum sacratissimũ. Diodorus scribit, Osyrim multas colonias deduxisse, Belumque colonum in Babyloniam traduxisse Neptuni, & Lybies filium, qui propter Euphratem sedem posuerit, & sacerdotes Chaldęos instituerit. Herodianus est auctor ab Aquileiensibus summa religione cultum Belum, quem volebant esse Apollinem. In Apamea Syriæ, tradit in Seuero Dion, cultum fuisse Belum, quem Iouem dicebant. Quin Dido ad Belum quasi antiquissimum suum genus referebat. sic enim Virgilius libro primo.

Impleuitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo geniti.

Et Seruius in illud,

. . . . cælataque in auro
Fortia fact patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.

Per tot, inquit, *ducta viros a Belo primo Assyriorum, vt,*

Ab antiquo durantia Cy...ma B. lo

Ab eo vsque ad Belum patrem Didonis, qui & ipse Assyrius fuit. Hæc ille

Quin Eusebius libro de præparatione Euang. 9. cap. 4. ex Alexandro & Eupolemo refert, Babylone regnasse Belum primum, qui Latinè Saturnus vocatur, ex illo ortum Belum secundum, & Chanaam, à Chanaam Phœnicas prognatos. Hæc Eusebius.

Tertius est impietatis gradus, cùm Chaldæi & Assyrij simulacra ipsa Deos esse crediderunt, ac veluti Deos ipsos sunt venerati. sic enim Laban Chaldæus ad Iacob, cuius vxor Rachael idola patris abstulerat, *Esto*, ait, *ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui; cur furatus es Deos meos?* Ita Laban. Hoc autem contigit anno post diluuium quingentesimo octuagesimo tertio plus minus. Docuim' verò alibi hoc opere plurimos olim fuisse istius opinionis, vt certò existimarint imaginibus à se fictis numen alligatum, & inditum quasi materiæ inhærentem formam fuisse: quod carminibus quibusdam, temporumq; obseruationibus, & characteribus fiebat, quamuis alij putarent effigies esse solas.

Quartus

Quartus est gradus, cùm Venerem, seu Milittam superis adnumerarunt, qua de re nos egimus lib. 2. ca. pen.

Quintus est gradus, cùm Reges Assyriorum cò demen tiæ peruenerunt, vt viuentes adhuc haberi & coli se vti ipsos Deos edicto publico constituerunt. Talis fuit Nabuchodonosor, de quo mentio fit in libro Iudith, qui præceperat Holoferni duci suo, inquit diuina scriptura, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari. & pòst: *Sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est*. Eodem modo alius Nabuchodonosor grandem statuam sibi erexit, eamque à cunctis adorari pręcepit, vt habetur capite tertio Danielis. Horum alteri tantam fuisse mentis elationem scribit Isaias cap. 14. vt dixerit, *In cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. ascendam super altitudinem nubium, similis ero altißimo*. Sic igitur Syriaci Reges, qui primi omnium dominari cœperunt, latissimaq; aliquando imperia tenuerunt: verisimile est alios etiam superstitionum gradus ab eis factos, quos nō potuimus modo memoria repetere, vel eruere è tenebris ob nimiam tantæ antiquitatis obscuritatem. Illud tamen nullo modo prætereundum, Nabuchodonosorem voluisse annos numerari ab imperio suo, quod etiam fecit Diocletianus. id liquet è Ptolomæi Almagesto lib. 3. cap. 11. & lib. 9. cap. 7.

Cap. 3.

Superstitionum progreßus, quos fecêre AEgyptiaci Imperij moderatores, ac Reges.

CAP. XVII.

POst Imperium Syriacum secundus locus antiquitate temporum debetur AEgyptiaco. legimus enim Abraham profectum è Mesopotamia & Chaldæa venisse in Syriam, & paulò pòst in AEgyptum concessisse, vbi iam Pharao regnabat: quod accidisse videtur anno tertio centesimo septuagesimo secundo post diluuium. Qui vero status fuerit tum regni illius in ijs quæ spectant ad religionem, certi expiscari nihil potuimus ex antiquorum monumentis.

Genes. c. 12.

Sed

Sed anno post diluuium quatercentesimo quinquagesimo tertio plus minus Iacob cum filijs in AEgyptũ commigrauit: quo tempore colligitur in superstitiones impias AEgyptios deflexisse. In primis enim Genesis cap. 43 legimus illa: *Illicitum est AEgyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiuscemodi conuiuium.* E quibus apparet Hebræos fuisse impiorum loco AEgyptijs. At Hebræis erat veritas religionis. Reuera igitur impij tunc AEgyptij. Nam illicitum putare ac prophanum comedere cum aliquo, est illum veluti impium reputare, ac minus benè sentientem de vero cultu. Ob id ille vates:

.... Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum.

Sic etiam cap. 46. legimus, *Detestantur AEgyptij omnes pastores ouium.* quæ verba nos monent, iam tum colendarum ouium superstitionem inhæsisse AEgyptijs, & ob id abominandos fuisse illis pastores ouium, qui pascunt illas sine honore, ad esumque humanum reseruant, cùm contra AEgyptij honorificentissimè custodiant habeantque oues, & veluti ipsos Deos venerentur: quod testatur Diodorus lib. antiq. 1. ca. 4. Quocirca non omnes pastores erant AEgyptijs detestandi, sed ouium dumtaxat.

Et nihilominus necesse est dicamus hoc tempore verum Dei cultum magna ex parte ab AEgyptijs plerisque, & maximè principibus viris, fuisse receptum. Constat námque è diuinis libris, à Pharaone AEgypti Rege imperium traditum fuisse amplissimum in omnia Iosepho Hebræo Iacobi filio. sic enim cap. 41. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. vno tantùm regni solio te præcedam. dixitque rursum Pharao ad Ioseph, Ecce constitui te super vniuersam terram AEgypti: tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manus eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquẽ auream circumposuit. fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ AEgypti. dixit quoque Rex AEgypti ad Ioseph: Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra AEgypti. vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua AEgyptiaca Saluatorem mundi.* Hæc ibi. Neq; verò quisquam putet à Iosepho non curata quæcunq; pertinebãt ad religionem, cùm summa illi potestas

testas data fuisset in omnibus. scriptum namq; est Ps. 104. *Constituit* (Pharao) *eum* (Iosephum) *dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*. Ita Dauid ostendens principes ac senes AEgyti edoctos à Iosepho quęcumque ipse sciret. Adstipulantur his exterorum scripta. Herodotus enim libro 2. testatur Cholchos, AEgyprios, & AEthiopas circumcisionis ritum seruare. idem tradit Strab. lib. 14. Id verò est præcipuum legis Hebraicæ sacramentum. Vt vt tamen res sit, illud est certissimum, recidisse AEgyptios in antiquas impietatis abominationes, siue illas ex omni, siue ex aliqua parte abiecissent: quarum sanè gradus aliquot recensebimus.

Igitur antequam Iacob in AEgyptum se conferret anno centesimo plus minus, primus est factus, isque maximus impietatis gradus huiusmodi: *Apis enim*, scribit in chronico Eusebius, *primùm Deus putatus est, quem quidam Seraphim, vocauerunt*. Deinde paulo pòst adijcit, *Niobæ primæ omnium mulierum mixtus est Iupiter, vt Græci perhibent: de qua nascitur Apis, quem Seraphim cognominant*. Hæc Eusebius. At Cornelius Tacitus libro historiarum 20. ex AEgyptiorũ sententia eumdem facit Apim & Osirim: consentiunt eidem Plutarchus libro de Isi & Osiride, Diodorus Siculus libro antiquitatum, & Martialis eo versu,

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.

Osiridis autem talem recitat inscriptionem in columnâ Nisæ Arabici montis incisam Diodorus Siculus:

Mihi pater Saturnus Deorum omnium
vltimus.
Sum verò Osiris Rex, qui vniuersum peragraui
Orbem vsque ad desertos Indorum fines:
Ad eos quoque profectus sum, qui Arcto subiacent
vsque ad Istri fontes:
Et iterum alias quoque orbis adij partes
vsque ad Oceanum.
Sum autem Saturni filius grandissimus
Germen ex pulchro & generoso ortum,
Cui non semen genus fuit,
Neque vllus in orbe ad quem non accesserim locus
Docens omnes eà, quorum inuentor fui.

Secundus est gradus, quòd putarunt AEgyptij hunc Apim suum in vitulum fuisse transmutatum, ita vt illius ani

mus in alium atque alium vitulum priore defuncto subinde transiret; quem quidem vitulum summis ac diuinis honoribus colebant, vt Diodorus Siculus tradit.

Illum porrò vitulum reputabant esse Apim, atque vt Apim maxima inquisitione delectum venerabantur AEgyptij post obitum alterius, qui certis quibusdam maculis esset distinctus; asseruabant autem certo loco, neque cuiuit erat illius inspiciendi potestas. Qua de re Plinius libro 8. cap. 46. Herodotus libro secundo. Diodorus Siculus, AElianus.

Defunctus verò vitulus mirum quàm luctuosè plageretur. Ob id Tibullus:

Barbara Memphitim plangere docta bouem.

Huius impietatis vestigia sectati sunt Hebræi, cùm conflato aureo vitulo in solitudine dixerunt, *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* Rursus imitatus est Ieroboã, cùm duos vitulos qui colerẽtur, erexit, dicens, *Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* Quod diximus animam Apis transire solitam in vitulos, inde est deductum; quòd AEgyptij crederent animas humanas in alia atque alia subinde animalia commigrare, vt Herodotus libr. 2. refert: ex his opinionem suam Pythagoras, qui fuit in AEgypto, est mutuatus.

Exod. 32.
3. Reg. 12.

Tertius est gradus. Quòd plura animalia in Deorum numerum receperunt, vt feles, ichneumonas, canes, accipitres, ibides, lupos, crocodilos, & alia ex his multiplicia monstra conficta, & variata, quæ persequitur latè Diodorus libr. 1. part. 2. cap. 4. Strab. libr. 17. Benè igitur Virgilius cecinit:

Omnigenumque Deum monstra.

Crediderant verò AEgyptij priscis temporibus AEgyptum fuisse à Dijs quibusdam minoribus ex illa ortis terram habitatam, qui quidem deinde assumpsissent animalium huiusmodi figuras; vt eo loco Diodorus refert. Ob eam causam suprà dicebamus, odio fuisse AEgyptijs ouium pastores tempore Iosephi, quòd ouis ab ipsis Deorum numero adscriberetur.

Quartus est gradus, cùm pudenda membra cælitibus adnumerarunt, & ijs sacra facienda instituerunt. addit Diodor⁹, sacerdotes, cùm in AEgypto sacra patria suscipiũt, huic primũ Deo initiari. Similiter Panas, Faunos, Satyros, inter numina posuerunt, nonnulli & allia, & cepe.

Postre-

Postremus sit gradus, vt prolixitatem vitemus; quòd Reges plerique omnes ab AEgyptijs habiti pro Dijs ipsis vt primo libro antiquitatum cap. 1. Diodorus narrat, & parte secunda cap. 4. ad finem, quin addit capite quinto Darium Xerxis Patrem viuentem adhuc ab AEgyptijs Deum vocatum. Quamobrem Sesostris ille, qui Sesac vocatur in diuinis libris, ad quem fugit Ieroboam tempore Salomonis quique defuncto Salomone, & filio ipsius Robam regnante diripuit templum Domini, Memphi in templo Vulcani suam cõiugisque statuas, ac filiorum viginti collocauit; & plurimas Asiæ, Europæ, & Africæ prouincias deuicit, erectis passim columnis inscriptione huiusmodi: *Hanc prouinciam armis subiegit Rex Regum, & Dominus dominorum Sesostris.* Quin currum suum trahi volebat à quatuor Regibus: tanta illi fuit in omni actione viuendi superbia, & fastus. Multis tamen Regibus honores diuini post obitum negabantur, vt è Diodoro eodem libro 1. cap. 3. constat.

3. Reg. 11.

De superstitionibus impijs, in quas Persæ, & Græci imperia maxima adepti paulatim corruerunt. Tum de Philosophis ipsis.

CAP. XVIII.

QVæ Persis superstitio fuerit, latè describit Herodotus lib. 1 Strabo lib. decimo quinto: qui fuerint illius in peiora progressus, vix est vt notari possit. Illud apparet, illos non tam flagitiosa & stulta Dijs attribuisse & annumerasse, vt ceteræ gentes egerunt. Nõ enim fabulabantur vllos ex hominibus Deos ortos, vt AEgyptij, Assyrijque, & Græci, Solum tamen, Lunam, cælique gyrum, quem Iouem nominabant, ignem, tellurẽ, & aquam colebant. Et quamuis maximi honores Persicis Regibus exhiberentur, non tamen olim pro Dijs habebantur. *Omnium primus* (inquit Ammianus Marcelliuus libro 23.) *Arsaces Parthus Imperium Persicum nactus astris sui ritus consecratione est permixtus, & numinis vice à posteris habitus & cultus.* Ex illo Reges tum Parthi, tum Persæ, quãuis flagitiosi forent, participes syderum, Solisq; ac Lunę fratres, Regũq; Reges sese vocabant, & in litteris scribebant, vt ex eodem scriptore

 habe-

habetur, & litteræ Saporis ad Constantium missæ, quas lib.17.recitat, ostendunt. Hucusq; igitur Persarum superstitio descendit.

Græci longè post omnes istos in superstitionem sunt prolapsi: testatur namq; Herodotus in Euterpe, Deorum multitudinem, fabulosaq; commenta inuecta in Græciam circiter Homeri tēpora. Iustinus in parænetico ad gentes, Clemens in oratione ad easdem, Lactātius in libris institutionum, Theodoretus lib. 2. affectionum Græcanicarum, volunt id factum ob Orpheū & Linū, qui vixêre circiter annum ab orbe condito bismillesimum nongentesimum nonagesimum, à diluuio autem millesimum trecentesimum trigesimum quartum plùs minùs.

Quòd si Christus, vt quidam contendunt, ortus est anno ab orbis fabricatione quater millesimo nonagesimo quarto, dæmonum & idolorum cultus exceptus est à Græcis annó ante Christum natum millesimo centesimo quarto. Maximos autem statim progressus videtur fecisse ob poëmata Lini, Orphei, Hesiodi, atque Homeri.

Et nihilominus numquam sunt eò dementię progressi, quò ceteræ gentes: vt non immeritò sapientiam sibi potuerint aliquo modo arrogare. suos enim Reges ac principes non Deos, sed modestiori vocabulo Heroas appellarunt. ad Elysios porrò campos animas piorum deferri asserebant. præstantissimi deinde inter eos philosophi sunt habiti in pretio, qui tradiderunt vnum Deum; in his, Stoici, Platonici, Peripatetici. fabulas præterea Deorum traduxerunt ad honestas quasdam rerum naturalium cōmentationes, vt Eusebius lib.3. in principio narrat, & ante eum Cicero libro de natura Deorum, & quicumq; è Stoicis Zenonem secuti placitis eius adhæserūt. & nihilominus ipsi Philosophi plurima mendacissimè de natura Deorum, lapsi in superstitiones, tradiderunt. Sed Alexander Macedo visus est omnium impudentissimus, eò stoliditatis progressus, quò vidimus processisse ceterarum gētium potentissimos Reges. Iouis enim filium se non solùm appellari passus est, inquit Quintus Curtius libr.4. sed etiam iussit. Quocirca, qui ad ipsum ingrediebantur, humi iacebant venerabundi, vt sexto idem tradit, qui in vitijs eius numerat lib.10. quòd Dijs sese æquarit, cælestes honores accersiuerit, talia suadentibus oraculis crediderit, ac dedignantibus venerari, vehementius, quàm par esset, fuerit iratus.

Sic

Sic igitur videmus omnium nationum, quæcumq; sunt nactæ Imperia summa, Reges ad id peruenisse superstitionis præter alia multa infanda, vt ipsi viuentes, quamuis alioquin scelesti, non modò haberi vellent pro Dijs ipsis, sed id iuberent. Quod autem disseruimus de Romanis, Syriacis, AEgyptiacis, Persicis, & Græcis, idem pluribus alijs contigisse certò ostendi potest. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, Augustinus de Ciuit. Dei. lib. 8. cap. 5. & 12. cap. 10. Minutius in Octauio, Athenagoras in apologia recitant ex epistola Alexandri Magni ad Olympiadem, ipsum asserentem se cognouisse à sacerdotibus AEgyptiacis Deos antiquorum fuisse non alios, quàm Reges mortales, qui fuerint à populis subiectis quasi verè numina cælestia existimati. Idem Cyprianus libro adducto, Minutius, Lactantius lib. 1. cap. 15. & 21. Tertullianus in apologia tradunt ætate ipsorum à Mauris non alios Deos cultos, quàm Reges ipsorum, quicumq; illi forent, siue boni, siue mali. Et sanè Strabo lib. 17. testatur ab AEthiopibus Reges ipsos habitos pro Dijs ipsis.

Obseruandũ porrò discrimen inter clarissimos istos ac stolidissimos siue Reges, siue populos; quòd nonnulli volebant tantùm Regibus istis inesse, vt in terris non esset alius De⁹ præter ipsos Reges. sic enim Nabuchodonosor de semetipso credi volebat, vt suprà explicauimus. Quin alij qui poëtæ id attribui Imperatoribus olim Romanis per assentationem volebant. sic enim iocatus est ille vates de Augusto:

Nocte pluit tota; redeunt spectacula mane.
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Et rursùs Georgicorum primo:

Tuque adeò, quem mox quæ sint habitura Deorum
Consilia incertum est, vrbisne inuisere Cæsar,
Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat cingens materna tempora myrto.
An Deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant, tibi seruiat vltima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus vndis,
Anne nouum tardis sydus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter, Chelasque sequentes
Panditur, ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iusta plus parte reliquit.

Quidquid eris (nam te nec sperent Tartara Regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamuis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus annue ceptis.

Et alius eodem modo:

Gentis humanæ pater, atque custos
Orte Saturno tibi cura Magni
Cæsaris fatis data: tu secundo
Cæsare regnes. Et:
Te minor latum reget æquus orbem,
Tu graui curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis. Et:
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.

Lucanus autem sic ad scelestissimum Neronem:

Quòd si non aliam venturo fata Neroni
Inuenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cælumque suo seruire Tonanti
Non nisi sæuorum potuit post bella gigantum,
Iam nihil ô superi querimur.

Et mox:

Multum Roma tibi debes ciuilibus armis
Quòd tibi res acta est; tecum statione peracta
Astra petes serus, prælati regia cæli
Excipiet gaudente polo. seu sceptra tenere
Seu te flammigeri Phœbi transcendere currus,
Telluremque nihil mutato Sole timentem
Igne vago lustrare iuuat: tibi numine ab omni
Cedetur: iurique tuo natura relinquet
Quis Deus esse velis, vbi regnum ponere mundi.

Hæc isti: quæ sanè in poëtis toleranda viderentur, nisi populi subiecti, & Imperatores ipsi Romanorum in hanc dementiam reuera incurissent.

Verùm enimuerò flagitiosiùs peccasse meritò cunctis videri possunt philosophi nonnulli, qui Deos nullos esse statuerunt. Id namque si esset, sine dubio nihil esset in terris, quod Regibus æquari posset in rebus moderandis & constituendis: quod omnium maximè munus esse Dei,

nemo

nemo non fatetur. In eodem vitio sunt, qui Deum mortalia non curare contendunt, sed otiosum, quod ait Iob, circa cardines cæli perambulare. Tales fuerunt Epicurei omnes, & quicumq; Democritum sunt secuti. Quin etiã nonnulli, quos Peripateticorum nobilissimos aliqui volunt existimari, tradiderunt Deum non cognoscere hæc singularia, quæ sunt aut contingunt in terris. Talis autem fuit impius ille Auerroës; qui hanc esse ipsius Aristotelis germanam sententiam statuit vnà cum suis studiosis. Ex quo fit, nihil esse inter humanum genus, quod magis humana disponat, quàm Principes, ac Reges: atque ita verè iuxta istos ille dixit:

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet. Et:

Nec curare putas Diuûm mortalia quemquam.

Vide in quantam impietatis voraginem ruant ingenia suis ratiocinationibus innixa, & progressa. Sed de philosophis reliqua ad hoc argumentum spectantia diximus li. 2. cap. pen. ad finem. Nunc cetera à nobis initio proposita inspiciamus.

Turpißimi progressus, quos Romani fecerunt in impudicitia & alienarum rerum tractatione: tum de ceteris gentibus.

Cap. XIX.

Restant duo videnda, quales scilicet fuerint superiores isti, de quibus egimus, quantum ad se, & quantũ ad alios. Ad primũ pertinet in primis pudicitia. Et quidem Romani fuerunt olim tam continentes, vt non modò fuerint vnica vxore contenti, sed diuortia nulla dicantur vmquam fecisse, quamuis permitterentur, nisi quingentesimo decimo nono anno ab Vrbe condita. qui primus hoc cœpit, fuit Spuri9 Caruilius Ruga, vt Sigonius notat in fastis, Valer. li. 11. c. 1. Gell. li. 4. c. 3. Dion. lib. 2.

Secundus tamen est gradus, licet respectu temporis primus esset dicendus, cùm Floralia & Lupercalia fuerunt instituta. Nam cùm Flora meretrix instituisset heredem populum Romanum maximarum diuitiarum, relata est in Deas, confictumque ipsam floribus præesse, adiectaq; sacra, & ludi in honorem Floræ Deæ Maio mense instituti.

Ludi erant, quod meretrices in publico corpora nudabāt, & impudicissimis motibus adspectantes ad libidinem prouocabant. Horum meminit latè Lactantius libr. 1. cap. 20. Notum illud Martialis:

Nosces iocosæ dulce cùm sacrum Floræ,
Festosque ludos, & licentiam vulgi
Cur in theatrum Cato Seuere venisti,
An ideo tantùm veneras, vt exires?

Neque verò minori turpitudine Lupercalia celebrabantur. Nudi namque iuuenes tota vrbe cursabant, quibus obuiam certatim matronæ honestiores ibant, vt loris coriisve ab illis cæderentur, quòd putarent fœcundiores se futuras. Horum meminit Plutarchus in Romulo, M. Antonio, & Cæsare, Liuius in 1. Ouidius 2. fastor. Virgil. 8. Aeneid. Plin. lib. 7. cap. 2. Macrobius lib. 1. cap. 22.

Tertius est gradus, cùm Romæ passim loca publica obsoletorum cœperunt esse, initium ductum videtur à temporibus Augusti, qui deditus maximè fuit huic flagitio. Inter duodecim namque catamitos, inquit Sex. Aurelius, spurcissimè cubans volutabatur. De locis huiusmodi Iuuenalis satyr. 3.

Lenonum pueri quocumque in fornice nati.

Quartum gradum Nero fecit, qui nuptias publicè cum Sporo suo celebrauit adsidente Senatu & applaudente vnà cum populo Rom. quin legem tulit, vt cuiuis liceret cum pueris maribusque matrimonium contrahere. Quales autem forent hisce in rebus Imperatores ipsi, ex aliqua parte dictum est à nobis suprà, vbi egimus de impuritate alienorum, & vitiositate.

Quintus gradus debetur Hadriano, qui Antinoū suum retulit in Deos, syderibus inseruit, sacra instituit, templa erexit, ciuitatemq; in AEgypto de nomine ipsius ædificauit, qua de re nos suprà, vbi egimus de religione.

Sextus gradus est Heliogabali, qui quales induxerit mores non decet referre: legat qui volet Lampridium in vita ipsius. Atq; hæc Romani. Quibus tamen Assyrij flagitiosiores ex parte videntur fuisse. Non enim Romani vnquā sanxerunt, vt actus impura libidinis esset laudabilis ac sacer; ita vt in honorem Mylittæ, siue Veneris, anniuersaria celebritate renouaretur, ac matronæ omnes semetipsas exponerent perenni ac religioso ritu ad templum volentibus coire cum ipsis; vt cap. penult. libri secundi fecisse

Baby-

Babylonios, Armenios, & Corinthios, supra ostendimus. Quòd si qui Imperatores præposteræ libidini fuere addicti; hoc tamen scelus, licet permitteretur, non est habitum vel laudabile, vel sacrum à Romanis; quin & hoc, & omne huiusmodi semper apud illos probrosum fuit. Similiter AEgyptij, quos tertio loco posuimus, festos dies Priapi incredibili honore celebrabant, vt refert Herodotus lib. 2. illi sacra faciebant, & sacerdotes huic in primis Deo, vt scelestè existimabant, ante omnes alios initiabantur: quod Diodorus lib. 1. part. 2. cap. 4. tradit. Cumque hircum Deis adscriberent, vt idem refert; hinc factum scribit Herodotus lib. 2. vt ætate sua fuerit gloriosum mulieri propalàm cum illo coijsse. Persæ autē, quos loco quarto numerabamus, his omnibus longè vitiosiores fuerunt ad extremū. Quamuis enim maribus à principio non assuessent, & casti quodammodo apparerent, vt è Pædia Cyri liquet; attamen edocti à Græcis, inquit Herodotus lib. 2. amoribus puerorū & ipsi indulgere absq; vllo pudoris pœneve detrimēto cœperunt. Tanta verò Reges erant intemperantia, vt Darius trecentas & sexaginta pellices haberet, quibus attributi erant plurimi eunuchi & ipsi muliebria pati soliti. Vsitatū quidem Persis videtur semper fuisse plures pellicum loco fœminas habere; in tantam verò libidinis voraginem sunt prolapsi, vt scribit Agathias lib. 2. *Qui* (Persæ) *non solùm cum sororibus suis & consobrinis impudenter congrediuntur, sed cum filiabus vel genitores* (proh scelus) *miscentur, & quod omnium est impijssimum, ô natura, ô leges, cum matribus filij.* Sic Agathias, qui putat Persis hunc abusum nefandum tum pridem cœpisse. falli verò constat. Strabo namq;, qui fuit anno quingentesimo plus minus ante Agathiam, sic de Magis Persarum lib. 15. ad finem: *Hi* (Magi) *cum matribus ex patrio more congrediuntur.* Hæc ille. Cùm verò Magi, quod omnes norunt, in summa forent apud Persas veneratione, facilè fuit vt ab illis acceptus mos in quoslibet perueniret.

Cur. lib. 2.

Quantum porrò ad Græcos, alibi retulimus è Strabone, hanc fuisse Cretensibus consuetudinem, vt quilibet puer quousq; excederet ex ephœbis, quasi concubinus, haberet publico ritu amatorem suum, veluti vir vxorem: id verò ex lege institutum fuit. Imitati porrò sunt (eodem Strabone teste lib. 10.) Cretensium mores vniuersi Græci. Haud itaq; mirum, si crediderunt à Ioue Deorum summo raptū Ganymedem, maxima cum Iunonis coniugis indignatio-

ne nullo modo ferentis iuuentuti suæ, & Hebæ puerum quantumuis formosum prælatum.

.... Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.

Neque verò tam flagitiosis fabulis contenti prisci syderibus inseruerunt ipsum Ganymedem, vt habetur apud Hyginum. Constat itaque minus obscœnos omnibus fuisse Romanos, quibus loco monstri fuit, quòd Nero coierit cum matre, legemque tulerit, vt marem liceret habere in matrimonio, ipse verò nuptias publicè celebrarit cum Sporo liberto. Hoc enim solemne & vsitatum fuit Græcis, illud Persis. Hadrianus autem in consecrando Antinoo habuit, quem imitaretur, Iouem fabulosorum Deum parentem.

Restat vt videamus quales singulis temporibus processus fecerint quò ad alienos, eorumq; res aut vitam Romani, ac cæteri omnes populis, qui summa in terris imperia sunt potiti, Assyrij, AEgyptij, Persæ, & Græci.

Primus itaq; est gradus, cùm semel hostibus à fide discedentibus, & in libertatem se pristinam vindicantibus, aut alioquin timorem suspicionémve inijcientibus, Romani eos multabant omni iure, ædibus, & agris, coloniasq; ducere cœperunt. Id referunt nonnulli ad Tarquinium Superbum, qui Signiam Circeiosq; è Romanis colonos misit; vt Liuius lib. 1. tradit.

Hic verò mos adeò sequentibus temporibus creuit, vt obortis inter ciues bellis, bona partium victarum militibus victoris assignarentur: quod Sylla fecit, Appiano teste, & Salustio in Catilina. Deinde illud etiam cœpit vsurpari, vt siquãdo vnius vrbis, quæ secuta fuisset alteram partẽ, agri non sufficerẽt militi victori, vicinioris vrbis, quamuis illa neutri adhæsisset, fundi eidem militi concederentur. quod fecit Augustus, cùm territorium Cremonense suis diuisit, mox etiam, cùm non satis hoc esset in Mantuanum processit. Hinc vates ille Mantuanus:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Et: *Impius hæc tam culta noualia miles habebit?*
Barbarus has segetes en quò discordia ciues
Perduxit miseros: en queis conseuimus agros.

Secundus est gradus bellorum ciuilium atrocissimorum; in quibus mirum quanta inter se rabie ciues efferarentur

rentur. quod vt apertissimum fiat, & cuncti videant, quanta sit Catholicorum aliquando inter se sæuientium præ antiquis mansuetudo, adducam verba Valerij Maximi de Sylla loquentis.

Lib. 9. c. 10.

L. Sylla, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis dignè potest: quia dum quærit victorias, Scipionem populo Romano; dum sæuitiam exercet, Annibalem repræsentauit. Egregiè namque auctoritate nobilitatis defensa crudeliter totam Vrbem, atque omnes Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit. Quatuor legiones contrariæ partis fidem suam secutas in publica villa (quæ in campo Martio erat) nequidquam fallacis dexteræ misericordiam implorantes, obtruncari iußit. quarum lamentabiles quiritatus trepidæ ciuitatis aures receperunt: lacerata ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. quinque millia Prænestinorum spe salutis per P. Cethegum data extra mœnia municipij euocata, cùm abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda; protinusque per agros dispergenda curauit: quatuor millia, & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam præclaræ rei dilueretur. Nec contentus in eos sæuire, qui armis à se dissenserant, etiam quieti animi ciues propter pecuniæ magnitudinem per nomenclatorem conquisitos proscriptorum numero adiecit. Aduersus mulieres quoq; gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est. Abscissa miserorum capita modò non vultum ac spiritum retinentia in conspectum suũ adferri voluit, vt oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quàm porrò crudeliter se in M. Mario prætore geßit? quem per ora vulgi ad sepulchrum Lutatiæ gentis pertractum non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes perfringeret? Vix mihi verisimilia narrare videor. At ille etiam M. Plætorium, quòd ad Marij supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactauit nouus punitor misericordiæ, apud quẽ iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Sed mortuorũ vmbris saltem pepercit? minimè. Nã C. Marij, cuius etsi postea hostis, quæstor tamẽ aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueũ sparsit. Ita Valerius. e quib. tres scelerum gradus cernimus factos à Romanis quo ad aliorũ res, ac vitã. Primus est qui à nobis iuxta ordinẽ nostrũ positus est. Secundus est ciuiliũ bellorũ, in quib. atrocitas summa exercetur. Vt enim vituperãda sępè sunt bella inter Principes ac Reges, multo magis certè dãnanda inter eiusdẽ ciuitates ciues, quibus nullũ ius naturale, gentium, vel ciuile dat facultatem belli indicendi: quin omnia iura decernunt, vt ad

com-

commune consilium, magistratúmve cuncta sua deferant, eorumq; omnium iacturam tolerent interdum, quo pax communis seruetur, ne dum parua mea quamuis iure consector, tota ciuitas amittat maxima sua, plurimorum scilicet ciuium res ac vitam.

Tertius gradus est proscriptionum in eosdem ciues. Si quis enim debet vti clementia erga vllos, vtiq; debet vti ciuis erga ciuem. Aduersus quem nulli licet arma sumere, nisi ob publicam causam, & iure cogente. Qui secus agit, violat ille vniuersum ius humanum. Talis verò est, qui ciues suos ciuis priuatus proscribit, sine publico edicto iubet interfici; cùm potius siquis est victor, laudem sibi hac in re quærere debeat, quòd ciuibus suis ignouerit vel extrema quæq; merentibus. Sylla igitur primus initium Romæ dedit ciuibus proscribendis, tanta diritate, vt eorum perierit quatuor millia, & septingentos.

Quartus est, quòd plurimos diuites non alia de causa iussit occidi, nisi quòd eorum diuitias occupare vellet; vt ex allatis verbis apparet. Verùm ne quis dicat, Syllæ solius vitium fuisse, quòd bella ciuilia exercuerit, proscriptiones ciuium fecerit, diuites opibus & vita spoliarit. Respondemus, tribus hisce malis initium factum fuisse à Sylla anno Vrbis sexcentesimo septuagesimo primo, vt colligunt ex epitome Flori 88. Plutarch. in vita; Appiano ciuil. bell. lib. 1. Velleio, Orosio.

Ex hoc tempore vsq; ad Constantinum nulli ætati defuit multiplex Sylla per annos 385. plus minus. similes enim Syllæ fuerunt Triumuiri, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Vitellius, Domitianus, Hadrianus, Commodus, Seuerus, Caracalla, Maximinus, Valerianus, Gallienus, Aurelianus, Carinus, Maximianus, Maxentius. quorum sæuitiam in omnes, rapacitatemq;, vt alia enormia mittamus, suprà descripsimus, antiquorum scriptorum verbis in medium productis.

Quòd si quæramus quales fuerint cæteræ gentes in proposito nostro; hoc sit satis attulisse in vniuersum, quòd nulla de causa ducebant fas esse bella mouere: atq; ita populos mouenti bellum parere recusantes necesse erat ex aliqua parte suis opibus ac vita priuari. soli omnium Romani aduersus alios arma ferre haud solebant, nisi prius fæciales misissent, qui peterent, vt iniuriæ illatæ satisfieret: atq; ita non veniebant ad arma, nisi ob iniurias illatas, quæ non

non corrigerentur, vt Dionysius Halicarnasseus lib. 2. & Plutarchus in Numa tradunt. Quin ipsi Philosophi sapientiores licita aduersus Barbaros bella sanxerunt: sic namq; Aristotel. Polit. lib. 1. cap. 5. Hæc verò omnia sit satis vnico exemplo comprobasse. Vt sæpè diximus è Strab. li. 10. Cretenses habiti sunt à priscis optimè omnium morati. & hi tamen eò deniq; euaserunt, vt Epimenides vates de ijs cecinerit, quod Paulus ad Titum scribit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

En qui exitus optimè institutorum inter gentes. Quod ad argumẽtum verò propositum Plutarchus in Pompeio narrat Cretam fuisse olim omnium pyratarum, qui cuncta maria circumuplitarent, communem sedem, & fontem, donec à Romanis expugnata est anno Vrbis sexcentesimo octuagesimo septimo, Metellusq; ob id nomen Cretici est consecutus. sic igitur Cretenses laudatissimi inter gentes ob optimos mores, libidine, rapacitate, luxuq; ad extremum cunctis prestare quodammodo videri possunt.

De turpissimis Mahometanorum progressibus in omnibus tribus vitijs propositis, ad quæ cætera reducuntur. Tum de arrogantia incredibili Moscouiticorum Ducum.

CAP. XX.

VErùm quicunque infandissimas Mahometis leges sunt secuti, sic in omnium scelerum profundum miserrimè corruerũt, vt pudeat id explicare, siue superstitionem, siue crudelitatem, libidinẽmve, aut prædationes intueri velis. Quod vt clarissimè appareat, non gradus hîc recensebimus, sed supremum, quo peruenerunt, & in quo iamdiu fœdissimè iacent, ac volutantur omnes, potissimùm verò Turcæ.

Igitur quantum ad superstitionem, duo sit satis attulisse. Est inter Turcas quorumdam, qui religiosissimi hapbentur, secta. Vocantur hi Turlachi. Mos est istis palàm per obscœnitatem spurcissimam coire cum quibusuis, ipsis etiam belluis, præcipuè verò cum asinabus, quibus ipsi

vehuntur: & quo fidentiùs hæc ij perpetrarint, cò sanctiores existimantur. Id ego si in vno aut altero scriptore legissem, nullo modo inducere in animum possem, vt crederem: sed omnes, qui Turcarum mores latiùs describunt, id constantissimè affirmant; in his Ioannes Antonius Menauinus Genuēsis, Theodorus Spanduginus Cantacuzenus, Bellonus Gallus, Ioannes Leo Africanus; qui quidem è Mahometanorum sanguine ortus, Mahometiq; diu addictus, cùm fuisset à nostris captus, Romamq; Leone X. sedente adductus, Christo se dedit, & Africæ descriptionem, moresq; suæ gentis proprio libro diligentissimè notatos nobis reliquit. Adijcit hic aliud longè obscœnissimum, solitos huiusmodi homines vbi impetus eos libidinis arripuerit, violare mulieres obuias, quas potuerint, in medijs vijs, nisi obstiterint illæ pre naturali, qui reliquus est humanæ menti, pudore. Quod verò est insanissimæ mentis, & ad præsens argumentum spectat, tanta superstitione defixi populi tenētur, vt credant hoc homines diuinissimos, mulieres verò, quæ cōpressæ fuerint ab istis, ex hoc facto quasi consecratas, ac sanctiores effectas.

Secundum sit illud. siquis inter Mahometanos, ac præcipuè Turcas, inciderit in amentiam, ac mentis stuporem, pro sancto habetur, & honore præcipuo cælestiq; à cūctis colitur, quamuis furiosos ipsi constringant & cædant. Refert idem Ioannes Leo, à Rege Tunetano exædificatas fuisse non ignobiles ædes, bonaq; assignata satis opulēta stupido cuidam, vnde alebantur illius sectatores, & cognati multi. Ex his dijudicare possumus reliqua istorū. qui vult legere ridenda multa ad hoc pertinentia, videat Itinerariū Ludouici Barthenæ c.5. & seq. lib.2.

Quantum spectat ad crudelitatem, tanta est inter Mahometanos, vt credi vix possit. Nemo non paulo peritior scit, vbi fuerint alicui Mahometanorum Regi plures filij, inter eos implacabile bellum exoriri, donec cæteris interemptis, qui superest, solus imperio potiatur. Hoc verò est maximè Turcis solēne, & communi decreto sancitum, vt vnus è liberis regnet. & reliqui vita spolientur. Tantæ feritatis exempla nonnulla nos retulimus signo de intestinis hæreticorum cædibus ad finem. Quamobrem nos hîc alia similis argumenti referemus. Si qui diritate efferati principes vmquam fuerunt, ij sunt ex Otthomanica gente progenati. Mahometis, qui Constantinopolim cepit, tanta fuit ani-

animi sæuitia, vt referat Spanduginus ab illo vetitũ fuisse aliquando, ne quis comederet enascentem quendam cucumerem in hortis. Adolescentulus deinde præcepti ignarus illum conspicatus comedit. Cùm verò spatiaretur per hortos Mahometes, & abscissum videret, quæsiuit quis comedisset. Aderant trecenti adolescentuli. Cunctis negantibus, in rabiem versus iussit vni ex ijs ventrem diffindi, & sic deinceps alijs singillatim, donec in aluo eius, qui edisset, cucumis appareret. Cæsi sunt quatuordecim: in quartidecimi nemq; ventre visus est. Quòd si fortè hic in tercentesimum locum reijciebatur, omnes miserrimè interempti fuissent. Tanta diritas insederat truculento Regi. Ac ne putemus alios forsan mitiores, quamuis hic reuera inter crudelissimos eorum sit referendus: nemo, qui Iouium legerit, ignorat quantis hic laudibus immeritò interdum Solymanum conetur ornare. Iste igitur adeò laudatus quod narrabo, patrauit. Mulier quædam Græca Hadrianopoli filiam specie non illiberali secũ ducens Constantinopolim pergebat, in itinere fortè incidit in quosdam Turcas, qui puellæ visæ forma capti, matri illam nequidquam vociferanti abstulerunt, secumque asportarunt. Mater dolore exstimulante ad Auditorium Regis venit; eoque tum præsente, & audiente, magnis cum fletibus & expostulationibus rem gestam recenset. Id vbi Rex intellexit, accersiri iubet ducem mille militum, quos Ianizeros vocant. edicit, vt acceptis secum suis militibus Hadrianopolim recta properet; & si quidem Turcas illos, qui abripuerant puellam, è signis datis agnitos inueniat, continuò stipitibus sublatis, & per viscera media adactis infigat; sin minus, eadem via Constantinopolim reuertatur, & quotquot inuenerit, quãuis innoxios, in eos eodem supplicij genere animaduertat. Imperata fecit militum præfectus, reos non reperit; reuersus plurimos immerentes obuios passim crudelissimè, vt edictũ fuerat, stipitibus acutis in viscera immissis occidit, conspiciendosq; postea trãsituris quibuslibet reliquit. Hæc mansuetissimus Otthomanorũ, quæ cũctis diuulgata sunt, mihiq; retulerunt qui Constantinopoli & in Græcia diu fuêre viri fide digni. Illud porrò cũctis Mahometanis vsitatum, vt quando singulis ferè plures sunt vxores, & cõcubinæ, & illis itidẽ filij plures, hi clam veneno sese petãt; palàm namque ferro agere, vt mos est Regibus gentilibus, haud ipsis licet impunè: & idcirco quàm occultissimè ab

istis conficiuntur. est autem primogenitus inter eos solus hæres.

Iam verò si libidinem spectes, nihil obscœnius Mahometanis vmquam fuit. De nullis enim Regibus legas, qui non modò ducentas aut trecentas mulieres ad exsatiandam suam cupidinem conclusas habuerint, sed etiam totidem formæ elegantioris adolescentes: vt in more positum videmus apud Otthomanos, ac Satrapas omnes Turcarum. Sic in cunctis celebrioribus Mahometanorum locis obsoletorum prostibula publica habentur. Quin lex est sancita ab Eubocare Mahometis successore, ac recepta ab Aomar, & Odmen, posterisq; omnibus, cuilibet fas esse ad quosuis vsus adhibere quæcumq; is habeat in suo dominio. Hinc haud verentur coire cum belluis, & omni se turpitudine commaculare: quod post alios refert Theodorus Spanduginus in vita Ismaelis, & Tammæ, vt vocant, Sophorum. Vt igitur aliæ gentes obscœnæ fuerint, omnium sanè hac in re Mahometani spurcissimi sunt habendi; quin non modò fœditate huiusmodi, sed crudelitate in omnes ac rapacitate cunctis populis illi præcellunt. & verò necesse est ita sit, cùm nihil non ad ferrum cædesq; reuocandum ex ipsis impiæ superstitionis principijs contendant, illudq; iustum & verum sanciant, quod ipsa vis stabilierit, ac firmarit. Quamquam nulla vmquam natio tam latos aditus ad omnia facinora aperuerit, vt hæretici Protestantes, duce Luthero, & Caluino; è quibus hic scripsit non esse opus adspirare ad vllam virtutem, aut velle vllum bonum, quo pœnas æternas euadas; ille autem dixit, gratiam suis diuinam eò magis conciliari, quò magis illi omni flagitiorum genere sese inuoluerint; vt supra ex ipsorũ scriptis recitauimus signo secundo, & vigesimo sexto ad finem.

Eò porrò superbiæ quidam Reges Mahometanorum, populi verò eò dementiæ peruenerunt, vt illi diuinas omninò sibi proprietates vsurpent, populi vsurpatas religiosâ existimatione & honore concedant.

Ismaël Sophus, vt alibi diximus, ipsammet genetricem suam, veluti alter Nero, interfecit; & quidem proprijs, vt quorumdam fuit opinio, manibus. Id refert Spanduginus in eius vita, Ioannes Maria Angiolellus cap. 13. & scriptor, cuius Itinerarium subijcitur scriptis Angiolelli, cap. 14. qui plurima eiusdem Ismaëlis facta atrocissima recensent, in

in his, quòd plurimas prægnantes ventre exciso cum fœtibus interemit.

Idem Rex in Taurisio vrbe regia per vim mandauit abripi à suis patribus decem pueros, qui elegantioris formę fuerant inuenti; quibus diu pro libidine est abusus, singulos deinde singulis suorum Ducibus ad eandem spurcitiẽ largitus est. & hic tamẽ à Iouio maximè laudatur, & à Spãdugino dicitur præ cæteris illorum locorum incolis non esse lasciuus. A populis verò suis tanto est habitus in honore, vt eum pro Deo reputarint, in vota ad omnes ingruentes calamitates depellendas passim vocarint, creditũ præterea sit à multis ipsum nunquam moriturum: quod narrat idem scriptor, qui rebus hisce interfuit, exercitumque Ismaelis diu comitatus Taurisij morabatur. Addit Spanduginus, tapete, in quo ille, genua flecteret preces facturus solitũ scindi in minutissima frusta, quæ certatim expeterẽtur, quasi reliquiæ sacræ ad omnia mala arcenda plurimũ valentes. Refert alius auctor hisce honoribus alioquin diuinis Ismaelem contentum non fuisse, faciemq; suam solitum obtegere ad reuerentiam maximam conciliandam, desideriumq; sui faciendum.

Verùm longè istis arrogantiores Moscouitici nunc Duces, qui populos sibi subiectos ad illum mentis incredibilem stuporem redegerunt, vt miseri credant bona malaq; omnia à suis Ducibus in ipsos immitti, quin eis explorata ac singillatim perspecta omnia studia, & cogitata cuncta illis patere. Vt verò Duces isti gentes in hac stoliditate hærentes ac defixas teneant, nullas ab ijs litteras addisci permittunt, nisi quibus ipsi fecerint potestatem: quæ latè prosequitur Posseuinus in Moscouia sua. Tales igitur hæresum Græcanicarum sectatores; quibus non absimiles fuisse Imperatores Constantinopolitanos suo tempore significare videtur Choniatas in vita Manuelis. & sanè est necesse, quicumq; è Græcis hæretici sunt, esse hebeti & attonito ingenio, & in peiora quotidiè ruere, nisi siqui recipiũt se ad nos. Præsunt enim Græcis hæreticis monachi, quos χαλοιέρος vocant, ex his dumtaxat Episcopi inter illos eliguntur. Hi porrò communi consensu decreuerunt, ne quis philosophiæ & dialecticæ det operam; qui secus faxit, excommunicatur, vt scribit Petrus Bellonus lib. 1. cap. 40. Obseruatio num suarum. Quamobrem cùm nobilissima instrumenta ad assequendam certiùs & expeditiùs veritatem prorsus

tra cōsuetudinem maiorum suorum, nostrorumq; simul, necesse est altissimis eos tenebris inuolui.

Sed quis ad arrogantiam Protestantium hæreticorum peruenit? Nam suprà vidimus, hæresiarchas illorum Lutherum & Caluinum contaminatissimos homines iactare impudentissimè se esse supra omnes omnium sæculorum doctores, supra omnes sanctos, supra omnia Concilia, supra Ecclesiam, supra Angelos ipsos; se solos non errare; sed esse huiusmodi, quibus in interpretatione diuinæ scripturæ & diuinorum scientia certissimò & indubitatè credant vniuersi. Multi porrò illorum sectatores, cùm sciant eorum fœditissima vitia, iactant ipsos esse Elias, Ioannes Baptistas, Paulos, cæli verò incolas, domesticosq; Dei esse otiosos, ac surdos.

Longè verò omnium Lupa Anglicana impudētissima: nam viuens adhuc diem suum natalē in Kalendario grandioribus, ac rubris litteris notatum præposuit Natali sanctissimæ Deiparæ, & tum illum, tum diem præterea inaugurationis sacratius celebrari mandauit, quàm cunctos sanctorum festos dies. celebritas enim quendam ferenda erat. Quin in summo Londinensi templo diurnæ preces eius laudibus decantandis, non amplius Deiparæ, vt olim, terminantur: quæ Sanderus libro schismatis tertio scripsit.

Quid illud? ter enixa passim prædicatur ex illicito coitu, ac propterea fuit in Comitijs Angliæ publicis decretum, vt illi defunctæ in regno possent succedere ex huiusmodi concubitu nati, vult tamen haberi virgo, sepulchroque inscribi se virginem tot annos exstitisse. Quænam sæcula igitur tale vnquam monstrum pepererunt? Hoc scilicet non amplius audito gloriātur Protestantes; è quibus quidam Foxus fossa altissima impietatis Martyrologium Kalendariumq; conscripsit, in quo amotis sanctissimis antiquitatis viris apposita sunt nomina quasi diuina impurissimorum nebulonum. Res hactenus cunctis hæreticis, vel sortis cuiuslibet impijs intentata: vt scilicet hæc istis vorago profundior impietatis relinqueretur, sicuti illæ etiā, quas suprà enumerauimus. in quas nulla hucusq; gens ab orbe condito corruit. Nam quę quæso tot abominanda simul coaceruauit, ac sanxit, quod suprà ostendimus, vt Protestantium hereticorum turba?

SI-

SIGNVM QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

Sanctitas Ecclesiæ nunc militantis.

Clarißimè ostenditur Ecclesiam nunc militantem sanctißimis hominibus florere hoc sæculo, neq; ab Ecclesia Catholica posse fieri in malum progressus eos, qui facti sunt ab alienis.

CAP. XXI.

TRia sunt, quæ multipliciter ostendunt ab Ecclesia nostra fieri non posse vllos turpes vel in moribus, vel in legibus progressus. Ac primo loco innumera sunt oracula quibus Deus id nõ modò prædicit, sed etiam promittit, quæ nos recitamus signo de perpetua sanctorũ successione, & magnis Ecclesiæ sanctis, similiter vbi agimus de tertia coniunctione, demonstramusque Ecclesiæ doctrinam diuinam, labemq; illi subesse haud posse. Secundo loco sunt plurimæ rationes, quæ nobis id persuadent deductæ a diuina ipsius Ecclesiæ gubernatione. Quarum potissimum fundamentum est illud, quòd in Ecclesia nostra sit nemo, qui sibi credat: quod quale quantumque sit, aperuimus ad finem secundi libri, & principium tertij. Postremò igitur sic esse, nullosq; ab Ecclesia nostra in vlla re turpi fieri gradus, ex eo constat, quòd perpetuam nobis esse hominum sanctorum successionem, perpetuam martyrum, quin illustrissimos iniquissimis tẽporibus sanctos aperuimus suprà suis signis. Quocirca veluti cùm synagoga maximè est depressa, & ipsius doctrina maximè est obscurata tẽporibus Herodis, qui legitimam Põtificum creationem sustulit, legitimumque septuaginta duorum consessum, Sadducæique hæretici irruissent in eiusdem synagogæ gubernacula, tum tamen illa omnium sanctissimos homines produxit, Zachariam, & Elisabetham, Ioachimũ & Annam, Ioannem Baptistam, Simeonem, Annam prophetissam, denique ipsum Sanctum Sãctorum Iesum Christum filium Dei; sic & multo magis Ecclesia diuinioribus munita priuilegijs, & cælestibus ac solidissimis corroborata promissis, cum venient nouissima tẽpora, siue illa sint

Matt. 4. *2. Tim. 3.*

plura, siue vna, cùm refrigescet caritas, abundabit autem malitia, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, vt ait Paulus; dabit illa tamen in lucem diuinissimos homines. Quin cùm veniet Antichristus, accurrent Enoch & Elias, palamq; se Christus ipse ostentabit. Interim verò si ex vna parte domus Dei, vt Apostolus appellat, labē facere videtur, ex alia longè maxima splendidissima ornamēta sumit, quod aperuimus quo ad fidem, signo de maxima propagatione iniquis temporibus facta; quo ad sanctitatem, signo de magnis sanctis, ac signo de religione ad finem.

1. Tim. 3.

Verùm fallit hoc impios omnes, quòd scelerum pleni, virtutis illi quidem fulgentissimum lumen adspicere tamquam solē vespertiliones haud possunt, & Ecclesiæ formosissimas partes intueri ac mente circumlustrare nolūt, sed oculos protinus ad minima quæq; errata Catholici alicuius aduertunt, quod ea velint, cupiant, & amplexentur. Inde ex aliquibus, non ex vniuersis vniuersitatem criminari spurcissimè nō verentur. Vbi verò possunt, in peiorē partē, à semetipsis suaq; natura nostras res ipsi metiētes, ac dijudicantes, cuncta interpretantur. Sic verò esse experiētia nostræ ætatis comperimus. Romam percepimus ventitasse Protestantium studiosos aliquos. Quid igitur hi? Numquid cum religiosis hominibus ac pijs versantur? Numquid societates, collegia, confraternitatesq;, vt vocāt, hominum bonorum, quæ sunt innumeræ in Vrbe, frequentant isti? Numquid eorum studia, & exercitationes ad omnia pietatis opera inspiciunt, & addiscunt? Nihil minus. Vt sunt homines vel non benè assueti (leuissimè namq; loquemur) vel perditi, malè assueta, aut perdita quæq; loca, quātum possunt, adeunt, celebrant, cum quibuscumq; suorum similibus versantur, in ganeis toti sunt, ac popinis. Nauimque Romanam totam sentinam vociferantur. Nondum sanè sumus in cælo, vbi nihil non optimum. Sumus in terris. *In magna autem domo*, inquit Apostolus, *non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam* Fuerunt isti, suntque semper cum vasis fictilibus fuligine obductis, in infima ipsius

2. Tim. 2.

psius nauis parte, quò sordes omnes proijciuntur; sita cunctis locis, cunctis nauibus sentina inter mortales, & sua Romæ. signo autem de summa sanctitate explicauimus nostrorum pessimos, vt habentur à nonnullis, esse longè meliores ijs, quos optimos omnium iactant alieni à nobis ac sordes nostræ sentinæ prę istis nō esse sordes, sed res insigni forma ac specie præstantes. Quid igitur, si benè animati inspiciant optimas nostrarum rerum, nostræ Ecclesiæ partes? Sed miscuit in eis Deus prouidentiæ suæ permissu spiritum vertiginis, inquit propheta. Quid est spiritum vertiginis miscere? qui vertigine corripiuntur, ijs intimi spiritus & vapores intra capitis abditos recessus circumuoluuntur, & agitantur in gyrum; cumq; ipsi sic affecti sint, tamen videntur sibi videre immobilia cuncta non modò moueri, sed eodem modo circumuolui, & agitari in eundum gyrum. Instabilia & turpia cuncta sunt alienis ab Ecclesia nostra, vt signis de vna fide, summa sanctitate, & postremis vltimi libri ostendimus; idcirco haud possunt sibi persuadere, quin eodem modo cuncta circumferantur. Sed certè prædictum fuit à regio vate illud, *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Quocirca & diebus etiam nostris sancta erit Ecclesia, & quibuslibet futuris. Ecclesia namq; domus est Dei, vt Paulus nos docet. ac rectè Apostoli inter cæteros fidei, vt vocamus articulos, ac prima principia, voluerunt esse in symbolo illud, vt certò crederemus Ecclesiam sanctam. Non igitur huic principio subesse vnquā falsitas potest. pollicitus namq; est Deus, per Christum nobis & illud concedendum fore, vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostrę, non igitur aliquibus tantùm Ecclesię diebus. Vt autem videant hæretici & impij Ecclesiam nostræ ætatis à Deo non esse derelictam, neq; vllos ab illa factos in malum progressus; atq; vt habeant Catholici, quo se maximè consolentur, sciant illud à Deo dictum reuera ad Catholicos pertinere, *Ne dicas, quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuerunt, quàm nunc sunt? Stulta enim est huiusmodi cogitatio.* Hæc per Salomonem Deus; quæ non conuenire alienis Ecclesia nostra, quod eorum sit in peius proficere, inquit Apostolus, certissimis euentis est à nobis abundè demonstratum: conueniunt igitur Ecclesiæ nostræ. Quocirca efficacissimum nobis & illustrissimum sit signum sanctitas Ecclesiæ nunc militantis.

Isai.19.

Eccles.7.

Recenseamusq; primo loco nostri sæculi viros Aposto lis adnumerandos, ac moribus reuera Apostolicis & diuinis excellētes. & quamuis aliquot eorum meminerimus signo de perpetua sanctorū successione, nihilominus multò plures huc reseruauimus veluti apposito signo. Enumeremus secundo martyres, & opera miranda illorum, tertio fœminas sanctitudinis maximè cælestis.

Illustrissimi hoc sæculo sancti.

Franciscus igitur Paulanus qui quantusq; fuerit, ecquis ignorat? eius nonnulla gesta eodē signo leuiter innuimus. Vita illius diuinissima nuper à quodā ex ordine Minimorum conscripta circumfertur. Notissimum verò cunctis, quantæ fuerit sanctitatis.

Ignatius Loiola similiter Franciscus Xauerius, & Aloysius Bertrandus, quàm cælestis vitæ fuerint, omittimus dicere. nemo namq; ignorat, & illorum facta scriptis mandauit Petrus Maffeius, huius autem Vincentius Iustinianus. Istorum similiter nonnulla gesta & euenta diuina attigimus signo de perpetua sanctorum successione.

Ioannes Dei, à quo habemus ordinem illorum, qui hospitales ædes ægrotis sanandis curare solent, multæq; illorum sunt familiæ in Hispania & Italia, ad institutū huiusmodi excitandum diuino monitu impulsus est. fuit homo humanarū rerum despicientissimus, honoris cuiuslibet maximus contemptor. totas noctes sæpiùs in precibus transigebat, hominum cogitationes solitus erat aliquando perspicacissima mentis acie peruadere, & ad emendationē vitæ edicere ijs, quibus opus erat. Cum dæmone ipso palàm sæpiùs pugnauit. Obijt genibus flexis in obsecratione positus: & quamuis defunctus esset, ita tamen rectus consistebat, genibusq; suis innixus, donec post aliquod tempus fuere qui corpus eius ab huiusmodi situ dimouerent. Post annos viginti, corpus sine vlla cura sepultum tamen integrum, illæsumq; est repertum.

Alexander Capocchius Florentinus ex ordine Prædicatorum vixit annos sexaginta septem virginitatis integerrimus custos: tribus noctibus ter voce diuina clarè illum versiculum concinente, ac repetēte, *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*, ordini sese illi deuouit, ac multa cum laude sanctitatis in eo vixit: mirabilissimè plurimos à vitijs ad honestissimum viuendi genus reuocauit, plurimis etiā in desperatam valetudinem suis precibus statim restituit, his Francisco Mediceo tum puero, deinde Magno Etruriæ

Duci.

Duci. eius vitam latè descripsit Franciscus Marchus Seraphinus Razzius. obijt ille anno 1581.

Petrus è Mõtibus ex ordine S. Francisci totos viginti annos in solitudine vixit in insula Fortis Venturæ vna è Canarijs cælitusq; prouiso cibo farinæ hordeaceæ, cuius modicũ semper inuenit in pera, quantum sufficeret ad vitam producendã, semper pastus, diuinisq; operibus clarus suæ mortis horam prædicens octuagenarius decessit.

Ludouicus Lerma Frãciscanus vixit in insula Tanerifsa sanctitate & miraculis clarus, obitusq; sui tempus prænunciauit. ex eius corpore manat oleum, quod mirificè valet aduersus omne morborum genus; ita vt quidam nomine Lossanus, ex oppido Guaracico, illius vnctione lepram, qua fœdabatur, expulerit, alius verò morti propinquus, protinus conualuerit.

Toribius Motolinia vnus è duodecim primis Franciscanis, qui cũ Martino Valentino profecti sunt ad Indias Occidentales, tantæ sanctitatis fuit, vt cùm maxima siccitate aliquando cuncta in vrbe Tetzcuco exarescerent, incredibilisq; ob id sterilitas sine dubio futura esset, ipse indicta supplicatione cùm perrexisset ad templum quoddam S. crucis, continuò precibus abundantissimos imbres impetrauit. Contrà cùm tempore alio effusissimis pluuijs omnia sata & fructus corrumperẽtur, eodem modo protinus ipse obtinuit à Deo pluuiarum cessationem.

Ioãnes è S. Francisco, solis precibus, ac nullo prorsus studio assecutus est linguæ Mexicanæ cognitionem, ita vt maximè cunctis fuerit admirationi, cũ repentè auditus est ea lingua innumeris præsentib. concionari. hic aliquãdo plurima idola Indorum, multitudine ingenti vidente, à pueris Christianis confringi iussit. Eadem verò die dæmon apparuit Indo cuidam, qui aberat passuum millibus sexaginta: apparuit autem facie deturpata, membrisq; mutilatis, inquiens, En vt à Ioanne malè habitus sum: remq; vti gesta erat explicauit efflagitans, vt aduersus Ioannem suam contumeliam vlcisceretur, se ipsi opem laturum: docuitq; rationem, qua flagitium perpetraret. Aggressus est rem Indus, exspectatumq; Ioannem per insidias adortus præ grandi fuste percussit aufugiensque irrito euentu, & à persequentibus nonnullis comprehensus, rem detexit, & Christo se dedit. Idem Ioannes Idolorum Sacerdotem baptizauit, cui mox duo dæmones assumpta parentum ipsius

defunctorum effigie apparuerunt affirmantes se in amœnissimis deliciarum locis degere, eò deducturos ipsum si velit sequi, & imperata facere. sequitur ille. perueniunt ad syluam. suadent, vt laqueo faucib. iniecto se ex arbore suspendat, ac præfocet. Aggressuro iam rem misero astitit Ioannes, siue ipse reuera, siue specie sua. Increpat dolos detegit. Agnito scelere Indus Dei nomen ex animo implorare cœpit, ac protinus Dæmones cum suis spectris euanuêre. Ipse Mexicum reuersus, Ioannique occurrens accidit ad pedes veniam criminis suppliciter petens. Idem Ioannes defunctum filiolum, diu rogatus à matre vt id faceret, ad vitam precibus reuocauit. aliaque multa mirabiliter egit, ac prædixit. obijt anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

Martinus Valentinus illustrissimæ vir sanctitatis fuit. Hic ex ordine S. Francisci cum duodecim socijs venit in Occidentales Indias anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto & incredibile est, quot ipse cum suis Indos ad Christi cultũ perduxerit. Nemo ex illis duodecim fuit, quin anno millesimo quingentesimo trigesimo primo plusquam centum millia Indorum baptizasset. Hic verò fuit eminentissimæ sanctitudinis, Virtutũq; omnium diuinarum sublimissimum culmen est assecutus. Visus est aliquando cum in Salmanticensi Minorum monasterio diuersaretur orans extensis in modum crucis brachijs in aëra sublatus. Cum sæpe è superiori loco verba faceret de Christi passione ad populum rapiebatur extra omnes sensus, immobilisq; erectus, ac rigens diu persistebat. Antonius è Naua, & Ferdinandus Cortesius in Tlalmanalco oppido, cùm cellam, in qua morabatur, de improuiso aliquando aperuissent, inuenerunt orantẽ, in aera sublatum, & à sensibus abstractum. Bernardinus è Sahagunt, cùm cuperet hæc proprijs ipse oculis intueri, accessit in Tlalmanalco ad ea loca, in quę solitudinem petens precaturus Martinus se conferre solebat, obseruato tempore, quo se in illa iam sanctus receperat; vbi propior est factus, mirificum splendorem conspicatus progredi vltra nõ potuit, quod nimia lux aciem luminum perstrinxisset, mentemq; obturbasset.

Allatus est aliquando ad virum sanctum puer ægrotãs, vt eum baptizaret, verum priusquam perfici id posset, ille vita decessit. Acceptũ sanctus in altari collocauit, supplicationi se dedit ad vitã paulò pòst reduxit, baptizauit, ac suis resti-

restituit. Tlaxcalæ præ nimia siccitate cuncta exusta iam conspiciebantur. Venêre ciues ad virum diuinum opem petentes. supplicatione indicta processit ille ad locum quemdam, in quo crux fuerat collocata. Vix eò peruenerat in precibus totus, cùm pluuia copiosa cælitus defluxit. Idem rursus contigit in oppido Tlaelpano. plurimis porrò ægrotis sanitatem restituit. Illud autem nullo modo prætereundum Ioannes ex Oueto, qui Tecamachalci decessit, Custos in ciuitate Angelorum, cùm sensu odoratus esset priuatus, sanctiq; cadauer tumulo recluso inspexisset, incredibilem protinus odoris fragrantiam sensit, & ex illo odoratum recepit.

Obijt anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, cùm diem mortis prædixisset, genibus in nuda humo in morem supplicantis positis, & in contemplatione cælestium defixus. Corpus eius triginta tres annos integrum incorruptumq; omninò permansit, & eius videndi copia pluribus ad illud inuisendum properantibus fiebat. Innumera porrò miracula quotidiè ex illo prodibant. Post annum millesimum quingentesimum sexagesimum septimum. cum capsam, in quò repositũ iacuerat, aperuissent, nihil in illa inuentum. facta est diligẽtissima inquisitio, an ab aliquo fuisset asportatum, & subreptũ. nihil potuit inueniri; quamuis Apostolicæ litteræ in eam rem scriptæ fuerint anno millesimo quingentesimo octuagesimo.

Indi in maxima illum, veluti Apostolum ad ipsos diuinitus missum, veneratione habuerunt; & quæcumque ad illum spectantia colligere potuerunt, veluti cælestes quasdam reliquias asseruarunt, & coluerunt summo honore; vbi verò morbis, aut etiam peste tentati sunt, illa corporibus admouebant, ac sanitatem plerumq; mirabiliter protinus iidem recipiebant. Quocirca data fuit opera diligẽs, vt omnes eius reliquiæ vestium ceterarumque rerum colligerentur. Collectæ loco decenti sunt repositæ, & miracula innumera ab illis in dies emanant.

Andreas ex olmo sub annum millesimum quingentesimum vigesimum octauum in Indias Occidentales venit, & quadraginta tres totos annos in ijs perlustrandis, populisque ad Christi cultum perducendis insumpsit. perduxit autem tum multos, tum verò truculentissimos ex illis Chichimecas. Incredibile est, quot & quanta vir hic sit perpessus, & quæ discrimina diuino beneficio superarit.

Bis diuerso tempore plurimi ex Indis conuenêre, illum namque statuerant occidere. Cùm verò innumeras in illũ sagittas quasi certissimò transfixuri misissent, sagittæ vbi corpori illius appropinquabant, continuò retorquebantur in ipsos iaculatores. Quæ res conspecta, & diuulgata, maximo omnibus in posterum terrori fuit.

Rursus aliàs conspicati sunt ipsum in tuguriolo gramineo commorantem. Ignita tela expediunt, ardentiaq; iam tum iaculantur in aridam casam. Verum mirabiliter vidêt omnia protinus exstingui, vbi fœnum siccum, ex quo constructum erat tugurium, tetigissent.

Chichimecæ populi, vt diximus; efferatissimi sumptis armis, à Rege & Archiepiscopo discessione facta, bellum meditabantur. Cunctis reclamantibus eò profectus Andreas ad obedientiã reduxit illos & placauit. Multis multa prædixit; in his diem, & horam suæ mortis. Miracula multa edidit. corpus eius defuncti, antea subfuscum, statim candidissimum, fulgens, & suauissimè olens mirabiliter apparuit. Auditi sunt præterea diuini in eius obitu cõcentus. Terra ex illius tumulo desumpta mirabiliter ægrotis reddidit sanitatem.

Franciscus Colmenatius trigintaquinque annos Indis Christo conciliandis dedit, nihil non acerbi & duri perpessus. eius litteræ quædam ægrotis admotæ morbos expulerunt.

Hos igitur paucos retulisse sit satis ex ijs plurimis qui virtutibus diuinissimis florentes, miraculisque editis clari prodierunt ex ordine S. Francisci, & innumeros ad Christum populos belluinis antea moribus viuentes traduxerunt in latissimis Indiarum Occidentalium terris. illorum verò gesta quædam breuissimis adumbrauimus. Siquis ea latiùs cognoscere cupit, legat historiam Franciscanam ad finem, quam dedit in lucem Franciscus Gonzage Episcopus Cephalenus, & illius ordinis antea summus præfectus, vir nobilitate quidem generis præstans, sed longè præstantior admirabili vitæ innocentia, & puritate; vt meritò nõ ordinem modò Franciscanorum, sed & Episcoporũ dici possit ornare, sicut eius frater Scipio Gonzaga sacrosanctũ Cardinalium concessum ob eximiam humanitatem, doctrinam, integerrimosque mores illustrat.

His addit alios Marcus Vlyssiponensis Episcopus Porti in Lusitania. in his est Franciscus Soto, quem viderunt ali-

quando Indi, dum concionaretur, ingenti luce circumfulgentem: Martinus Iesu, supra cuius sepulchrum sæpè visus est homo maximo splendore circumfusus.

Sequuntur viros hos diuinos, quorum gesta in Indijs recensuimus, alij ex ordine similiter S. Francisci, quorum nonnulla acta describit Marcus Vlyssiponensis chronici sui parte tertia, lib. 8.

Baptista Florentinus, in his est cuius corpus habetur in monasterio Clampi prouinciæ S. Bernardini, quiq; visus est aliquando à plurimis è terris in altum ferri diuini spiritus efficacitate, maximeque viuens sanctimoniæ fuit.

Cherubinus Bergomas, dum præesset Nuceriæ Sarracenorum sui ordinis religiosis, diuinissimæ vitæ fuit. Ad eũ venit Brita coniux proregis Apuliæ rogans enixè, vt pro suo filio moribundo intercederet precib⁹ apud Deũ. Post eas fusas dixit illi Cherubinus futurum, vt conualesceret puer, sed alius pro illo obiret. & paulò pòst ab ea petijt mulam, qua infirmis ac destitutis ipse viribus veheretur ad propinquum monasterium, in quo necesse habebat mori pro filio ipsius. Dedit mulier. eò sanctus peruenit, horamque mortis prædixit, eaque decessit. illius autem cadauer plurimis est miraculis illustratum, plurimisq; ægrotis restituit sanitatem.

Antonius è Lionessa in monasterio Montis Odorisij tantæ fuit sublimitatis, vt indomitos tauros voce sola compesceret, dictisque suis redderet obsequentes, aues accerseret quò vellet, & in cœtum coniungeret, cumq; ijs nihil ab ipso extimescentibus versaretur ægrotis præterea multis reddita valetudine vires confirmauit.

Estuniga iacet in S. Mariæ Iesu Barchinonæ. Hic audiebat confessiones Ferdinandi Hispaniarum Regis, neq; adduci potuit vmquam, vt episcopatum acciperet. Dumque aliquando iter faceret, & nox ipsum sociumq; deprehendisset in via, neque quò se ambo verterent scire possent ob tenebras vndique diffusas, ad preces Estuniga confugit: lux protinus è cælo delapsa circumstetit, puerq; de improuiso apparens eos in apparatam domum deduxit. ibi noctem cõmorati, manè se deinde in viam dederunt; ac domus euanuisse visa est. Alio tempore cùm comes eius ex itinere defagitatus sitiret, impetrauit illi aquæ viuentis fontem. Prædixit vbi moriturus esset. eius cadauer post aliquot annos illæsum prorsus est repertum.

Laurētius è Raparicgos sepultus est in monasterio Arcuali prouinciæ Conceptionis. Is visus est orans in altum à spiritu diuino supra terram totus ferri. Reges Catholici aliquando ingressi sunt eius cellam, quos cum numquam vidisset, aut ex alijs posset eos signis agnoscere, continuò qui forent edixit, Ioannisque Principis eorum filij mortē prænunciauit. Inter alia miracula, quæ viuens est operatus, illud fuit, quòd quidam ex arbore altissima decidens caput ita fregit, vt mortem non posset effugere: Laurentius accessit ad illum, caput manibus compressit, & repentè factus est sanus.

Liberato à Ciuitella, Petro ex vrbe Penna Aprutinis cōtigit similiter, vt supra terram visi sint isti diuinorum cōtemplatione defixi toto corpore in aëra sustolli.

Dominicus è Teris in Monte Regali prouinciæ Sancti Bernardini vnà cum coniuge sua, tum virtutibus cunctis, tum miraculis diuinitus illustrati fuerunt. Vixêre autem simul quidem semper in eadem domo, sed perpetuam seruantes castitatem.

Ioannes Ataidius nobilis Lusitanus puer annorum sexdecim in Franciscanorum se ordinem patre inscio contulerat. Cumq; vnicus patri esset, abstractus est inde ab ipso, coniugioq; protinus alligatus, puella nobili, ac pulcherrima vxore data; cum qua tamen sanctissimè vixit. Arzilla est Africæ vrbs munitissima Regi Lusitaniæ subiecta: cò perrexit aliquando Ioannes; cumque ex illa egressus in apertos campos occurrisset ingentibus Maurorum & Arabum copijs exiguo militum numero stipatus, in fugā sese hostes dederunt, confessi postea se vnà cum Ataidio conspicatos ingentem exercitum, qui in ipsos collatis signis pergeret. Hoc visum sanè diuinitus est immissum, quo manus hostiles Ioannes effugeret, non euasurus, si rem, vti erat, inimici conspexissent. Defuncta vxore, filijs iam natu grandibus, & Comitatu, vt vocant, opulento relictis, ingressus est ordinem Franciscanorū, in quo maxima cum sanctitatis laude vixit. Puerulum quēdam strumosum inungens oleo accepto è lampade sacra protinus sanauit. Isabellam similiter Gaam ab vlcere, quod labijs insederat, crucis signo ducto, liberauit. Bis cùm foret arca pane inanis, eam dicto quantum sufficeret toti suorum conuentui alēdo repleuit. terra ex eius sepulchro eruta plurimos à morbis liberauit. Mulier quædā, cui sanguis ex ore copiosus à multis

multis annis profluebat, petijt, vt sibi permitteretur eius cadauer, dum transferretur in monasterium, quod erat in ditione auiti Comitatus, conspicere, ac tangere, conspexit, tetigit, ac protinus est sanata. Dum vixit sæpè visus est in contemplatione cælestium positus euchi totus in aëra à terris admodum remotus.

Ioannes Nauarretes cælestis vitæ fuit. obijt anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo. Nam dum concionaturus pergeret ad locum, quò populum conuocarat, in transitu cuiusdam montis, cui nomen Portelę Fabeyrę, cecidit ex asino, quo vehebatur; ex eo casu paulò pòst vita, vt ipse iam prædixerat, migrauit. in ipso autem loco casus emersit fons, è quo innumeri haurientes innumeros è suis corporibus morbos expulerunt. Quamobrem publicis monumentis viginti quinque miracula huiusmodi à notario ex auctoritate publica ritè comprobata & consignata fuerunt. Eorum nonnulla refert Marcus Vlyssiponensis Episcopus Porti.

Ioannes Fabrianensis Picenus omnium virtutum laudibus cumulatissimus tantæ fuit abstinentiæ, vt sæpiùs bis in hebdomada tantùm cibum semeret. Cibus verò semper illi erat panis, & aqua. Multis floruit miraculis, & adhuc mortuus floret.

Recenset idem Marcus Episcopus Porti plurimos alios ordinis eiusdem, qui vitam duxêre in terris maximè cælestem diuersis in locis: in his Franciscum Gatæ in monasterio nemoris Borbæ, Didacum è Murcia in Recoleto S. Catharinæ, Andream ex Asayso prouinciæ S. Ludouici, Petrum Sacium ex eodem loco, Petrum è Guarda Lusitanum, cuius corpus in S. Bernardini insulæ Maderæ iacet, Matthæum è Basso Picenum, qui sepultus est Venetijs ad S. Francisci: qui sanè omnes cælesti fuerunt innocentia vitæ, diuinisque operibus, ac miraculis illustres, plerique extra omnes sensus abrepti in aëra à terris remoti sæpius visi sunt ferri.

Nos etiam Comæ nouimus, quod omnes sciunt, Felicem Capuccinum maximæ sanctitudinis virum, è cuius corpore liquor manauit, & adhuc interdum manat odorus, ad omne morborum genus pellendum mirificè valēs; cius corpus est in Bonauenturæ.

Anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio Valentiæ vita decessit Nicolaus Factor ordinis obseruan-

tium Minorum. Vitam ipsius decripsit Christophorus Morenus. Hic igitur cęlestem prorsus vitam ducebat in terris, ac frequentissimè rapiebatur extra omnes sensus, totus in contemplandis diuinis. Id autem toti Valentiæ notissimũ, quòd in publico sæpè id contigerit, videntibus cunctis, qui voluissent. A multis etiam quandoq; visus est immensa luce circumfulgens. Plurimis plurima prædixit. Aliorum cogitata sæpè præuidit, atque ipsis cogitantibus, qui nihil eorum cuiquam fuerant effati, detexit. Quin, quod maximè sit memorandum, sæpius absentibus ac longissimo interuallo locorum seiunctis vocatus in vota apparuit tẽporis momento: quî verò id acciderit incertum. Illud certissimum, multos liberasse mirabiliter à varijs morbis, quibus de improuiso inuocatus apparebat. innumeros prætetea varijs ægrotationibus afflictatos, vlceribus scatentes miserabiliter, idem sanauit. Nominatim multos refert auctor. Hæc autem plurium fide dignissimorum iuratis testificationibus in acta publica solemni ac legitimo ritu sunt relata, quæ scriptor vitæ fusius recenset, ac testes multarum rerum spectatissimos, nobilissimos, & omni exceptione maiores adducit, exempli gratia Franciscum Aragonium Segorbiæ Ducem, Ioannem Riberam consiliarium regium, Antonium Augustinum, virum, quod omnes docti sciunt, litteratissimum, & Archiepiscopum Tarraconensem, qui cùm vidisset illum cælestium meditationi affixum, abstractumq; ab omni sensu, & corporis functionibus. curauit eius effigiem, vti tunc erat, exprimi in tabula, cui deinde subscribi iussit hoc epigramma:

Dum gustas, Factor, Domini dulcissima verba,
Raptus es in cælum, perfruerisque Deo.
Inde redis lætus, cælesti ac nectare plenus,
Atque doces cælum scandere quà liceat.

Adducit testem Ioannem Riberam Patriarcham Antiochenum, & Archiepiscopum Valentinum; denique ipsum Senatum Regium regni Aragonensis, qui mandauit acta Nicolai publicis monumentis & attestationibus legitimè consignari; nobilissimos item Sexuiros Valentiæ, qui curarunt, vt in scripta publica redigeretur, quicquid ad virũ sanctissimum pertineret.

Hoc igitur vnà S. Francisci familia numerat hoc sæculo viros è suis, qui quamuis corpori forent alligati, mente tamen semper in cælo versarentur, actisq; nõ humanis,

sed

sed cælestibus inter homines maximè eminerent. Hi verò sic omnium rerum terrenarum fuêre contemptores, vt nihil stabile, vel proprium, vel cum alijs cōmune possiderēt; mobile nihil haberent proprium, simplex illis lacerumq; integumentum, quo potius operti, quàm induti possent vocari. Hoc autem non illis proprium fuit, sed cum alijs ex ordine suo commune, relictusq; ijs tantùm est vsus ad arbitrium suorum præfectorum. Nummos nefas attingere. Castitatis porrò, & obedientiæ excellentissimi cultores fuerunt, vt neque cogitationis vlla nubes potuerit eorum mentibus aspergere vel leuissimam labeculam.

Sunt porrò & ex ordinibus alijs alij similiter excellentissimæ sanctitatis viri, è S. Augustini, Benedicti, Dominici, Carmelitarum, maximè qui sunt in Indias profecti. Sed quinam fuerint, nominatim scire nō potuimus, quòd eorum gesta non peruenerint ad notitiam nostram. Aloisij tamen Bertrandi, & Alexandri Capocchij ex ordine S. Dominici suprà meminimus signo de perpetua Sanctorū successione, quod acta illorum scriptis prodita, ac memoriæ mandata fuerint.

Sequuntur hos plurimi è Societate Iesu, quorum viginti duos enumerauimus signo de propagatione fidei, ca.11. qui sanè omnes cælestem vitam ducentes in terris mirabilia multa patrarunt: commune omnibus ferè fuit, vt dæmonas ex obsessis corporibus expellerent, ægrotis multis diuino modo redderent sanitatem, maximè verò aqua sancta, quin fuêre & qui mortuos ad vitam reuocauerint, vt aperuimus signo de miraculis in fidei propagatione factis, cap. secundo.

Nullus autem fuit ex hisce ordinibus, qui martyres non protulerit ad nostræ religionis, Catholicęque veritatis inter alienos consignandæ testificationem: quod retulimus signo de perpetua martyrū successione. Singuli porrò fuêre eiusmodi, vt nihil haberent, quod suum possent dicere, quicquid illis erat, id commune cum socijs eiusdem familiæ ijs fuit. Castitatis. & obedientiæ studiosissimi omnes. Iam verò quis cogitare, ne dicamus enarrare, valeat, quot isti pericula adierint, quot acerbissima & asperrima sint passi, dum vastissima & sæuissima maria transmittūt, dum regiones incognitas, incultas, & horrentes pererrant, inter efferatissimos populos, qui belluas diritate morū superarēt, quotidiè versantes, nullis tecti p̄sidijs, nisi diuinę opis,

erran-

errantes in solitudinibus, in montibus, in cauernis, cum fame, frigoribus, aut etiam nimijs æstibus, omnium denique rerum inopia colluctantes? Ac sanè non possum nisi vehementer dolere, quòd acta aliorum religiosorum non potuerim scire, præcipuè verò illorum, qui sunt ex ordine S. Dominici, è quo sanctitate florentissimi viri prodierunt, qui in Indijs durissima perpessi latè Christi religionem propagarunt.

Quamobrem nulli vmquam sæculo ab orbis fabricatione post Apostolica tempora Deus, tot ac tanta diuinitatis effecta, & priuilegia concessit, quot, & quanta huic nostro per merita Christi, ac preces eorum, qui nos præcesserunt, hominum sanctorum, vt obstruantur ora pestilentia hæreticorum, qui, si quando in Ecclesiam furere sunt visi, nunc in illam maximè insaniæ pleni debacchantur.

Primumque horum sit hoc, numquam tot homines ad exteras & ignotas terras è Christianis abijsse, vt Christi cultum latè propagarent, vt sæculo hoc nostro contigisse certò videmus. Id verò nonnisi ab ardentissimo ac longè diffuso Christi amore nasci potest.

Secundum, numquam in tot, tam vastas, latasq; regiones vllos è Christianis ad amplificandam religionem adnauigasse, in quot, ac quàm vastas, ac latas nostri hoc sæculo appulerunt.

Tertium, numquam tam remotas, & non modò à nobis, sed inter se dissitas etiam terras nostri inuiserunt ad gloriam Christi nomenque dilatandum, vt sæculo hoc nostro, quo tendentes ab Occidente in Orientem circumnauigamus orbem totum, ventumque iam propè ab extrema Arcto ad Austrum supremum. igitur longissimè pertinet amor nostrorum in Christum.

Quartum. Numquã Christiani loca tam inculta, squalida, & horrentia peragrarunt, & Christi doctrina illustrarunt post Apostolos (hoc enim semper volumus repetitũ) vt hoc sęculo per merita Christi, & hominum, qui pręcessere, sanctorum ab ipso deriuata, scimus, & gloriamur.

Quintum. Numquam tot gentes ad Christi cultum sunt traductæ per Christianos, vt cognoscimus hoc sæculo traductas; quin hoc plures, quàm cunctis antè actis simul, vt ostendimus signo de perpetua fidei propagatione.

Sextum. numquam Christiani nationes vllas moribus adeò belluinis & efferatis Christo conciliarunt, vt hoc sæculo

culo nouimus conciliatas. Nam ſcimus in Indijs Occidentalibus plurimis gentibus hunc mortem fuiſſe, non modò vt homines ſacrificarent, & comederent, ſed vt proprios filios ad hoc educarent, vt mox adultiores effectos, & pinguiores, ipſi parentes mactarent, coquerent, &, horrendum cogitatu, comederent. inter Iaponios porrò & Sinas hoc vſitatum, vt ipſi patres ſuffocent palàm filios, ne paupertatis anguſtias vllas experiantur.

Septimum. petatur hoc ab hæreticis, vt coëant omnes ſimul, quotquot ab orbe condito vmquam fuêre, quin aduocent quicumq; toto orbe terrarum fuerunt vmquam à veritate alieni, & proferant vnum homunculum, peto vnum dumtaxat, quem traduxerint à moribus adeò truculentis & belluinis per tot ſæcula, cùm tot ipſorum ſint millia, ad humanitatem, vt tam multa millia efferatorum hominum ſunt hoc ſæculo à pauciſſimis noſtrorum exculta ad omnē humanitatis formam. Pudeat igitur peſtes iſtas impudentiæ, & inſaniæ ſuæ, qua in Eccleſiam nunc militantem debacchantur. Sed quid tam magna & diuina peto ab iſtis? peto è tot millibus ipſorum vnum, qui tam remotas oras adierit pro Chriſto; peto vt oſtendant mihi quamnam gentem à Chriſti cultu alienam perduxerũt vmquam ad Chriſtum, vt innumeræ à noſtris ſunt hoc ſæculo perductæ.

Enumerantur martyres ſæculi labentis.

CAP. XXII.

NOn cõmittam tamen, vt, quando Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Cephalœdenſis deſcribit, qui martyres hoc ſæculo exſtiterunt inſtituti Franciſcani, eos hîc omittam; quòd eius libri non habeantur in promptu: quamuis plurimos ex ijs omiſerim ſigno de perpetua martyrum ſucceſſione. ſic igitur religioſiſſimus vir eos recenſet.

Martyres huius ſæculi ex ordine S Franciſci.

In Prouincia Franciæ ab hæreticis occiſi.

Dionyſius Pontanus	*Ludouicus Grippius*
Nicolaus à Lotharingia	*Petrus Pichet*

Petrus Hoes
Ioannes Benedictus.

In Prouincia Franciæ Parisinæ.

Nicolaus Tricetti
Ioannes Liot
Oliuerius iulianus
Ioannes Bruso
Dominicus Godar
S. Ioanna Parua.

In Prouincia Turoniæ Pictauiensis.

Petrus Odius.
Iulianus Gileer
Ioannes Giuidrius
Rodulphus Giamet
Ioannes Alusia.

In Prouincia Turoniæ.

Petrus Cosettus
Gulielmus Cunctiuius.

In Prouincia Sancti Bonauenturæ.

Iacobus Garæ
Paulus Vascellator
Alij duo præterea
Quædam monacha.

In Prouincia Aquitaniæ reformatorum.

Guardianus, vt dicitur, Conuentus Vauri
Gerardus Molmerius.

In diuersis alijs Franciæ partibus.

Andreas Montanus
Petrus
Andreas Guez
Gulielmus Souchier
Petrus Gofet
Gulielmus Montanus
Iulianus à Magnieu
Ioannes Bunius
Ioannes à Mer
Gentianus Cordier
Ægidius Cottereau
Gulielmus Bourgugno
Gratianus Moysant
Clemens Gallois
Franciscus Durdaniæ
Ioannes Tixier
Franciscus Butault
Ioannes Hiroleau
Ioannes Aprilis
Michaël Grillet
Petrus Boonneau
Gulielmus Benac.
Bernardinus A molmerio
Ioannes Tougne
Nicolaus Clementeau
Ioannes Beouoisin
Ludouicus
Balthasar
Ioannes Cousettus
Alius præterea
Bernardinus à Turga
Bernardinus de Alencho
Bernardus Genesius.

In Prouincia Germaniæ inferioris apud Belgas.

Cornelius Distemiensis
Ioannes à Nardis
Ludouicus Votes
Adrianus Gandensis
Engelbertus Terburchensis
Daniel Aredon
Nicolaus Dichius
Hieronymus VVertensis
Guilaldus Danus
Nicasius Hesius
Theodoricus Eindenius
Antonius Hormaer
Godefridus Meruel
Franciscus Bruxellensis
Petrus ab Ascha

Cornelius Tertiarius
Gulielmus à Gouda
Ioannes ex Amestelrodamo
Ioannes Puteanus
Ioannes Gray
Iacobus Scutremans.

In prouincia Flandriæ apud eosdem Belgas.

Pius
Gulielmus Holst
Ioannes Pennemans
Andreas de la Dik

In Anglia.

Hugo Rieneus
Antonius Brorbeus
Thomas Coreus
Ioannes Forestus cum triginta alijs.

In Hibernia.

Patritius Hælius
Connacius à Ruuerche

Apud Indos Occidentales pro Christi cultu disseminando occisi.

Bernardus Cosin
Ioannes à Tapia
Ioannes Clausus
Ludouicus Villalupus
Ioannes à Sancta Maria
Franciscus Lopetius
Augustinus
Ioannes Apadilla
Ioannes Calorus
Antonius à Cuellar
Franciscus Laurentius
Ioannes ab Herrera
Franciscus Donzelus
Petrus Burgensis
Alij præterea duo.

Apud Indos Orientales.

Melchior Vlyßiponensis
Franciscus
Stephanus
Martinus Guardiensis
Ioannes Eluasius
Sixtus
Ioannes
Antonius
Alij præterea quatuor.

In hos autem martyres postremos, qui in disseminanda apud Indos Christiana pietate sunt occisi, multosq; alios huiusmodi, sic Hieronymus Badesius tum bonis omnibus litteris, tum maximè poëticis excellens:

Vos ô qui primùm extremos properastis ad Indos,
Vt nossent verum pectora cæca Deum:
Quàm bene pro tali vestrum pietate cruorem
Fudistis? maior se feret inde seges.
Ne quicquam ferro proscinderet arua colonus,
Semine ni grauidos spargeret imber agros.
Cernitis, vt magno crescat iam fænore meßis,
Et vestra vberior sit labor ille nece?

Sed quando ab hæreticis innumeri è nostris occisi sunt, cùm primas illi seditiones, aut potius atrocissima bella commouerunt in Germania per Thomam Munzerũ, mox autem per principes Protestantes aduersus Carolum V.

deinde in Gallia Belgica per Gulielmũ Auriacum, postremò in reliqua per alios Caluinistas aduersus Franciscũ II. Carolum IX. & Henricum III. rectè dici potest, numquã breuiori spatio temporis plures è nostris interfectos ab ijs, qui se Christum sequi sunt professi, quàm nostro æuo, neque contrà maiori multitudine aut animo à nostris aduersus illos pugnatum fuisse. Quocirca numquam legas tam validos & ingentes exercitus ab hæreticis aduersus Ecclesiam productos, numquam tot ac tantas excitatas seditiones, numquam tot fœdera violata, direptas vrbes, templa euersa, monasteria diruta, coniurationes Principum factas, insidias structas, machinas omnes admotas aduersus Catholicam auitamque doctrinam, vt ab hæreticis nostræ ætatis factum videmus. Vna insula totam rem clarissimè ob oculos nostros proponit, Anglia nimirum.

Anno igitur millesimo quingentesimo trigesimo quarto, defecit à veritate Henricus VIII. & ex illo varijs ac dirissimis modis per annos quinquaginta duos atrocissimè Catholici vexati. Conquieuêre nonnihil ab anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, vsque ad millesimum quingentesimum sexagesimum quartum, cùm Maria regnauit.

Qui primus è præsulibus sacris ob veritatem cæsus est, is fuit sanctissimus ac doctissimus Cardinalis Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis, cuius arculas dum satellites impij scrutarentur, nummorumq; ferè nihil inuenissent; repererunt tamen cilicium, flagellumque asperrimum, quibus ille suũ corp⁹ solitus erat castigare. Ductus ad martyrij locum, priusquàm ceruicem securi subijceret, hymnum, qui incipit, Te Deum laudamus, totum sublatis oculis in cælum cantauit. Caput hastili affixum, & in ponte Londinensi collocatum cùm multos dies permansisset, numquam contabuit, sed incredibilem maiestatem diuinitatemq; quamdam spirans cũctos in sui admirationem venerationemq; simul trahebat. Id cùm Rex impius rescisset, sic amoueri iussit, vt amplius eius videndi nemini potestas esset. Eius viuentis opera Margareta Regina mater impij Regis Henrici duo amplissima collegia in Academia Cantabrigensi fundauit, & multis attributis bonis auxit. Idem procurauit, vt in gymnasijs publicis Anglicanis, linguarum, quæ præcipuæ sunt, Professores publici haberentur,

tur, Oxonijque, & Cantabrigiæ Theologicæ lectiones essent. In tanti viri laudem, qui tot celeberrimorum martyrum ductaret exercit⁹, quales vlla orbis prouincia, regnùmve hucusque, vt ostendemus, prope vix emisisse vnquam videtur, vt impij videant, qui, quantique sint nostræ ætatis Illustrissimi Cardinales, sic cecinit doctissimus, & optimus frater meus Franciscus Bozius, & sacerdos nostræ Congregationis.

In Ioannem Baptistam, & Ioannem Roffensem Cardinalem Herodem Regem, & Henricum Regem, pellicesque horum.

Proh scelus. heu vates submittit colla securi,
Pellicis, Herodes sic iubet, ob furias.
Quid mirare? nouum potius mirare Tyrannum:
Qui renouat cæco captus amore scelus.
Pellicis Henricus stimulis agitatus iniquæ
Imperat abscindi Præsulis ense caput.
Quin multos vnà miserando funere tollit.
Quid non insanus pectora cogit amor?
Morte alter similis, tum nomine: sed scelere alter
Peior, nec prorsus nomine dissimilis.

Diuinum virum Cardinalemq; sequitur Thomas Morus, qui nobili genere natus, summisq; honoribus in Angliæ regno perfunctus, denique Cancellarius, vt vocant, ipsius Regis, quæ est amplissima omnium dignitas, integerrimum se semper exhibuit. Huic igitur post multa illata mala caput est amputatum, hastilique eodem modo, quo factum fuerat Ioanni Fischero, præfixum, & in publico propositum: sed quando verebantur impij, ne persisteret integrum, & viuax, vt persttiterat caput Ioannis Fischeri, illud diu prius elixarunt, ita vt carnes sponte penè diffluerent; quod testatur Laurentius Fuzius in Chronico suo. illud etiam mirabile accidit, quod Sanderus refert libro primo de Schismate Anglicano. Nam Margareta Mori filia cùm nihil haberet pecuniarum, quibus emeret linteum, quo patris cadauer humi proiectum & insepultum inuolueret, tamen ad vicinam tabernam profecta, vt sub fide emeret, manum immittens in vacuam prius crumenam tantum pecuniæ reperit, quantum satis fuit ad emptionem, nihil omninò minus, aut amplius. In hunc autem singulari innocentia doctrinaque præstantissimum virum sic Iuuenalis Ancina doctrina & inte-

gritate longè excellens, & Nostræ Congregationis sacerdos.

Euolat ad superos pressa tellure Britannus
Martyr amore ardens, impatiensque moræ.
Anglia dehinc gemino gaudens decorabere Thoma:
Sicque minus Didymo, clara duobus eris.

Alterum eiusdem epigramma.

Exerta propè, iamque manu vibrante securim
Thomæ instans alacri lictor, & ore fremens,
Riden? ait. caput ecce istu tibi tollitur vno.
Cui Morus: En Christi victima, tolle moras.
Sic modò: tum Domino supplex procumbere doctus
Cælo animam properat reddere, membra solo.

Post hos deinde diuinissimos viros innumeri tormentis innumeris prius excruciati homines, vt auitam fidem religionemque desererent, atrocissimè interempti: & quando scelestissimi heretici inuidebant sanctissimis istis in eo, quòd pro veræ doctrinæ assertione vitam ponere prędicarentur, varia sæpè in illos crimina impudentissimè finxerunt, varios prætextus frustra quæsiuerunt. Detectæ namque impiorum sunt fraudes, & flagitiosissima commenta, vt apparet è Nicolai Sanderi libro de schismate Anglicano, & visibili monarchia, & latiùs è cõcertatione Ecclesię Catholicæ in Anglia aduersus Caluino Papistas. Sed operæpretium est cognoscere, quinam & quanti pro Ecclesia sancta vitam posuerint in Anglia: nam quot illi sint, sciri non potest, tanta est illorum multitudo. sed quorũ potuit haberi numerus, apponetur. inuiti verò nomina singulorum non recensemus, quòd nimis essemus prolixi, & liber de visibili monarchia, in quo recitantur, similiter de schismate Anglicano, & concertatione omnibus sint in promptu, & sanè digni sunt, quibus omnium bibliothecę ornentur. Igitur hanc veritatem vitæ profusione multorumque malorum perpessione consignarunt.

Candinalis vnus, Ioannes Fischerus.

Archiepiscopi tres

Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis, & Angliæ Cancellarius

Richardus Creueus Archiepiscopus Armacanus.

Mauritius Archiepiscopus Cassellensis

Episcopi consecrati quatuordecim

Edmundus Bonerus Londinensis

Cutbertus Tonstallus Dunelmensis

Ioannes Vitus Vintoniensis

Thomas VVatsonus Lincolniensis

Thomas

Thomas Thurlebæus Elyensis
Gilbertus Burnus Bathoniensis, & Præses Valliæ
Richardus Pateus Vigorniensis
Turberuitus Oxoniensis
Polus, Petroburiensis
Oglethorpus Carleolensis
Alij duo Episcopi Hiberni
Alij præterea duo, quorum nomina ignorantur
Episcopi electi tres, quorum nomina refert liber concertationis, sicut etiam sequentum
Abbas vnus
Priores religiosorum conuentuum quatuor.
Conuentus integri quatuor.
Decani ecclesiarum cathedralium tredecim
Archidiaconi quatuordecim.
Canonici cathedralium supra sexaginta.
Sacerdotes maxima ex parte illustri, aut nobili loco nati tercentum quinquaginta.

Academici.

Rectores collegiorum	*quindecim*
Doctores Theologiæ	*quadragintaquinque*
Licentiati Theologiæ	*duodecim*
Doctores Iuris	*quindecim*
Doctores Medicinæ	*octo*
Ludi magistri	*octo*
Magistri Musicæ	*tres*

Laici, vt vocantur.

Comites	*octo*
Barones	*octo*
Equestris ordinis	*viginti*
Nobiles	*supra ducentos viginti.*

Innumeri verò ex ordine inferiori.

Neque verò ab excellentissimis martyrij laudibus aut coronis absfuerunt fœminæ, quòd neq; ab istis hæreticorum sæuitia potuerit vllo modo se continere.

Inter has autem principem locum tenebit Maria Stuarta Scotiæ Regina, quæ literis, promissionibus, omnique genere blanditiarum, & simulati amoris inuitata est ab Elisabetha Angliæ Regina, vt fugeret insidias Scotorum, se in Angliam reciperet, ad suam consanguineam, penes quam tuta illi & honorifica sedes foret: dolosisque impiæ mulieris machinationibus adducta eò se contulit. Quam obrem comprehensa, & in custodiam data, numquam vel exassignata domo in Anglia pedem mouere, vel in conspectum venire Elisabethæ est permissa; indignissimis præterea modis est exagitata. Quin cùm fuisset ab hæreticis mendacissimè insimulata, quasi in Scotia mandasset occidi virum suum Henricum Stuartum, quem reuera hæretici ipsi sustulerant, emissusque in lucem fuisset liber, quo veritas ipsa detegebatur, & à quo fuisset interemptus Henricus clarissimum fiebat, ad odium maius in Mariam concitandum, est habitum in Anglia capitale, si quis hunc librum retinuisset, atque ob hanc inter alias

causam Gulielmus Cartarus typographus morti est adiudicatus.

Deniq; anno millesimo quingentesimo octuagesimo septimo cùm varijs modis à Caluinistis tentata Reginæ optimæ constantia fuisset, vt religionem Catholicam desereret, neq; spes vlla foret illam cessuram de sua fortitudine, cõsinxêre coniurationem initam ab illa aduersus Elisabetham, vt in eam bellum moueretur, regnoq; depelleretur, & Catholica religio vnà cum liberatione ipsius Mariæ in antiquum statum rediret; cùm nemo non sciret, Mariam semper in custodia fuisse, neq; illi potestatē factam alloquendi vllū, nisi quē voluissent adhibiti custodes, neq; pedem moueret, nisi præsentibus ijs qui ad eius carcerem seruandum positi fuissent à proditrice Elisabetha.

Fictis igitur criminibus onerata decus immortale Scotiæ Regina Maria morti est adiudicata, securique percussa ob fidem Catholicam; quam fuisse reuera necis illatæ causam professi sunt scriptis in lucem datis ipsi Caluinistæ, & inter eos Pucheringius quidam: quod è libro Concertationis apparet. Sed qualiacumq; fuerint Mariæ facta, illud est certissimum, si voluisset illa aliquando auitam fidem deserere, ab Ecclesia Catholica desciscere, & spurcissimi Caluini placita sequi, numquam capitali pœna fuisset affecta. Sed verebantur impij, nequando iure hæreditario Anglicanum regnum mortua Elisabetha ad illam deuolueretur, atque ita in integrum religio Catholica restitueretur. Cùm non deessent certè quidem, qui cuperent Reginam Mariam in carcere per summum scelus conclusam vindicari in suam libertatem, ac si potuissent, id illi summis viribus, ac maximo iure conati essent. Quod ipsi Mariæ nonnisi percarum poterat, ac meritò per omnes leges optatissimum debebat esse, siue id fieret vi, siue alio modo: quando contra iura naturalia, gentiumque, & diuina in custodiam iniustissimam tradita & coniecta fuisset, iustissimè ipsa sui liberationem poterat procurare, vel saltem longè iustius, quàm procurasset Elisabetha summo flagitio & cunctis malis artibus in seruitutem plusquam barbaricam redigere, ac decem & nouem annos illam carcere inclusam detinere. Hæc igitur diuinis laudibus ob fidei religionisque auitæ constantiam celebranda Regina Scotiæ Maria chorum sanctissimarum martyrum Britannicarum ductabit.

Marga-

Margarita Pola Sarisburiæ Comitissa, Reginaldiq; Poli Cardinalis numquam satis laudati mater huic Reginæ succedet, hæc securi publicè est percussa. Post has verò sententiam mortis tulêre.

Gertruda Marchionissa Oxoniensis,

Elisabetha Bartona monialis, laude sanctitatis, ac diuino prophetiæ spiritu maximè insignis, quæ ob id vulgo virgo Sancta Cantiana dicebatur.

Sandra filia Ioannis Cublei Herefordiensis, virgo annorum quindecim coniecta in carcerem, constantissimè decessit ex angustijs, lociq; fœtore.

Maria similiter Ardena capita est damnata.

Maria Midleton immanissimo supplicij genere est interfecta, cuius nos meminimus signo de patientia.

In vinculis verò atrocissimo modo habitæ, vt religionē deserant, adhuc detinentur, vel obierunt, aut in exsilium durissimū pulsæ sunt nobilissimæ matronæ, aut viragines.

Arundeliæ, & Suriæ Comitissa vnà cum nobilissimo viro in carcere detinetur
Aloisia Andertona vidua
Aloisia Cilstona vidua
Aloisia Haddoc virgo
Anna Bartona vidua
Anna Somerseta vxor Comitis Northumbriæ exsul
Anna Southmortha virgo
Anna VVerthingtona vidua
Brigitta Abbatissa cum 20. virginibus in exsilio pauperrimè viuit
Brocha
Brouna
Bristoa
Careu
Catharina Palmera Abbatissa cum toto suarum conuentu in exsilio decessit
Coplæa
Decona
Dorothea Bruertona
Dorothea Harnisia
Dorothea Southuuortha
Elisabetha Alana cum duab. filiabus in exsilio viuit. Soror hæc Card. Alani, cūctis sæculis ob maximas virtutes celebrandi.
Elisabetha Chresnera Priorissa cū toto suarum conuentu.
Elisabetha Fitzarberta
Elisabetha Chighleia
Elisabetha Sandera exsul decessit
Elisabetha Sandera virgo superioris filia in vinculis degit
Elisabetha Someruila virgo
Elisabetha VVoodfordi virgo exsul
Fremanna
Gieforda
Gilforda vid. exsul
Gilisia vid exsul
Halleia
Harta, & eius soror
Domina Hungerfort exsul.
Iana Dormera vid. exsul
Iana Portera
Ioanna Bartlea virgo exsul
Ioanna Stubs exsul
Ioanna Storea exsul

Iuisona
Iacia exsul
Iingana vidua in carcere obijt
Mainea vid.
Malena Hetha
Margareta Clemẽs mortua in exsilio
Altera Margareta Clemens virgo sacra exsul
Margareta Gagea
Margareta Sandera virgo sacra in exsilio defuncta
Maria Masseia
Maria Tattona
Methama
Morgana exsul
Morleia vxor Baronis Morleij cũ liberis exsul
Nelsona vidua
Neuella exsul
Omena
Perdeanxa cum filia exsul
Pitza
Pola
Redmana exsul
Shelleia
Sheltona
Stapletona
Stonera
Thimblebeia
Tyrella exsul
Tompsona virgo
Vauxia virgo sacra
VValgrauia
VVarthona
VVaga cum liberis exsul
VVischinsona
VVilliamsona
VVolseia
VVrigtha.

In has autem clarissimas, & ęterna memoria dignas fœminas, sic Iosephus Castalio, nõ minus eruditione, quàm morum candore præstans:

Virtus nobilium, quæ noua virginum
Sese sydereis sedibus inserit?
Miscens cædibus Anglos,
Dum sæuit furor impius.
Illas per gladios, perq; necis gradus.
Omnes egit amor præcipites Dei,
Impactum vlla nec vncum
Expauit muliebriter.
Non infanda feri iussa satellitis,
Non quæ Thesiphone tetrior imperat
Toruo terruit ore
Vitæ prodiga pectora.
Saluete æthereis quæ super orbibus
Fertis perpetuæ præmia gloriæ:
Nostros vnde labores
Vultu respicitis pio.
Romam suspiciat vestra Britannia,
Orbis sitq; caput Roma Britannici,
Pro qua spernere gazam

Et

Et vobis libuit mori.

Idem Thomæ Bozio in easdem.

Vexarit miserè quas dira Britannia nuper,
Ac cælo pietas euexerit Heroinas,
Extendent Bozi ventura in sæcula versu,
Queis dabitur quondam longè facundia maior.
Me parere tuis conantem iussibus, atq;
Illustres animas numeris adiungere nostris,
Par tantis penitus defecit spiritus ausis.

Verè iste quidem. Nam decem singularia priuilegia diuinitus cōcessa sunt virginibus istis fœminisq; admirandis.

Admirāda priuilegia diuinitus concessa fœminis Anglicanis Catholicis nostræ ætatis.

Primumq; sit illud. post Cōstantini tempora non leguntur vlla ætate ex aliqua prouincia aut regno tot fœminæ post diutinam deliberationem, quæ poterāt euadere mortem, si Catholicam fidem repudiassent, pro illius tamen assertione vitam posuisse, quot ex Anglia hoc sæculo vidimus.

Secundum. è nullo regno aut prouincia post Constantini tempora tot fœminę contemptis omnibus ijsq; amplissimis bonis, quæ sicut prius nihil imminuta poterant retinere, hoc namque est obseruandum, contempta similiter dulci patria delegerunt exsilium voluntarium, summamque paupertatem sunt amplexatæ pro Catholicæ fidei, vel quæ Christi cultum maximè sequi se profiteretur, assertione, quot ex Anglia hoc sæculo nostro.

Tertium. Post eadem tempora vix legas vllam fœminā tātæ nobilitatis, ac tam claris ortam natalibus vltimo supplicio volentem damnatam pro religione, quæ Christum sequi inprimis se iactet, vt Margarita Pola Sarisburiæ Comitissa, & Gertruda Exoniensis Marchionissa.

Quartum. Quid autem dicemus de Maria Stuarda non modò Scotiæ, sed etiam Galliarum Regina? fuit namq; vxor Francisci II. Galliarum Regis. Tam nobilem nulla tulit ætas, quæ sanguinem profuderit vel pro vera, vel pro falsa religione. Nostra autem vera, vt apparet.

Quintum. Neq; similiter quæ tot annos, nimirum decem & nouem, fuerit ob eamdem fidem carcere iniustissimo detenta. certissimum namq; est, quòd si illa Catholicā fidem ad breue saltem tempus reiecisset, dimissa è vinculis fuisset.

Sextū. Quin è tota antiquitate vix reperies ob huiusmodi

cau-

causam, quamuis & aliæ obtenderentur, quæ nisi hæc adfuisset, nihil factæ forent, vllam fœminam tot annos carcere inclusam, nedum Reginam talem, ac tantam.

Septimũ. Nũc coëant oẽs Protestantes: quid Protestãtes dico? coëant oẽs, quotquot hæretici vnq̃ fuerunt? amplius coëant oẽs alieni à vero Dei cultu, qui fuerunt ab orbis fabricatione in omnib. mundi partibus; & producant in medium, si quidẽ possunt vnã mulierculam tantæ nobilitatis, quantæ haud dico Maria Stuarda, sed quantæ aut Margaretæ Pola, aut Gertruda Oxoniensis, quæ mortem subire voluerit pro cuiusuis religionis assertione. Haud possunt. Igitur vna è nostris fœmina inter nobiles fortior omnibus, quæ fuerint vnquam nobiles, aut reperiri possunt. Vna è nostris insula, aut insulæ paucula portio, illam namque hæretici tenent, præstat omnibus mundi regionibus in tantæ fortitudinis ac religionis functione? vnum sæculum nostrum cunctis elapsis.

Octauum. Audi mirabiliora. Producant quæso virum tantæ nobilitatis, qui volens post diutinam maximè delitiberatioem oppetierit mortem pro suę tuitione religionis; scrutentur omnia sæcula, scrutentur omnes angulos terrarum.

Nonum. Audi mirabilissima. Producant alieni à nobis vnam dumtaxat fœminam tantæ nobilitatis, quæ pro sua secta volens abierit in exsilium, summamque egestatem perpeti non exhorruerit, qualis Anna Samorseta Northumbrię Comitissa: perquirant omnia sęcula, perquirant omnes latebras orbis.

Decimum. Audi longè mirabilissima. Coëant cuncti mortales, qui exstiterint vmquam toto orbe ab Ecclesia nostra alieni, & proferant vnam virginem, quæ suam Deo virginitatem consecrarit, abieritque volens in exsilium, summam mendicitatem perpessura longè ab illa patria, quam maiores illius incoluerint duodecim circiter sæcula, tot enim numerari videntur, ex quo Angli occupauerũt Britanniam, pro suæ superstitionis tuitione; discutiantur omnia temporum momenta, examinentur omnes ætates, omnes regiones penitus inspiciantur, ac proferatur vna talis virguncula Deo sacra, paupertatemq; maximam in alienis terris perpessura.

Atqui nos ex vna Angliæ exigua portiuncula hoc vno sæculo tres virginum sacrarum conuẽtus non exiguos nu-

meramus. Quid igitur vlulant istæ Protestantium bestiæ, dicuntque Papistas effœminatos? Ah pudeat impudentiæ intolerandæ.

Gestit animus miris modis circumspiciens vnam insulam toto orbe diuisam tot tantosque sanctissimæ religionis nostræ martyres vno tempore in lucem clarissimam totius orbis ex omni conditione, sexu, ætate mirabiliter edidisse. sed numquid hic finis poni potest? Certè neque potest, neque debet. Agè igitur, ne pigeat nos aut scribere, aut lectorem cursim saltem respicere nomina illustrissimorum martyrum, qui è duobus collegijs, Rhemensi, ac Romano, à Papa excitatis intra annos duodecim prodierunt. sunt autem nonaginta duo alumni, qui cùm possent quamuis extorres à patria commodè tamen viuere, scientiaque & ingenio præstarent, posthabitis quæ iuuentus obijcere solet illecebris omnibus in ipso ætatis flore, haud exhorruerunt iter tam longum suscipere, in Angliam nauigare, ac non modò certissimam morten, sed acerbissima etiam tormenta; in quibus diutius excruciandi erāt, lætissimè adire. Vt iam sit nobis, in quo maximas Deo gratias agamus; qui nostro ætati dedit inuictissimos ætate quidem iuuenes, sed confirmato iam robore virósne, vel supra conditionem mortalem, sic locuti essent antiqui, heroas; an more nostro Dei summi filios amantissimos & amatissimos simul dicemus? Hi sunt igitur, qui nō impetu iuuenili, qui tamen hisce in rebus maximè laudādus esset, abrepti, non inani cogitatione inflari, quamuis oppetentibus pro Catholica veritate mortem nulla sit inanis cogitatio, multos annos huic vni rei studuerunt, vt Catholicam veritatem, quam solidissimis argumentis quoduis peruicax ingenium conuincere valentibus corroboratam munitamque didicerunt; atrocissimis cruciatibus superandis, sanguinisque ac vitæ profusione consignarent. Sexdecim verò sunt maximè diuina, & singularia, quæ nonaginta duobus hisce martyribus cælitus sunt data.

Ac primum sit illud, nō inueniri è tota antiquitate duorum locorum duo collegia, è quibus in alias terras profecti prodierint tot martyres, vt ex isto Rhemensi, & Romano. Vt enim cuncta sæcula peruestiges, & cuncta ab hæreticis illata in Ecclesiam bella, haud recordaberis è duobus monasterijs aut conuentibus commigrasse in alias oras, &

mar-

martyrij palmam consecutos tot viros, quot ex isto Rhemensi, ac Romano.

Secundum. plurimæ sunt vrbes ex omnibus, quæ vel aliquando Christum sunt secutæ, vel etiam nunc sequũtur, quæ tot martyres è suis ciere non possunt, quot ista duo collegia. id quilibet cognoscere potest è Martyrologij lectione, aut etiam è suamet patria. quin paucissimæ ciuitates erũt, quæ possint è suis presbyteris nominare nonaginta duos martyres.

Admiranda priuilegia diuinitus cõcessa martyribus Anglicanis duorum collegiorum.

Tertium. Multæ sunt, amplissimæq; regiones ex ijs, quæ vel reuera Christianæ, seu Catholicæ sunt, aut haberi volunt, è quibus tot martyres prodierint, quot è duobus istis collegijs, quod facillimè colligi potest è Martyrologij lectione, & ex historijs ac monumentis quarumlibet regionum. & maximè, quòd paucis exceptis cæteri omnes presbyteri fuerunt.

Quartum. Magis autem sunt hæc admiranda, quòd omnes isti iuuenes erant, qui in ipso flore ætatis vitam pro vero Christi cultu profuderunt: carior autem vita & iucundior istis, quàm viris, aut senibus. & quando id sunt ætatis, in quo sensus acerrimè vigent, hinc fit istis esse omnia dulciora, quàm pueris, aut ipsis etiam adolescentulis, qui non dum peruenerè ad eum statum, in quo voluptates quasdã plenè degustare ac percipere potuerunt.

Quintum. Ac nequis putet istos temerè & iuuenili quodam quasi furore percitos irruisse in mortem, cuncti fuerunt ingenio doctrinaq; præstãtes, & qui multos annos posuerint in examinãdis penitusq; dignoscendis controuersijs omnibus, quæ versantur inter nos & hæreticos, in hũc scilicet finem, vt disputationibus, vbi opus foret, eos redarguere possent.

Sextum sequitur è superiori. fieri namq; potest, vt quis annum totum persistat in eadẽ voluntate ac desiderio adeundæ & oppetendæ mortis: vt autem quis multos annos permaneat in illo haud facilè datur. Sed certè iuuenes isti plerumq; annos septem commorantur in contubernio, infixum corde gestantes id vnum, post illos exactos in Angliam cõuolare, obuiamq; ire morti ab inimicis & impijs inferendæ.

Septimum sit illud. Mortis facies est adeò mortalibus horribilis, vt ad eius opinionem solam nonnulli expauc-

paueſcant, contremiſcant, ac deficiant: & tamen viri fortes adire illam non exhorreſcunt, cùm plerumq; fieri poſſit vt effugiatur: atq; ita pauciſſimi ſunt, qui occurrant illi, ſi quidem certa ſit. Verùm iuuenes iſti certiſſimò ſciunt, ſe in certiſſimam mortem volentes incurrere: ita vt non agamus hîc de opinione, aut ſimilitudine veri, ſed de euidenti futuræ necis euentu. Eſt itaq; maxima iſtorum caritas, & fortitudo.

Octauum. Verùm enimuerò non modò certiſſima mors ab iſtis iuuenibus aditur, ſed atrociſſima ſciunt ſibi perferenda ac ſuperanda cruciamenta; quæ qualia ſint, explicauimus nos ſigno de patientia; lector ibi videbit, eſſe illa quidem plurima, & in excogitatæ crudelitatis. & hæc itaque augebunt iſtorum caritatem, & robur.

Nonũ. Tolerabilia ſunt iſta præ ijs, quæ dicturi ſumus. Cruciamenta namq;, quæ diximus, tot, ſi numerũ ſpectes, tanta, ſi feritatem, ſunt non vnius diei, ſed ſæpè menſium, & quod vix credi poteſt, annorum. Quocirca non ſemel iuuenes iſti moriuntur atrociſſimam mortem, ſed innumeris horis, ac momentis, in quæ diuidi poſſet illud tempus, quod exigunt in exantlandis tot ac tantis tormentis, quæ mortis ipſius acerbiſſimos quoſq; dolores infligunt, atq; intimis ſenſibus inurunt. Vnus igitur iſtorum eſt pro mille millibus aliorum, qui ſolito more aut ſecuri percutiuntur, aut gladio, vel etiam laqueo præfocantur, qui quidem breui momento temporis vita decedunt.

Decimum ſanè diuiniſſimum prorſus, ac ſingulariſſimum mihi videtur. Quilibet namq; ex iſtis fuit hucuſque tanta mentis excelſitate, & conſtantia, vt manſuetudinem maximam in ſummis cruciatuum doloribus retinuerit, placabiliſſimè reſponderit, nullum contumelioſum verbum, nullũ paulo moroſius ediderit, bene ſit inimicis precatus. Vt enim rectè martyres aliquando inuecti ſint in hoſtes. à quibus affligebantur; admirabiliſſimæ virtutis ſanè eſt hoc opus in iuuenibus iſtis, vt incredibiles ſinguli manſuetudinis fructus protulerint, eumdem tenorem ſeruãtes, & in eumdem omnino ſpiritum coëuntes, vt obſtruantur ora mentientium Catholicos non eſſe omniũ mitiſſimos, qui didicerint illud Chriſti, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et operæpretiũ profectò eſt, legere geſta iſtorũ martyrũ, quæ habentur in lib. Cõcertationis, & de origine

ſchiſ-

schismatis Anglicani, nonnullaq; Surius refert, ac videre, quã fuerint isti imitati Christum, cum duceretur ad mortem, & obmutesceret veluti agnus coram tondente se, vt inquit Isaias.

Vndecimum. Neque vero fides horum martyrum tentatur solis tormentis, sed blandis etiam promissionibus, omni deniq; astu, vt aliquo modo labefactata & concussa concidere possit. Sed aduersus illam nil valet, nil mouet aliquid. Sic igitur omnibus modis petiti, quanta sit ipsorũ fortitudo, quanta caritas in Deum, clarissimè ostendunt: vt locus sit ijs Pauli verbis ad Romanos olim, nunc Anglos etiam Romæ edoctos, ac Rhemis, scribentis: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Rom.8.

Duodecimum. Ac sanè plurima sunt, quæ remouere possent, aut remorari saltem iuuenes istos, ne propositum vrgerent, & ad certissimam mortem tormentaq; crudelissima properarent. In quibus est illud, quòd in collegijs istis student multos annos, & multis quandoque incommodis necessariò premuntur. Vt enim maximè detur opera, ne qua in re patiantur aliquid asperius, tamen vix fieri potest, vt interdum non incidat in communi conuictu, quod acerbitate ex aliqua parte sensus adspergat per tantum tempus, vnde arripi possit ansa elabendi ex ista aperta professione mortis appetendæ, tantorumq; cruciatuum subeundorum.

Decimumtertium. Quòd si fortè id non contingat, at iter tam longum suscipere, ac Roma proficisci, & toto orbe insulam diuisam, quod aiebat ille, quærere, & tam vasta terrarum, tam vasta Oceani spatia superare, vt nihil aliud nanciscare, nisi certissimò atrocissimam mortem, dirissima tormenta, id verò summæ ac diuinissimæ virtutis sine dubio est opus.

Decimumquartum. Quid illud? annon item cæleste? duo collegia tam breui tempore dedisse in clarissimam lucem totius orbis & æui tot iuuenes. Anno namque millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Cuthbertus Mainus primus ex alumnis extulit in Anglia purpureum martyrij vexillum, cæloque inuictus intulit. Ex illo nonaginta signiferi, presbyteri scilicet, in aciem prodierunt, &

stola

stolas suas lauerunt in sanguine Agni occisi ab origine mundi: ita vt annorum tredecim spacio ex istis collegijs nonaginta presbyteri exstiterint tantæ fortitudinis, & caritatis, quod est valde commendandum, cùm non modò tot habuerimus ex ijs martyres, sed etiam tam breui tempore.

Decimumquintum. Non illud omittendum, quod aliquot annis posterioribus maior istorum multitudo fuit conuolantium ad apertissimam mortem, certissimaque & sæuissima simul tormẽta perpetienda, quàm primis. quod est animi excelsissimi signum, non exterreri ob illata alijs cruciamenta. Vt enim natura fert humana, cùm primi illi fuerũt interẽpti anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, & duob. sequentibus, & atrocissimis modis excruciati, verisimile ac par erat, vt maximus terror incuteretur animis aliorum adspirantium ad eamdẽ martyrij laudem, ac nemo auderet pedem mouere, & in Angliam se conferre. Verùm longè secus accidit: singulis namque annis aliqui fuerunt, & posterioribus aliquot longè plures. Anno namque millesimo quingentesimo septuagesimo septimo vnus est occisus, sequenti duo, inde quatuor, mox vndecim, at anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto tredecim, & octuagesimo octauo septemdecim.

Decimum sextum sit, quòd facti sunt audentiores nostri, nec desunt, qui quotidiè volitent in Angliam ad excipiendam dirissimam mortem, superandaq; longè atrocissima cruciamenta. Quin ex Anglia plurimi non modò iuuenes, sed etiam pueri profugiunt, & in ista se collegia recipiunt. Igitur tantum abest, vt timor iuuenibus istis sit iniectus, ac defecerint qui tanta vellent & auderent, vt potius eorum numerus sit auctus, amplius autẽ datus animus alijs, qui nondum se ad nostras oras contulerunt, denique pueri contempta patrij soli suauitate, delicijs, & opibus cunctis, ad nos se proripiant, & audeant ista velle, meditari & audere. Possunt adiri collegia Romanum, & Rhemense, vbi pueri multi huiusmodi, & quidẽ nobiles, ingenioq;, & indole præstantissima ex Anglia spontè profugi facti commorantur.

Nunc adcurrãt huc omnes hæretici Protestantes, & Orientales, quin omnes quotquot vmquam fuerunt ab exordijs Ecclesiæ nascentis, amplius quicumq; vmquam fuerunt à vero Dei cultu alieni ex omni tempore quod nume-

ratur ab orbis fabricatione, & circumlustrent omnes omnium terrarum regiones, recessus, ac latibula, ac si possunt producant nobis vnum iuuenem, vnum posco dumtaxat, cùm circumspexerint & inquisierint tot nationes, quæ ab orbe condito exstiterunt, cùm scrutati fuerint omnes omnium locorum angulos; vnum inquam producant nobis iuuenem, qui tanto animo tanta virtute certissimam mortem tam longè positus sciens prudensq; adierit, tormenta crudelissima, quæ verbo vnico poterat effugere, superarit. Et tamen nobis fuerunt nonaginta duo intra annos tredecim è duabus domunculis collegiorum. Istæ igitur duæ domunculæ sint pro toto orbe terrarum, anni tredecim pro multis annorum millibus ab orbis constitutione exactis, nonaginta duo pro vno. Vide quàm impari conditione certate velim. Eia quid statis impij? Proferte vnum. Nullibi reperitur. Ah pudeat vos ignauiæ, mendaciorum, virtutis nullius.

Quid enim iactatis impudentissimè, à Papistis enutriri iuuenes ad delicias, libidinem, & luxum? Quid nostra tempora accusatis quasi perdita, & effœminata? Quid Romam dicitis luxuria diffluere? Roma prodijt maxima pars istorum; Romæ tantam fortitudinem didicerunt. Ex his porrò fit certissimò nos esse ex Ecclesia Dei. Nam si maior est bonus spiritus in Ecclesia Dei, quàm malus in Ecclesia malignantium; cùm dictum sit, *Maior est qui in vobis est quàm qui in mundo*; & ipse Christus inquit, *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est*: cùm tantum spiritus sit nostris, quantum nullibi reperitur, tantum virtutis, quantum nulli datur, nos sine dubio ex Ecclesia Dei sumus. Agè verò istorum martyrum nomina in cælo scripta, à beatis mentibus superisq; prædicata & decantata nostris chartis appingamus.

Nomina martyrum vtriusq; Seminarij Anglorum, Rhemensis, & Romani.

Anno Domini 1577.

D. Guthbertus Mainus presbyter, & sacræ Theologiæ baccalaureus omnium huius Seminarij alumnorum protomartyr.

Anno

Anno Domini 1578.

D. Ioannes Nelsonus presbyter.
Thomas Sheruodus iuuenis & laicus.

Anno Domini 1581.

D. Eucrardus Hanseus presbyter
R. D. Edmondus Campianus Rhemensis ad tempus aliquod Seminarij alumnus, S. Theologiæ baccalaureus, & postea Societatis IESV sacerdos, & martyr demum gloriosus.
D. Radulphus Seruinus presb. Seminarij Anglorum Romæ alumnus.
D. Alexander Britanus pres. Seminarij Rhemensis alumnus.

Vnà passi sunt.

Anno Domini 1582.

D. Ioannes Painus presbyter.
D. Thomas Fordus pres. & sacræ Theologiæ baccalaureus
D. Robertus Ihonsonius pres.
D. Guilielmus Filbeus pres.
D. Laurentius Thomsonus pres.
D. Ioannes Cottamus pres.
D. Guilielmus Lacius pres.
D. Richardus Kukmannus pres.
D. Iacobus Thomsonus pres.
D. Ioannes Shirtus pres.
D. Lucas Kirbeus pres.

Anno Domini 1583.

D. Guilielmus Hartus pres.
D. Riccardus Threkeldus pres.
D. Ioannes Bodeus pres.
D. Ioannes Sladus pres.
D. Guilielmus Chaplem pres. in vinculis obijt.

Anno Domini 1584.

D. Georgius Hadochus pres.
D. Ioannes Mundinus pres.
D. Iacobus Fenus pres.
D. Thomas Emerfordus presbyter
D. Ioannes Nutterus pres.
D. Thomas Catesmorus presbyter in vinc. obijt.
D. Robertus Holmes pres.
D. Rogerus VVackmãnus pres.
D. Iacobus Lumax pres.

Eodem anno pædore carceris & alijs incommodis exstincti sunt

Anno Domini 1585.

D. Thomas Croutherus presbyter in vinculis obijt.
D. Thomas Alfeldus presbyter
D. Hugo Railerus presbyter
D. Edouardus Poleus pres. in vinculis obijt.
D. Laurentius Vaux pres. Custos Collegij Mancestiensis in vinculis obijt.
D. Ioannes Ietterus obijt item in vinculis.

Anno Domini 1586.

D. Edouardus Stransamus presbyter.
D. Nicolaus VVodfenus pres.
D. Riccardus Sericantus pres.
D. Guilielmus Tomsonus pres.
D. Robertus Andertonus pres.
D. Guilielmus Marsdenus pres.
D. Franciscus Ingelbeus pres.
D. Robertus Debdalus pres.
D. Ioannes Adamus pres.
D. Ioannes Lous pres.
D. Stephanus Rovvsamus pres.
D. Ioannes Fingleus pres.
D. Ioannes Harisonus pres. in vinc. obijt.

Anno Domini 1587.

D. Thomas Pichardus presbyter
D. Ioannes Sands pres.
D. Ioannes Hamleus pres.
D. Alexander Crous pres.
D. Martinus Sersonus pres. in vinculis obijt.
D. Edmondus Sikes pres.
D. Robertus Suttonus pres.
D. Robertus VVilcox pres.
D. Edouardus Campianus pres.
D. Guilielmus VVigges pres.
D. Gabriel Thimbelbeus pres.

Anno Domini 1588.

D. Guilielmus Martleus presbyter
D. Guilielmus Splencerus pres.
D. Robertus Murtonus pres.
D. Robertus Ludlamus pres.
D. Guilielmus VVigus mortuus ex squalore carceris.
D. Richardus Simsonus pres.
D. Nicolaus Garlikus pres.

D.Guilielmus Deanus pres.
D.Hugo Morus iuuenis nobilis
D.Guilielmus Gonterus pres.
D.Thomas Feltonus iuuenis nobilis
D.Richardus Leighus pres.
D.Iacobus Clarksonus pres.
D.Thomas Linche in vinculis obijt
D.Edouardus Burdenus pres.
D.Edouardus Iames pres.
D.Christophorus Buxtonus pres.
D.Ioannes Hevvet pres.
D.Ioannes Robinsonus pres.

Anno Domini 1589.

D.Ioannes Annas presbyter
D Robertus Dalbeus pres.
D.Georgius Nicols pres.
D.Richardus Yaxlius pres.
D.Thomas Belsonus iuuenis.

Anno Domini 1590.

D.Milo Gerardus presbyter
D Franciscus Diconsanus pres.
D.Christophorus Bailes pres.
D.Antonius Mideltonus pres. 7.Maij.
D.Edoardus Iones pres. 7.Maij.
D.Edmundus Duchus pres.
D.Richardus Holidaius pres.
D.Richardus Hillus pres.
D.Ioannes Hogus presbyter.

Diximus suprà hos esse septuaginta duos : sed quo tempore hæc imprimebãtur, allata sunt aliorum nomina, qui recens occisi sunt; ita vt sint septuaginta quinq;.

In hos autem celeberrimos martyres sic Antonius Felix Andreolus Eugubinus liberalibus doctrinis ac scientia iuris ornatissimus, idemq; optimus sacerdos,

Occidit, insontes, dum sæua occidit, Elisa;
Dumq; insana ferit, sanguine onusta ruit.
Ringitur infelix vincens dum vincitur, atq;
Victores, victos quos putat, ipsa facit.
Hi cælo exsultant, cæno, terraq; relicta,
Et capiunt meritis præmia digna suis.
Hæc cælo & terra longè expellenda, profundis
Sub tenebris tandem facta nefanda luet.

In eosdem cæterosq; sæculi nostri martyres ab hæreticis occisos, I. B.

Iam dictum satis est, nihil inclementius ætas
Protulit vlla palam: mentem furor impius omnem
Exuit humanam nulli sua profuit ætas,
Non sexus, non innocui lactentibus anni,
Non senibus sua canicies, venerandaq; multis
Maiestas vitæ meritis, non forma, pudorq;
Fœmineus teneri subduxit corporis artus
Supplicio: non insontis reuerentia causæ,
Vindictæq; metus, nec copia tanta nefandæ
Cædis inexpletas satiauit sanguine fauces.
Diuersumq; genus leti, speciesq; cruentas
Funeris insoliti, nullisq; exercita sæclis
Vidimus heu nostris pœnarum inuenta diebus.
Vidimus exanimis sæuire in viscera trunci,
Et rabiem cineri non indulgere sepulto,
Sanguineisq; trucem manibus fœdare furorem.
Sancta profanatis mysteria vidimus aris.
Quid superest? corámne tuos attollere vultus
Hæresis audebis, causamq; animumq; nocendi,
Aut aliquo poteris prætexere nomine culpam?
Forsitan obijcies, multos cecidisse tuorum
E numero letoq; fidem sanxisse cruento,
Et causam firmasse tuam sed falleris vsq;,
Falleris, & longo nostris discrimine differt
Supplicijs: tibi seditio, tibi perfida pœnas
Ingerit improbitas, tuus & te legibus error
Condemnat patrijs, & digno verbere plectit.
Te, ceu perniciem medio de corpore ferrum
Tollit, & accensum lictor premit igne venenum,
Ne sincera tuo lædantur viscera morbo.
Nobis sancta fides & mens sibi conscia recti
Exitium dedit innocuis, & candida morum
Simplicitas, cultusq; Dei, legesq; vetustæ.
Te causa prius excussa sententia iusti
Iudicis, & multo defensam examine damnat.
Tu causa non indicta, & sine testibus vllis
Obruis, & cæco rapis ad tormenta furore.
Te nos inuiti pereuntem cernimus, & te
Funeris auctorem proprij miseramur, habentq;
Vota locum, lacrymæq; ream commissa fatentem

Sup-

Supplicio eripiunt, si spes effulserit vlla
Propositi melioris, & ad pia iussa reuerti
Non renuas, iterumq́ gregi te iungere sacro.
Nos odijs infanda tuis tot monstra subimus
Pœnarum feritasq́; modis, non flectitur vllis,
Gustatoq́; semel non abstinet ira cruore,
Augeturq́; sitis, repetitaq́; sæpè voluptas
Sanguinis exstimulat magis, & fastidia demit
Ingeniosa gulæ rabies, semperq́; nouando
Funera delectant auidum peregrina palatum.

Gens tua, quæ meritas exsoluit corpore pœnas,
Contemptrix scelerata Dei est, periura, rebellis,
Impia, Christiadum gens nescia fœderis, exlex,
Quæ studio populum nouitatis ab ordine recto
Auocat, & cæcis erroribus implicat orbem:
Docta bonos mores corrumpere, vertere turbis
Otia, pacato co. fingere iurgia mundo:
Fex populi, gentisq́; nefas, ignobile vulgus.

At qui militiæ proceres dant nomina nostræ!
Quæ series animosa virum? qui sanguine clari
Sanguine nobilitant genus, & cælestia rursus
Morte petunt, quibus est superis affinis origo?
Adde sacerdotum tot millia, quæq́ seuero
Exercent vitam arbitrio collegia Fratrum.
Adde graues pietate senes, apicesq́; beatos,
Pastoresq́; gregis, Latia quos infula vitta
Discernit populo, meritisq́; insignibus ornat.
Adde viros, quibus eloquij vis summa diserti,
Summa gerendarum fuit experientia rerum.
Adde Calcedonij commissa piacula regni,
Infandumq́; nefas, cum regia colla securis
Et geminum diadema ferit, quo nulla vetustas
Funere maius habet, seris nec proferet annis
Posteritas, magniq́; necem mirabitur instar
Prodigij, Regina, tuam: sed gloria maior,
Quo tibi culpa minor, tantoq́; celebrius orbe
Nomen erit, quantò fidei constantia maior.
Dum iugulum petit intrepidum scelerata securis,
Quæ tibi mens tum, lictor, erat, cùm verbere crudo
Colla secas, manibus quo non contingere fas est?
Si Marium post Teutonicos mors ipsa triumphos
Fugit & attonito percussor constitit ore:

Tu Mariam vita prius, nec torpuit ictus
Maiestate sacri capitis? ferrúmve repreßit
Dextra, nec augustos acies defecit in artus?
Heu quantus Regina iacet ter maxima truncus,
Quæ matres Regumq; nurus supereminet omnes?
Sed Deus ipse Deus tanti se criminis olim
Se dabit vltorem, nouus aut nascetur in orbe
Bellator, qui Reginæ miseratus iniquum
Hospitis exitium vindex diuinitus adsit,
Pollutumq; manu cognato sanguine regnum
Excipiet armata, Rutupinaq; sceptra Boleni
Non metuat generis, procumbentemq; leænam
Robore victricis doceat mansuescere dextræ.
At te tantarum moneant spectacula rerum,
Hæresis, incutiantq; tibi tua monstra pudorem,
Siquis adhuc superest tua nunc fraus omnis, & error.
Et taciti patuere doli, positisq; bidentum
Exuuijs patefacta lupæ præcordia crudæ.
Sed tolluntur humo suspiria, nubila fumum
Sanguinis excipiunt insontis, & ipse piorum
Exaudit lacrymas genitor, nec deseret vmquam
Militiam dux ille suam, nec parua rependet
Præmia, sed rutilis victores inseret astris,
Perpetuoq; gregem electum tutabitur æuo.
Non eadem tibi conditio, non fata parantur,
Impietas, dabis æterno dabis improba pœnas
Tempore, cumq; tuis auctoribus ipsa peribis.

E superioribus colligi potest, post Ecclesiã Christi constitutam, cùm sæuissimæ ab hæreticis Imperatoribus ac Regibus in Ecclesiam commotæ fuerint tempestates, in quibus principem diritatis locum tenent, quas Orientis Imperatores Monothelitæ, & Iconomachi excitarunt, & quas in Africa Vandali, de quibus Victor proprio libro, & posterioribus sæculis Albigenses in Gallia, Hussitæ in Bohemia. nullam fuisse vmquam tamen crudeliorem hac Anglicana. Non enim legas vmquam tot Episcopos, tot presbyteros, tot nobiles viros, tot fœminas lectissimas, in quibus etiam præstantissimæ Reginæ, tam diris, ac diuturnis tormentis, per tantum tempus interemptos, vt Anglicana quorumdam diritas interfecit. Quocirca, quod dicitur in Anglia non esse lupos, id sanè sic esse videtur, quòd efferata luporum rabies è feris suis transierit in Anglorum quorum-

rumdam corda, vt tamen illa insula eodem tempore produxerit, qui mansuetudinem Christi immaculati agni maximè, si qui vmquam tempore vllo, nunc isti martyres representent in terris. Quin paucissimi ab Imperatoribus ab omni Christi cultu auersis videbis in Christianos bella commota, qualia nunc in Anglia per fœminas furere sentimus, vt iam verè notissimum sit

... *furens quid fœmina poßit*.

Et si lupi non inueniuntur in Anglia, sæuiat tamen lupa, quam lupa infamis produxit, cui Deus det ouem mansuetissimam fieri ex illis, de quibus ad Petrum Christus dixit, & quotidiè ad Petri successorem Pontificem Romanum dicit, *Pasce oues meas*. vt in die iudicij ad dexteram cõstituta cum ceteris ouibus possit audire, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi*. Ceteros porro seculi labentis martyres enumerauimus signo de perpetua martyrum successione.

Recensentur fœminæ nostri sæculi eminentißimæ sanctitatis.

CAP. XXIII.

ENumerauimus hucusque sanctitatis celeberrimæ viros, fœminas etiam martyrij palma illustrissimas: nunc earumdem nonnullas diuinæ amicitiæ consortio maximè insignes recenseamus.

Maria Toletana ex ordine sancti Francisci exordium narrationis sit nobis, quæ nobilissimo genere nata patrẽ habuit Petrum Xuaresium Toletanum, matrem Ioannam Guzmanam dominos Pinti. fundauit hæc Toleti monasterium S. Elisabethæ, siue Isabellæ, quæ Regis Hungariæ filia fuit.

In precibus visa est sæpiùs cælesti quodam splendore circumfulgere. Vitæ fuit austerissimæ. Virtutibus cunctis ornatissima septuagenaria decessit anno millesimo quingentesimo septimo. in eius obitu audita est vox cælestis ipsam compellans. Plurimis ægrotis defuncta reddidit sanitatem, in his mulieri cææ lumen oculorum, duobus vsum pedum, quo priuati erant omnino. Corpus eius post annos 83. iam vita cassum visitur tamen adhuc Toleti inte-

grum, & tractabile in monasterio ab ipsa ædificato. Qui gesta illius diuina vult cognoscere, legat annales Franciscanos Marci Olyssiponensis, & Episcopi Portensis lib. 8. cap. 13. & seq.

Ioanna Roderiguesia in eadem ciuitate, & iisdē temporibus miræ fuit sanctitudinis, tantæ verò religionis in diuinorum contemplatione, vt multas horas abstracta ab omni sensu permanere sæpius sit visa.

Nunc admirabiles quasdam virgines ex ordine S. Dominici Italas recenseamus.

Columba virgo Reatina ex ordine S. Dominici, sicut & ceteræ sequentes, admirabili fuit innocentia, cunctisq; virtutum operibus ornatissima, spiritu prophetiæ fuit insignis, innumeris ægrotis sanitatem restituit. panem suis deficientem sæpè multiplicauit. Puerum quemdam desperatæ valetudinis, ac iam semimortuum precibus suis ad vitam sanitatemq; simul confestim reuocauit: cui rei præsentes fuere Cæsar Borgia, & Gripho Baleonus. Defixa in cælestium contemplatione sæpius extra omnes sensus rapiebatur. Cùm moraretur in monasterio, quod vocatur de nomine ipsius, nihil aliud vmquam comedit nisi herbas, nihil nisi aquā bibit, pane, vino, carne, piscibus, lacte, & omnibus, quæ ex illo conficiuntur, omnisq; abstinuit. obiit anno 1501. mutis multis vsum linguæ, cæcis oculorum, reddidit. eius vitam Leander Albertus Bononiensis decribit.

Osanna virgo Mantuana, tantæ fuit caritatis, vt sæpè aliorum morbos precibus ad Deum fusis sibi deposcerit, & in se auerterit. Sæpè cùm cælestia contemplaretur, ab omni corporis functione abstrahebatur, immobilisque in obtutu diuinorum permanebat tres aliquando totos dies. Quin iter fecit à terris sublata per aëra incedens diuino spiritu innixa, quo & asportata est interdum ad loca remota, veluti in actis Apostolicis legimus de Philippo. Anelataq; in altum vi diuinitatis illapsæ eam sustollente. Ante oculos aliorum sæpè transibat, & tamen ab illis nullo modo adspiciebatur. Multas Italiæ calamitates impendentes precibus in se auertit, cùm supplicationib. assiduis enixè à Deo peteret vt homines à sceleribus auxilio suæ clementiæ reuocaret, & ad illos expiandos, ipsiq; conciliandos, supplicia sceleribus ipsorum debita in se transferret. Francisco Gonzagæ filios nullos habenti ipsa prolem à

Deo

Deo supplicans impetrauit. Innumeros sceler bus inuolutos ad meliorem frugem, quin aliquos ad sanctitatis aliquem gradum reduxit. Occulta cogitata mortalium sæpè præuidit, iisque obstupescentibus, quando nulli edixerāt, enarrauit. Multa futura prænunciauit. Cunctis porrò virtutibus supra humanam conditionem prędita fuit. Decessit anno 1505. eius vitam descripsit Franciscus Syluester Ferrariensis, qui plurima horum vidit, nobilissimosq; rerum maximarum testes adducit tum viuentes, in his Franciscum Gonzagam Mantuæ Marchionem, Isabellamque Estensem coniugem ipsius: scripserunt etiam Hieronymus Oliuetanus, illorum temporum æqualis, ac Seraphinus Razzius.

Margareta Fontana virgo Mutinensis admirabili vitæ puritate resplenduit, multis ægrotis impartita sibi diuinitus potestate sanitatem reddidit. eius porrò mens, quamuis alligata corpori, ad supera tamen sæpiùs sic euolabat, vt obrigescentibus membris immobilis, ac fixa diutius permaneret. obijt anno millesimo quingentesimo decimotertio.

Catharina è Raconisio virgo fuit diuinissimæ sanctitatis. eius vitam scripsit Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes, ac Princeps, philosophiæ & omnis litteraturæ scientissimus, idemq; prudentiæ & iudicij singularis. scripsit autem, quod virgo in eius domo vitam traduxerit, & ipse pleraque illius admiranda gesta & euenta proprijs sit oculis contemplatus. Humanam verò fidem superant, quę de admirabili hac virgine scriptor ille litteris commendauit; quorū nos maximam partē præterimus. Tanto fuit in humanum genus amore, vt sæpè offerret semetipsam Deo puniendam pro sceleribus aliorum, debita illis supplicia in se auertens; ob quæ maximos sæpè cruciatus diuinitus immissos ebibat: publicasq; calamitates à reliquis mortalibus in se transferens est deprecata. Huius rei plurima ille recenset exempla. Humilitate, abstinentia, patientiaq; fuit incredibili. Multa, quæ postea contigerunt, multo antè ipsa præsignificauit, de quibus nos signo de spiritu prophetiæ. In remotissimas oras sæpiùs à diuino spiritu, nemine vidēte, est asportata, multisq; apparuit, ac de improuiso adstitit pſens, ꝙ illi postea retulerūt. Refert idē princeps aliquando illam quatuor horarum spatio confecisse iter milliariorum tercentum viginti. Ter in hebdomada

tantùm

tantùm cibum sumebat. Claudius Raconisij, id est oppidum Allobrogum, dominus testatus est sæpè à se visos supra domunculam virginis splendores quosdam cęlitus demissos. Plurimis restituit amissam sanitatem. nomina illorum refert idem Comes. Dum cælestibus meditandis se daret, sæpiùs ab omni sensu abiungebatur. obijt anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo.

Stephana Soncinas virgo nata in Orcisnouis, quod est oppidulum territorij Brixiensis, admiranda omninò fuit sanctitate, & diuinis virtutibus ornatissima. Hæc etiam superioribus similis publicas Christiano populo imminentes ærumnas deprecari solebat; quin vt toti humano generi benè esset, nulli non se pœnæ subijciendam Deo offerebat, atque ob eam causam maximis se cruciatibus adficebat, quibus eam Deus affligi permisit ipsos quadraginta annos. Eius animus sæpenumero corpus destituēs, quod vel rectum, vel genibus flexis in modum supplicantis persistebat, in cælum euolabat. Cogitata intima ac nulli patefacta crebrò cogitantibus patefaciebat. futura plurima prænunciauit. obijt anno millesimo quingentesimo trigesimo. post obitū multis reddidit mirabili modo pro-sanitatem. Testes adducuntur rerum diuinarū Martinus chio Mantuæ Franciscus Gonzaga, & vxor eius Isabella, Hercules Estensis Ferrariæ Dux, Matthæus Auogadrus, Galeatius Porcelaga, qui tum viuebant, cùm gesta ipsius litteris fuerunt consignata.

Lucretia Cademusta è Laude Pompeia virgo sanctissima quadraginta quinque totos annos ægrota in lecto maxima insignis patientiæ documenta edens decubuit. futura multa prædixit. Cados aliquando inanes, vt hospitibus quibusdam bene esset, vino per imperium suæ fidei repleuit. decessit anno 1 5.

Lucia Narniensis virgo diuinissima sacris Iesu Christi stigmatibus fuit insignita. Quod cùm reuocaretur in dubium, & quidam malè suspicarentur, de iussu Alexandri Sexti Bernardus Recinensis philosophus, ac medicus excellentissimus, præsentibus alijs peritissimis viris, inspexit vulnera, manumq; chirotheca ad hanc rem facta inuoluit, & ita conclusit, ac signauit, vt aperiri nullo modo posset, & ita nouem dies permanere mandauit occlusam: nam si plaga esset humano modo inflicta, necesse erat computrescere. post nonum diem detracta chirotheca, inuētum vul-

nus,

nus, vt prius erat, rubicundum, & ab omni macie purum. Adducuntur tantæ rei testes Petrus Thianensis Episcopus Thelesinus, Nicolaus Maria Estensis Episcopus Adriæ, Dux Hercules Estensis, Lucretia Borgia, Petrus Gambus Papæ in vrbe Vicarius, alijque multi, vt ego vidi ac legi instrumenta publica Romam Ferraria, in qua corpus eius iacet, transmissa, & confecta anno 1502. die 8. Februarij. Austeritate vitæ & patientia virgo hæc fuit incredibili. Multa prædixit. ægrotos multos mirabiliter sanauit. Vita migrauit anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. Eius corpus Ferrariæ in Sanctæ Catharinæ martyris iacet. Dux namque Ferrariæ Hercules Estensis nihil nõ egit, vt virgo admirabilis Ferrariam concederet. Idcirco Alexander Sextus iussit, vt eò se virgo conferret: quæ obtinuit vt Dux monasterium S. Catharinæ fabricaretur, in quo vixit illa annos quadraginta duos; & in eo floruerunt virgines sanctissimæ, virtutum cunctis insignibus illustrissimæ, ac miraculis etiam plurimis claræ; in his Antonia Brixiensis, Constantia, Paula, Veronica, Angela Seraphina. Est in eadem ciuitate monasterium S. Catharinę Senensium, è quo sanctissimæ virgines euolarunt in cælum, Beatrix, Dorothea, Cæcilia, Eustochia, Ioanna, quę sanè omnes excelluêre hoc sæculo, & mirabilia multa effecerunt superioribus similia, quæ refert Seraphinus Razzius, nos omittimus breuitati consulentes; ita tamen, vt non omittamus tacitam Augustinam Mediceam, quæ cęlestem, quamdiu fuit in terris, vitam traduxit; multaque multis prædixit, & cùm meditationibus sacris totam se deuouisset, eius cella sæpiùs est visa, cùm supera contemplaretur, ingenti splendore circumfusa.

Sic etiam Florentiæ maximè pręstitit sanctissimis virginibus monasterium S. Catharinæ Senensis, in quibus Bartholomæa Martina, Laurẽtia Lorina, Theodora Landa, atque aliæ nonnullæ, de quarum laudatissimis ac diuinis gestis idem Seraphinus.

Maria Bagnesia virgo Florentina sic à diuino spiritu, dum precationibus operam daret, interdum corripiebatur, vt quamuis ægrota langueret in lecto, neq; sese posset attollere, tamen protinus sublimis exsurgeret, & extra corporis sensus constituta, rectaque, & immobilis diu staret, in intimo obtutu cælestium rerum defixa. singulari omnino patientia, humilitate, & caritate fuit. Multa illius admi

rabilia,

rabilia, & humanas vires superantia refert in eius vita Alexander Capocchius vir magnæ sanctitatis. obijt illa anno 1577.

Atque hæ sunt virgines ex ordine S. Dominici omnes sanctitatis prorsus admirandæ: vt obseruandum maximè sit, ex Hispania plurimos hoc sæculo viros sanctissimos prodijsse alumnos S. Francisci Itali, ex Italia verò plurimas exstitisse sanctissimas fœminas alumnas S. Dominici Hispani.

Catharina Genuensis nobili Fliscorum gente orta fuit admirandæ sanctimoniæ. & caritatis, ita vt Deum speciatim rogaret, vt omnes omnibus malis pœnas debitas ipsi attribueret, eosq; à peccatis expiatos in suam gratiam reciperet. Tota semper erat in cælestium meditatione, sæpius ab omni membrorum functione abiungebatur, totaq; recto in modum supplicis corpore obrigescebat, mente in cælum subuecta. Fuit incredibili patientia, & humilitate. quadragesimas ferè totas absque vllo cibo transigebat. obijt anno millesimo decimo quinto.

Felix è Barbarano, quod est agri Romani oppidum, virgo singularis sanctitudinis, humilitatis, & caritatis, tam vehementer ad contemplanda supera interdum ferebatur, vt corpus destituens ab omni sensuum officio, cælo sese inſereret, ac cæli incolis se adiungeret; quin aliquando illud in sublimia rapiebat, & in aëre supra terram nulli rei nisi diuino spiritui innixa consistebat. optabat in se deuolui omnia tormenta iniquis debita, vt ex piati illi in gratiam diuinam restituerentur. miris modis suum corpus affligebat. tres quadragesimas absque vllo cibo transegit. ægrotis aliquot mirabiliter reddidit sanitatem. decessit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. vitam ipsius descripsit Bonsignorius Cacciaguerra vir fidei spectatæ, & integritatis summæ.

Margarita Rauennas multo ante istas è vita migrauit anno millesimo quingentesimo quinto: cuius gesta nonnulla, quorum nos aliquot hîc breuissimè perstringemus, narrat Hieronymus Rubeus historiç Rauennatis lib. 8. quę quidem in acta publica referri petijt Fridericus Mantuæ Dux, iussuq; Pauli Tertij testes adhibito iuramento ritè examinati mirabilia dixerunt. Cùm cæca esset, cæcis restituit oculorum lumen. obsessos à dæmonibus plurimos statim liberabat, ægrotorum similiter multitudinem magnam

protinus restituit sanitati, in his hydrope affectum solo manuum contactu. pedibus alij contortis ambulanti incessum rectum reddidit. aliorum cogitata intima præsentiebat. Plurima prædixit. Patientia, humilitate, caritate fuit admirabili. Tanto interdū fulgore facies eius resplendebat, vt aduersam colloquentes intueri non possent.

Antonia vidua Romana insigni maximè vitæ candore nostris diebus eluxit. Eam nos sæpiùs allocuti sumus: & cùm genere ignobili, & illitterata foret, mirum quanta diuinitus inspirata doctrina de rebus cælestibus sermonem faceret. Vidimus eam sæpiùs ab omni sensu abstractam. cùm semper ægrota iaceret in lecto in summa egestate, hilaris tamen erat, ne dum patiens, cum lumen oculorum amisisset multos tamen ad se aduenientes, ac prius ignotos mirabiliter agnoscebat. Futura sępè prædixit, & humanas cogitationes præuidit.

Taresia Hispania virgo admirandæ sanctitatis, incredibili patientia, humilitate, ac prudentia floruit: in precib⁹ sæpè extra omnes sensus rapiebatur, in altumq; aëra toto corpore sustollebatur. Edidit libros doctrinæ cælestis plenos, quibus edoceamur vias Christianæ diuinæque vitæ degendæ, sexaginta ac plura monasteria, tum virorū, tum fœminarum fundauit auctoritate, ac fide cælestium rerum, quas illa patrabat. Eius cadauer incorruptum persistit, & innumera miracula edit. Ratio vitæ, quam suorum monasterijs pręscripsit, est supra humanam conditionem magnæ perfectionis, ac puritatis, quam factis exhibuerūt, & exhibent eius sectatores.

Hæ sunt igitur nostro sæculo virgines ac fœminæ diuinitus concessæ. In quarum considerandis gestis, cælestibusq; donis concessis per merita Christi in superiorum ætatum sanctos deriuata, & ex istis pro Ecclesia semper intercedentibus in homines nostri æui delapsa, occurrit animo vis multa singularium diuinissimarumque rerum.

Primum verò sit illud, quòd vix in narrationibus antiquarum viraginum & matronarum legas, tot vno sæculo ex vna prouincia fœminas, tot ac tantis diuinitatem spirantibus donis ornatas exstitisse, vt hoc nostro ex Italia sola. Quid igitur illud hæretici sic incusant ad suā, suorumq; omnium ruinam?

Secundum, ex Italia sanè nullo sęculo post ętatem Cōstantini prodierunt tot ac tātis cælestiū gratiarum plenis

muneribus cumulatæ fœminæ, vt hoc nostro. legantur antiqua, & cum recentibus conferantur. quid itaque latrant impij aduersus Italiæ Catholicam religionem, & Catholicos mores?

Tertium. Similiter haud legas tot vllo sæculo exstitisse fœminas, quæ precibus assiduis enixè ac speciatim contenderent à Deo, vt is reciperet in gratiam diuini amoris immissione flagitiosos quosque mortales, & ob eam rem supplicia istis debita ipsis irrogaret ad eos expiandos, vt scilicet disciplina pacis esset super ipsas, & ipsarum liuore sanarentur illi. Nam quamuis martyres hac esse videantur exemplo Christi mente, quin omnes pij sint aliquo modo ad hoc, vbi Deus exigeret, exsoluendum parati, vt suprà signo de caritate est patefactum; longè tamen maioris est caritatis, hoc speciatim, & supplicationibus haud interruptis à Deo precari.

Quartum existit ex his. Aduocentur namque omnes Borealium regionum Protestantes, omnes Orientis, Græciæ, & quicumque sunt hæretici. Aduocentur quicumq; vmquam fuerunt è quauis regione. Quid plura? aduocentur quotquot fuêre ab orbis fabricatione alieni à recta doctrina in cunctis terris, ac fœminam tantæ caritatis producant. Quid fœminam dico? producant virum quantumlibet admirandum. Vide quæso, quàm impari conditione inire certamen cum nebulonibus istis velim. Nobis tot huiusmodi fœminæ fuerunt, vno tantùm sæculo, ex vna prouincia, quam volunt isti esse cunctarum perditissimam. Eia igitur, vna è nostris prouincia perditissima iudicio ipsorum opponatur omnibus mundi totius regionibus, vnum sæculum, quod volunt isti dementes omnium flagitiosissimum, tot antè actis sæculis, plures fœminæ è nostris vni ex ipsorum innumera colluuie, vnum è nostris infirmiorem sexum vtrique ipsorum. Heus hæretici accurrite. quid statis? proferte vnum huiusmodi. Nullibi reperitur, qui nō dico hęc petierit, exceperitve supplicia pro genere humano, sed qui tam egregiam rē fuerit ausus, aut etiam cogitarit. Quid igitur latratis impij? Ah pudeat vos impudentiæ vestræ, & mendacissimæ frontis.

Neq; verò cùm dicimus aliquid sæculo nostro maximè diuinū & singulare concessum, quod superiorib. sit negatū. idcirco nostrum pręponimus superiorib⁹; nam multa pręteritis etiam cælitus data sunt, q̄ nostro non cōtingunt.

præterea verò asserimus, quod à Deo in nos proficiscitur, per merita Christi deriuari, quæ quidem merita defluunt è sanctis Deo coniunctis, vnisque cum Deo, ac pro Ecclesia militante rogantibus Deum in Ecclesiam militantem, quæ ob id sua cuncta Deo Christoq; per superiores accepta refert, & adscribit. Verùm contendimus simul Ecclesiam nostram esse Ecclesiam Dei, quæ tot maximè diuina & singularia à Christo per sanctos in cælo positos accipiat, veluti è membro in membrum vis suprema capitis debitur: Ecclesiam namque corpori sæpè comparat Paulus. Quòd igitur Ecclesia nunc militans maximè sit sancta, nascitur è sanctitate superiorum sæculorũ, quasi in sublime consurgat arbor ex imis radicibus in profundo altissimè demersis. Quid autem sit sanctius, id iudicare Dei ipsius est, qui à scriptura sacra vocatur spirituũ ponderator. Nos hîc agimus in vniuersum de sanctitate, nõ diffiniẽtes quæ sit maior. Quamuis rectè decerni possit, opera quædam diuina sanctitatem testificantia esse in alijs quidem maiora, in alijs minora, sicut Christus dixit discipulos suos maiora, quàm fecerit ipse, esse facturos.

Postremò, vt finem faciamus, cùm nos vndecim libris, vt apparet, singulas virtutes, siue Theologicas, vt vocant, siue Morales, gratiasque gratuitas enumerauerimus, in singulis adiecimus argumenta petita & desumpta à rebus nostri etiam plerumq; sæculi per nostros gestis: è quibus illustrissimum sit nos esse ex Ecclesia Dei, quando tantum virtutum culmen assequi, vel sola cogitatione, nullis mortalibus esse concessum. idq; vel vno similiter argumento fit clarissimum, quòd nulli sic amoris proprij fibras radicitus exstirparunt, vt Catholicę gentes, ꝙ primo cap. lib. 3. aperuimus. atq; ob id nulli potuerunt animis humanis sic inserere virtutes, vt Catholici inseruerunt.

Nos igitur, vt vnà cum Paulo loquamur, accedentes nõ corporis gressu, sed mentis intima deuotione ad Sion mõtem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestẽ, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, qui quidem surdi non sunt, sed audiunt preces nostras (alioquin quomodo spiritus noster accederet ad eorum spiritum?) & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel, Deum, Christum- *Heb. 12.*

que in omnibus respicientes, & ad Deum, Christumque cuncta nostra referentes.

Et alios quidem cæli incolas, ciuesque, & Dei domesticos inuocabimus, tum verò vos sanctissimi, qui sæculo hoc nostro tot ac tanta perpessi euolastis ad Deum, respicite nunc Ecclesiæ nauim Petro commissam, quot vndique tempestatibus agitetur, quot in illam furiæ ventorũ conspirarint. Afferte opem, gratiamq; diuinam tum nobis, tum verò mortalibus cunctis, vt ad Ecclesiæ, cuius admirandas, & diuinas explicauimus virtutes, conuolent omnes complexum. Videte, quibus Oriens, vnde Christianæ religionis lumen effulserat, nunc tenebris inuoluatur, quibus miserijs opprimatur. Hem Græcia sapientiæ quondã parens, Imperij summi sedes, vt altissima circumfunditur caligine, vt dirissima seruitute, postquam discessit ab Ecclesia, olim cœperit adstringi, nunc autem penitus contetatur? quomodo sedet quasi vidua domina gentium, Regina prouinciarum? euanuit ab illa decor omnis, è sublimi missus est ignis in eius ossa. Tetendit arcum suum Deus, quasi inimicus firmauit dexteram suam, quasi hostis occidit omne, quod pulchrum visu erat in tabernaculis eius. Non est qui consoletur ipsam ex omnibus caris eius, omnes amici spreuerunt eam, non despectam tamen ab Ecclesia matre, quæ toties eam tutata est, atque adhuc tutatur sola aduersus inimicos eius. In suam domum vocat illam, domum luminis, domum sapientiæ, & omnium bonorum. Si ignoras te, ô pulcherrima nationum, abi post vestigia gregum tuorum, & pasce illos iuxta tabernacula pastoris illius, cui dicit adhuc Christus, Pasce oues meas. Viden' vt ille brachio suo congreget agnos, in sinu tollat, ac fœtos Romæ, & vbicumq; potest, ille gestet? Meministi, quoties aduersus lupum, qui nunc te tuosque discerpit, dilaniat, deuorat, cum maximis suorum copijs, vt te ab amicis tuis desertam defenderet, adcurrerit, aduolarit? Reuertere in te tãdẽ, reuertere, & exẽplo filij prodigi, vide quot in domo matris tuæ abundant, tu autem fame peris. Prætendite, ô beatæ mentes, quæ in cælo degitis, pereuntibus lumen, conciliate illis gratiam diuinam, robur cæleste inspirate, misereminí errantiũ, misereminí pereuntium.

Sed quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt lugeam tot Ecclesiæ quondam filios, quos impetus Aquilonis prostrauit, & allisit ad terram? quos

quos caligo impietatis circumdedit, tortuosus serpens spiris inuoluit, afflatu pestilentis veneni interfecit? Euersa sunt templa, diruta sunt monasteria, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. qui nutriebantur in croceis maximarum cælestiumque virtutum odoribus, amplexati sunt stercora libidinum, luxus, & ebrietatis. cãdidiores erant olim Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores; nũc expulsi omnes, successere in multis locis temulentia, luxuries, intemperantia, stoliditas. Vsque quò dissolueris delicijs filia Septentrionis vaga, & modò huius hæresis turbine circumfereris, modò illius vortice vinolenta absorbeberis? Respice meliorẽ tui partem, vt adhuc stet, & auitæ religionis, virtutumq; splendore non intermortuo corusceet. Recordare maiorum tuorum, qui te euexêre ad omnem quamcumq; habes humanitatis, nobilitatis, magnificentiæ, & litteraturæ laudem. Nullæ olim inter tuos litteræ erant, nullæ vrbes, & ædificia, nulla familiarum dignitas, nulla cum ceteris gentibus societatis humanæ tuta commercia. Horrebant omnia syluis, squallebant incultæ regiones; ferro & prædationibus omnia miscebantur; priscæ nobilitatis cognitio nulla. Bonifacius Anglus à Gregorio Secundo missus, Cyrillus, ac Methodius à Nicolao Primo, omnium quæcumque in te elucent, bonorum fundamenta iecêre, horum deinde alumni exornarunt omnia tua, finitimasque regiones excoluerunt, ac nobilitarunt. Numquid in antiquam barbariem feritatemq; relabi voles? fastidis tot bona, ac tanta, tot ac tantis nostrorum laboribus tibi parta, quorum nihil antea potiebaris? Respice infelix ad petram vnde excisa es, & ad cauernam lacus, vnde præcisa olim fuisti à successoribus Petri, ad quem dictum fuit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, procuratum est continenter, vt in hanc speciem conformareris: ab eius alumnis aquam baptismi, quo sordes antiquas abluisti, acceperas. & nunc quid tibi cum fluuijs Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Audistin' in quos scelerum gradus abominandos præceps sis deuoluta? An etiam vis eò deturbari, quò miserrima Græcia?

Vos igitur fœminæ, virginesque sanctissimæ, vos viri, martyresque diuini, & qui nostro sæculo, & qui superioribus ex Ecclesia effloruistis, & eiuxistis, haustã à Deo gratiæ cælestis vitã mortuis istis inspirate, excitate altissimo

veterno oppressos, ac stupentes, immittite robur languentibus, firmate debilium gressus, discutite tenebras circumfusas, disijcite caliginem, lumen oculis cæcitate perculsis restuite, acies illorum corroborate, illuminami ni his qui in tenebris & vmbra mortis sedent.

Nobis autem tantum diuini auxilij per merita Christi largiter impetrate, vt virtutum cælestium semitis nobilissimis insistentes ascendamus ad montem Domini, euntes è virtute in virtutem; ad montem inquam Domini positum in vertice montium: neque itineris aut asperitate, aut longitudine defatigemur, sed Christi, sanctorumque hominum, quorum gesta miranda retulimus, imitatores effecti haud horreamus omnia dura subire, occurrere omnibus periculis, exantlare omnes labores; quin cupiamus vnà cum Paulo, vehementissimisq; precibus ob ardorem diuini amoris vnà cum virginibus memoratis efflagitemus à Deo esse anathemata pro salute ac beatitudine cunctorum mortalium vel flagitiosissimorum, præcipuè verò, si quidem Deo bene placeat, Protestantium, multorũque Grecorum, & Orientalium, qui cùm sint hæretici, volunt haberi tamen Christiani, & aliquem Christo tribuunt honorem: exhibeamusq; ob id, & offeramus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem in odorem suauitatis. Cui laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum.

AMEN.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX.
SENTENTIARVM SACRAE SCRIPTVRAE
IN HOC PRIMO TOMO DE Signis Ecclesiæ expositarum.

GENESIS.

EXODI.

NVMERI.

DEVTERONOMII.

IVDICVM.

REGVM. I.

IVDITH.

PSALMORVM.

HIEREMEAE.

BARVCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

MICHAEAE.

ZACHARIAE.

MALACHIAE.

MAETHAEI.

Non

ACTORVM.

EPIST. AD ROM.

AD CORINTH. I.

AD CORINTH. II.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALON. I.

AD THESSALON. II.

AD TIMOTHEVM. I.

AD TIMOTHEVM. II.

AD TITVM.

AD

AD HEBRAEOS.

EPIST. IACOBI.

EPIST. PETRI I.

EPIST. PETRI II.

EPIST. IOANNIS I.

EPIST. IOANNIS II.

APOCALYPSIS.

INDEX IN TOMVM PRIMVM DE SIGNIS ECCLESIAE.

amu-

apo-

B

boni-

C

cælum

catho-

chri-

con-

D.

E.

 do

episco-

F

G

gense-

hæ-

I.

Iusti-

luna

Magd.

O.

Ma-

P.

Q.

R.

per

Scoto-

T

X.

Zacho-

Z.

FINIS.